









208

G. J.





Philip a Gunst sculps.

FRIDERICVS II.

DVX SAXONVM GOTHANVS.

SIC TIBI NEC DOCTI, NEC DESVNT PRINCIPIS ARTES,
MIXTA SED EST ANIMO CVM IOVE MVSA TVO.

OVIDIVS. Epist. ex Ponto IV, 8.

GOTHA NVMARIA,

SISTENS

THESAVRI FRIDERICIANI

NVMISMATA ANTIQVA

AVREA, ARGENTEA, ÆREA,

ea ratione descripta,

Vt

Generali eorum notitiæ exempla singularia subiungantur,

Auctore

CHRISTIANO SIGISMVNDO LIEBE.

Accedunt ex ANDREÆ MORELLII SPECIMINE Vniuersæ Rei Numariæ Antiquæ Excerpta, & Epistolæ Tres EZ. SPANHEMII, quibus rariores eiusdem Thesauri Numi illustrantur.



AMSTELÆDAMI,

Apud R. & J. WETSTENIOS & G. SMITH.

MDCCXXX.



FRIDERICVS II.

DVX SAXONVM GOTHANVS.

Sic TIBI nec docti, nec beavnt PRINCIPES artes,
Mixta sed est animo cvm Iove Mvsa TVO.

Ovidivs Epist. ex Ponto IV. 8.

GOTHA NVMARIA,

SISTENS

THESAVRI FRIDERICIANI

NVMISMATA ANTIQVA

AVREA, ARGENTEA, ÆREA,

ea ratione deſcripta,

Vt

Generali eorum notitiæ exempla ſingularia ſubiungantur,

Auctore

CHRISTIANO SIGISMVNDO LIEBE.

Accedunt ex ANDREÆ MORELLII SPECIMINE Vniuerſæ Rei Numariæ Antiquæ Excerpta, & Epiſtolæ Tres EZ. SPANHEMII, quibus rariores eiusdem Theſauri Numi illuſtrantur.



AMSTELÆDAMI,

Apud R. & J. WETSTENIOS & G. SMITH.

MDCCXXX.





GOTHA NVMARIA,

SISTENS

THESAVRI FRIDERICIANI

NVMISMATA ANTIQVA

AVREA, ARGENTEA, ÆREA.

SERENISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO,

FRIDERICO II.

DVCI SAXONIAE,
IVLIACI, CLIVIAE ET MONTIVM,
ANGRIAE ITEM WESTPHALIAEQVE,
LANDGRAVIO THVRINGIAE,
MARCHIONI MISNIAE,
PRINCIPI HENNEBERGICO,
COMITI MARCAE ET RAVENSPERGAE,
DYNASTAE RAVESTEINII
ET TONNAE,
DOMINO CLEMENTISSIMO

Christianus Sigismundus Liebe.

SERENISSIME PRINCEPS,



Vanto maior atque optabilior censenda est felicitas, quæ mihi aditum ad TE, *quem, pro summa illa* TIBI*que perpetua erga* TVOS *indulgentia, priuatim toties reclusisti, quoties mandata de verendo illo Musarum adyto, cui mystagogum me præfecisti, petenda coram abs* TE *essent, solennem in præsentia publicumque pandit; tanto accuratiorem mihi adhibendam esse diligentiam intelligo, ne quid in conspectu* TVO, PRINCIPIS *sapientissimi, & eorum, quæ fieri quocunque tempore ac loco par est, callentissimi admittam, cur indignus tam insigni propitiæ fortunæ beneficio videri possim Neque adeo vel laudes vllas in præsenti expectabis a me, laudatissime* PRINCEPS, *vel illas dedicandorum operum formulas, quæ vtramque apud scriptores, qui seculi morem sequuntur, paginam faciunt.*

Quid enim? Tam vastum æquor, vt de laudibus primo dicam, cymba paruula vel ingredi, vel emetiri tantillo temporis interuallo, quo omne mihi negotium absoluendum est, coner? Audeamne vniuersa breui oratione complecti, quæ singula, si argumenti dignitati par dicendi facultas adhibenda sit, negotium facessere vel disertissimo cuique possint? Cum enim

enim terris his, quarum gubernacula, magni LEO-POLDI *virilem in adolescente sapientiam admirantis nutu, citius haud paulo quam ætatis ratio ferebat, suscepisti, diuino quodam beneficio quadraginta iam prope annorum interuallo præsis, quoties toto hoc temporis tractu* TVA *vel pietas, vel sapientia, vel magnitudo animi, vel constantia, vel moderatio eluxit? Quem optare sibi aut fingere* TVI *potuere* PRINCIPEM TE *religiosiorem in seruanda puriori cælestium oraculorum doctrina, in stabiliendo vero* DEI *immortalis cultu, in excitandis, vbi opus esset, restaurandisque templis & scholis, quem vigilantiorem in extirpandis vitiis & prouehendo virtutum optimarumque artium studio, quem sapientiorem & laboris patientiorem in pensitandis conficiendisque grauissimis negotiis, quem iusti & æqui tenaciorem vel in* TVORVM, *vel aliorum, etiam maximorum* PRINCIPVM, *qui* TE *controuersiarum suarum arbitro vtendum duxerunt, cuius rei illustre hoc tempore prostat exemplum, causis diiudicandis, quem prudentiorem in adsciscendis ac fouendis, qui operam* TIBI *suam commodarent, summis infimisque administris, quem vt feliciorem in suscipienda, ita prouidentiorem in educanda rite sobole, mascula inprimis, & instituendo vitæ tam illustri progenie dignæ cursui mature præparanda, quem ciuium suorum amantiorem in procurandis cuiuscunque generis commodis & auertendis calamitatibus, quem studiosiorem communis patriæ nostræ in submittendo, si bella flagrarent, milite firmo & robusto, quem diligentiorem in colendis tuendisque pacis artibus, quemque adeo augustis Cæsari-*

 bus,

bus, LEOPOLDO *quondam & postea* IOSEPHO, *hodie* CAROLO VI, *quem sapientissimo cuique Europæ principum cariorem, quem denique vt finem faciam*, ERNESTO, *auo* TVO, PRINCIPI *incomparabili & cum* PII *titulo quosuis alios, quibus optimi quique gentium cultiorum rectores floruerunt, iure sibi vindicanti, imperatoriis illis virtutibus, quibus æternum sibi nominis decus comparauit, similiorem? Neque vero hæc sola, tametsi longe plurima sunt & singula vastissimum dicendi campum aperiunt*, TE, SERENISSIME PRINCEPS, *totque annorum, quibus ditionum* TVARVM *gubernacula tractas, seriem intuenti sese obiiciunt, sed & alia nec pauciora nec leuioris momenti, quæ, si vel summatim attingenda forent, nec initium nec finem orationis reperirem. Itaque missas facio laudes* TVAS, PRINCEPS *omnibus præconiis dignissime, cum ob eas, quas dixi, rationes, tum quod, quæ summa omnium* TVARVM *laudum est, laudanda facere, quam laudari, orbis cultioris, cuius oculos excellens* TVA *virtus pridem in se conuertit, applausum mereri, quam audire mauis. Quibus accedit tandem, quod volumen hoc, vel tacente me, in prædicandis diuinis animi* TVI *dotibus, inprimis incredibili illo optimarum scientiarum amore, quo non modo alios* TVI *ordinis principes, sed & reges maximos nostra ætate non æmularis, sed vincis, ita occupatur, vt* TVAM *munificentissimi antiquitatum omnis æui restitutoris gloriam singulis non tantum paginis, sed & versibus pene extollat.*

Id consecrare TIBI *ac sollemni formula dedicare vt aggrediar, non magis a me impetrare possum, quam*

vt

vt ieiuna oratione fulgentiſſimas laudes TVAS *obſcu-rem magis quam illuſtrem. An enim nuncupari* TIBI *ac velut alienum offerri poteſt, quod vt vere* TVVM *eſt, ita & identidem* TVVM *appellare dignaris? Nempe non* TVVS *tam ſit quam qui iure optimo liber, qui* TVIS *auſpiciis,* TVO *iuſſu, in* TVO *domicilio, in illa ab optimo* AVO & PARENTE *relicta* TIBI, *a* TE *vero tot nouis ornamentis decorata arce* FRIDENSTEINENSI, *in illa* TVA, *quam technophylacium longe elegantiſſimum comitatur, bibliotheca vaſta & bonis libris inſtructiſſima e ſuperiori parte coronat, interiorum litterarum officina natus auctorem agnoſcit hominem longa beneficiorum innumerabilium ſerie ita* TIBI *deuinctum, vt mancipio & nexu* TVVS *cenſeri vere poſſit, quemque ipſa inſuper argumenti ratio* TIBI *manifeſte, vt* TVVM, *vindicat. Agit enim de peculio* TVO *longe* TIBI *cariſſimo, de illo* TVO, *quem vel ſplendidiſſimis principalis ſedis* TVAE *ornamentis anteferendum cenſes, numiſmatum præſtantiſſimorum theſauro, de ſacrario illo* TVO, *quo heroes omnium temporum velut liberali hoſpitio recepti toties geſtire mihi videntur atque exſultare lætitia, quoties in conſpectum* TVVM *admiſſi vſu & conſuetudine* TVA *fruuntur.*

Habes igitur opus, SERENISSIME PRINCEPS, *quod* TVVM *eſſe inficiari nec poſſis, nec velis, niſi forte ea ex parte, qua lima vlteriori indiget, & longius vtique a nitore illo & pulchritudine abeſt, quam cetera omnia* TVA *præ ſe ferunt. Sed hos næuos, quos ſtudium mandatis* TVIS *primo quoque tempore obſecundandi peperit, vt alienos & meos feres tantis-*

per pro ſumma TVA *indulgentia, dum limatius id curis ſecundis prodeat vna cum parte ſui altera, quæ ſimili aliquando ratione recentiora theſauri* TVI *cimelia, ſi propitia fata vitam & vires conceſſerint, percenſebit.*

DEVS *immortalis* TE, *in florentiſſimo ætatis curſu gentis* PRINCIPVM *Saxonicorum Erneſtinæ ſingulari quadam felicitate hodie* SENIOREM, *conſeneſcere ne patiatur, ſed faxit, vt plurimorum longe annorum intervallo noua hac* SENIORIS, *ſenis vero appellatione, virili flore ac robore ad extrema vitæ longæuæ tempora ſeruato, nunquam vtare. Scribebam in arce Fridenſteinenſi a. d. XIIII. Kal. Febr.* CIↃIↃCCXXX.



Prodit



* * *
* * * *



Rodit tandem commentatio, qua numiſmata antiqua theſauri Fridericiani percenſentur, poſt moram haud vnius anni, qua ei, ſiue ante quam ex ſchedis, quibus feſtinantius forte quam felicius excluſus eſt hic partus, ita deſcriberetur, vt tradi operis typographicis poſſet, ſiue poſtea, cum prælo commiſſa ad lucem adſpiraret, conflictandum fuit. Permoleſtam illam mihi accidiſſe, & patientiæ diuturnæ vim feciſſe non ſemel, vt negem aut diſſimulem, a candore meo impetrare vix poſſum. Sane non equidem deperibam adeo ſtolide hunc fœtum recens natum, vt non curæ diligentiæque priuatæ paulo diutius eum relinqui, nonumque adeo, vt ille ait, in annum premi, quam ita, vt erat, in lucem protrudi mallem. At ſepoſitum & lambentis ſubinde ac refingentis ſtudio præmature ereptum diutius iuſto detineri, & qui, vt veniam apud lectores facilius conſequeretur, non ſegnius produci in lucem, quam editus erat a me, debuerat, vix tandem ſero, ac nihilo inde meliorem atque emendatiorem proferri atque oſtendi, id vero ægre admodum ferebam. Ah! quoties tum ſubiere mentem illa viri maximi, Ioſephi Scaligeri ad Lipſium: „ Tandem opus noſtrum tibi mitto. Si, quantum mihi licuit per „ typographorum ceſſationem, illud longiore lima „ cruciare voluiſſem, fortaſſe emendatius & melius „ prodiret. Sed illa ceſſatio non operi meo, verum commodo typographi dabatur. Itaque per

Syllog. Epiſt. Burmanni T. I. p. 24.

 „ me

„ me non ſtetit, quin citius lucem videret. Nam „ profecto ex tam longa mora maturiorem fœtum „ quis ſperare poſſet. Quod ſi non accidit, ilicet, „ vt hæc ferunt tempora, ad obtrectationem feneſtram patefactam video". Sed hæc quidem fruſtra nunc fortaſſe repetuntur a me, niſi in quantum oſtendunt, operi dudum a me emancipato & nouiſſimam, qua indigebat, limam ex eo tempore non experto, patrocinium nunc commodari a me per omnia non poſſe. Alia nunc inducta & loco ſuo mota, alia adiecta, alia immutata, ſi mei id foret arbitrii, mallem, ſiue quod nimia tum feſtinatio in tranſuerſum abripuit ſcribentem, ſiue quod dies diem, vt fieri in hoc argumento ſolet, docuit.

Prout autem, id quod ingenue fateor, non deſunt hic illic, quæ ipſe in hoc opere damno, ita ſtructuræ eius in vniuerſum, & conſilii, quod in elaborando eo ſecutus ſum, me nondum pœnitet. Nempe id negotii mihi dederat Sereniſſimus PRINCEPS FRIDERICVS II. Dux Saxo-Gothanus, Dominus meus, quo nemo meliorem ſibi optet, vt theſaurum eius inuidendis, non tantum qua Germania noſtra, ſed & vniuerſa Europa cultior patet, laudibus celebratiſſimum paulo vberius deſcriptum darem. Cuius voluntati ac mandatis vt pro virili obſecundarem quam primum, ante omnia circumſpiciendos arbitrabar, qui ſimilem ante me adminiſtraſſent prouinciam, exemplumque præiuiſſent, quod imitatus officio ſatisfacerem. Alii igitur omnia ac ſingula numiſmata, quæ gaza iuris publici facienda complecteretur, deſcribenda fuſisque commentariis illuſtranda ſumſerunt, alii obuiis, & de quibus centies iam dictum, in medio relictis ad ſelectiora, nec adhuc promiſcue vel edita vel congrue explanata, promenda conuerſi bene mereri de harum litterarum cultoribus ſtuduere. Illos ne ſequerer, laboris magnitudo & virium imbecillitas tanto facilius perſuadebat, quanto pauciores opera tam vaſta, & non niſi in maximis bibliothecis locum inuentura, vel emtores vel lectores ſortiuntur. Hos ſi vnice ob

oculos

oculos haberem, equidem non improbaturam se commentationem meam viris doctis intelligebam, sed & perspiciebam simul, vix sperandum esse, vt hinc plena de thesauri huius magnitudine & præstantia iudicandi facultas cuiquam daretur. Ita igitur rem aggrediendam putaui, vt & generatim, quid in vno quoque genere numorum complecteretur, docerem, & ex vniuersa congerie deinceps seligerem, quæ vberiori, si qua indigerent, luce perfunderentur. Hoc consilio vniuersas numorum veterum, de quibus hic agitur, classes percensendas sigillatim duxi ita, vt ab aureis ad argenteos æreosque, ab numis regum & vrbium ad Romanos, partim familiarum partim Imperatorum, transirem, & tractationi de numis breuem de numismatibus, quæ *Medaglioni* vulgus antiquariorum appellat, subtexerem. Huc spectant vndecim priora operis huius capita, quibus duodecimum addidi, quo per saturam describuntur præstantissimi quidam numi, qui vel diligentiam antea meam effugerant, vel, posteaquam superiora iam litteris erant mandata, thesauro FRIDERICIANO accesserunt. De singulis plura non addo, quod, quo spectent omnia, vel primo obtutu satis pateat, nouæ autem vel accessiones vel animaduersiones, quæ ad manum sunt, præfationis huius modum excedant.

Frontem occupat Procemium de PRINCIPE optimo dignissimoque cimeliarcha, eo potissimum consilio præmissum, vt lectoribus de origine huius gazæ, & ratione, qua coaluit, præsentique eius statu paulo luculentius constaret. Subiuncta ad calcem sunt excerpta ex Viri clarissimi, Andreæ Morellii, Specimine Vniuersæ Rei Nummariæ vna cum Epistolis tribus Ill. Spanhemii, quibus numi thesauri huius elegantissimi rarissimique, de quibus, ne actum agerem, nullam in opere hoc mentionem faciendam putaui, illustrantur. Neque enim committendum erat, vt hoc loco, quo ad pleniorem cimeliorum musei FRIDERICIANI cognitionem via sternenda est, desiderarentur symbolæ, quas

iam pridem viri in hoc litterarum genere principes liberaliter contulerunt. Tantoque illæ potiori iure ſibi hic locum depoſcunt, quod fere de numis lectiſſimis omniumque digniſſimis, qui diligentius ſpectentur, agunt, idque, ſi Spanhemiana inprimis conſideres, eo doctrinæ exquiſitæ apparatu, quem ad veteres numos explicandos nemo vel attulit adhuc, vel inpoſterum temere allaturus videtur. Aegre ferrem, ab his duumuiris præreptam mihi laudem de tot præſtantiſſimis gazæ huius monumentis primum agendi, niſi ita illi defuncti hoc labore eſſent, vt publicis, quæ inde ad litteratum orbem redundant, commodis priuatus gloriolæ inanis reſpectus condonari facile a me poſſit. Ceteroqui & Morelliana excerpta & epiſtolæ Spanhemianæ haud paulo emendatiori ſe, quam quo primum prodiere, habitu ſiſtunt, immutatis nempe & inſertis, quæ ad calcem libri celeberrimi viri monuerant. Acceſſere ad marginem notulæ, quæ recenſenti mihi omnia inter legendum exciderunt, paucæ illæ quidem, ſed, vt ſpero, non ſuperuacuæ prorſus aut fructu omni carituræ. De Indicibus, altero Numiſmatum, Rerum altero, nihil eſt, quod addam; de ſtudio in concinnandis iis adhibito ſatis, qui conſulendos eos duxerint, cognoſcent. Operarum typographicarum aberrationes, quæ, abſente auctore, deuitari nullo modo potuerunt, lectores æqui ex indiculo corrigent ſub finem operis adiecto, quo præcipui recenſentur.





NVMISMATOPHYLACIVM FRIDERICIANVM.

PROOEMIVM
DE
PRINCIPE OPTIMO DIGNISSIMOQVE CIMELIARCHA.

§. I. *Præclara res eſt, numophylacium, quod menſuram nominis impleat, condere.*

§. II. *Sed id non priuatorum opus;*

§. III. *Verum Principum, qui vni comparare gazam,*

§. IV. *Vſibus publicis rite conſecrare,*

§. V. *Subinde augere,*

§. VI. *Et ſeruare, atque ad ſeram transmittere poſteritatem poſſunt.*

§. VII. *Quam in laudem vt incumbant hortatur eos, quod ea, vt ex his ipſis patet, propria Principi eſt:*

§. VIII. *Secundo ſplendor rei, ſiue gazam ipſam,*

§. IX. *Siue ſpectatorum turbam ſpectes:*

§. X. *Tertio priuata Principis vtilitas:*

§. XI. *Quarto exempla, inprimis hodierna Auguſtiſſimi Romanorum Imperatoris, regis Gallorum, magni Hetruſcorum, vt & Parmenſium ducis.*

§. XII. *His motus* FRIDERICVS II. *Saxoniæ dux numophylacium exſtruxit;*

§. I.

Praeclara res est, numophylacium, quod mensuram nominis impleat, condere.



QVantam haud dubie reprehensionem incurrunt, qui cœco auaritiæ œstro perciti numos vndique corradunt, corrasos arcæ includunt, Draconumque instar seruant, summam ea in re voluptatem stolide ponentes; tantum laudandi extollendique contra, qui non peruerso habendi studio, sed præstantia vsuque rei adducti, siue antiqua, siue recentiora numismata, incorruptos illos rerum gestarum testes, monumenta illa per tot seculorum decursus vel spirantia iam vel posthac spiratura colligunt & collecta seruant, nec priuato eorum vsu contenti alios etiam, quibus rectiora studia cordi sunt, in partem vtilitatis atque oblectationis, quæ inde infinita manat, liberaliter venire patiuntur. Quid enim præclarius, quid præstantius, aut hominum erectioris indolis, & supra vulgus sapientium studio dignius, quam apparatum ad manus habere paulo pleniorem earum rerum, quæ singulæ cum admiratione spectantur, quæ vnice veram priscorum nobis temporum imaginem, tot heroas ac reges longa obliuione sepultos, tot imperia florentissima, tot populos ac ciuitates, tot ritus sacros profanosque, tot virtutis incitamenta ob oculos vno obtutu ponunt, & quibus longe certius faciliusque, quam ingenti

ingenti marmorum, tabularum, voluminumque numero cauetur, ne cata, si qua futura est, posteritas, superiorum nostrorumque temporum indolem, mores ac res gestas ignorare aliquando possit? Praeclarum quiddam sunt bibliothecæ, ingeniorum, quæ omnis ætas tulit, monumentis vel scriptis vel prælo excusis refertæ, quibus multi sibi, quorum alias cum vita hac mortali nomen pridem interiisset, famam ad posteros duraturam pepererunt. Verum, vt taceam, vulgarem eam iam pridem laudem esse, quæ multitudine eorum, qui ei seruiunt, obsoleuisse quodammodo videri possit, augustior profecto nobiliorque multo censeri debet theca numaria, Deorum heroumque sacrarium, verus temporum thesaurus, interiorum litterarum magistra, quæ vt librorum subsidio carere non potest, ita libris vicissim lucem & auctoritatem commodat, & omnium seculorum, quorum numi ad nos peruenere, faciem atque indolem ita reddit, vt interesse iis, hominesque ac res gestas, quarum memoriam numi seruant, non eminus, sed coram spectare videamur.

§. II.

Sed vt laudem hanc, coniunctamque cum ea nominis famam, agnoscere ac venerari cuiuis, nisi qui Apolline admodum irato ad litterarum studia accesserit, datum est, ita sectari non item. Fieri potest, vt, si fortuna propitia vtare, & iis terrarum partibus viuas, quibus priscæ vetustatis reliquiæ crebrius effodiuntur, vno atque altero genere numorum arculam procedente tempore instruas, quam imperiti gazæ ingentis præconio dignentur. Possis tantum argenti ærisue antiqui signati non magno labore sumtuue conquirere, vt Imperatorum Romanorum numi per aliquot secula non pauci præsto tibi sint, quorum adspectus & tractatio tibi aliisque voluptatem haud mediocrem, nec minorem vtilitatem afferat. Multo autem magis largior, fieri posse, vt recentiorum numismatum, inprimis si rara obuiis misceas, & monetæ vulgari, quæ, postquam numismata memoriæ rerum gestarum ad posteros transmittendæ caussa maiori cura artificioque sculpi cœperant, exulare ex numophylaciis beatiorum hominum debebat, locum relinquas, ingentem compares farraginem, iisque scrinia haud vna oneres verius quam ornes. Verum alia res est, studio numario vacare, quantum satis est vel tempori fallendo, vel oblectando animo negotiis grauioribus defesso, alia longe, gazam exstruere, quæ famam nominis sui tueatur, & expectationi eorum, qui in monumentis his vel antiquissi- *Sed id non priuatorum opus;*

morum vel recentiorum temporum colligendis excutiendisque operam posuerunt, satisfaciat, quae omnium temporum, a quibus inde vsque ad nostram aetatem numi signati prostant, spatia complectatur, quae, si non omnino nusquam, certe rarius deficiat, nec tantum numis viliori ex metallo, aere atque argento, conflatis, tametsi ceteroqui numorum, veterum inprimis, praestantia metalli pretio vnice metienda haud est, sed & aureis, eorumque numero ac selectu eximio sese venditare possit. Eiusmodi thesaurum exstruere priuatae non est conditionis, cui parando qui omne patrimonium effuderit, nihilominus sentiet, longe plura, quam adsint iam tum, vt plenus omni ex parte perfectusque haberi possit, desiderari. Ac ponamus propitia fortuna posse apparatum conquiri haud poenitendum, & quo possessor iure se iactare gloriarique possit, cuius quidem rei exempla haud vna prostant, perraro ille diu vno eodemque loco perstabit, certe post fata possessoris ad auaros heredes translatus, fata minus benigna experietur.

§. III.

Verum Principum, qui vni comparare gazam,

Principum est opus gaza omnibus numeris perfecta, cuius adornandae facultas, si rite calculum ponamus, nemini alii concessa est. Vni ii pares sumtibus ferendis, quos ea cura infinitos prope flagitat. Alii omnes iure prodigi videantur, si partem census sui maiorem effundant, vt ingentis thesauri possessores habeantur, si Ottones aereos, Pescennios Nigros, Gordianos Africanos atque alios numos similes insano pretio redimant, si ingentes comparent thecas, vt paucorum inde numismatum accessione thesaurum suum ditare possint, si eos, quibus fortuna rariorum cimeliorum copiam fecit, effusa liberalitate prouocent, vt eorum possessione decedere ne grauentur. In Principe, si omnia se recte habeant, id animum munificentiae splendorisque studiosum, & ad optimarum rerum studia excitanda natum, veraeque ac solidae laudi inseruientem arguit. Quod aliis luxu quotannis vanaque pompae ostentatione perit, si ille semel vel impendat illico, vel huic negotio destinet, ita, vt oblata occasione impendi possit, facile quidem sumtus, vtcunque magnos illos & incredibiles, praestiterit. Nec desideret ille annuos fructus summae eam in rem expensae, quos ipse gazae huius splendor ac dignitas abunde compensat. Nam & alias in supellectilem principe dignam, in vasa pretiosa, in tabulas pictas immensae, vnde nihil quotannis lucri prouenit, summae impenduntur eo consilio, vt magnificentiam inde domini colligere ac metiri liceat. Priuatorum hominum

minum eſt, pecuniam omnem ſuam ita locare, vt nulla eius pars annuo prouentu vacet, non item eorum, quos vt naſcendi felicitas vulgo ſecernit, ita & vitæ ſplendor ac dignitas, ſordidæ lucri infiniti cupiditati inimica, ſecernat, neceſſe eſt.

§. IV.

Sed ſi aliunde non conſtaret, Principum eſſe, numophylacia inſtruere, quæ vere menſuram nominis ſui impleant, vel inde id abunde perſpiceretur, quod nemo æque vſibus ea publicis conſecrare poteſt. Vt omnibus illa, qui idoneis ingenii doctrinæque præſidiis inſtructi ad ea viſenda acceſſerint, pateant, (nam profanis hominibus, hoc eſt, vel exiguo, vel nullo litterarum vſu tinctis, & qui auri argentiue pondus æſtimare poſſunt, veram numorum præſtantiam vtilitatemque intelligere non poſſunt, quique ad ſpectandum admiſſi, nihil aliud agunt, niſi vt ineptiſſimis querelis, theſaurum tantum lucri ſordidi nihil afferre, elegantioribus modo riſum, modo indignationem exprimant, hæc adyta ſollicite claudenda ſunt,) vt pateant igitur numophylacia, ſpectandique facili iuxta & commoda ratione homines vndiquaque inuitent atque alliciant, primo domicilium illa congruum, ſedemque eam ſibi depoſcunt, quæ theſauro collecto dedecori non ſit, ſed ſplendore ac magnificentia ſua iam ſpectatoribus, quantum ſibi de theſauro ipſo polliceri debeant, prænuntiare poſſit. Loco illi deinceps ipſius gazæ diſpoſitio reſpondeat, neceſſe eſt, ita vt primo apto omnia ordine, deinde ea ratione collocentur, vt ne condenſati nimis atque arctioribus, quam par erat, ſpatiis incluſi numi ſpectantium diligentiam vel effugiant, vel nimio plus fatigent. His accedat, oportet, cuſtos peritus, doctus ac diſertus, qui harum litterarum culturæ totum ſeſe impendat, neque ingenio minus valeat, quam doctrina; qui generatim primo teneat, quid ad numophylacium omnibus numeris perfectum requiratur, vnde illi præcipua laus ac decus, quidque veram eius præſtantiam abſoluat, tum omnia gazæ ſuæ cimelia in numerato velut habeat, rariora ab obuiis, ſingularia a tritis, ſpuria a genuinis ſecernere norit, cui in promtu ſit, exeſos litterarum ductus rimari, interiores ſymbolorum ſenſus eruere, qui obſcuris lucem, aliunde ignotis atque incertis fidem, vulgo neglectis gratiam commodare poſſit, qui denique præſtantiora, quæ in Europæ cultioribus regnis ac prouinciis celebrantur, gazophylacia viderit, ac perluſtrarit, quamque in aliis, quorum gazas excuſſit, comitatem, & monſtrandi facilitatem vel ex-

Vſibus publicis rite conſecrare.

pertus est, vel, vt fit nonnunquam, desiderauit, in se desiderari ne patiatur. Hæc præstare, si quis priuatus sine insigni rei familiaris damno possit, merito ei gratulabuntur, quotquot his studiis ex æquo fauent. Sed admodum verendum est, vt ea cuiquam priuato facultas temere obtingat.

§. V.

Subinde augere, Nec tamen his ipsis, quæ, si rite æstimentur, maxima profecto sunt, neque expectanda, nisi ab iis, qui priuatorum hominum fortunas supergressi, principis personam sustinent, cura cimeliarchii absoluitur. Ita enim res habet cum numaria hac penu, posse quidem, si pertinax plurium annorum inuestigatio instituatur, & fortuna cœptis faueat, hoc præsertim tempore, quo in patria nostra ardor ac studium huius supellectilis comparandæ passim elanguescit, & ingentes thesauri, quos inter hodie relictus ab Gerardo, abbate cœnobii Lucensis, magno harum litterarum in Germania nostra vindice nuper ac patrono, facile principem locum tenet, venales prostant, gazam tandem haud mediocrem comparari: Veruntamen si quis ea persuasione ducitur, vt existimet, posse tantam exstrui, nihil illi vt posthac desit, nihil accedere incrementorum possit, næ is in horum monumentorum tractatione parum versatus sit, necesse est. Non agam nunc de recentioribus, quos ætas hæc nostra, numismatum omnis generis, paulo etiam plus quam optandum erat, feracior, quotidie procudit, numis, quibus, ne alia minoris momenti argumenta attingam, principum magnorum natales, imperiorum auspicia, matrimonia, res domi militiæque præclare gestæ, & obitus celebrantur, quique locum sibi in numophylacio omnibus numeris perfecto iure deposcunt. Etiam antiquiorum numorum supellex, quantacunque illa sit, ne ea quidem excepta, quam maxima Europæ cultioris cimeliarchia seruant, noua quotidie incrementa, nouas accessiones admittit. Modo enim ea, quæ pridem adfuere, sed iniuria temporum detrita & corrupta, integriora afferuntur, modo & prorsus noua, quibus augeri illa ditarique potest, ita vt plenior indies pulchriorque ac magnificentior exsurgat. Quot enim adhuc numismata vel in terræ visceribus delitescunt, vel in priuatorum thecis, quibus maximi adhucdum thesauri carent? Quæ cum verissima longe sint, si Græcorum Romanorumque numismatum supellectilem spectemus, quid iam dicendum de monumentis aliarum gentium Europæ patriæque inprimis antiquioribus, quæ maiores nostri minus diligenter collegere, ac proinde in florentissimis gazophylaciis

frustra

frustra quæruntur? Nouos igitur quotidie id studium, si tam late patuerit, quam patere debet, eosque haud mediocres sumtus postulat, quibus ferendis pares esse priuati non possunt, principes vni possunt.

§. VI.

Et seruare, atque ad seram transmittere posteritatem possunt.

Accedit postremo, præter eosdem, vt thesaurus huiusmodi firmam stabilemque & ad posteros duraturam sedem nanciscatur, neminem temere præstare posse. Neque enim satis condidisse cimeliarchia quantumuis amplissima, eorumque possessione breue ad tempus famam sibi decusque nominis comparasse. Omnis illa laus, omnis gloria, vel perit, vel ita obscuratur, vt periisse videri possit, si collectas tot annorum spatio, tantoque labore ac sumtu opes dilabi rursus dispergique, quasi vlteriori nostro studio curaque indignas, patiamur. At ea fere est conditio supellectilis numariæ, quam priuati sibi conquirunt, quorum nemo parta tueri satis potest, ita vt sæpissime, quanto maioris sunt momenti pretiique gazæ, tanto facilius dispereant. Non commemorabo eius rei exempla, nota quippe atque obuia, cum nulla pars Europæ cultioris, qua studium hoc rei numariæ floruit, iisdem vacet. Quam ob causam ii demum sapiunt, qui, fati huius memores, si quid congessere, quod perire nolint, id maioribus thesauris, quibus ne, sordidæ imperitæque manus vim afferant, non æque metuendum est, mature inferunt, & laude hac, quæ mediocris haud est, cumque ipsis thesauris, accessione hac ditatis, perennat, maiorem ampliorememque iis, quos nascendi conditio supra ceterorum hominum sortem euexit, relinquunt. Ceteri enim, qui Draconum more cimeliis suis incubant, & digniori ea domino præpostere inuident, quo alio ea consilio asseruant, nisi vt certius aliquando citiusque dissipentur. Si plura illa sint, ipsum eorum pretium iis insidiabitur; sin pauciora, auarus heres cura sua custodiaque vix digna reputabit. Contra ea principes, vt parare numophylacia, ita & seruare facilius possunt. Neque enim maioris, vt puto, molis est, gemmas vnionesque aliaue augusti & principe digni peculii monumenta sarta tecta præstare, & ad seros posteros transmittere, quam prouidere ac perficere, vt gaza numismatica, omnibus gemmis vnionibusque, si pretium eius non opinione hominum, sed rei veritate æstimemus, longe anteferenda, perpetuum ac proprium principalis domus ornamentum reddatur.

§. VII.

Quam in laudem vt incumbant, hortatur

Vni igitur Principes numophylacia possunt instruere. At vt possunt, ita

eos, quod ea, vt ex his ipsis patet, propria Principi est:

ita & grauissimæ eos, vt in hanc curam reapse incumbant, causæ hortantur. Nemo sane in tanta litterarum luce adeo cæcutit hodie, vt nesciat, quantum prosint numi, veteres inprimis, quantamque vtilitatem afferant litterarum studia rite tractantibus. Demonstrauit id vir summus, quod nemo nescit, & legationibus ad maximos Europæ principes cum laude obitis, incertum, an meritis in hæc priscæ antiquitatis cimelia clarior illustriorque, EZECHIEL SPANHEMIVS in cedro dignis, de Præstantia & Vsu Numismatum commentariis, vbi docuit, nullam esse disciplinam ex eorum numero, quæ liberales vulgo appellantur, quæ carere numorum veterum præsidio & luce possit. Ac si quis de vsu eorum in ceteris scientiis forte dubitauerit nonnihil, certe dubitare nullo modo poterit de vtilitate, quam ad historiam antiquam recte addiscendam, ad series regum inuestigandas, ad excutiendos vetustos ritus ac mores, ad religionem gentilium eiusque genuinam indolem perspiciendam, ad perlustrandos plerosque antiqui orbis populos & vrbes, earumque situm, iura & prærogatiuas pernoscendas, ad Chronologiam stabiliendam, immensam prorsus incredibilemque afferunt. Neque vtilitas ea propterea minor censenda est, quod in Germania hodie nostra numorum veterum studium vel admodum refrixit vel prorsus euanuit. Neque enim alia neglectus eius causa, quam quod meliores litteras, quarum in cultura vsus huius studii maxime elucet, & ipsas negligentius tractamus, superficiaria rerum vtilissimarum cognitione contenti, vt accuratiorem & solidam, si Diis placet, rerum nihili scientiam comparemus. Ac si in Germania nostra desiderantur, qui numorum veterum vtilitatem agnoscant hodie, at non desunt alibi, in Italia inprimis, Gallia, & Anglia, quibus ea satis explorata ac perspecta est, prout vulgatæ ab iis lucubrationes abunde docent, quorum auctoritate munitis nostrorum hominum iudicia contemnere secure licet. Res igitur maximi ad litteras cum fructu tractandas momenti veteres numi, quibus cedunt quidem vtilitate recentiores, si hodie spectentur, sed qui æque maximi quondam vsus erunt posteritati ad horum temporum faciem, & res gestas rectius cognoscendas. Vnde Cassiodorus: *Monetam facis de nostris temporibus futura sæcula commonere; o magna inuenta prudentum.* Ac colligere horum monimentorum thesauros, collectos asseruare, & publicis consecrare vsibus, præter principem neminem temere posse vidimus. Quæ res eosdem hortari debet atque impellere, vt laudem ac decus sibi vnis proprium, neque cum quoquam priuato homine facile communicandum, strenue asserant,

Variar. Lib. VI. c. 7.

rant, neque vllas impenſas nimias aut ſuperfluas arbitrentur, quæ ei magis magisque conſequendo & ad poſteros transmittendo inſeruire poſſint.

§. VIII.

Secundo ſplendor rei, ſiue gazam ipſam;

Neque vero laus ea propria magis principi, quam vndiquaque ſplendida & maieſtate eius digna habenda eſt. Quid magnificentius fingi poteſt, quam excipere hoſpitio, ne Deos Heroasque nunc loquar, maximos totius orbis terrarum Imperatores, reges, principes, rerum publicarum rectores ac legislatores meritis in vniuerſum genus humanum inſignes, atque immortali nominis gloria florentes, neque ſingulis tantum mortalibus, ſed & integris populis oppidisque locum & lautia veluti præbere? Quid principe dignius eique glorioſius, quam domum eius aſyli inſtar eſſe, quo confugiat non infima ſordidæ plebeculæ fex, ſed quicquid auguſti maxima imperia, potentiſſima regna, florentiſſimæ respublicæ complectuntur, ſedemque ibi tutam ſtabilemque inueniat. At hoc ipſum præſtat, qui numophylacium inſtruit. Non aurum, argentum atque æs colligit, metalla, ſi verum eorum pretium potius, quam opinionem hominum ſpectemus, vilia, neque per ſe, niſi quantum vitæ huius neceſſitas vſusque poſtulat, expetenda. Ea cura id ſtudium Euclionum eſt, quorum oculi peruerſa habendi cupiditate excœcati ad veriora & præſtantiora bona caligant. Heroas ille ab omni æuo celebratiſſimos, ſummos terrarum principes, integros populos atque vrbes, qua parte vnice ſuperſunt, ſpirantque hodie, id quod partim effigies eorum vultusque inprimis, partim ſymbola & nomina numis ſignata, diuino quodam beneficio præſtant, longo errore per tot temporum interualla, tot tractus terrarum ad ſe propitia fortuna delatos hoſpitiumque quærentes tecto recipit, receptis contractum longo itinere ſqualorem abſtergit, ſibique redditos in dignum loco ac faſtigio ſuo domicilium deducit, & comites iis recentiorum temporum reges, principes populosque ac respublicas adiungit, iisque perpetuam ſtabilemque ſedem aſſignat. Quo pacto non tantum hoſpitium illi exoptatiſſimum, ſed & certiſſimum aſylum reperiunt, quo tueantur ſeſe, tutique perſtent atque immunes a temporum iniuria imperitorumque hominum inſidiis, qui ſummorum, quos orbis terrarum tulit, principum maieſtatem nihil reueriti præſtantiſſima quæque eorum, quæ ad nos transmiſerunt, monumenta ſceleſtis ignibus corrumpunt, quod prohibere eorum intereſt, quos Numinis prouidentia ad ſimile faſtigium euexit.

§. IX.

Siue ſpectatorum turbam ſpectes. :

Sed ſplendori huic nouus accedit ab iis, qui viſendi cauſa accedunt. Neque enim ſpectaculi tanti fama non latiſſime manat, cui intereſſe aliquando, & oculis vſurpare tot monumenta ſpectatu digniſſima, quis adeo ſocors & degener, vt non vehementer optet. Vnius ſæpe principis aduentus ac præſentia homines longe lateque conciet, impellitque, vt aliis rebus omnibus poſthabitis aduolent, eiusque adſpectu oculos mentemque paſcant. Nemo enim non cognoſcere propius auet, eorumque vultus animo infigere, ita, vt perpetuo veluti præſentes nobis obuerſentur, quibus cum ſummus rex regum principumque princeps maieſtatis ſuæ partem communicauit. Quanto igitur ardore, ab intelligentibus certe, ſpectabitur tot regum potentiſſimorum principumque maximorum in vna eademque gaza concilium, ac veluti populus, qui ex tam variis eorum ſeriebus, per tot ætatum interualla, ad noſtra vsque tempora contextis, coaluit. Alliciant technophylacia ſpectatores, infinitaque rerum præſtantiſſimarum, quas vel natura, vel naturæ æmula ars finxit, multitudine ac varietate oculos eorum perſtringant. Inuiſantur non minori ſtudio bibliothecæ voluminum ſiue ſcriptorum, ſiue typis impreſſorum præſtantia & numero inſignes, ab iisque, quibus anguſta domi res bonorum librorum copiam parcius indulget, omnibus modis expetantur. Auguſtius quiddam ac ſublimius, niſi omnia me fallunt, huiusmodi præſtantiſſimorum omnis æui monumentorum apothecæ ſpirant, in quibus perpetua, non vnius populi, ſed totius orbis terrarum comitia, quibus non homines de plebe, ſed vni fere Imperatores principesque interſunt, peraguntur. Ad hoc ſpectaculum quis non accurrat, dominique, cui debetur id, munificentiam miretur & condignis laudibus extollat? Nec tamen multitudo eorum, qui ſpectatum veniunt, potius quærenda eſt quam ſelectus. Eruditos ea res oculos animumque ſapientiæ liberaliumque doctrinarum præceptis probe imbutum ſubactumque poſtulat, quo qui carent, ii vtique ſacraria hæc defugiunt & horrent, aut ſi ab ignauia ſua impetrent, vt ea inuiſere dignentur, nihil aliud faciunt, niſi vt inſolitam auri argentique vim vno loco congeſtam mirentur, ac ſtupeant, verum eorum præſtantiam decusque ne per nebulam quidem videntes. Huiusmodi ſpectatores, tametſi plures numero, æque dedecori ſunt principi cimeliarchæ, ac pauci contra alii, ſi parem ſpectandi ſtudio peritiam attulerint, gloriam eius præſentia ſua illuſtrant.

§. X. Splendori

§. X.

Tertio pri[illegible]ta Principis vtilitas;

Splendori igitur, eique non fucato & futili, breuique perituro; sed vero solidoque, & qui non vulgi tantum imperitorumque oculos perstringat, sed sapientissimum quemque tanto maiori afficiat admiratione, quanto eum propius intuetur; inseruit princeps, qui numophylacii instruendi omniumque vsibus patefaciendi, & ad seram posteritatem transmittendi, curam fastigio suo non indignam arbitratur. Sed idem & non tantum publicae omnium, inprimis eorum, qui superficiaria litterarum cultura ingeniis vulgaribus relicta, ad interiorem earum cognitionem adspirant, qua de re supra dictum est, sed suae vel maxime vtilitati suisque commodis velificatur. Magnus hic dicendi campus pateret, nisi dudum hanc prouinciam occupasset vir doctrina non minus quam dignitate illustris Gisbertus Cuperus, immortale Belgii sui non tantum verum & totius orbis politioris decus, qui vtilitatem, quam ex numismatibus principes capere possunt, elegantissima lucubratione demonstratam dedit. „Vt", inquit ille verissime ad principem, „Q. Fabio Maximo & P. Scipioni, maiorum imaginibus visis, animi vehementissime accendebantur ad virtutem, mentesque suas praeclarissima Romanae reipublicae lumina, cogitatione tam excellentium hominum conformabant; vt Tullius Paeto proponit easdem virtutis incitamentum & gloriae; vt C. Iulio Caesari Gadibus Herculeis Alexandri statua stimulos subiecit; vt tandem Themistoclem quiescere non sinebant tropaea Miltiadis: ita ego nullus dubito, quin spectatis tot OPTIMORVM Imperatorum, Regum, Principum, Legislatorum vultibus flamma gloriae in pectore tuo crescat; simulque visis tyrannis, pestium generis humani & publici doloris, tristium spectaculorum flagitiis sceleribusque exhorrescas". Quibus praemissis vir summus sigillatim ostendit, quantum numi veteres inprimis momenti afferant ad inflammandos principes, vt PIETATEM suam Deo, cuius partes in terris gerunt, probent, vt SAPIENTIAE studium cum cura reipublicae coniungant, vt ea, qua par est, PROVIDENTIA fines suos ab hostium insultu tutos praestent, vt IVSTITIAM dominam & reginam omnium virtutum colant, vt CLEMENTIAE, LIBERALITATI, AEQVITATI, PATIENTIAE studeant, vt ANNONAM populo pretio salubri procurent, vt pacis artes, mercaturam in primis prouehant, VIISque MVNITIS, PORTVBVS extructis paruis sumtibus omnium re-

Subiunct. Apotheos. Homeri p. 307. sqq.

rum ABVNDANTIAM præſtent, vt reliqua taceam, quæ ille ex ditiſſima rei numariæ penu depromta, & miro ingenii acumine ad rem præſentem translata ſubiungit. Spectat & huc Panegyricus LVDOVICO MAGNO Gallorum regi ſub extremum eius vitæ tempus recitatus a Comite Mediobarbo, eruditiſſimi & de his ſtudiis inſigniter meriti Parentis filio non degenere, qui tanti principis virtutes & res geſtas vnis veterum numorum elogiis ita celebrauit, nihil vt ſplendidius magnificentiusque fieri poſſit. Ex quo ſi nihil aliud, certe id luculenter patet, perfectam optimi principis ideam ob oculos ponere numos antiquos, quorum apparatus proinde, ſi diligenter ſpectetur, ſummam populorum rectoribus vtilitatem afferat neceſſe eſt. Neque nulla ex recentiorum numorum tractatione expectanda eſt principi, cum recentiores, præſtantiores quidem illi, (nam ceteros non moror, indignos quippe, quorum vlla a ſapientibus ratio habeatur) antiquos imitentur, prætereaque Chriſtiani principis virtutes luculentius expreſſas ſiſtant.

§. XI.

Quatto exempla, inprimis hodierna Auguſtiſſimi Romanorum Imperatoris, regis Gallorum, magni Hetruſcorum, vt & Parmenſium ducis.

Eam ob cauſam iam inde ab renatis litteris ſapientiſſimi quique principum hac laude floruerunt, vt numorum omnis æui ſpectandorum ſingulari ſtudio tenerentur, eosque magno ſumtu colligerent, collectosque diligenter aſſeruarent. Commemorat haud vnum Ill. Spanhemius in laudatiſſimo opere, quod, vt idem ille haud vno loco prædicat, natales ſuos mandato debet CHRISTINAE, inclytæ quondam Septentrionis reginæ, cuius incomparabilis, prout ille Spanhemio eidem appellatur, numorum, quem ſibi comparauerat, theſaurus in vrbe, terrarum domina, vbi illa ſedem ſibi poſtremis vitæ ſuæ annis legit, omnium quondam in ſe oculos conuertit. Neque hodie ſummorum principum ea laus eſſe deſiit, quam iure meritoque ſibi vel primo hic loco vindicat Auguſtiſſimus Imperator noſter, CAROLVS VI. qui proauorum ſuorum, inprimisque Inuictiſſimi LEOPOLDI MAGNI, exemplum ſecutus, curam numophylacii ditiſſimi ab maioribus relicti maieſtate ſua minime indignam arbitratur. Loquitur id, vt eo hic potiſſimum teſtimonio vtar, quod ad rem præſentem cumprimis ſpectat, elegantiſſimum numiſma, quo maximus Imperator HERCVLIS MVSARVM perſonam indutus thoraci inſidet, hinc voluminibus, illinc vrna numorum plena; arma eius, galeam, clypeum gladiumque ſtipantibus, adſtante ad tergum Muſa, quæ lauream capiti eius imponit, idque, vt addita docet inſcriptio: OB SERVATAM

TAM PRISCI NOSTRIQVE TEMPORIS MEMORIAM. Dignissimus nempe princeps est, cuius nomen hoc monimentorum genere, quæ vna diutissime supersunt, cum cetera omnia facile iniuria temporum absumat, seræ posteritati commendetur, qui de iisdem bene mereri inter grauiores longe curas haud grauatur, nec possint sine quadam negligentiæ nota hanc eius laudem cum summa sui commendatione coniunctam premere numismata, quæ tot alia eius decora, tot res domi militiæque gestas celebrant. Quæ causa est, cur sæpe tacite miratus sim inter LVDOVICI XIV. regis Galliarum, incertum rerum gestarum magnitudine, an scientiarum bonarumque artium prouehendarum studio maius nomen adepti, numismata, quæ laudibus eius decantandis cusa magno numero prostant, & singulari volumine descripta reperiuntur, nullum inueniri, quo magnificentia eius in exstruenda splendidissima omnium, quæ vsquam inueniuntur, gaza prædicetur. Sed ea de re viderit erudita societas, cui id negotii datum fuerat, vt summi regis laudes hoc numismatum testimonio cohonestaret. Hoc loco satis fuerit, vel tribus commemorasse stupendum illum thesaurum, quem nemo, nisi imperitus, sine sacro quodam horrore propius spectauerit, summis pridem ingeniis decantatum, in quo seruando ornandoque hodie abauum feliciter æmulatur LVDOVICVS XV. abnepos. Germaniæ nostræ Galliæque nihil cedit hac ex parte Italia, quæ vt prima hac laude floruit, ita hodienum floret, vti principum magnorum sedes inter alia vel naturæ vel artis miracula, quæ magno numero collecta seruant, gazas numorum omnis æui splendidissimas complectantur. Duos hoc loco appellare liceat, alterum magnæ Hetruriæ Ducem IO. GASTONEM, cuius in vrbe ceterarum principe, Florentia, apparatus numorum huius generis iam a primis inde renascentis in Europa culturæ bonarum artium initiis magnam nominis sui famam concitauit, alterum Serenissimum Parmensium Placentinorumque ducem, nuper FRANCISCVM II. principem incomparabilem & iuuandis his litteris natum, sed hoc ipso tempore, quo hæc scribo, orbi ac litteris præmatura morte ereptum, hodie ANTONIVM, qui felicibus illi auspiciis successit, cuius thesaurum, primum ab Alexandro Farnesio purpurato instructum, nuperrimeque insigni accessione gazæ Faucaldinæ, qua, post regiam, nulla in Gallia maior ditiorue, extitit, auctam, post edita tot, quibus cimelia eius sigillatim fuseque describuntur, volumina, nemo ignorat.

§. XII.

His motus FRIDERICVS II. *Saxoniæ dux, numophylacium exstruxit;*

Cum igitur principum propria sit laus, numophylacia condere, quæ harum litterarum studiosis ex asse satisfaciant, quæ antiquorum non minus quam recentiorum numismatum supellectilem haud curtam complectantur, nec vilioris tantum metalli, æris atque argenti, sed & nobilioris apparatu amplissimo gloriari possint, numophylacia inquam, quæ pulcre & concinne extructa publicis quotidie vsibus pateant, neque ad breue tantum temporis interuallum coalescant, sed per longos temporum decursus sarta tecta perstent, ac seræ posteritati eosdem, quos præsens ætas capit, fructus polliceantur, cum summum decus splendoremque incredibilem ea res afferat, neque vtilitas inde minor ad principem, quam ad alios redire possit, ac denique non vetustiora tantum, sed & recentissima exempla præsto sint, quæ eum ad hanc laudem vocent, ac velut vltro inuitent, nemo, vt opinor, mirabitur, Principem tantum laudandum, quantum laudari virtus ac sapientia, præsertim in principe, potest, Serenissimum FRIDERICVM II. Ducem Saxoniæ, nihil deterritum temporum difficultate, magnitudine sumtuum, respectu prolis augustæ, eiusque masculæ inprimis, qua omnes hodie Europæ principes vincit, voculis denique illiberalium atque imperitorum hominum, qui vanissima luxus instrumenta redemta ea summa mallent, qua vtilissimæ veræ eruditionis sapientiæque supellex comparata est, eandem sibi ita afferendam duxisse, vt nemini eorum, qui vnquam ea floruerunt, temere concedat. Hanc vt negligeret, qui impetrare a se potuisset princeps bono reipublicæ natus, qui vtrum sapientia, an felicitate maiore terras suas regat, incertum relinquit, quo nemo rectius intelligit, quid sit vere mereri de litteris, quamque late præclarum id studium, quo vno vera nominis immortalitas omnium certissime paratur, manet, quantum momenti trahat gaza omnibus numeris perfecta, quantum inde præsidii lucisque humaniores disciplinæ mutuentur, quantum splendoris inde, quantum vtilitatis ad principem vndique redundet, & cui satis iam a puero fuit nosse ad verum decus nominisque famam perennem iter, vt illud & prompte ingrederetur & constantissime decurreret.

§. XIII.

Cuius fundamenta iam auus ERNESTVS PIVS, *&* *parens* FRIDE-

Præclaræ huius indolis semina princeps omnes laudum titulos supergressus cum ab maioribus generatim, ex quibus vnum appellare liceat FRIDERICVM III. Electorem, quem sapientis elogio annales celebrant,

lebrant, & cuius de his monumentis eorumque præſtantia & vſu iudicium tot numiſmata, eius munificentiæ aliis teſtandæ cauſa ſignata, quæ etiam nunc ſuperſunt, loquuntur, tum ab auo ac parente traxit. Auus enim ERNESTVS PIVS, princeps, cuius multiplex virtus & ſapientia, id quod inter omnes conſtat, quibus ea vel obiter nota eſt, vel diſertiſſimi Oratoris ingenium exhauriat, non tantum ſingulari priſcorum recentiorumque numorum amore flagrauit, ſed & ipſa ampliſſimi huius theſauri, cui parem hodie Germania noſtra ignorat, fundamenta iecit. Tametſi enim altius origines eius repetendas eſſe contendit Tentzelius, qui negat ERNESTVM PIVM hanc gazam inchoaſſe, hac ratione adductus, quod rariora numiſmata plurima, tam Saxonica quam alia, ex auita hereditate acceperit, iure tamen conditi eius gloriam ſibi vindicat, vt arbitror, princeps, qui a maioribus quantumuis accepta primus, quod conſtat, in ordinem redegit & curatius deſcribenda curauit. Teſtatur id catalogus, quo ſupellex eius deſcripta extat opera ſtudioque Friderici Hortlederi, viri prudentiſſimi, & iuris in primis tam publici quam priuati peritiſſimi, qui ERNESTO noſtro aderat conſiliis & remotioris æui monumenta luſtraturo lucem præferebat. Conſtat ille quatuor voluminibus minoris formæ, quibus numiſmata metalli & æui cuiusque, nam antiquiora Græca pariter & Romana non minus quam recentiora princeps ſapientiſſimus collegit, ſigillatim percenſentur ita, vt deſcriptionem numi nonnunquam vberior explicatio ſequatur, in qua ſubinde ad ſuos de bello Germanico commentarios prouocat vir conſultiſſimus. His igitur voluminibus arculam ſuam numariam deſcribi iuſſit ERNESTVS PIVS, ſed qualem iuuenis habebat, quam poſtea, Hortledero e viuis erepto, plurimis antiquorum inprimis numiſmatum acceſſionibus, vt Tentzelius obſeruat, ditauit. Optandum eſſet, vel vt ad manus poſtea fuiſſet ſapientiſſimo principi, qui allata recens ab eo tempore numiſmata ſimili, atque Hortlederus adhibuerat, induſtria in catalogum retuliſſet, vel, ſi quis defunctus eo labore eſt, vt auctior index ille etiamnum ſupereſſet. Tota vero ſupellex, quantacunque fuit, transiit deinde ad FRIDERICVM I. quem SPLENDIDI elogio mactat Samuel Reyherus, idque ob ſingularem, quo multos alios poſt ſe reliquit principes, ſplendorem. Hunc ille cum aliis in rebus ſectaretur ſtudioſe, nemo perſuaderi ſibi patietur, vt puto, neglectum ei eſſe in ſeruando non magis quam augendo pretioſæ huius mercis, quod parens reliquerat, peculio. Facere enim id ad ſplendorem principis, cum ex re ipſa ſatis intelligebat, tum exemplo maximorum principum, regis inprimis Gallorum

RICVS I. iecerant. Saxon. Numiſm. P. II. p. 19. ſqq.

v. l. c. P. I. Præf. conf. Catalog. Manuſcr. Bibl. Gothan. cap. IV. n. LXXVII. ſqq. 122.

Dedic. Diſſert. de tribus Vir. cial. antiquiſſ.

Gallorum LVDOVICI XIV., iam tum laude maximi, ditiſſimique omnium numophylacii florentis, ad quem iter ſuſcepit, docebatur. Et hinc Tentzelius, luculentus teſtis, obſeruat, theſaurum parentis eum plerumque nouis ſuo tempore in Europa hinc inde prodeuntibus numis ſcitiſſimis præclare auxiſſe, non neglectis antiquis, tam in regionibus ſibi ſubiectis, quam in obſidione Moguntina effoſſis. L. c.

§. XIV.

A quibus relictum apparatum numarium auxit FRIDERICVS II. *inprimis emto theſauro Principis Schwartzburgici Arnſtadienſis* ANTONII GVNTHERI.

Ab hoc parente FRIDERICVS noſter, alter huius nominis princeps ex feliciſſima ERNESTI PII propagine, apparatum iam numorum haud pœnitendum, certe haud paulo, quam aui ille tempore fuerat, ditiorem ſplendidioremque hereditatis iure accepit. Quem vt augeret ſubinde, ſelectuque perinde ac numero ſpectabiliorem redderet, iam a primis, quibus paternæ ditionis gubernacula, tenera quidem manu, veruntamen virili robore ac ſenili ſapientia, moderari cœpit, annis, pro innato ſibi optimarum rerum ſtudio, enixe operam dedit. Neque affirmari ſane poteſt, PRINCIPEM OPTIMVM votis tum ſuis prorſus excidiſſe, aut omnem ei defuiſſe opportunitatem, relictum ab auo & parente antiquariæ huius mercis apparatum amplificandi, quando & Tentzelius, cui, impubere adhuc Friderico noſtro, theſauri eius & in ordinem redigendi & deſcribendi partes mandatæ ſunt, teſtatur, elegantiſſimis ſubinde numis auctum eum fuiſſe. Sed non tam facile gaza omnis æui monumentis præſtantiſſimis rariſſimisque inſtructa colligitur, quam poteſt, ſi reditus ſuppetant, theſaurus vulgaris monetæ heri aut nudius tertius cuſæ coaceruari. Lenta ibi admodum incrementa ſunt, quæ poſt plurium etiam annorum decurſum, niſi fortuna admodum propitia vtare, vix ſatis ſentiuntur, neque vlla arte, vllo ſtudio, vbi pleraque aut omnia ſigillatim conquiri oportet, accelerari poſſunt. Nemo igitur mirabitur, & apparatum hunc FRIDERICI noſtri diutius aliquanto infra mediocritatis terminos ſubſtitiſſe. Neque enim fortaſſe etiamnum in magnitudinem tanto principe dignam excreuiſſet, niſi præter ſpem ſimul ac ſemel obtuliſſet fortuna, quæ alias vix magno temporis interuallo potuiſſent comparari. Nempe ſimili iam felicitate ſapientiſſimus princeps bibliothecam a maioribus relictam breui eo perduxerat, vt inter præſtantiſſimas Germaniæ poſſet numerari, emto ſemel præſtantiſſimorum, quos alii diuturno labore conquiſierant, librorum apparatu eique illato. Eadem ratione ſupellex illa numaria, cum diu iam augeri nimis lente & longius ab iuſta magnitudine L. c.

magnitudine

gnitudine ſua abeſſe viſa eſſet, acceſſione vnius gazæ Arnſtadienſis ea ſubito incrementa cepit, vt præſtantiſſimos ampliſſimosque maximorum Principum theſauros magnitudine ac pretio vel vinceret, vel certe æquaret.

§. XV.

De præſtantia illius teſtimonia Andreæ Morellii, & Polycarpi Tentzelii.

Tantam ac tam ſubitam rerum conuerſionem optauerat equidem ſapientiſſimus princeps moræ vlterioris in hoc negotio pridem pertæſus, ſed, vt ſperaret, vix adduci poterat. Quis perſuaſiſſet ſibi, ANTONIVM GVNTHERVM, Principem Schwartzburgicum, Heroem incomparabilem, cuius in his monumentis colligendis ſtudium, in dignoſcendis atque interpretandis ſolertiam peritiamque, nemo ſatis dignis laudibus extulerit, poſſeſſione tam rari inuidendique peculii, quod veri eius pretii, ſi quis alius, gnarus tenerrime amabat, atque adeo in oculis ferebat, cuius contemplatione ſedula grauioribus curis feſſus, aut inualitudine corporis oppreſſus vnice acquieſcebat, quo denique ita delectabatur, vt voluptatem eam potiorem plerisque aliis, quibus alii primas partes tribuunt, duceret, vnquam deceſſurum? Quis crediſiſſet, admiſſurum eum, quoad viueret, alium quemcunque in partem laudis gloriæque ſummæ, qua longe lateque florebat, condito eo theſauro, quem regium appellare non veretur optimus harum rerum iudex atque arbiter Andreas Morellius, & de quo vberius prædicat, „ adeo auguſtum & copioſum Principem eum inſtruxiſſe „ rariorum numorum apparatum, in eoque augendo & maximis ſumtibus amplificando indies adhuc occupari, vt & Græciæ λείψανα numaria & Romanarum opum reliquiæ, eius in cimeliis & loculis „ ΑCΥΑΟΝ ſibi reperiſſe videantur". Quam in ſententiam aliquot iam ante Morellium annis Polycarpus Tentzelius, editor ſelectorum ex eodem theſauro numiſmatum, ſed, quod haud vna iis minime probæ, prout vel tiro in his litteris facile intelligat, notæ admiſcuit, minus equidem cautus, ob eruditos tamen, quibus iis lucem affudit, commentarios Cl. Bandurio laudatus: „ eo, inquit, velut in vaſtum „ Oceanum vndique confluit immenſa auri, argenti, æris antiqui & „ noui copia, iucundo ſpectaculo repræſentans, quicquid ab omni „ æuo magnum & illuſtre geſtum eſt. Quem non alliciant Aegyptiorum, Græcorum aliorumque regum ac Heroum vetuſtiſſima monumenta ab interitu vindicata? Quis non æſtimet amplam congeriem „ numiſmatum, nobilem familiarum Romanarum memoriam propagantium?

Specim. p. 11. *Præf. Specim.* *Bibl. num. Præf.*

***** „ gantium ?

„ gantium? Quis non ſuſpiciat nitidiſſimos cuiuscunque magnitu-
„ dinis ac metalli numos, qui continuatam ſeriem Imperatorum in-
„ troducunt, totamque Hiſtoriæ Auguſtæ complectuntur antiquita-
„ tem? Taceo Gothicos Bracteatos, & reliquos medio æuo cuſos,
„ quorum plures habes vnus, quam in pluribus gazophylaciis extant:
„ & ad eos progredior, qui ducentis abhinc annis prodierunt, ſiue
„ Imperatores, ſiue Reges, ſiue Electores, ſiue Principes, ſiue Co-
„ mites, ſiue Respublicas auctores agnoſcant. In quibus omnibus
„ congerendis vt maximam curam adhibes, ita inprimis Comitum
„ numiſmata colligis, vt decus, quod in imperio poſſides, per omnes
„ familias diſtinctum habeas". Prætermitto aliorum præconia, inprimis luculentum Ill. Spanhemii in tertia præclari operis, quod iterum iterumque honoris cauſa nomino, de Præſtantia & Vſu Numiſmatum, editione, teſtimonium, vnde ſatis intelligitur, quam carus domino ſuo theſaurus eſſe debuerit, quem qui vidiſſent, aut fando etiam noſſent, tantis certatim laudibus extollerent.

T. I. p. 38.

§. XVI.

Occaſio eundem comparandi.

Sed deſtinauerat eum fortuna FRIDERICO noſtro, qui, cum de alia gaza ſed longe minoris momenti emenda conſilia agitaret, deque ea ſententiam ANTONII GVNTHERI, Principis eruditisſimi, & in hac merce numaria omnis æui penſitanda ita verſati atque exercitati, vt peritiſſimis antiquariis nihil concederet, rogandam duceret, profeſſione hac ſtudii nobiliſſimi, & principibus viris dignisſimi ita eum cepit, ſibique deuinxit, vt non tantum ingenue, quid de illa ſibi videretur, exponeret, ſed &, præter omnem ſpem, ſuam offerret, ratus, vt arbitror, ſatis ſe gloriæ adeptum ex collecta ea primum digeſtaque, laudem diuturnæ & ad poſteros duraturæ poſſeſſionis æquo ſe animo concedere poſſe Principi, cuius virtus & ſapientia omnes ſibi laudum titulos iure quodam ſuo vindicat. Quid ad hæc FRIDERICVS noſter? Cunctaretur ille, ſummam extimeſceret, qua redimi theſaurum tantum oporteret, pro numis iniuria temporum detritis, ærugine obductis, rudiori ſæpe artificio excuſis, iisque magnam partem æreis, tantos facere ſumtus grauaretur? Neutiquam vero; quin potius ambabus, quod aiunt, amplectitur opportunitatem ſponte oblatam, tantoque minus tergiuerſandum ſtatuit, quod probe intelligeret, nec redituram eam vnquam, nec defuturos alios principes, qui, fama eius rei ad ſe perlata, auide arrepturi eſſent occaſionem pulcherrimam

cherrimam theſauri tanti poſſeſſionem ad ſe transferendi. Nam aliæ quidem gazæ diu ſæpe venales proſtant, nec tam facile reperiunt emtores, ſiue quod menſuram nominis ſui minus implent, neque tantum præſtant reapſe, quantum pollicentur, ſiue quod in poſſeſſores partim imperitos, partim ſordidos & lucri quam par eſt appetentiores incidunt, qui vaniſſimis ſæpe quisquiliis & præſtantiorum huius antiquariæ mercis apothecarum purgamentis infinitum prope pretium ſtatuere non verentur. Aliter ſe res habebat cum theſauro Arnſtadienſi, ſumma cura ita inſtructo atque adornato, vt nihil prope non eorum, quæ requiri in eo poſſe videbantur, complecteretur, quem peritiſſimus harum rerum æſtimator, qui laude atque oblectatione, quam poſſeſſio eius pepererat, contentus nihil inde ſibi ſordidi lucri quærebat, non tam vendere, quam nouo domino, qui pretium eius in præſtantia & vſu illius multiplici poſitum vero ſuo modulo metiri poſſet, quique ſtabilem illi perpetuamque ſedem polliceretur, permittere parabat.

§. XVII.

Cura ſapientiſſimi Principis in ſplendido, quod hoc pacto adornauit, numophylacio publicis vſibus conſecrando, præficiendoque illi Antiquario,

Nulla igitur mora interpoſita redemit theſaurum hunc FRIDERICVS noſter, redemtumque ad ſe transferri iuſſit, felici huius negotii ſucceſſu haud paulo plus lætatus, quam rapto vellere aureo, vt in fabula eſt, Iaſon. Ita apparatus, quem ab auo & parente acceperat, in iuſtam ſubito magnitudinem & principis faſtigio dignam excreuit, idque vna hac acceſſione, ſi tamen acceſſio ea dicenda eſt, quæ priſtinas opes, perinde ac fluuius riuulum, in quem influit, ita hauſit atque abſorpſit, vt ægre hodie agnoſci poſſint. Cum enim illæ, quantæcunque erant, vno quondam aſſeruarentur ſcrinio, quatuordecim iam alia latera eius ſtipant, cumque illud omnis generis metalla antea complecteretur, non alia iam, quam aurea, antiqua partim, partim recentiora numiſmata ibidem reperias. Comparato theſauro tanto, proxima iam cura erat, vt domicilio reponeretur congruo, vt apto ordine ſingulæ eius partes collocarentur, vtque cuſtos ei peritus præeſſet. Ceteroqui enim, qui vel priuatis ille Sapientiſſimi Principis auguſtæque eius familiæ, vel publicis vſibus patere, ac vel prodeſſe, vel delectare quenquam commode potuiſſet? Primo igitur ſedem eiusmodi ei aſſignauit Princeps optimus in arce ſua FRIDENSTEINENSI, qua pulchriorem ornatioremque, ſiue operis tectorii picturam, ſiue cetera ornamenta, imagines inprimis duodecim Imperatorum Romanorum, qui primi orbem Romanum, oppreſſa veteris

reipublicæ libertate, rexerunt, ſtatuasque, & baſes, quibus ſcrinia ſingula, vt aperiri facilius poſſint, inſiſtunt, ſpectes, ne regia quidem Gallorum in ſeceſſu Verſalienſi gaza adepta eſt. Quod ad ipſam porro theſauri huius diſpoſitionem attinet, tam concinna illa & variis ordinibus numiſmatum, quæ complectitur, accommodata eſt, vt vno velut obtutu omnes ac ſingulas eius partes liceat perſpicere, & ab hoſpite etiam, modo non ſit harum litterarum prorſus expers, cuncta nullo negotio inueniri poſſint. Nec minus cura ſapientiſſimi principis eluxit in circumſpiciendo viro dexteritatis notæ, cui eius cuſtodiam non magis, quam partes myſtagogi, & interpretis periti, qui cimelia eius rariora & præſtantiora non tantum viua voce præſentibus explanaret, ſed &, vt abſentibus quoque conſuleretur, litterarum monumentis conſignaret. Cui prouinciæ cum haud vni operam ſtudiumque ſuum offerrent viri doctrina famaque nominis commendatiſſimi, ceteris omnibus prætulit FRIDERICVS noſter Chriſtianum Schlegelium, virum doctiſſimum & Sagittarianæ diſciplinæ alumnum, quem ANTONIVS GVNTHERVS, vt celeberrimo Andreæ Morellio Antiquario ſuo, vſu lateris dextri capto, adeſſet, ab eoque dictata calamo exciperet, Dreſda euocarat, poſt ipſi Morellio e viuis erepto, ſubſtituerat. Nam & nota erat eius in numis ſequioris æui recentioribusque interpretandis dexteritas, quam ſcripta eius plurima loquebantur, & vſus conſuetudoque annorum plurium, quæ ei cum Morellio interceſſerat, facile perſuadebat, & veterum eum numiſmatum, Romanorum nempe atque Græcorum, notitiam ſibi haud vulgarem comparaſſe.

§. XVIII.

A quo potiora illius cimelia deſcriberentur.

Hunc igitur gazæ ſuæ præfecit Princeps prouidentiſſimus, liberali aluit ſtipendio, gratiæque ſuæ ſignificatione prolixa iterataque, vt partium ſuarum ſatageret, atque inprimis edito luculento commentario de theſauro tanto, pro eo ac par erat, mereretur, excitauit. Neque enim ſatis habebat, condidiſſe gazophylacium maximis regibus inuidendum, atque eatenus publicis vſibus conſecraſſe, vt ad viſendum illud accedentibus monſtrari vtcunque poſſet. Quod vt fieri plerumque tumultuaria opera ſolet, cum rerum ſpectandarum multitudo & viſum perſtringat, nec mentis aciem ad ſingula cum cura excutienda demittere patiatur, ſic fatendum ſane eſt, plurimos ex hoc ſpectaculo ita diſcedere, vt admirationis vagæ plurimum, ſolidæ vtilitatis parum ſecum efferant. Accedit, omnium conditionem viuendique rationem

non

non ferre, vt ſpectatum venire poſſint: alios locorum interuallo, alios occupationum grauiorum multitudine, alios aliis impedimentis prohiberi, quo minus accedant, deſideriumque ſuum expleant; haud paucos etiam editis in vulgus ſcriptis, quæ huiusmodi theſauri opes exponunt, excitari demum atque impelli, vt, de quibus memoriæ proditum legerint, cimelia oculis vſurpare geſtiant. Iam ab initio igitur, vt gaza hæc ſua aliarum exemplo, de quibus præclara volumina proſtant, commentario quodam illuſtraretur quamprimum, FRIDERICVS noſter ſapientiſſime poſtulauit. Cuius mandatis vt obſequeretur Cl. Schlegelius, aureos ſibi numos, ſiue antiquiores ſiue recentiores, quos theſaurus Fridericianus complectitur, deſcribendos ſumſit. Quod quidem opus tanto facilius ille celeriusque ad finem perducturus & luce donaturus videbatur, quod hos ipſos numos, quorum dilucidationem parabat, tot iam annos ante tractarat, neque vlla ei vel ingenii, vel doctrinæ, vel ſcriptorum bonorum deerant ſubſidia, quibus quidem eam in rem indigeret. Sed cum varietatem ſtudiorum ſectaretur vir diligentiſſimus, & inter curam huius operis ad alia ſubinde eruditionis haud proletariæ monumenta vulganda animum appelleret, mors inopinantem oppreſſit, atque omne id conſilium diſturbauit. Quam ingratum id acciderit optimo Principi, cum facile intelligerem, ſimul ſpartam hanc mihi poſt innumera, quibus ante me ornarat, beneficia clementiſſime demandauit, tametſi deceſſori meo ingenio, doctrina vſuque in his monumentis tractandis, addo & viribus corporis laborisque patientia, longe inferior, omni mea diligentia enitendum putaui, vt ne vota illius diutius morarer, vnde hæc mihi lucubratio prodiit, cuius laus omnis, ſi quam apud æquiores iudices vnquam feret, in parendi ſtudio, ſita eſt; ceteroqui enim, quam multa illi deſint, vt & Principe, cuius nutu ſcripta eſt, & argumento ſuo digna haberi poſſit, neutiquam ignoro.

§. XIX.

Eiusdem Principis munificentia in augendo illo magis magisque,

Theſaurum vero hunc, vtcunque ampliſſimum, poſtquam Arnſtadienſis, de qua dixi, gaza cum eo coaluit, vbi occaſio ſe obtulerit, ditare necdum deſinit FRIDERICVS noſter, tantumque abeſt, vt pœniteat eum ſumtuum tantorum, quantis comparari tot omnis æui cimelia oportuit, nouos vt facere, ſi quid ſupplementorum ſcribendum fuerit, neutiquam grauetur. Quo circa iam inde ab initio, quo tanta eum magnificentia exſtruxit, nullam temere, qua adornari magis

magisque, ac nouis ſubinde acceſſionibus amplificari poſſet, occaſionem prætermiſit. Ac ne de recentiorum numiſmatum, quæ illi adiecta eſt, & quotidie adiicitur, farragine multa afferam, non vna illi ex antiquiorum numero, quæ adhuc deſiderabantur, acceſſerunt, & hodienum, modo commode id fieri poſſit, accedunt. Neque enim nunc conſultum fuerit, ingentes profundere ſummas, vt integræ gazæ emantur, paucorum numiſmatum cauſa, quæ vſui nobis eſſe poſſint, cum cetera omnia vel eodem vel pulchriori ſelectu & nitore in theſauro iam nunc noſtro reperiantur. Ceteroqui bona fide confirmare poſſum, non voluntatem Principis munificentiamque, quæ iis in rebus, quæ ad ſapientiæ & litterarum culturam verumque ſplendorem pertinent, inexhauſta eſt, ſed occaſionem vnice deſiderari, vt nouis ille incrementis gloriari frequentius poſſit. Vtinam, quibus rariorum numiſmatum copiam propitia fortuna fecit, theſauro ea tanto ne inuiderent, exemplumque imitarentur *Godfridi Thomaſii*, Norimbergenſium medici omnium elegantiorum litterarum ſtudio ac laude florentiſſimi, qui numos antiquos lectiſſimos rariſſimosque, quadraginta fere annorum cura atque indagine conquiſitos, quorum ſingulos quantouis pretio oblato non paſſus ante erat ſibi extorqueri, ad vnum omnes numophylacio FRIDERICIANO conceſſit. Dedit hoc vir celeberrimus amicitiæ & precibus viri ſumme Venerabilis D. ERNESTI SAL. CYPRIANI Sereniſſimo FRIDERICO noſtro a conſiliis Eccleſiaſticis, cuius multiplici doctrinæ & meritis in Eccleſiam puriorem infinitis hodie aſſurgunt, quicunque a partium ſtudio alieni ingenia excellentiora & æternitati nata vero ſuo pretio metiuntur. Is ſimul a me acceperat, iuxta cum recentiorum numiſmatum apparatu longe maiori ſplendidiorique quam in virum priuatæ conditionis cadere videbatur, antiquiorum temporum cimelia lectiſſima haud vna, quæ Fridericiana in gaza deſiderarentur, in muſeo Thomaſiano deliteſcere, facultate eius rei a Sereniſſimo Principe noſtro impetrata, iter Noribergam ſuſcepit, quodque tot alii, quicquid agerent, conſequi nequiuerant, facillime impetrauit, vt vniuerſam viri laudatiſſimi ſupellectilem veterum numorum, non magnam illam quidem, ſed tamen longe elegantiſſimam rariſſimamque, & magnis numiſmatum aceruis anteferendam, ſecum aſportare, & abſportatam Theſauro FRIDERICIANO bonis auſpiciis inferre poſſet.

§. XX. Neque

§. XX.

Neque vero his nouis ille incrementis, quibus quotidie amplificatur, magis exſplendeſcit, quam incredibili domini ſui amore, quo conſtantiſſime perfruitur. Proditum memoriæ eſt, Sacratiſſimum Imperatorem CAROLVM VI. hac ſupellectile numaria ita teneri atque adfici, vt in ipſa expeditione quondam Hiſpanica, cum armorum ſtrepitus his Muſarum oblectamentis relinquere vix locum videretur, numophylacium portatile ſecum duxerit, deinceps, cum in patriam redux imperii gubernacula ſuſcepiſſet, ne rei huius memoria intercideret, æreis tabulis ornatum, quibus hæc inſculpta eſt inſcriptio:

Amor ſing[illegible]laris, quo [illegible] Princeps id dignatur.

V. Heræi Parerga ſub fin.

AN. MDCCXIV
REPARATVM EST
NVMOPHYLACIVM HOC
QVOD PRIMVM INSTITVTIONI
CAROLI PRINCIPIS IVVENTVTIS
DEINDE IN IPSA EXPEDITIONE IBERICA
REGIS VICTORIS
RECREANDAE MENTI INSERVIIT
VT
GADES REMOTAE
IN ALTERO HOC CAROLO V
HERCVLEM SVVM
NON MODO GADITANVM
SED ETIAM MVSAGETAM
AGNOSCERENT.

Inuictiſſimi Imperatoris exemplum imitatur FRIDERICVS noſter, cui exſtructus ab ſe theſaurus adeo curæ cordique eſt, cui præſtantiora eius cimelia ita nota & familiaria, vt circumferre eum videatur. Eam ob cauſam & frequentius eundem inuiſit, hoſpitesque principes, ſi qui acceſſerint, eodem inuitat ac ducit, alios priuatæ ſortis quam plurimos ſpectatum venire gaudet, neque vllis æque, quam quibus

præſtantiam illius ſpectatores celebrant, laudibus tenetur. Quæ qui conſiderauerit attentius, facile intelliget, tanto theſauro digniorem reperiri non poſſe dominum, ac ſi poſſeſſio eius magno ornamento FRIDERICO noſtro ſit, haud paulo plus lucis eum ſplendorisque a Principe tanto mutuari.

§. XXI.

Sollicitudo, vt ad ſeros poſteros perſtet. Formula Fideicommiſſi, quo curam eius conſeruandi ornandique ſucceſſoribus commendauit.

Neque vero cura laudatiſſimi Principis hic ſubſtitit, cuius in comparando illo, vſibus publicis conſecrando, augendoque etiamnum munificentia, ſi admiratione digna eſt, ſollicitudinem, qua ſapientiſſime prouidit, vt ſartus ac tectus ad ſeros poſteros perſtet, non minus admiremur neceſſe eſt. Eam ſatis declarat formula FIDEICOMMISSI, quam ea de cauſa perſcribendam curauit in hanc ſententiam:

„ Nos Dei gratia FRIDERICVS Dux Saxoniæ, Iuliæ, Cliuiæ, Montium, Angariæ, Weſtphaliæ, Landgrauius Thuringiæ, Marchio Miſniæ principali dignitate, Comes Hennebergæ, Comes Marchiæ & Ravenspergi, Dynaſta Rauenſteinienſis ac Tonnenſis, *reliqua*.

„ Noſtrum principaliumque Succeſſorum ac heredum cauſa teſtamur, ac notum reddimus: Poſtaquam numophylacium Schwartzburgico-Arnſtadienſe nuper priuatis noſtris propriisque impenſis, ſumma haud mediocri comparauimus, eoque, gazam numariam, a parente noſtro beatiſſimæ memoriæ hereditario iure relictam nobis, poſteaque haud vnis acceſſionibus amplificatam, haud paulo ditiorem ampliоremque, quam ante erat, reddidimus, vt pretioſæ huius mercis peculium in decus atque ornamentum principalis gentis noſtræ perpetuo aſſeruetur, FIDEICOMMISSI legitimi naturam ei ac formam induere, viſum eſt, idque conſilium noſtrum vi præſentium litterarum ita exequimur, vt, nobis, vbi Deo viſum fuerit, ad cœleſtem vitam translatis, equidem ad Principem noſtrum hereditarium, &, qui iure eum primogenituræ ſequentur, ſucceſſores dominium ac poſſeſſio eius vnice transeat, ſed ea tamen lege, vt non modo eo, quo, catalogis teſtibus, relinquetur a nobis ſtatu id ſollicite conſeruent, & quantum id occaſione data fieri poterit, nouis acceſſionibus ditent, nulla autem ratione vel minuant, vel diuendant, atque ad alium poſſeſſorem transferri ſinant, ſed & vſum eius reliquis poſteris noſtris, oblectationem inde petituris, libenti ani-

„ mo

„ mo impertiantur. Cui voluntati noſtræ vt morem gerant, neque
„ vlla ei ratione aduerſentur, Chriſtianam eorum conſcientiam hiſce
„ obteſtamur, prorſus perſuaſi, fore, vt ipſi fideicommiſſarii, etiam
„ absque hac declaratione noſtra ſi eſſet, ſponte ſua enitantur, vt quæ
„ ad principalis gentis noſtræ exiſtimationem ac reipublicæ vtilitatem
„ pertinent, ſarta tecta præſtent, & quoad eius fieri poteſt, ampli-
„ ficent. Memoriæ cauſa diſpoſitioni huic fideicommiſſariæ, rationibus
„ probe ſubductis factæ, manu noſtra ſubſcripſimus, ſigilloque ean-
„ dem noſtro muniendam, &, quo minus memoria eius obliterari
„ poſſit, tria eius exempla perſcribenda curauimus, ex quibus vnum
„ nobis ſeruamus, reliquorum duorum alterum in ſanctiorem Cancel-
„ lariam noſtram, alterum in Numophylacium, ſimulque exemplum
„ aliud ex his bona fide tranſcriptum in Archiuum noſtrum reponi
„ iuſſimus. Obſignatum in arce Fridenſteinienſi a. d. XVII. Kal.
„ Octobris cIↃ IↃ CC XII.

FRIDERICVS DVX SAXONIAE.

L. S.

§. XXII.

His quid addi conuenientius poſſit, quam votum, vt DEVS immortalis PRINCIPEM, per tot laudis decora certiſſimum ad immortalitatem iter parantem ſibi, vel potius pridem iam ingreſſum, his terris quam diutiſſime indulgeat, curas, quibus ditionem ſuam, exemplo maiorum ac plane ad præſcriptum Principis pietate ac prudentia nulli ſecundi, ERNESTI, aui, moderatur, grauiſſimas porro fortunet, arcemque hanc Fridenſteinenſem auitis auſpiciis eo conſilio conditam, vt tutiſſima pacis ſedes eſſet, & pacis artibus perpetuo floreret, protegat ac tueatur, totque ornamenta illius ſarta ac tecta ſeruet, prohibeatque, ne qua vi hoſtium, aliaue temporum iniquitate interuerti aut imminui poſſint, faxitque adeo, vt optimi FRIDERICI noſtri, qui a teneris bonarum litterarum præſidium ſuſcepit, atque ex eo tempore, quo præeſſe his terris cœpit, ad culturam earum magis magisque prouehendam vnus plus contulit quam plures alii Principes, quibus haud paulo ampliora patrimonia obtigere, deſtinationes præclaræ cum laude immortali coniunctæ votis eius omni ex parte reſpondeant, ampliſſimumque hoc cimeliarchium perpetuo ſplendori vtilitatique & oblectationi cum priuatæ illius poſterorumque, tum pu- *Votum.*

******* blicæ

blicæ omnium, qui ad illud viſendum acceſſerint, inſeruiat. Cumque *Sereniſſimus Princeps hereditarius* FRIDERICVS, & inſita virtutis indole & ipſo nominis auſpicio permotus, illuſtrium maiorum, PARENTISque inprimis cum aliis in rebus, tum in fouendis bonis artibus veſtigia ſapienter legat, Deus Optimus Maximus hanc illi mentem perpetuo ſeruet, faciatque, vt quæ hodie ob ſapientiæ, pietatis, æquitatis, doctrinarumque optimarum laudem PARENTI tribuuntur præconia, olim FILIVS poſterique longa ſerie velut alteram eamque potiorem hereditatem cernant atque adipiſcantur.



THESAVRI



THESAVRI FRIDERICIANI

CAPVT I.

DE NVMIS AVREIS REGVM ATQVE VRBIVM.

§. I.

De ordine huius Operis.



NVMISMATVM antiquorum, quibus non vnice quidem, quando & recentiora, de quibus alio loco, haud pauciora seruat, sed præcipue tamen sese effert *Thesaurus* FRIDERICIANVS, apparatum longe amplissimum lectissimumque hoc libro breuiter descripturus, & in medium allaturus inde, quæ hanc eruditionis partem noua luce perfundere posse videbuntur, nihil admisero, vt opinor, quod ab instituti huius ratione alienum sit, eum si ordinem potissimum sequar, quem nota illa præfectorum monetalium appellatio suggerit, qua III. Viri A. A. A. F. F. hoc est, *Auro*, *Argento*, *Aere*, *Flando*, *Feriundo* apud veteres Romanos dicebantur. Suadet eundem ipsa gazæ huius dispositio, quâ non permista temere spectantur nobiliora ignobilioribus metalla, sed ante omnia aurei, tum vero & argentei atque ærei numi, si ab vna alteraue classe discedas, distinctis scriniis loculisque asseruantur. Neque enim tam curta nobis, qualis in priuatorum nonnunquam museis supellex, vt teneri oculi animique spectantium non possint, nisi copias vniuersas simul explicemus, vnoque velut sistamus obtutu, quidquid in quocunque genere præclari monstrare licet. Absit ac facessat longe tam iniqua de thesauro tanto, qui, id quod omnes fatentur, quibus ad huius generis opes spectandas aditus patuerit, nulli in Germania nostra, vix vni atque alteri apud exteras gentes concedit, opinio. Qua si quis imbutus est, facile eam diligentior illius contemplatio euellet, si minus id præstet lectio operis huius, non temere a me suscepti quidem, sed festinantius tamen, quam par erat forte, in lucem protrusi, cuius rei veniam non difficilem mihi apud eos fore confido, qui considerauerint, parendum mihi fuisse Serenissimi PRINCIPIS mei mandato, qui iamdiu similem decessoris mei, Christiani Schlegelii, operam præstolatus, postquam vel aliorum operum suscepta cura, vel mors inopinata destinatis eius intercessit,

terceſſit, a me tandem vtcunque reſerari theſaurum a ſe collectum, deſcribique maluit, quàm moroſa nimis omnia ad limam exigendi cura vlterius premi, ac memoriæ hominum eruditorum tantum non ſubduci.

§. II.

De numis aureis in genere.

Initium faciendum ab aureis, qui ſi non tempore, dignitate tamen metalli, vtpote omnium nobiliſſimi, & quod longe pauciores argenteis æreisque cuſi ſunt olim, perinde atque hodie, ac multi nihilominus, vel temporum injuria vel conflati ab imperitis hominibus, interciderunt, raritate ac pretio ceteris potiores, jure quodam ſuo principem ſibi locum depoſcunt. Eos quotquot ſunt, (ſunt autem propemodum mille) primum collegiſſe, ne de ſumtibus nunc loquar, vix vnius hominis fuit, certe haud vnius anni labor. Hoc enim tametſi de quolibet genere numorum, quibus gaza noſtra conſtat, jure affirmari poteſt, potiſſimum tamen in aureos competit, quorum quantillam vulgo partem poſſident, quibus ceteroqui argenteorum atque æreorum numerum ſatis ſpectabilem, haud vna ejus rei opportunitate oblata, comparare licuit. Quot igitur ſcrinia, quot loculos perquiri oportuit, qui Theſauro noſtro diuitias commodarent ſuas, ut tantam ſignati auri antiqui vim nanciſceretur? Neque enim auctus eſt, quod ſciam, majori aliqua in hoc genere acceſſione, niſi cum opera doctiſſimi elegantiſſimique Dronii, Abbatis, ſupellex aureorum numorum Ill. Præſidis de la Prouſtiere, vna cum auctario aliquot aliorum rariſſimorum numiſmatum ex eodem metallo Lutetiæ Pariſiorum comparata, in eum inferretur. Reliquus apparatus coaluit fere ex numorum, quos vel ſigillatim, vel, quod rarius accidit, manipulatim fortuna obtulit, collectione, nec niſi paulatim in magnitudinem auguſtis oculis dignam excreuit. Tanto major felicitas FRIDERICI noſtri, cui theſaurus aliis diuturno ſudore congeſtus veluti ſponte obuenit; nec minor theſauri ipſius cenſenda eſt, cui Domini virtus & ſapientia ſtabilem dehinc perpetuamque ſedem pollicetur.

§. III.

De numis aureis regum Macedoniæ.

Sed propiori jam contemplatione opus eſt, ut cimelia ejus potiora, atque ea præcipue, in quibus vulgandis aliorum induſtria nondum promiſcue deſudavit, pro inſtituti noſtri ratione pernoſcamus. Primo omnium occurrunt numi aurei regum, quos Macedonia quondam, & poſtea vaſtiſſimo illo, quod Alexander M. ſibi parauerat, imperio in plurima regna minora diſcerpto, Thracia inprimis, Syria, Ægyptus & Pontus tulerunt, vnà cum regulis nonnullis vicinæ illius Italiæ ſolo, totque decoribus celebratiſſimæ inſulæ, Siciliæ. Quod ad reges Macedoniæ attinet, nemo hoc loco antiquiores numos expectet ætate Philippi, Amyntæ filii. Vetuſtiorum enim regum equidem reperiuntur, ſed ærei tantum, vel argentei; aureos tum nondum norat Macedonia, niſi forte Crœſeos, aut Daricos, hoc eſt peregrinos. Sed Philippus, vt eſt apud Diodorum Siculum, τὰ χρύσεια μέταλλα παντελῶς ὄντα λιτὰ καὶ ἄδοξα ταῖς κατασκευαῖς ἐπὶ τοσοῦτον ηὔξησεν, ὥστε δύνασθαι φέρειν αὐτῷ πρόσοδον πλεῖον ἢ ταλάντων χιλίων. Ἐκ δὲ τούτων ταχὺ σωρεύσας πλοῦτον ἀεὶ μᾶλλον διὰ τὴν εὐπορίαν τῶν χρημάτων εἰς ὑπεροχὴν μεγάλην ἤγαγε τὴν Μακεδονικὴν βασιλείαν. Νόμισμα Biblioth. Lib. XVI. p. 514.

γῆς χρυσοῦ κόψας τὸ προσαγορευθὲν ἀπ' αὐτοῦ Φιλίππειον· κ. τ. λ. Hoc eſt: *Aurifodinas perquam tenues & obſcuras adhuc operum ſtructuris eo provexit, ut plusquam* cIↃ *talentorum reditum afferre poſſent. Vnde coacervatis breui diuitiis, magis magisque, ut regnum Macedoniæ caput efferret, hac abundantia opum perfecit. Numum enim cudens ab ipſo Philippeum dictum; &* reliqua. Φιλιππείους hos numos appellatos tradit Diodorus, cui conſentit Pollux, qui & Alexandri filii, cui par magnitudini rerum geſtarum cognomen Magni obtigit, aureos numos ab eodem *Alexandreos* dictos docet: Καὶ οἱ μὲν Δαρεικοὶ, inquit, ἐκαλοῦντο στατῆρες, οἱ δὲ Φιλίππειοι, οἱ δὲ Ἀλεξάνδρειοι, χρυσοῖ πάντες ὄντες· h. e. *Atque alii quidem ſtateres Darici vocabantur, alii Philippei, alii Alexandrei, aurei omnes cum eſſent.* Vnde ſimul apparet, commune his aureis numis ſtaterum nomen fuiſſe. Suidas: Στατὴρ τὸ ἐκ χρυσοῦ νόμισμα· h. e. *Stater aureum numiſma.* Tametſi nomen hoc præter aureos & argentei numi geſſerunt, quamobrem idem Pollux: Εἰ μὲν χρυσοῦς εἴπεις, προσυπακούεται ὁ στατὴρ, εἰ δὲ στατὴρ εἴποις, οὐ πάντως χρυσοῦς· h. e. *Si aureum dixeris, ſubintelligitur ſtater, ſin ſtaterem, non omnino aureus.* Apud Latinos ſcriptores Philippeorum non æque Alexandreorum mentio; Philppei Livio, Philippi; ut hodie Ludouici in Gallia, Plauto Horatioque, priori etiam mnæ Philippicæ (in vulgatis codicibus legitur denaria Philippea) appellantur.

Lib. IX. c. 6. Segm. 59. p. 1024 Edit. Hemſterhuiſ.

ad hanc vocem.

Lib. XXXIV. 52. atque alibi.

Pœnul. Act. III. ſc. I. Bacchid. Act. II. Sc. 2. Aſinar. Act. I. Sc. 3. Rudent. Act. V. Sc. 2. conf. Gronou. de Seſtert. Lib. III. c. 7. p. 166. Horat. Lib. II. ep. I.

§. IV.

De numis duobus Philippi atque Alexandri M.

Horum Philippeorum atque Alexandreorum cùm plures apud nos reperiantur, vtriusque generis exemplum, ab editis non nihil diuerſum, producere liceat.



Mentzel ſc. Lips.

Typus vtrobique idem, hinc Palladis capite, illinc Victoria, dextrâ lauream, ſiniſtrâ tridentem gerente, inſignis, frequens ille quidem in Alexandri aureis numis, ſed non æque Philippi patris. Inſcriptio in priori ΦΙΛΙΠΠΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ, h. e. *Philippi regis*, in poſteriori ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ, h. e. *Alexandri regis.* Similes pridem Goltzius & Begerus produxerunt, docteque inprimis explicauit poſterior. Sufficerit hoc loco prouocaſſe ad Curtium, qui Mineruam & Victoriam ab Alexandro cultam haud vno teſtatur loco, quam ſuperſtitionem prout is haud dubie majoribus debuit, ita non mirum, ſi eædem Deæ in parentis Philippi numo occurrunt. Victoria alterâ manu lauream, alterâ tridentem geſtat, quocum eandem vix alibi cernas, quæ ejus loco palmam alias vel tropæum tenere ſolet. Cl. Begerus eum in Philippi numo de nauali ſi non victoria, apparatu tamen interpretatur, in Alexandreo, quod forte fortuna in ejus generis numum, cujusmodi & in Gaza noſtra extat, incidiſſet, in quo cuſpides tridentis punctis quibusdam notatæ

Numiſm. Græc. T. XXX. ſq. Theſ. Brandenb. T. I. p. 236. & p. 242. ſq.

Lib. IV. c. 13. VIII. c. 2.

tatæ ſunt, ad nauigationem refert, quâ Alexander Oceanum inuiſit, ratus, punctis illis margaritas, Oceani partum, repræſentari. „Hæc, inquit, quid interpretaberis, ſi non margaritas, pretioſiſſimas illas „Indiæ baccas, cœleſtemque Oceani partum, quem Hercules repeᵣiſſe, filiæque ſuæ in ornatum dediſſe apud Arrianum legitur. Non „pulchriore ſymbolo victorias ſuas victoriis Patris præferre potuit A„lexander; non elegantiori inuento merita ſua Herculeæ ſiue virtuti, „ſiue fortunæ, ſi non præponere, tamen æquare." Fateor, me non videre, qui vel victorias ſuas paternis præferat hoc ſymbolo, quo non victoriam naualem, ſed nauigationem tantum ſignificari ipſe vir doctus contendit, vel merita ſua Herculis, repertoris margaritarum, meritis anteponat aut æquet Alexander, qui alia omnia, quam margaritas nauigatione hac ſpectabat, inſtituta quippe, ut Arrianus docet, quod littora omnia portusque & inſulas perluſtrari ac ſinus omnes pernauigari vellet, & vrbes, quæ ad mare ſitæ eſſent, quæue regio fertilis, quæ deſerta, inquiri. Rer. Indicar. p. 573.

§. V.

Sed ponam, rem ita habere, ut arbitratur Begerus: ita vero plures hujus generis numi Alexandri tridentem ſimilem haud dubie expreſſum ſiſterent. At plerique cuſpides illius ſine punctis, quibus margaritæ denotari poſſint, leuiter inflexas exhibent, perinde atque ſuperior. Nusquam vero clarius illæ ſe oculis ingerunt quàm in ſequenti. *De numo τετραδράχμῳ Alexandri Magni.*



Notandum de numo hoc pondus, quod duos ex ſuperioribus æquat, qui cum δίδραχμοι ſint, patet τετράδραχμον eum eſſe, quales reperiri cur negauerit Sperlingius equidem neſcio. „Τετραδραχμιαῖος, inquit, in auro nequaquam fuiſſe antiquitas ipſa defendit; ſic enim ſinguli aurei „octo vnciales thaleros in argento valuiſſent, cujus ponderis aureos „illis ſæculis nusquam cuſos nouimus: Ex iis qui ſuperſunt, antiquiſ„ſimi aurei vix δίδραχμοι reperiuntur". Vt vero ad ſuperiora redeam, cum tridens hic perinde atque in aliis plerisque Alexandri numis aureis puncta nulla præferat, & illa ipſa ab ingenio ſculptoris, nulla margaritarum ratione habita, profecta videantur, malim ego, ſaluis tamen aliorum judiciis, ſtatuere, lauream & tridentem tribui Victoriæ, ceu ſymbola, quibus illius partim in continentem, partim in mare imperium denotetur. Certe ad tridentem quod attinet, eum tenere idem apud Græcos, ac mari potentem eſſe. Teſtis Comicus: De num. non cuſ. c. XXI. p. 142. Equit. ℣. 835.

Μέγιστος Ἑλλήνων ἔσῃ, καὶ νῦν μόνος καθέξεις
Τᾶν τῇ πόλει, τῶν ξυμμάχων τ' ἄρξεις ἔχων τρίαιναν.

Hoc eſt:

Maximus Græcorum eris, & nunc unus capesses
Rempublicam, sociisque imperabis HABENS TRIDENTEM.

Inſcriptio autem numorum horum: ΦΙΛΙΠΠΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ, ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ, notanda contra Cl. Harduinum, quem hujus generis numos antiquos cum titulo ΒΑΣΙΛΕΩΣ dari negantem, refellit Ill. Spanhemius, tametſi & Harduinus poſtea ſententiam ſuam mitigauit, faſſus, „ qui prius, [nempe ante Alexandri M. obitum] id „ nominis numus exhibeat, aut nullum eſſe genuinum, aut rarum". Superſunt in vtroque numo minora quædam ſigna, in priori quidem caput Apollinis radiatum, cui aduerſa in parte gryphus, caſſidi Mineruæ inſculptus, quod is Apollini ſacer eſt, haud male congruit. Deſignat illud Apollinem fortaſſe Delphicum, cujus fanum Phocenſes ſpoliauerant, a quibus ſacrilegii pœnas repetiit Philippus. Simile caput Apollinis illius expreſſum cernas in numo, ſed alterius Philippi, Demetrii nempe filii, de quo infra. In poſteriori numo ad latus litteras ΣΙ, & infra monogramma ΜΡ in corolla obſerues. Cum eodem monogrammate corollæ incluſo, quod ΜΥΡΩΝΑ, ***Myronem***, fortaſſe deſignat, extant numi Alexandri argentei, typo Jovis ἀετοφόρου inſignes, in quibus litteræ initiales ΜΙ comparent, quarum loco in præſenti ſculptum fortaſſe ΣΙ, littera Μ inverſa, quod notare poſſit ΜΙλητον, ***Miletum***, quam vrbem Alexander expugnatam libertate donauit.

De Vſ. & Præſt. num. T. I. p. 381. Chronol. V. T. p. 574. Opp. Sell.

Juſtin. Lib. VIII. c. 2. Pauſan. Phoc. p. 318. Cap. IV. §. VII. Sel. Num. p. 9. c. III. §. VII.

Exped. Alexand. Arrian. Lib. I. p. 57.

§. VI.

De numis aureis Lyſimachi. T. I. p. 244.

Lyſimachi, Thraciæ regis, duos argenteos numos, nullum aureum, ex cimeliis Brandenburgicis laudauit Begerus. Nobis plures monſtrare licet, ex quibus duo ſe hoc loco ſpectandos exhibent.



Nihil illi magnopere diuerſi à Begerianis argenteis, ſi typum ſpectes. Commune vtriſque hinc caput Lyſimachi, faſciâ ligatum & cornibus arietinis inſigne, illinc Pallas νικηφόρος, cum inſcriptione: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΛΥΣΙΜΑΧΟΥ, h. e. ***regis Lyſimachi.*** Differunt, quod Pallas in majori illo numiſmate non tantum haſtam gerit transuerſam, ſed & ante ſe gladium, vt videtur, in minori neutrum exhibet. Major infra litteram Ρ, vt videtur, minor vocem ΖΩΠΥ· h. e. ΖΩΠΥρος, Zopyrus, præfert, quod proprium eſt nomen hominis in ea vrbe, in qua cuſus eſt numus, magiſtratu fungentis, in numis Dyrrachenorum aliiſque obuium. Ad latus in majori, Γ, in minori Κ, quas litteras, dum major ad eruendam earum ſignificationem lux affulgeat, præeunte Begero, cui idem

idem de hujusmodi litteris initialibus viſum, cognomina Minervæ, quæ Πολιοῦχος & Κληδοῦχος, h. e. *Urbium præſes & clavigera* dicta eſt, interpretari poſſis. Notatu dignior magnitudo ac pondus alterius ex his numis. Eſt enim τετραστάτηρον, h. e. *quadriſtater*, pondere quatuor ſtateres aureos, adeoque octo drachmas, æquans, cujusmodi apud Cyrenæos in uſu fuiſſe ex Ariſtotele Pollux tradit, tametſi eos ſignatos negat Sperlingius, ratus, pondere ſolo eos officium ſuum præſtitiſſe. Ejusdem ponderis aureum hujus Lyſimachi numisma, quo inter antiqua majus ſe vidiſſe negat Cel. Montfauconius, una cum aliis reconditæ antiquitatis cimeliis, ſervat Lutetiæ Pariſiorum illuſtriſſ. Dux Etreeſius, cujus gazam, magnis ſumtibus collectam, ſpectandi mihi felicitatem obtigiſſe non ſine tacito quodam voluptatis ſenſu recordor. Ceterum, poſt argenteos, tot aureos quoque Lyſimachi numos hodie reperiri, non eſt quod miremur. Quantam eorum vim cudendam curaverit opulentiſſimus iſte Rex, cujus theſaurum Attalus Pergami à ſe cuſtoditum intervertit, vel hiſtoria reliquiarum gazæ, à Decebalo quondam extructæ, quæ Trajano imperatori maxima ex parte ceſſit, ſeculo XVI. inventarum ſatis declarat. Audiamus ea de cauſa Lazium. „ Navigabant, „ inquit, ex Mariſio per oſtium Valachi piſcatores in Iſtrigam, & cùm „ forte ad truncum arboris cymbas admoviſſent, conſpicati ſub aqua „ aliquid, quod valde ſplenderet, cum illud efferre fuiſſent aggreſſi, „ magnam vim aureorum extulerunt. Quare alacriores effecti, fundum „ diligentius rimati pervenerunt poſtremò ad ædificium quoddam parvum ſub undis, inſtar loculi: cujus fornicem, quia arbor enata „ vetuſtate decidens, ad ruinam tracto ædificio, aperuerat, omni diligentia perſcrutati invenerunt ingentem vim aureorum numorum, „ [qui magna ex parte Lyſimachi, Thraciæ regis, Græcam inſcriptionem oſtendebant] millia, ut ex fide dignis audivimus, plus quàm „ quadraginta, & maſſas inſuper auri, ſectiones gravis ponderis; quibus domum delatis atque inter ſe diviſis, cum Albam Juliam ingreſſi „ aurificibus oſtendiſſent numos, & valorem ſciſcitarentur, res palam „ facta Georgium Monachum, qui tum pupilli regii nomine Tranſylvaniæ præſidebat, excivit, ut rei inquiſitionem faceret. Fecit ille „ quidem, & multa adhuc millia vel inventoribus ademerat, vel de „ novo in ædificio memorato invenerat. Ceterum certiores ante facti, „ qui anteſignani hujus reperti erant, cum aliquot oneratis plauſtris „ in Moldaviam procul aufugerunt.

Vid. Spanhem. Obſerv. ad Callim. p. 591.
l. c. Segm. 62. p. 130. l. c. p. 134.
Suppl. de l'Antiqu. T. III. p. 121.
Dio ex Xiphilin. Lib. LXVIII. p. 777.
Coment. Reip. Rom. Lib. XII. c. I. p. 1094.

§. VII.

Ex Macedonia vicinaque Thracia in Syriam transeamus ad Seleucidas, quorum vultus perrarò hodie auro expreſſi cernuntur. „ Quanta, inquit præclarus hiſtoriæ Seleucidarum conditor", ſit Syriæ regum „ in auro raritas, ſeu præſtantia, ex eo notanda occurrit, (non offendetur minus caſtigata ſcribendi ratione viri optimi, qui juſtum meritis ejus in rem numariam pretium poſuerit)" quod in tota eorum ſerie „ duorum regum numi aurei nobis hactenus ſint inſpecti." Nempe non vulgati adhuc proſtant aurei regum Syriæ numi, niſi Seleuci I. apud Cl. Haymium, Antiochi II. apud eundem, Seleuci II. apud Vaillantium, & Antiochi magni rurſus apud Haymium. Quem Seleuco II. tribuit

De numis aureis regum Syriæ, eoque inprimis, quem Seleuco II. tribuit Vaillantius. Hiſt. Seleuc. p. 51.
Teſor. Brit. Vol. I. p. 20. 34. l. c. p. 63.

tribuit Vaillantius, diversus paululum extat in Gaza nostra, unde eum delineatum spectare hoc loco non pœnituerit.



Cernitur hinc caput regis diademate cinctum, illinc Apollo nudus, dextrâ sagittam tenens, sinistrâ arcum, cum epigraphe: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΣΕΛΕΥΚΟΥ. h. e. *regis Seleuci.* In area ad dextram monogramma ꟸP & ad sinistram littera Ρ. Hæc nomen proprium viri, quale Ῥιανὸς, fortasse notat, illud ΗΡΑ'κλειαν, *Heracleam*, urbem Syriæ haud ignobilem. Sed mitto hæc nunc, unà cum Apolline, de quo perpetuo regum Syriæ, qui eo cœlestem originem jactabant, symbolo Vaillantium consuluisse suffecerit. De eo videndum, sitne vultus Seleuci II. hoc numo expressus, nec ne. Non dubitat ea de re Vaillantius, fretus argumen-
l. c. p. 63. to, à vultus ratione petito. Ad Seleucum inquit: „ Callinicum spe-
„ ctat hic numus: eadem est, quæ in superiori effigies & plane à Se-
„ leuco I. dissimilis; plena siquidem Nicatoris facies, Callinici vero
„ macilenta, ut & nasus oblongus conspicitur: ad hæc Seleuci I. nu-
„ mismata exuviis leonis semper sunt insignita". Quod affirmat de exuviis leonis, quibus Seleuci I. numismata semper notata contendit, id cum numi illi refellunt, in quibus idem sub Apollinis effigie comparet,
T. I. p. 19. qualem vulgavit Cl. Haymius, cui similem thesaurus noster servat, tum eximius ille gazæ, ab illustrissimo Duce Devoniensi collectæ, cujus pretium metalli, quo constat, præstantia (aureus enim est) auget, in quo caput ejusdem Seleuci sine exuviis leonis, bovinis cornibus insigne
v. Σέλευκος. cernitur, cujus rei rationem Suidas reddit: „ Φασὶ, inquit, Σέλευκον συνόντα
„ Ἀλεξάνδρῳ τῷ Μακεδόνι ταῦρον θυομένῳ ἀποδράντα, μόνον Σέλευκον παραγενέσθαι αὐτοῦ,
„ τῶν κεράτων κρατήσοντα. Καὶ διὰ τοῦτο τῷ ἀγάλματι αὐτοῦ ἐν τῇ κεφαλῇ περιτιθέασι
„ κέρατα. h. e. *Fertur Seleucus taurum, quem Alexander Macedo immolaturus*
„ *erat, aufugientem solus retinuisse prehensis cornibus. Quæ ratio est, quare*
„ *statuæ ejus capiti cornua addant*". Quod vero ad vultum attinet, fatendum utique, diverso repræsentari Seleucum I. Sed pone, vultum in his numis expressum Seleuci I. non esse, an illico inde, ut Seleuci Callinici sit, non Cerauni sequetur? Priori sane hunc numum tutò tribui
Lib. II. p. 155. non posse inde conjicias, quod Πώγωνα, hoc est *barbatum*, eum dictum Polybius memoriæ prodidit. Neque enim ludibrii hoc nomen fuisse
l. c. p. 53. tantum, quod arbitratur Vaillantius, sed ab re ipsa petitum, testatur nu-
l. c. p. 35. mus musei Sadleriani apud Cl. Haymium, in quo hinc caput regis barbatum, illinc Pegasus occurrit cum inscriptione: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΣΕΛΕΥΚΟΥ. Unde & Cl. Haymius suspicatur, Vaillantium, quod hunc similesve numos haud viderit, alios, ut series constaret, in hunc locum rejecisse. An igitur Seleuco Cerauno tribuendi numi omnes, quos Seleuci I. non esse constet, nec barba vindicet Seleuco II? Nam de Seleuci IV. numis ex notis numeralibus constat; sextum hujus nominis, cujus unius post quartum numi prostant, cognomina manifeste produnt.

produnt. An vero cum iidem illi non eundem vultum præferant, & Seleucus II. ſero demum in captiuitate apud Parthos, qua de Athenæus ex Poſidonio, barbam aluiſſe videatur, maior pars ex iisdem cum imberbi vultu, (nam pauciores quidem Seleuci Cerauni, qui biennium circiter regnauit, ſupereſſe poſſunt) Seleuco II. vindicanda eſt? Id vero Clariſſ. Haymio vlterius expendendum relinquo, qui meritis hoc ſuis, quibus Hiſtoriam ſibi Seleucidarum deuinxit, haud inuitus, ut ſpero, addet, vt diſtinctius nos, quid de numis his ſtatuendum ſit, doceat.

Lib. IV. p. 153.

§. VIII.

De numo Ptolemæi Soteris cum quadrigis elephantorum.

Neque vero ſicco prætereundi pede Lagidæ, qui Aegypti gubernacula tenuerunt, dum in hac aureorum numorum, qui regum vultus & nomina præferunt, ſupellectile percenſenda verſor. Ptolemæi I. cui Soteri cognomen, ex auro numos reperiri ſcribit Vaillantius, ſed rariſſimos appellat. Cum duos theſaurus noſter inter ſingularia ornamenta ſua numeret, alterum ἡμίδραχμον cum aquila fulmini inſiſtente, alterum δίδραχμον, poſteriorem inprimis, ob aduerſæ partis ſymbola, in Lagidarum aliis numis haud obvia, ſpectabilem proferre liceat.

Hiſt. Ptolem. p. 24.



Priori in parte Ptolemæi I. caput ſenile, cujusmodi id numi exhibere ſolent, diademate cinctum, in poſteriori Iupiter cernitur quadrigis inſiſtens, dextra fulmen, ſiniſtra, ut videtur, clypeum tenente. Inſcriptio: ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ, h. e. ***Ptolemæi regis:*** Infra litteræ minus diſtincte expreſſæ, de quibus nihil certi ſtatuere licet. Huic numo ſimilis in tota regum Aegypti ſerie haud occurrit, qui aliquando cum exuuiis elephantorum capita, cuius generis eſt incertus Ptolemæi numus ex theſauro Brandenburgico, aliique duo Cleopatræ apud Vaillantium, quorum priorem Cl. Seguinus primus edidit, elephantos ipſos haud ſignarunt. Nec patet ſatis, quid in Ptolemæi Soteris numo ſibi elephanti velint, quibus capiendis alendisque poſteri demum reges Aegypti operam dedere, inprimis Ptolemæi, Philadelphus, Philopator, & Philometor, tametſi eorum nulli hodie cum elephantis numi extant. An igitur dicendum eſt, numum, qui plurimum recedit a ceteris in Aegypto cuſis, percuſſum eſſe in aliqua Syriæ vrbe, quam tenuit Ptolemæus noſter? In Seleucidarum certe, qui in Syria prodiere, numis, atque iis præſertim, quos Apamea cudit, obuium elephanti ſpectaculum, cuius rei ratio, quod Seleucus I. & quos ille ſucceſſores habuit, in agro Apamenſi, cujus ſumma erat fertilitas, ingentem elephantorum numerum alebant. Neque elephanti in iis tantum, ſed & quadrigæ elephantorum occurrunt, quibus tamen Pallas inſiſtit, non Iupiter, ut in præſenti. Dignus certe erat numus

T. III. p. 26. 27. Hiſt. Ptolem. p. 127. Sel. Numiſm. p. 69.

Diod. Sicul. Lib. XX. p. 791. Noriſ. Epoch. Syr. Maced Diſſ. II. c. 2. §. I. p. 81. ſq.

B hic,

T. III. Thesaur. novi Antiquit. Rom. insert. hic, qui in erudita Ill. Cuperi de elephantis commentatione, post fata ejus edita, vel inter præcipuos, quos recensuit docteque explicatos dedit, locum inueniret. Sed nescio, qui factum sit, vt, cum decessor ei meus numorum, quos thesaurus noster elephantorum imagine signatos complectitur, indicem transmitteret, commentationi illi cum laude haud vulgari hujus gazæ insertum, vnos recensuerit Romanos, Græcos vero, quorum haud vni apud nos reperiuntur, prorsus reticendos putaverit.

§. IX.

De numo Pharnacis, regis Ponti. Specim. T. XXIV. p. 232. Chronol. V. T. p. 615. Opp. sel. l. c. T. I. p. 486.

Ex Ponti regibus numum aureum Pharnacis, magni Mithridatis, cui Εὐπάτωρ cognomen, filii, longe rarissimum pridem iuris publici fecit, æramque ΖΜΣ, Δ in eo signatam vberiori luce perfudit Andreas Morellius, ab Cl. Harduini, qui non Ponticum, sed Parthiæ Adiabenicæ regem, scriptoribus ignotum, in eo agnoscit, conjectatione Ill. Spanhemius vindicauit, & symbolum Apollinis in eo expressum, quod desiderabat pro candore suo Morellius, vberius explicatum dedit. Sed haud injuria mireris, qui factum sit, vt lauream in capite Pharnacis reperiri scripserit Vir summus, quam nec delineatio Morelliana, nec numus ipse, in quo caput diademate cinctum, præfert. Ita enim ille de Patiniano simili sed argenteo, & nostro hoc aureo numo: „ Ne „ eidem Pharnaci tribuatur vterque hic numus, obstare videtur diuersus „ aliquantum oris habitus signati in iisdem regis. *Mitto diademate „ in priori, laurea vero, ut videtur, in posteriori numo redimitum ca„ put*, nisi prius illud discrimen monetariis, a quibus cusi sint, ne„ que uno in loco iidem numi, aut minus accurate expresso e Patini „ numo Pharnacis illius ectypo adscribendum forte veniat." Cum post Morellii fata hæc memoriæ prodiderit Vir illustris, & videri adeo possit numum rectius inspexisse, quod non est, eundem denuo curaui delineandum, qua iterata ejus icone tanto magis opus esse credidi, quod ea, quæ in Spanhemiano opere ad Morellii ectypum vtique negligentius, quam par erat, expressa cernitur, a prototypo suo haud vno modo recedit.



p. 205. Ex edita nuper regum Ponti historia patet, æræ, quam numus hic præfert, explicationem deberi Cl. Vaillantio. Ita enim ille: „ Andreas Morellius hunc Pharnacis ex auro numum in secundæ editio„ nis specimine vulgauit, cujus ectypum, cum Parisios primum ap„ pulit, nobis dederat, vt inter reges, quos describendos aggressi era„ mus, suo loco poneremus. Illud ex museo D. Velseri (male in „ Vaillantii libro, Veseri) Patricii Noribergensis delineauerat, & quid „ sibi vellent litteræ in area signatæ, cum postulasset, libenter illum

„ æram

„ æram Ponti regum docuimus, quem forte minimum in priore ſpeci-„ mine non edidit, ne tot numorum a nobis acceptas interpretationes „ tanquam ſuas exponeret." Subiungit his Vir celeberrimus epochæ interpretationem a Morelliana vtique nihil diuerſam, additque poſtea: „ Vt vero Morellius tunc ne quidem numorum deſcriptiones aggredi „ auſus, quare Apollo in Pharnacis auerſa parte eſſet collocatus, poſtu-„ lare neglexit, ideo in illius explicatione ingenue fatetur his verbis: „ *Quam ob cauſam Apollo in hoc numo ſculptus ſit, me fugit*, nec ſequen-„ tia (de æra nempe) ſomniaſſet. Sed intelligat illum Panticapei vrbis „ Boſpori primariæ percuſſum; in qua ſummus erat Apollinis cultus, „ vtpote illa a Mileſiis condita, tradente Strabone, poſt ejus deſcriptio-„ nem, inquit, Κτίσμα (Κῆσμα male editum) ἐςὶ Μιλησίων. Nemo ne-„ ſcit, Mileſios plurimum fuiſſe veneratos Apollinem", *reliqua*. Quod ſi Morellius vel huius vel aliorum numorum interpretationes Cl. Vaillantio acceptas tulit, id quod affirmanti Viro celeberrimo facile largior, fatendum ſane eſt, non probando eum conſilio fontem, vnde illæ manarunt, reticuiſſe. Sed & hoc viciſſim concedent æquiores iudices, quam oborta inter Vaillantium & Morellium de numis Familiarum Romanarum edendis controuerſia pepererat, indignatiunculam ex his verbis nimio plus pellucere; ſua enim ſibi, præſertim mortuo Morellio, absque acerba expoſtulatione, vindicare poterat. Vrbi vero Boſpori, Panticapeo, in qua percuſſum numum putat, Sinopen, Mileſiorum & ipſam coloniam, cuius ſymbolum Apollinem interpretatur Ill. Spanhemius, vtique præferrem. Sinopes enim numi extant, nulli Panticapei, & ipſa ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΒΑΣΙΛΕΩΝ & ΜΕΓΑΛΟΥ appellatio arguit, numum eo tempore percuſſum, quo Pharnaces longe lateque victor Sinopen Ponti tenebat.

§. X.

Seriem hanc regum, quorum vultus & nomina aurum illud antiquum reddit, claudunt apud nos Siciliæ principes, iique inprimis, qui Syracuſas tenuere, ex quibus poſtremus fuit Hieronymus, Hieronis II. nepos, Gelonis filius, cum ciuibus ſuis nimis ſuperbe & crudeliter imperitaſſet, ab iisdem, coniuratione facta, e medio ſublatus. Numi ejus, quotquot adhuc prodiere in lucem, caput illius diademate ornatum exhibent, vnde lucem fœnerantur verba Liuii, qui „ primo ;, ſtatim conſpectu, inquit, omnia quam diſparia eſſent, oſtendit. „ nam, qui per tot annos Hieronem filiumque ejus Gelonem, nec „ veſtis habitu, nec alio vllo inſigni differentes a ceteris ciuibus vi-„ diſſent, *conſpexere purpuram ac diadema*", reliqua. Simile caput diademate cinctum non equidem præfert numus aureus ἡμίδραχμος gazæ noſtræ, quem produco, locum tamen nihilominus in hoc opere ſibi depoſcit, quod numum Hieronymi ex auro nemo adhuc iuris publici fecit.

De numo Hieronymi, Regis Syracuſ.

Lib. XXIV, c. 5.



Aduersa in parte caput ΚΟΡΑΣ, qua voce id subinde in numis Siculorum diserte notatum reperias, h. e. *Proserpinæ*. Hoc enim appellatam eam nomine nemo, nisi hospes, in his litteris ignorat. Suidas: Κόρη, Περσεφόνη, h. e. *Puella, Proserpina*. Pausanias: Δήμητρος ἐπίκλησις ἐς τοὺς πολλοὺς αὕτη Δέσποινα· καθάπερ καὶ τὴν ἐκ Διὸς, Κόρην ἐπονομάζουσι. Ἴδιά τέ ἐστιν ὄνομα Περσεφόνη, h. e. *Cereris cognomen vulgo hoc Dominæ est; quemadmodum „ filiam Iouis (& Cereris)* Κόρην *appellant. Proprie quidem nomen ei est „ Proserpinæ.*" Causam eius appellationis a pupilla, quæ Κόρη Græcis, repetit Plutarchus. Κόρη, inquit, appellatur Proserpina, quæ eadem cum Luna, ὅτι καὶ τοῦ ὄμματος, ἐν ᾧ τὸ εἴδωλον ἀντιλάμπει τοῦ βλέποντος, ὥσπερ τὸ ἡλίου φέγγος ἐνορᾶται τῇ σελήνῃ κόρην προσαγορεύομεν, *quod & oculi, in quo species relucet videntis, prout solis fulgor in luna cernitur, pupillam appellamus.* De Proserpinæ perinde ac Cereris in Sicilia cultu trita omnia, vnde vel verbum ea de re addere sit lectorum patientia abuti. Fulmen auersa in parte expressum, cuius varias interpretationes affert Begerus, ego Symbolum Iouis Olympii crediderim a Syracusanis culti, „ cuius ex „ templo inermes in tumultu illo Syracusanorum post mortem Hiero- „ nymi spolia Gallorum Illyriorum, dono data Hieroni a populo Ro- „ mano, fixaque ab eo, detrahebant precantes Iouem, ut volens pro- „ pitius præberet sacra arma pro patria, pro Deum delubris, pro „ libertate sese armantibus," quod docet Liuius. Ceterum ex eodem hoc fulmine quid elicere conetur Cl. Harduinus, audiamus. „ Similitudo symboli, inquit, quod est in numis Agathoclis & Hie- „ ronymi, fulmen, suadet, hunc istius filium, eique proxime suc- „ cessisse." An vero, vt vno hoc exemplo vtar, Vespasianum, Augusti filium, eique proxime successisse statuet Vir celeberrimus, quod in Augusti & Vespasiani numis idem symbolum Capricorni sculptum cernitur? Sed huiusmodi argumentis oppugnare scriptorum antiquorum fidem, qui Hieronymum, Hieronis II. nepotem, Gelonis filium, eundemque non Agathocli, sed Hieroni II. successisse testantur, non est conuellere eandem, sed firmius corroborare.

Voce Κόρη. Arcad. p. 268. De Facie in orb. Lun. T. II. Opp. p. 942. l. c. T. I. p. 230. Lib. XXXIV. p. 21.

§. XI.

De numo Syracusarum. Regum numos aureos excipiunt eiusdem metalli numi vrbium populorumque, quorum pauciores a nobis asseruari si fatear, equidem præstantiæ thesauri nostri nihil magnopere decedet. Norunt enim, qui tractant has veteris æui reliquias, in vultibus nominibusque suis auro cælandis Reges Imperatoresque potissimum elaborasse, vrbes tantum sibi haudquaquam sumsisse, contentas argentea atque ærea, vt plurimum, numismata cudisse, quibus ad vitæ huius commoda prouehenda vterentur. Neque enim tantum ab initio, quod ait Sperlingius, sed & postea statuisse mihi respublicæ videntur, „ regium hoc esse so- „ lum,

l. c. p. 154.

„ lum, aureis numis vti, quia a regibus maximis cœperant, nec „ suum esse, regibus ὑπερκομπᾶσθαι aut ἰσοκομπᾶσθαι." Sed vero si minus copiam in hoc genere aureorum numorum, selectum tamen vel vno alteroue exemplo lectoribus, quoad eius fieri potest, probare conabor. Quamquam nec copiam prorsus desiderare possis in numis Syracusanorum, quorum plures scrinia nostra ornant, ex quibus sequentem ab editis diuersum producere liceat.



Aduersa pars caput Cereris corona spicea ornatum exhibet. Littera B pone collum Βασιλέα, regem, ut videtur, designat, eumque, nisi fallor, Agathoclem, cuius initialem litteram A ex parte opposita iniuria temporis absumsit. Quam ob causam, tametsi is numus in regum serie collocari potest, nihil tamen prohibuerit, quo minus idem ille inter numos vrbium numeretur, cum Syracusarum nomen praeferat. Id mirum videri possit, cur Cereris in hoc numo caput agnoscam, qui, quod in superiori numo cernebatur corona item spicea ornatum, ad filiam ejus Proserpinam retuli. Diuersum igitur ac matris arbitror, propterea quod capilli hic omni ex parte compositi religatique comparent, quos filia quodammodo fluentes ac circa collum sparsos, saltim in numis Siculorum, quibus etiam diserte adscriptum est nomen ΚΟΡΑΣ, gestat. Ceteroqui parum interest, matremne an filiam, quas ægre dignosci posse antiquarii fatentur, hic agnoscas, cum vtriusque cultu scriptoribus celebretur Sicilia, eamque Cereri & Liberæ, h. e. Proserpinæ, totam conseruatam Tullius testetur. Auersa in parte Victoria bigis insistit, altera manu flagellum, altera habenas tenens: Infra ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ, h. e. *Syracusanorum*: supra stella. Prostant similes numi aurei, cuiusmodi & in gaza nostra, cum epigraphe: ΕΠΙΙΚΕΤΑ, in quibus Victoria bigas regente victoriam bellicam indicari statuit Begerus. Sed malim Ill. Spanhemio assentiri, in hoc typo nihil aliud, quam curulium certaminum partæque in iis victoriæ symbolum agnoscentis, tametsi puerile esse sibi persuadet Cl. Harduinus ita suspicari, qui, si fuisset recordatus, potentiorem longe regem Philippum, Alexandri M. patrem, Plutarcho teste, τὰς ἐν Ὀλυμπίᾳ νίκας ἐγκεχαραχέναι τοῖς νομίσμασι, *curules victorias in ludis Olympicis reportatas insculpsisse numis*, cuiusmodi etiamnum plurimi reperiuntur, minus idem fortasse de Sicularum vrbium dominis in dubium vocasset. Ait Begerus, Olympicas victorias bigis repræsentari solere, non Victoria bigas agente. Sed quid, si dicamus illis ipsa tantum certamina designari? Verosimile hoc inde fit, quod alias superuacaneum esset, Victorias, quæ supra volitant, modo aurigæ, modo equis mulisue coronas porrigentes, expressas cerni, cuius rei exempla non vna Goltzius & Paruta adduxerunt. Quodsi igitur ad relatam in his certaminibus palmam indicandam Victoriæ volitantes cum coronis in his monimentis occurrunt,

Parut. Sicil. T. V. Beg. T. I. p. 296. Montfaucon. Suppl. de l'Antiquit. expliq. p. 76. In Verrem. Lib. IV. c. 48.

l. c. T. I. p. 383. l. c. T. I. p. 548. seq. l. c. p. 144. Alexandr. p. 666.

Goltz. Sicil. T. I. sq. Parut. Sicil. T. XXXVI. sqq.

runt, quidni ad variandum typum aliquando loco aurigæ bigis insistentes eodem consilio exhiberi potuerint?

§. XII.

De numo Cyrenæorum. Ex Cyrenæorum numis qui sequentem protulerit, neminem reperi, tantoque eum digniorem notatu arbitror, quod Iouem illum Ammonem, Cyrenæorum numen, non ex parte, prout in ceteris huius generis monumentis, in quibus expressus occurrit, sed totum exhibet.



Altera pars Victoriam in quadrigis sistit, altera stantem Iouem Ammonem, barbatum illum cornutumque, dextra pateram, sinistra hastam tenentem, posita ante pedes ara. Inscriptionem vtriusque partis coniungo, vt sit ΚΥΡΑΝΑΙΩΝ ΠΟΛΙΩΝ ΔΕΥΣ, h. e. *Cyrenæarum vrbium Iupiter.* Vrbes nempe intelliguntur Cyrenaicæ, de qua
Lib. V. c. 5. sect. 5. T. I. p. 249. Plinius: „ Cyrenaica eademque Pentapolitana regio illustratur Ammonis oraculo, quod a Cyrenis abest CCCC M. passuum; fonte solis; vrbibus maxime quinque, Berenice, Arsinoë, Ptolomaide,
Lib. I. c. 8. Lib. XVII. p. 837. „ Apollonia, ipsa Cyrene, ne Melam nunc Strabonemque idem docentes adducamus. Κυρᾶναῖαι vero hæ vrbes, cum Κυρηναῖαι dicendum esset, appellantur dialecto Dorica, qua in re vetustas Cyrenæorum
T. I. p. 205. origines, Dorum quippe, haud immerito inuestigat Ill. Spanhemius. Sed generis antiqui argumentum non minus illustre latet in voce ΔΕΥΣ pro ΖΕΥΣ, littera Δ & Ζ confusa, cuius rei non una exempla ad
p. 200. Callimachum idem adducit Vir summus, quem paulo ante laudaui. Frequens id Dorica dialecto vtentibus, tametsi numi perrari, qui eius
Sicil. T. XVI. rei exempla præferunt. Spectat huc numus Parutæ, in quo ΔΑΝΚLΕ
Palæogr. Græc. Lib. II. c. 3. p. 127. legitur pro ΖΑΓΚΛΗ. De eo numo eruditiss. Montfauconius: „ Eadem, inquit, forma (nempe Ꝟ Δ pro Ζ), exhibetur in veteri nostro „ numo Messanensi, qui a Paruta in Sicilia expressus; ibi enim pro „ ΖΑΓΚΛΗ, ΔΑΝΚLΕ, qui numus diu ante rem Romanam ex typi „ genere cusus æstimatur. Erat autem Zancle priscum nomen Messanæ, eaque voce significabatur falx, quia vrbs illa in falcis formam „ posita erat. Ζάγκλη autem Dorice Δάγκλη dicitur: Dores quippe „ Ζ in Δ commutabant, vt videas in Ζεὺς, Δεὺς, vnde *Deus* Latine. „ Neque vero apud Dores tantum illa litterarum mutatio obtinebat, „ sed etiam apud priscos Athenienses, qui, teste Platone in Cratylo, „ pro ζυγὸν iugum, δυογὸν prisce dicebant." Extat alioqui Trœzeni-
Græc. T. X. l. c. orum numus apud Goltzium, in quo pro ΖΕΥΣ, non ΔΕΥΣ, ut hoc loco, sed ΣΔΕΥΣ (non ΖΔΕΥΣ, ut male apud Spanhemium, sed vitio operarum, legitur) ΕΛΕΥΘΕΡΙΟΣ, littera Ζ nempe in eas, vnde composita est, Σ & Δ resoluta. In præsenti Iupiter non Eleutherius, sed Ammon, numen vrbium Cyrenaicarum, atque adeo vna voce

Πολιοῦχος,

Πολιοῦχος, quo nomine non Mineruam tantum, ſed in genere Deos vrbicos, ſeu vrbium cuſtodes ac defenſores, quondam cultos Ill. Spanhemius obſeruat, cuius caput proinde Cyrenæorum in numis toties comparet, quod niſi iidem ſuperſtites docerent ſatis, vel Heſychii teſtimonio conſtaret, qui apud eosdem ἐν τῷ νομίσματι ὅπου μὲν Ἄμμωνα, ὅπου δὲ Σίλφιον ἐγκεχαράχθαι, h. e. *in numiſmate modo Ammonem, modo Silphium ſculptum eſſe* tradit. Sed hactenus de Ioue Ammone, cuius haud paulo aliam formam ex numo, cui vox ΒΑΤΤΟΣ inſcripta, commentus eſt Vir ſummus, Iſaacus Voſſius, ſed quem, in hoc genere monumentorum antiquorum minus verſatum, falli ea in re Ill. Spanhemius demonſtrauit; Quod ad Victoriam in quadrigis attinet, eam rurſus, perinde atque in ſuperiori numo, non tam ad deſignandam rerum contra hoſtes egregie geſtarum gloriam, quam victoriam in curulibus certaminibus reportatam pertinere arbitror. Cyrenæorum enim in huius generis agonibus dexteritas admodum celebrata ſcriptoribus, Pindaro præſertim, qui Cyrenem εὐάρματον πόλιν, *vrbem curribus præſtantem* appellat, cuius in partem laudis ceteras quoque Cyrenaicæ vrbes veniſſe, non eſt, quod dubitemus. Ceteroqui quadrigæ hæ, quibus Victoria inſiſtit, in mentem mihi reuocant πέντε τέθριππα τὰ κράτιστα, *quinque illas quadrigas optimas*, quas Cyrenæos vna cum trecentis equis aliisque donis Alexandro M. ad Iouis Ammonis oraculum proficiſcenti obtuliſſe, Diodorus Siculus memoriæ prodidit.

Ad Callimach. p. 590.
Ad Βάττου Σίλφιον.
Obſſ. ad Melam Lib. I. c. 8. T. I. p. 297. ſeq.
Pyth. Od. IV. ℣. 13, 14.
Bibl. Lib. XVII. p. 588

§. XIII.

Quem ſubiicio, numus aureus, pridem eſt, quod lucem adſpexit, vulgatus a Goltzio, Triſtano, Patino & Begero; qui decies ſexies eum in Electorali cimeliarchio Palatino extitiſſe docet. Non male tamen, ut puto, merebor de antiquariæ rei ſtudioſis, quod eundem ex theſauro noſtro in ſcenam denuo produco.

De numo Coſarum.
Magna Græc. T. XXXVI.
Comment. Hiſt. T. I. p 366.
Famil. Rom. p. 140.. Theſ. Palat. p. 194.



Altera pars numi huius figuras tres ſiſtit togatas, primam ac tertiam cum faſcibus ac ſecuri, ita ut facile appareat lictores eſſe, mediam, conſulem aliquem, aliumue magiſtratu fungentem, lictorum comitatu ſpectabili, ſtipantes. Infra inſcriptio: ΚΟΣΩΝ, & in area monogramma Β. Altera in parte aquila ſiniſtro pede ſceptro inſiſtit, dextro lauream tenet. De numo hoc explicando ſollicitis viris doctis minus inter ſe conuenit. Fuere, qui eum conſularibus numis annumerarent, familiæ Iuniæ adſcribentes, cuius certe numus, in quo hinc caput Libertatis & epigraphe: LIBERTAS, illinc Brutus conſul cum accenſo duobusque lictoribus & inſcriptione: BRVTVS, eundem typum ſervat. De ea ſententia Patinus: „ Quoniam in eundem ordi- l. c.
„ nem cogi ſolet numus ille aureus, quem hic ſeorſim excudi curaui-

„ mus,

„ mus , & cum ſuperiori" (de numo familiæ Iuniæ ſermo ei eſt, quem paulo ante deſcripſimus) „ ab rei antiquariæ ſtudioſis in ſcri- „ niis recondi; rationem reddam, cur a me e familia Iunia Brutorum „ eiectus eſt. Scilicet eo induxerat typi ſimilitudo, quæ cum inſcripti- „ one vacet, quæ hunc Iuniis addicat, ſufficere mihi non videtur, „ præſertim cum aliis argumentis veroſimilioribus alio traduci facile „ poſſit." Nonnius ad Goltzium, Triſtanus & Patinus inſcriptione: ΚΟΣΩΝ moti, numum ad coloniarum numiſmata reuocarunt. Coſſa enim, (vel Coſa & Coſæ numero plurali, ut Κόσσαι Straboni & Pto- lemæo) teſte Hiſtoriæ Naturalis ſcriptore, „ Volcientium (colonia) „ a populo Romano deducta," qua de re pluribus Geographi.

Locis citatis. Lib. V. p. 228. Lib. III. c. 1. p. 61. Plin. Lib. III. c. 5. Sect. 8. T. I. p. 150.

In eo tamen illi ab ſe inuicem diſcedunt, quod Nonnius & Patinus IIIuirorum typum altera in parte numi agnoſcunt, coloniæque vel deductæ primum, vel inſtauratæ ſymbolum interpretantur, repudiantes aliam, cuius meminerunt, ſententiam, diſceſſum vel reditum Coſa- norum exhiberi, agrum ſuum ob ſoricum copiam deſerere coactorum, quam fabulam narrat meritoque ridet Rutilius. Iidem aquilam altera in parte expreſſam ad Iouem Vicelinum referunt, cuius templum in agro Coſano fuiſſe Liuius teſtatur, tametſi, pro Coſano vel Compſano agro, Pomptinum ibi legendum eſſe coniicit Io. Frid. Gronouius. Tri- ſtanus; cum in numum Neruæ, capite Iouis Ammonis inſignem, cum inſcriptione male lecta: COL. IVL. COSSA incidiſſet, at- que inde perſuaſiſſet ſibi, Auguſtum Cæſarem coloniam Coſas dedu- xiſſe, eamque nomine ſuo adoptiuo Iuliam appellaſſe, ſtatuit, Coſa- nos Auguſto, horum beneficiorum auctori, gratum animum probatu- ros, aquilam cœlitus velut apportantem ſceptrum, cui inſiſtit, & lauream, quam geſtat, expreſſiſſe in numo, vt hoc ſymbolo indica- rent, Auguſtum cœleſtibus auſpiciis Romani imperii gubernacula ſuſ- cepiſſe, ab iisdemque profectas eſſe victorias, quibus ad id faſtigii viam ſibi munierit: Eundem Auguſtum in altera parte numi exhiberi duo- bus lictoribus ſtipatum littusque petentem, ut claſſem conſcendat rei gerendæ cauſa: Eo enim pertinere proram ad dextram numi partem ſculptam, cuius tamen veſtigia nulla in numo noſtro comparent.

Itinerar. p. 179. Collect. Reuſner. Lib. XXIV. c. 44.

§. XIV.

De eodem.

In Triſtani hanc ſententiam haud obſcure conceſſerat Vir ingenio & eruditione nemini hodie ſecundus, Io. Harduinus in priori præclari operis ſui de Numis Vrbium & populorum editione, bonaque fide recenſito ibi numo cum inſcriptione: COL. IVL. COSSA, de colonia iſta haud protrita monuerat. Sed nouiſſime in eodem libro inter Opera Selecta edito expunxit numum Triſtani, quæque de Colo- nia Coſana attulerat, reliquit quidem, atque adeo nouis obſeruationi- bus auxit, ſed integram de numo noſtro intexuit diſſertationem, qua nouam prorſus de interpretatione eius ſententiam expromſit. Negat ibi Vir celeberrimus, ad vrbem Etruriæ numum pertinere poſſe, pro- pterea quod *Coſſam* eam Plinius appellet, quod coloniæ ab Romanis deductæ vſus ſermonis Græci haud conueniat, quod veroſimile non ſit, oppiduli tam tenuis ciues numiſmata vel aurea vel argentea percuſſiſſe honori Auguſti nomine ſuo adiecto, quod denique haud pateat, quid

p. 127. p. 46. ſq.

Auguſto,

Augusto, quem cum viris duobus securim gestantibus expressum putat, cum vrbe Cossa sit negotii. Statuit vero, ad Syriam potius eum reuocandum esse: Syriæ enim commune, vel Syriam prouinciam consueuisse, numos suo nomine inscribere: Eam duplicem esse, maritimam & positam in mediterraneo, hoc est inferiorem & superiorem; vtramque indicari viris Augusti latus stipantibus, priori quidem, cuius ad pedes in numo Tristani prora, maritimam, posteriori mediterraneam. Gestare autem ambos securim, vt Syria tanto luculentius designari posset, Libano monte præcincta, in quo procerissimæ cedri, a Syris cædi solitæ; Testari id Salomonem ad Hiramum regem scribentem III. Reg. V. ℣. 6. *Præcipe igitur, vt præcidant mihi serui tui cedros de Libano: scis enim, quomodo non est in populo meo vir, qui nouerit ligna cædere, sicut Sidonii.* Inscriptionem vero: ΚΟΣΩΝ non vna voce constare, sed pluribus, per initiales tantum litteras expressis, id quod apud Græcos, perinde atque Latinos, moris fuisse, innumeris constare exemplis affirmat. Hanc illam igitur esse:

Κ Ο Σ ΩΝ
Καῖσαρ Ολην Συρίαν ΩΝήσατο. h. e.
Cæsar opem toti Syriæ tulit.

Obseruatam autem, quod addit, in hac epigraphe esse formam potiorem Bucolici versus, vt sit pes quartus dactylus cum sententia ibi desinente, more Theocriteo & Virgiliano, vt in illis:

A te principium, tibi desinet.
Eheu! quid volui misero mihi, reliqua.

eamque ob causam pro actiuo ὤνησεν, medium ὠνήσατο videri opificem selegisse.

Quærentibus autem, quando Cæsar Augustus Syris opem tulerit, tum id factum esse respondet, cum Parthos e Prouincia pepulit, ASIA, vt est in numulo Augusti, siue vt ille interpretatur, Syria de Parthis RECEPTA, persuasus in posteriori numi parte eandem de Parthis victoriam significari aquila coronam e lauro gestante, Cæsaris capiti imponendam, qua quidem forma in numis Romani orbis ante Augusti ætatem & æram Augustanam sibi aquilam visam negat.

§. XV.

Ex his sententiis si verosimillima seligenda sit, vereor sane, vt postrema hæc doctiorum cuiquam facile probetur. Nititur enim infirmo admodum fundamento, numum Augusti ætate cusum esse, & honori eius dicatum. Hausit id vir doctissimus ex Tristano, confirmarique putat cum fabrica numi, tum Symbolo aquilæ cum laurea ab Augusti inde temporibus in numis obuio. At eadem fabrica non prohibuerit, quo minus saltem proxime ante Augusti ætatem cusus censeri possit. Symbolum autem aquilæ lauream gestantis adeo non proprium est Augusti æuo, vt in tanta multitudine numorum eius ne vnus quidem, qui illud præferat, vel a Goltzio vel ab aliis vulgatus reperia- *Plura de eodem.*

C tur,

tur, tametſi non deſunt, vbi eadem aquila coronæ querceæ inter duas lauros inſiſtit, vel etiam in media laurea ſculpta eſt. Contra idem typus occurrit in numo Q. Pomponii Rufi, in quo hinc caput Iouis cum inſcriptione RVFVS S. C. illinc itidem aquila dextro vngue ſceptro inſiſtens, ſiniſtro lauream tenens, cum litteris Q. POMPON. quem numum Auguſti æuo cuſum eſſe nullo certo argumento conſtat. Quæ cum ita ſint, quo pacto perſuaſerit iam nobis Cl. Harduinus, virum togatum, qui medius inter duos alios incedit, eſſe Auguſtum? Imo vero, vt largiamur Auguſtum eſſe, qui, ſodes, perſuaſerit, duos illos togatos cum faſcibus & ſecuri, (iuncta enim hæc duo adſunt, non vna ſecuris) ſignificare duplicem Syriam, maritimam & mediterraneam? An vero Prouinciæ in numis habitu virili depinguntur? An non & fœminæ ſculpi cum ſecuri poterant, tametſi illæ, quod obtendit Vir celeberrimus, non mittuntur ad ligna in ſiluis cædenda, ſi ea re adeo gloriabantur Syri, id quod tamen locus ſacrarum litterarum, ad quem prouocat, haud euincit? Quo deinceps iure affirmari poteſt, quod Syriæ fuiſſe ſymbolum nullo idoneo argumento conſtat, id adeo peculiare ac proprium illi fuiſſe, vt nullum præter iſtud, aut certe par illi reperiatur? Quod ad epigraphen ΚΟΣΩΝ eiusque interpretationem attinet, ſane illa ingenii, quo pollet Vir eruditiſſimus, felicitatem prodit, ceterum a vero æque abeſt, atque aliæ quæuis ad ductum earundem litterarum homini otioſo, & ingenio vel pari vel non multum deteriori prædito, fortaſſe non nimis magno labore excogitandæ. Formam bucolici verſus in ea magnopere commendat Cl. Harduinus, ſerione an ioci cauſa, alii viderint. Sed quid hoc aliud eſt, quam ſponte agnoſcere ac fateri, nullo modo id velle inſcriptionem hanc, quod dicere, aut potius, fidiculis adhibitis, extorquere conatur. Quis enim in veterum aliquo numo hemiſtichion obſeruauit? Longum ſit cetera perſequi de Parthis ex Syria pulſis, id quod ex numo cum epigraphe: ASIA RECEPTA, probat, cuius veriorem interpretationem ignorat nemo, deque aquila cum lauro, eius rei indicio, quæ quam firma ſint, ita in propatulo eſt, vt expendendis his immorari diutius ſit otio & charta tantum non abuti.

Vaill. T. II. tab. 115. n. 9. p. 279.

§. XVI.

Eiusdem argumenti continuatio.

Quod ad Triſtani ſententiam attinet, ſeduxit virum optimum numus Neruæ, in quo legerat: COL. IVL. COSSA. Produxit eum primus Erizzo, vnde & Occo & Triſtanus hauſere, quorum veſtigia premere non dubitauit Cl. Harduinus, qui tamen errorem hunc poſtea a Vaillantio monitus agnouit, numumque eum alio, quo pertinebat, loco recenſuit. In eo enim nulla Coſſæ mentio: Inſcriptio namque integra: COL. IVL. AVG. CASSANDREN. h. e. *Colonia Iulia Auguſta Caſſandrenſis.* Hoc pacto corruit coniectura Triſtani, exiſtimantis, Auguſto Coſanos ſuperiorem numum dicaſſe, quod Coſas deduxerit Coloniam, eamque nomine ſuo appellarit, id quod hauſit ex numo hoc male lecto, aut potius truncato, quem & ipſum peius deformatum exhibuit, quam eſt in Erizzo, vbi inſcriptio: COL. IVL. AVG. COSSA.... ex qua ille vocem AVG. omiſit non prætereundam ei, qui Coloniam hanc Auguſto & nomen & incrementa debere

p. m. 299. p. 189. l. c. Num. Antiq. Vrb. Edit. vet. p. 127. Opp. ſel. p. 81.

debere contendit. Ad Nonnium & Patinum pergo, qui, non feliciores numi huius interpretes quam Triſtanus, IIuiros Coloniæ deducendæ in eo agnoſcunt, & ſub aquilæ ſymbolo Iouem Vicetinum in agro Coſano cultum. Poſterius labefactat varia codicum MSS. lectio: quin agro Coſano Pomptinum ſubſtitui a Gronouio patre ſupra vidimus. Quod ad prius attinet, quo pacto cenſendi IIuiri Coloniæ deducendæ homines ſibi diſſimiles, medius ſine faſcibus & ſecuri, primus ac tertius cum iisdem? Recte tamen iidem viri docti vna cum Triſtano numum hunc ad Coſas vel Coſſam coloniam Romanam referunt, quando eius nomen diſerte additum eſt: ΚΟΣΩΝ. Nihilo ſecius arbitror, eundem etiam inter Conſulares in familia Iulia locum ſibi vindicare poſſe, atque hac ex parte non nimis reprehendendos eſſe, qui illum in hunc ordinem, prout loquitur Patinus, cogunt. Videtur enim eodem tempore cuſus, quo notiſſimus ille familiæ Iuniæ cum ſimili typo, Iulio Cæſare interfecto, & republica in ſtatum priſtinum reſtituta, putemque Coſanos, clientes fortaſſe Brutorum, & animum iis ſuum & redditæ libertatis amorem teſtatum hoc pacto feciſſe, ad exemplum illius Iuniani percutientes numum cum eodem Lucio Iunio Bruto, regum expulſore primoque conſule, lictoribus duobus ſtipato, vnde M. Brutus, Cæſaris occiſor, genus ſuum deriuabat, cuius & nomen fortaſſe in monogrammate illo B ex Latinis litteris, quas in Romana colonia deſiderabat Cl. Harduinus, BR conflato deliteſcit. Coſarum enim magiſtratum quendam, prout exiſtimat Begerus, hic exhiberi, idque eadem ratione, qua Brutum, vrbis terrarum principis conſulem, expreſſum numi ſiſtunt, a vero prorſus alienum eſt, præſertim cum typus aduerſæ partis Coſano duumuiro parum congruat. Exhibet ille aquilam cum lauro victoriarum & ſceptro, maieſtatis indice, ſiue illa Iouem Capitolinum, ſiue imperium Romanum, cuius ille Symbolum potius deſignat, cui, ſublato tyranno, priſtinum decus reſtitutum iri Coſani ſibi perſuadebant. Iis enim, quominus tribuatur numus, haud ſcio, an obſtent multum, quæ Cl. Harduinus in contrarium attulit. Si Plinio aliisque oppidum hoc *Coſſa* numero ſingulari; at Virgilius plurali numero *Coſas* appellat, Strabo & Ptolemæus, tametſi duplicata littera Σ, *Κόσσας*. Coloniam vero Romanos deduxiſſe Coſas non impedit, quominus incolæ prima origine, quod vero non abſimile eſt, Græci Græca ſignatum inſcriptione numum cudere potuerint. Neque exulare prorſus e Coloniarum numis Græci ſermonis vſum, exempla haud vna a Vaillantio ſtudioſe collecta teſtantur. Ciues denique Coſanos vtcunque tenuis oppidi, prout id appellat vir celeberrimus, incolas, (tametſi tenue adeo eſſe non potuit oppidum, quod portus nobilitabat, in quo contra Cæſarem naues Domitianus parauit, ita vt vel hinc pateat, Coſanos ab eorum partibus ſtetiſſe, qui libertatem reipublicæ propugnabant) non equidem Auguſto, ſed tamen Romanæ reipublicæ, Cæſare e medio ſublato, gratulandi, ac liberatoribus patriæ, inprimis Bruto, grati animi teſtandi cauſa numum hunc ſiue aureum ſiue argenteum (nam eundem & argenteum reperiri obſeruat Goltzius) percuſſiſſe, tametſi ea res forte exemplo deſtituitur, minus certe a ſimilitudine veri abhorret, quam eundem deberi Syriæ prouinciæ, ænigmatica inſcriptione lectoribus illudenti, cuius reconditum ſenſum Viro celeberrimo vix tandem aſſequi licuerit.

l. c. — l. c. — Aen. Lib. X. ℣. 168. — Locis cit. — De bell. civ. Lib. I. c. 34. — l. c.



CAPVT II.

DE NVMIS AVREIS FAMILIARVM ROMANARVM.

§. I.

De numis aureis Romanarum familiarum in genere.

AB rerum exterorum, populorumque & vrbium, quarum numismata aurea theſaurus FRIDERICIANVS ſeruat, progredior iam, quo inſtituti me ratio vocat, ad eiusdem metalli numos, quos Quiritium florentiſſima quondam totoque orbe potentiſſima gens poſteritati reliquit. Ea vel conſulari imperio, regibus primis exactis, paruit, liberæ reipublicæ, in qua neminis vnius potentia ceteris magnopere anteuerteret, forma aſſumta, vel feſſa inteſtinis turbis belliſque ciuilibus vnius ſe arbitrio regendam permiſit. Hic ſtatus numos, de quibus paulo poſt, Cæſarum peperit, ille Conſulares, qui rectius familiarum Romanarum appellantur, in quibus viuam reipublicæ imaginem, tot gentium clariſſimarum, ſepulta longa obliuione nomina, tot decora domi militiæque parta, Deos, quos colebant, templa iis ſacrata, ludos, quibus partem haud exiguam religionis contineri credebant, leges, magiſtratus eorumque inſignia, victorias, tropæa, triumphos, atque alia plura non cernere eminus, ſed coram intueri, iisque velut intereſſe licet. Huius generis non illico aureos, vt notum eſt, numos cudebant Romani. Neque enim cadebat hoc in paupertatem vrbis, in qua, vt Plinius docet, *ne fuit quidem aurum, niſi admodum exiguum, longo tempore.* Aeneis diu vſi Quirites, anno demum vrbis CCCCLXXXV. argentum, atque poſt annum inde LXII. h. e. haud paulo plus ſeſqui ſeculo ante, quam res Romana ad Cæſarum imperium rediit, aurum ſignare cœperunt, ita, vt vel inde, ne cetera nunc attingam, mirum videri haud poſſit, quod aurei numi conſulares pauciores hodie reperiuntur. Cl. Vaillantius, qui ſuam nouiſſime in his numis vndiquaque colligendis induſtriam eruditis comprobauit, ex ducentis vndeuiginti familiis, quas his præſidiis fultus digeſſit, quinquaginta ſex tantum familiarum numos, eosque non ita multos produxit aureos. A quo quidem numero conquiſita in hoc genere ſupellex noſtra longe abeſt, quod vtique fatendum; iuuat tamen intueri in eadem gentium Antoniæ, Aquilliæ, Caſſiæ, Ceſtiæ, Cœliæ, Corneliæ, Durmiæ, Hirtiæ, Iuliæ, Liuineiæ, Manliæ, Munatiæ, Norbanæ, Planciæ, Pompeiæ, Seruiliæ & Vibiæ ex auro moni-

Lib. XXXIII. c. I. Sect. V. T. II. p. 602. Edit. Harduin. nou.
Plin. l. c. c. III. ſect. XIII. p. 610.
l. c. p. 612.

monimenta, & ex paucis his quantumuis reliquiis vtcunque maiestatem principis terrarum populi metiri.

§. II.

De numo gentis Antoniæ. T. I. Tab. XIII. n. 26.

Gentis Antoniæ ex auro atque argento numum adducit Vaillantius, cuius in parte aduersa caput Antonii Triumuiri cum lituo & epigraphe: ANTONIVS IMP. IIIVIR R. P. C. in auersa figura muliebris stans, dextra tenens acerram, sinistra cornu copiæ, in quo duæ ciconiæ cum inscriptione: PIEAS COS. Idem numus cum & aureus & argenteus reperiatur in gaza Fridericiana, aureum hoc loco paulo diligentius spectasse non abs re fuerit.



Propior contemplatio huius ectypi facile docebit, doctissimum Vaillantium delineationes Fuluii atque Patini non, pro eo ac par erat, reuocasse ad numorum ipsorum exempla, atque inde emendatiores dedisse. Vt enim illi in epigraphe aduersæ partis prænomen Antonii M. prætermisere, ita idem in icone a Viro paulo ante laudato exhibita desideratur. Quod cum accidere potuerit negligentia chalcographi, cuius culpam præstare non licet, condonari ei facile poterat, modo in descriptione id addidisset, quando non aureus tantum, sed etiam argenteus manifeste id præfert. Auersa in parte iuxta figuram muliebrem cernitur inscriptio: PIEAS COS, vbi sub voce priori PIETATIS cognomen latet, quod L. Antonius, frater Marci, Dione teste διὰ τὴν πρὸς ἀδελφὸν εὐσέβειαν, *propter pietatem erga fratrem*, sibi adsciuit. Eam ob causam Pietatem interpretantur viri docti figuram, quæ aream numi occupat. Neque id sine ratione, cum partim ciconia, quæ duplex in cornu copiæ expressa est, quæque in alio etiam cum simili inscriptione ad latus adiecta cernitur, Romanis, teste Ambrosio, *Pia auis*, Petronio *Pietaticultrix* appellata, & de cuius in parentes decrepitos pietate mira narrant Physici, partim acerra id manifeste suadeat. Sed quid Pietati cum cornu copiæ & temone, quæ symbola Fortunæ esse constat, non Pietatis, quam manus expandentem, stantem ante aram, pateram tenentem, sacrisque operantem, aut cum pueris, veterum numi exhibent? Certe effigies eius non temere expressa creditur in sequenti, prout in gaza nostra extat, numo argenteo.

Lib. XLIV. p. 360.

In Hexaëm. Lib. V. c. 16.

Satyr.

Conuenit



Conuenit illi quodammodo cum numo XXV. tabulæ XIII. apud Vaillantium, quem & Begerus ex theſauro Brandenburgico produxit: Diuerſa tamen eſt inſcriptio aduerſæ partis, [ibi enim legitur litteris contractis: ANT. AVG. IMP. IIIVIR R. P. C. hic M. ANTONIVS. IMP. III. VIR R. P. C.] diuerſus typus auerſæ paginæ. Nam ibi iuxta figuram ſtantem ciconia; hic non item, ſed vna illa figura, ſtolata, dextra temonem, ſiniſtra cornu copiæ tenens, qui quidem fortunæ typus eſt, vnde Lactantius: „ Simulacrum eius „ (fortunæ) cum copiæ cornu & gubernaculo fingunt, tanquam hæc „ opes tribuat, & humanarum rerum regimen obtineat". Vnde non errauerit fortaſſe, qui in his L. ANTONII cum PIETATIS cognomine numis FORTVNAM vna cum PIETATE agnoſcat: Fortunam nempe Pietatis ſymbolis, quibus ad cognomen illius alluditur, ſtipatam, cuiusmodi imagines plurium Deorum ſymbola præ ſe ferentes numi veteres haud raro ſiſtunt.

T. II. p. 534.

Lib. III. Inſtit. diu. c. 29.

§. III.

Inter præſtantiora Auguſti numismata ex auro atque argento, quæ recenſet Cl. Vaillantius aureum deſcribit, eumque, vt affirmat, raritatis eximiæ, in quo inſcriptio: L. AQVILIVS FLORVS IIIVIR, typus tria crura cum capite Meduſæ. Paulo poſt alium profert, quem inter elegantiſſimos numerat, cum epigraphe: O. C. S. h. e. *Ob Ciues Seruatos*, in corona quernea, adiectis ſupra litteris: CAESAR, infra: AVGVSTVS. Ex duabus his paginis auerſis conflatum ſeruat theſaurus noſter.

De numo gentis Aquilliæ.

p. 13.

p. 39.



Poſterior pagina non tantum coronam ciuicam cum litteris O. C. S. h. e. *Ob Ciues Seruatos*, ſed & duos lauri ramos iuxta cum litteris: CAESAR AVGVSTVS, ſuperiori & inferiori in area ſculptis exhibet, quibus ſymbolis honores ſingulares, Auguſto delatos, notari conſtat. De iis Dio: Τότε τὰς δάφνας πρὸ τῶν βασιλείων αὐτοῦ προτίθεσθαι, καὶ τὸ τὸν στέφανον τὸν δρύϊνον ὑπὲρ αὐτῶν ἀρτᾶσθαι, τότε οἱ, ὡς καὶ ἀεὶ τοὺς τε πολεμίους νικῶντι καὶ τοὺς πολίτας σώζοντι ἐψηφίσθη. h. e. „ Vt lauri ante regiam eius ponerentur, „ & corona quernea ſuper iis appenderetur, tum illi, tanquam per-


Lib. LIII. p. 507.

„ petuo

Numifm. Imp. Tab. XV. n. 9. Apologet. c. 35. p. 300. Edit. Hauercamp. „ petuo hoftium victori ciuiumque feruatori decretum eft". De his lauris interpretatur Rubenius, quod eft apud Tertullianum: *Vnde, qui inter duas laurus obfident Cæfarem*, idque, quantum ego intelligo, longe veriffime, tametfi ea interpretatio cum ceteros Apologetici eius explanatores, tum nouiffime doctiff. Hauercampium fugit. De figura τρισκέλῳ Siciliæ, qua L. AQVILLIVS FLORVS IIIVIR maiorum fuorum decora in Sicilia parta renouat, nihil addo. Id nemo negauerit, hunc numum & inter familiarum Romanarum numismata locum tueri poffe. Iure igitur mireris, qui factum fit, vt Cl. Vaillantius, qui familiam AQVILIAM aliorum huius triumuiri numorum acceffione augendam duxit, eum, qui figuræ triquetræ typum l. c. feruat, & quem inter Augufti numismata laudat, tacitus prætermiferit. Præfens ad eam referri tanto maiori poteft iure, quod Augufti effigiem nullam præfert, cuius generis numos, fi antiquarum familiarum nomina complectantur, ad confulares numos fine controuerfia pertinere idem Vaillantius iudicat. In præf. ad Numifm. Roman. Famil. „ Neque porro, inquit, commifi femper, quod in Patino cenfui aliquoties accufandum, vt fine delectu „ eos admifcerem, qui ad familias Romanas non pertinerent. Quare „ fi quos reperias, qui nihilominus in eo numero non videantur reponendi, fcias velim aut Græcos effe, eosque perraros, *ac ferme* „ *omnes fine Imperatorum effigie, qua parte certiffime ad antiquas fuas* „ *familias reuocari a nobis debuere.*

§. IV.

De numo familiæ Caffiæ. F. Vrfin. p. 55. Patin. 69. T. I. Tab. 38. Quem poft Fuluium Vrfinum, Patinum ac Begerum exhibuit Cl. Vaillantius numum aureum familiæ Caffiæ hinc capite laureato atque infcriptione: C. CASSI. IMP. illinc acroftolio & litteris M. SERVILIVS infignem, repetendum hoc loco duxi, propterea quod interpretatio eius a Viro celeberrimo fuppeditata, non vno, quod lectores morari poffit, incommodo laborat.



L. c. p. 246. feq. Primo mirum eft, eruditiffimum Virum in capite aduerfæ partis defignando fibi minus conftare. In præmiffo enim numi indicio ait, caput Libertatis in eo inueniri. Sed in fubiecta vberiori defcriptione, *caput Apollinis*, inquit, *exprimitur ob ludos Apollinares Romæ per abfentiam Prætorum editos; nam Brutus & Caffius Prætura adhuc non erant functi.* Atque ita & caput fequentis numi, de quo mox paulo plura, T. II. Tab. 130. p. 410. fq. Apollinis appellat. Rurfus idem Vir doctus, vbi eosdem numos repetit in gente Seruilia, caput Libertatis laureatum in iis agnofcit. Toties vero in vno eodemque libro mutare fententiam, nec mutationis explicare caufas, haud fcio, an bona cum venia lectorum, præfertim minus cautorum, liceat. Id certum, caput Libertatis hic inueniri, non Apollinis,

Apollinis, cui sacros ludos, Apollinares dictos, interfecto Cæsare, non Cassius, sed Brutus celebrauit, tametsi non hic tantum, sed in alio etiam numo Cassii, in quo tripus, ad ludos Apollinares recurrit, eos- T. I. Tab. 38. que indicari arbitratur Vaillantius, qua in re virum optimum vna P. 249. cum duce, quem sequendum ille duxit, P. Seguino, falli Ill. Span- T. II. p. 135. hemius ostendit. Quod deinde ad auersam numi partem attinet, cur acrostolium Sidonis potius insigne hoc loco sit credendum, quam victoriæ naualis, quam a Rhodiis Cassius reportauit, monumentum, non satis intelligo. Insigne enim Sidoniorum, quod in numis regum Syriæ sculptum cernitur, minimam areæ partem sibi vindicat, vnde, si vel maxime ponamus, quod equidem vereor, vt satis probari possit, numum fuisse Sidone percussum, verosimile non sit, in numo Cassii idem illud totam aream fuisse occupaturum. Et parum referebat profecto, symbolum Sidonis hic sculptum cerni; potiori iure locum eum sibi vindicabat monimentum victoriæ naualis, a Cassio reportatæ, de qua Dio: Καὶ Κάσσιος μὲν Ῥοδίους (καίτοι τοσοῦτον ἐπὶ τῷ ναυτικῷ Lib. XLVII. φρονοῦντας, ὥστε ἔστε τὴν ἤπειρον ἐπ' αὐτὸν προδιαπλεῦσαι, καὶ τὰς πέδας,*ἃς ἐκόμιζον, ὡς P. 346. καὶ ζῶντας πολλοὺς αἱρήσοντες, ἐπιδεικνῦναι σφισὶ) ναυμαχίᾳ πρότερον μὲν περὶ Μύνδον, ἔπειτα δὲ πρὸς αὐτῇ τῇ Ῥόδῳ, διὰ τοῦ Στατίου, τῷ τε πλήθει καὶ τῷ μεγέθει τῶν νεῶν τὴν ἐμπειρίαν σφῶν κρατήσας, ἐνίκησε· καὶ μετὰ τοῦτο καὶ αὐτὸς ἐς τὴν νῆσον περαιωθεὶς, ἄλλο μὲν οὐδὲν κακὸν αὐτοὺς ἔδρασεν, (οὔτε γὰρ ἀντέστησάν οἱ, καὶ εὔνοιαν αὐτῶν, ἐκ τῆς διατριβῆς, ἣν ἐκεῖ κατὰ παιδείαν ἐπεποίητο, εἶχε) τὰς δὲ δὴ ναῦς καὶ τὰ χρήματα, καὶ τὰ ὅσια, καὶ τὰ ἱερὰ, πλὴν τοῦ ἅρματος τοῦ ἡλίου, παρεσπάσατο· h. e. „*Et Cassius quidem Rhodios (adeo*
„ *potentia nauali fretos, vt in continentem prius ad eum nauigauerint,*
„ *& catenas, quas ferebant, veluti viuos multos capturi, monstrarint,)*
„ *nauali prælio primo ad Myndum, deinde ad Rhodum ipsam, opera Statii,*
„ *multitudine ac magnitudine nauium peritiæ ipsorum superior, vicit. Ac*
„ *postea ipse in insulam traiiciens nulla quidem alia eos iniuria affecit (ne-*
„ *que enim restiterant, & ipse iis, litterarum causa ibi commoratus, faue-*
„ *bat,) naues autem & opes ac sacrosancta etiam, præter currum Solis,*
„ *abstulit*". Frustra vero est, quando obiicit Cl. Vaillantius, si ob rem maritimam signatus esset denarius, nauem fuisse exhibiturum; nam acrostolio etiam victoriam naualem designari satis, vt puto, demonstra- Numism. uit Rubenius, qui geminum huic numum, in quo cancer marinus Arschot. Tab. V. n. 22. cum acrostolio & rosa vel balaustio, Rhodiorum insigni, de eadem p. 9. Cassii victoria non male interpretatur. Quod enim numum hunc in eadem Sidoniorum vrbe, ex pecunia Arethusæ, Syriæ vrbis., quæ marini cancri symbolo diu post in numo Diadumeniani Cæsaris vtitur, cusum esse, contendit idem Vaillantius, eoque acrostolium & cancrum L. c. p. 247. marinum refert, id perinde vereor, vt cuiquam facile persuadere pos- sq. sit. A vero certe alienum est, quod affirmat Vir doctissimus, Arethusam propterea cancri marini vel gammari symbolum adhibuisse, quod ipsa prius Gamarus, vel, vt alibi rectius loquitur, Gamari vrbs diceretur. Verba enim Strabonis, ad quæ prouocat, sunt: „ Ἀεὶ δ' οἱ Lib. XVI.
„ πλησιαίτεροι τοῖς Σύροις ἡμερώτεροι, καὶ ἧττον Ἄραβες καὶ Σκηνῖται, ἡγεμονίας ἔχοντες P. 753.
„ συντεταγμένας μᾶλλον, καθάπερ ἡ Σαμψικεράμου Ἀρέθουσα, καὶ ἡ Γαμβάρου καὶ ἡ Θέ-
„ μελλα, καὶ ἄλλων τοιούτων". (Vbi viri docti pridem obseruarunt, corrupta postrema verba, legendumque esse: καὶ ἡ Γαμβάρου ἡ Θέμελλα καὶ ἄλλαι τοιαῦται.) h. e. „ *Semper autem proximi* (Arabes nempe) *Syris mitiores sunt, &*
„ *minus Arabes & Scenitæ, dominationes habentes melius constitutas,*
„ *quemadmodum Sampsicerami Arethusa, & Gambari Themella, & aliæ*
„ *similes*". *Hic primo nulla* gammari, cancri marini, mentio, sed

D Phylarchi,

Phylarchi, cui nomen Gambatus; deinde idem illud nomen non ad vrbem Arethusæ pertinet, ſed ad Themellam, vnde ſponte ſua corruunt, quæ vel de Gammaro, antiquiori Arethuſæ nomine, vel ſymbolo eius vrbis Gammaro, Vir celeberrimus ad explicandum hunc numum protulit.

§. V.

De numo familiæ Cœliæ. Cœliæ familiæ vnum tantum ex auro numum, qui & argenteus extat, [quo ex metallo in theſauro etiam noſtro reperitur] ex Goltzio & Fuluio recenſet Vaillantius, cuius in auerſa parte lectiſternium inter duo tropæa, cum inſcriptione: C. CALDVS IMP. AV. X. L. CALDVS VIIVIR EPV. CALDVS IIIVIR. Ei addas ſequentem licet, quem affert quidem Cl. Vaillantius, ſed argenteum tantum. (L. c. Tab. XLIV. p. 292.)




Aduerſa pars caput nudum ſiſtit, pone quod tabella cum litteris L. D. Inſcriptio: C. COELIVS CALDVS. Infra: COS. Auerſa in parte caput Apollinis radiatum inter clypeum & parmam, cum epigraphe: CALDVS IIIVIR. Nihil ille ab argenteo diuerſus, cuiusmodi Vaillantius exhibet, niſi quod typus auerſæ partis clypeum pone caput Apollinis non integrum exhibet, vitio monetarii, matrici numum minus recte applicantis. In argenteo noſtro littera S. clypeo præterea adſcripta eſt, quæ in aureo deſideratur. Explicationem ſatis luculentam ſymbolorum dedit Cl. Vaillantius, non de ſuo quidem, ſed Pighium fere ſecutus. In eo diſcedit, quod caput aduerſæ partis non Cœlio Viuennæ, vel Cælo Vibennæ, vt ex inſcriptione veteri emendat Cl. Perizonius, principi gentis Cœliæ, qui Romulo cum Sabinis bellum gerenti auxilium tulit, poſteaque Romæ in monte Cœlio conſedit, ſed ei, cuius nomen adſcriptum eſt, C. COELIO CALDO COS. aſſignat. Quanquam & Pighius ambigit, caput idem in numo gemino, de quo ſupra, vtrum Vibennæ an CALDO COS. ſit tribuendum. Diuerſum item ſentit Vaillantius de ſcuto atque parmula in auerſa parte iuxta caput Apollinis expreſſa. In ceteris Pighio adſtipulatur, vt & IIIVIRVM monetalem agnoſcat CALDVM IIIVIRVM, & Apollinis typo ad nomen Cœlii & cognomen Caldi alludi ſibi perſuadeat. At idem Vir doctiſſimus ad numum quartum familiæ Aquilliæ, in quo caput Virtutis galeatum, vna cum inſcriptione: VIRTVS IIIVIR, ita commentatur. „ Hæc vox IIIVIR non intelligenda eſt de Triumuiro monetali, vt „ quidam (in ea ſententia eſt Pighius) cum illi non inſcriberentur, „ ſed de Triumuiro reficiendis ædibus ſacris, vt videre eſt in gente „ Alſinia, de quibus Liuius Lib. XXV. ita ſcribit: *Comitia deinde a Prætore*

(Annal. T. III. p. 156.) (Epiſt. ad. Morell. p. 269.) (T. I. p. 133.) (c. 7.)

„ *tore vrbano, de Senatus sententia, plebisque scito sunt habita, quibus* „ *creati sunt Quinqueviri, muris turribusque reficiendis, & Triumuiri* „ *bini; vni sacris conquirendis, donisque persignandis, alteri reficiendis* „ *aedibus.* At cum Virtutis templum incendio forsan esset consumtum, „ aut vetustate laberetur, M. Aquilius restituit, in cuius memoriam „ caput eius Dei & Triumuiri titulum in denariis signauit". Hæc si ita sint, viderint doctiores, an non & hoc loco CALDVS IIIVIR potius sit ædibus sacris reficiendis, quam monetalis, & caput Apollinis Deus potius, cuius templum reficiendum locauit Caldus, quam longius petitum lusum nominis Cœlii vel Caldi designet.

§. VI.

Et familiæ Iuliæ & Liuineiæ tribui potest numus, quem subiicio. *De numo familiæ Liuineiæ.*



Si aduersæ partis, quæ Iulii Cæsaris caput laureatum, inter laurum & caduceum alatum, sistit, rationem habeamus, numus erit Iuliæ gentis: si auersæ, in qua taurus cornupeta, retorta ceruice, ad cursum se incitat, addita inscriptione: L. LIVINEIVS, ad gentem Liuineiam pertinebit. Cui, tametsi geminum, post Fuluium & Patinum, protulit Cl. Vaillantius; prætermittendum eum tamen haud putaui, propterea quod ab editis recedit. REGVLI enim cognomine omisso, inscriptio exhibet tantum: L. LIVINEIVS. Nempe haud infrequens id Romanis, quorum etiam familias integras numi, ac vulgo etiam Scriptores, Fastique Capitolini cognomine destitutas sistunt. Quod ad explicationem symbolorum huius numi attinet, recte Cl. Vaillantius taurum, quem principatus symbolum interpretabatur Tristanus, ad taurorum venationem refert a Iulio Cæsare exhibitam, quod spectaculum primum eum dedisse e Plinio obseruat. Sed quod minus attendit Vir doctissimus, Plinio non de taurorum venatione in genere, quo pacto is verba eius accepit, sermo est, sed de ea Thessalorum ritu instituta. „ *Thessalorum*, inquit, „ *gentis inuentum est, equo iuxta quadrupedante, cornu intorta ceruice* „ *tauros necare: primus id spectaculum dedit Romæ Cæsar Dictator*". Ceteroqui Taurilia, Liuio teste, pridem ante Iulium Cæsarem nota Romanis, prout Ill. Spanhemius obseruauit, qui & notat, taurorum venationem a Cæsare, nouo more, iuxta Thessalorum inuentum institutam, ante Vaillantium in numis hisce agnouisse Dalechampium, commentatorem Plinii, qua in re vestigia eius premenda haud putauit nouissimus scriptoris illius editor Cl. Harduinus, qui, cum ceteroqui numos frequentissime adducat, horum mentionem omnino nullam fecit. Extat vero inter Oxoniensia marmora lapis cum elogio: ΤΑΥΡΟΚΑΘΑΨΙΩΝ ΗΜΕΡΑ, Β, quo venatio hæc Thessalica taurorum haud paulo

T. I. Tab. 74. p. 518. T. II. Tab. 86. p. 58. sq.

Spanh. T. II. p. 30.

T. I. p. 32.

T. I. Lib. VIII. c. 45. Sect. 70. p. 472.

Lib. XXXIX. c. 22. T. II. p. 137. sq.

Not. ad Plin. l. c.

paulo luculentius distinctiusque repræsentatur, atque vnde discas, vt verbis doctissimi marmorum Oxoniensium interpretis vtar, „ sic „ institutam eam fuisse, vt primo tauri emitterentur, deinde equites, „ conscensis equis, cursu celerrimo eos diu persequerentur, donec „ tandem lassatos assecuti eorum cornua apprehenderent; Ea tenentes „ iuxta aliquandiu vlterius lassantes equitasse, donec, cum exhausto „ lassitudine spiritu viribus inferiores reddidissent, intorta ceruice ab „ equis desilientes; humi prosternerent, & prostratis incumbentes „ iugularent".

Marm. Oxon. p. 266. seq.

§. VII.

De numo familiæ Norbanæ.
Spanh. l. c. T. II. p. 11.

Norbana gens proprie loquendo nulla est, tametsi ea hoc nomine inter familias Romanas referri vulgo solet. Norbanus enim cognomen est, idque, vt ex duabus apud Gruterum inscriptionibus haud obscure colligitur, *gentis Iuniæ*, sed quod gentilis nominis, ob amplitudinem gentis vt plurimum omissi, vicem cum alibi, tum in numis ita obtinere cœpit, vt ipsum illud gentile nomen tantum non interierit: sed quoquo modo appelletur, hunc numum eius, tametsi a Patino, Vaillantio & Spanhemio vulgatum, quod anterior pars admodum diuersa est, ex thesauro nostro spectasse non pœnituerit.

Patin. p. 71. 220. Vaill. T. I. Tab. 39. T. II. Tab. 102. L. c. p. 150.



Pars eius aduersa caput Veneris sistit, haud paulo aliter ornatum, atque id Vaillantius & Spanhemius exhibent. Pone caput impressa est aquila argentea: Inscriptio: C. NORBANVS L. CESTIVS PR. h. e. *Caius Norbanus, Lucius Cestius, Prætores.* In auersa parte Cybele a leonibus tracta, adscriptis litteris S. C. h. e. *Senatusconsulto.* Cum typo hoc ludi Megalenses ab Aedilibus curulibus curati indicari videantur, L. autem Norbani ædilitas in annum vrbis DCLXII. si Catonis; DCLXIII. si Varronis calculos sequamur, incidit, (error est enim Vaillantii annum $66\frac{3}{4}$ scribentis, facile ex Pighio, quem ducem Vir clarissimus sequitur, emendandus) iure mireris, qui fiat, vt tribus annis post Prætores ædilitatis memoriam instaurandam curent. Diserte enim C. NORBANI & L. CESTII nominibus additæ sunt litteræ PR. perinde atque auersa in parte alterius numi aurei ex eadem gente, quem pariter gaza nostra seruat, hinc caput proboscide elephanti ornatum, illinc sellam curulem, cui galea imposita, præferentis, eædem illæ adiectæ comparent. An igitur dicendum, Prætores eos creatos numum ædilitatis tempore cusum restituisse, vt ludos ab se editos populo in mentem reuocarent? Caput Veneris, quod aduersa pars exhibet, an ad nomen L. CESTII, cuius origo a CESTV, respiciat, quod statuit Cl. Vaillantius, nescio. Potest enim æque a cestu pugilum, ac Veneris, quo Martem illa sibi conciliasse dicitur,

dicitur, desumtum esse, & idem caput Veneris in numis, vnum Norbani nomen præferentibus occurrit ACESTIIS haud dubie CESTIANI, quorum numi in gente Plætoria vulgo prostant, in quam adoptione illi transierunt. Aquila argentea insigne est ducum quondam Mantuanorum, quod illi numis aureis a se collectis, e quibus quinarii, qui appellantur, in regiam Gallorum gazam felicibus auspiciis transiere, imprimendum curarunt. Docet hoc Cl. Vaillantius in præfatione ad numos suos familiarum Romanarum, sed addendum, quod ille non obseruauit, eosdem duces Mantuanos argenteis numis antiquariæ supellectilis suæ aquilam auream insculpi iussisse, cuius rei exemplum Philetæri, Pergamenorum regis, numum infra producemus.

§. VIII.

Rarissimus ille & exquisitissimus, prouti eum suo iure appellat lectissimi quondam ingenii Vir, Petrus Seguinus, familiæ Pompeiæ ex auro numus, tribus capitibus Cn. Pompeii & filiorum insignitus, sæpius lucem vidit; sed ita, vt eum e gaza nostra monstrare licet, haud scio, an vnquam. *De numo familia Pompeia.* Sel. Numism. p. 210.



Aduersa pars sistit caput persimile ei, quod exhibet denarius argenteus, quem post hunc Vaillantius recenset, cum typo Catanensium fratrum, Anapiæ & Amphinomi, parentes humeris sublatos periculo imminenti eripientium. Vtrumque senile, fronte rugis notata, vtrumque vultu macilento & genis rasis, vtrumque ἀναστολῇ quadam τῆς κόμης, *arrectione comæ* insigne. Inscriptio, vt in vulgatis: MAG*nus* PIVS IMP*erator* ITER*um*. Auersa in parte capita duo, mutuo ad se conuersa, quorum alteri lituus, alteri vrceus adiectus cernitur. In neutro notabilis ἀναστολὴ τῆς κόμης. In dextro prouectiorem ætatem ex macie colligas; sed nullæ in eo rugæ, quas vulgo illi tribuunt. Epigraphe rursus a vulgatis nihil diuersa: PRAEF*ectus* CLAS*sis* ET ORÆ MARIT*imæ* EX *Senatus* C*onsulto*. De hoc numo persuaserat sibi Fuluius Vrsinus, aduersa in parte caput Pompeii Magni, in auersa eiusdem, ac filii Sexti Pompeii, repræsentari. Sed sententiam hanc ex ipsa Fuluii delineatione rectissime confutarunt duumuiri rei numariæ peritia ita clari, vt pauci iis pares poni possent, nemo anteferri, Seguinus & Patinus. Nulla enim, si ea standum est delineatione, cui ceteræ, quas viri docti dederunt, icones consentiunt, in capite illo aduersæ partis vestigia comæ altius sublatæ, quam Plutarchus Pompeio Magno disertis verbis tribuit, nulla similitudo cum vultu Alexandri, cum barbam præferat, eamque, in delineatione Fuluiana præsertim, satis horridam, qua numi ac statuæ Alexandri prorsus carent. Deinde corona quernea, quam ipse agnoscit Fuluius, Sexto Pompeio rectius

T. II. Tab. 114.
l. c. p. 204.
l. c. p. 211.
Famil. Rom. p. 218.
Pompei. T. I. p. 619.

Dio Lib. XLVII. p. 324. rectius conuenit ob præstitum iis ; quos Triumuiri proſcripſerant ; perfugium ſeruatosque adeo ciues longe plurimos, quam Magno parenti, cui laureæ in ſolennibus feſtis geſtandæ ius Senatus conceſſerat. Id Lib. XXXVII. p. 39. Veruntamen ſi in hunc incidiſſet numum Vrſinus , non defuiſſet, opinor, quo ſententiam ſuam tueretur. Neque enim deſiderari hic iure poſſit dicta illa toties ἀναστολὴ τῆς κόμης· nec barba negotium faceſſeret, neque ex quernea ſuppeteret corona , quo viri dictiſſimi ſententia impugnaretur. Potuiſſet inſuper roborare eam præſidio numi cum typo fratrum Catanenſium, ex parte aduerſa ei, vt dictum eſt, ſimillimi, niſi ibi indicium inſcriptionis , quod tamen in hoc numo negligit, ſecutus, Sextum, quam Parentem, cui tamen caput illud nemo non tribuit hodie, agnoſcere maluiſſet. Sed ea de re ſtatuent, quibus numum, vnde vulgatæ adhuc icones expreſſæ ſunt, cum præſenti propius conferre libuerit ; mihi delineatum eum deſcriptumque accuratius dediſſe in præſenti ſuffecerit.

§. IX.

De numo familiæ Vibiæ. T. II. Tab. 146. Accedat ſuperioribus numus familiæ Vibiæ ; non prætermiſſus ille quidem Cl. Vaillantio, ſed tamen ex parte aduerſa minus recte, vt videtur, delineatus.



Cernitur hinc caput Veneris laurea cinctum, νικηφόρυ nempe , illinc eadem Venus nuda ad crura vsque, ſtans prope columnam , dextra veſtem apprehendens, ſiniſtra tenens concham marinam. Inſcriptio: L. VIBIVS VARVS. In parte hac auerſa delineanda a Fuluii & Patini icone nonnihil receſſit Cl. Vaillantius , ita vt videri poſſit, quod nimis ſæpe neglexit , ceteroqui eam ad prototypum ſuum emendaſſe. Fuluius enim & Patinus neſcio quam velut capſulam ſiniſtræ Veneris tribuunt ; pro qua ſceptrum vel baculum Vir clariſſimus ſculpendum curauit , quod loco Victoriæ ſigni Venerem tenere arbitratur, ad imperium illius ſupra omnes denotandum. Sed ſceptrum baculusue credi vix poteſt , quod geſtat Venus. Breuiuſculum enim eſt, nec tantæ longitudinis, quanta in delineatione Vaillantii exhibetur. Concham marinam potiori iure appellarim , cuiusmodi Tritones fere in veterum monumentis inflare ſolent ; qualis cernitur in T. I. p. 178. gemma longe elegantiſſima gazæ Brandenburgicæ, qua Venus Ἐπιπόντια, ſiue *marina*, delphino inſidens; Tritone præeunte , & ſimili concha canente, ſiſtitur. Neque alias inſolitum , Venerem ad natales ſuos Tab. XLVIII. n. 9. indicandos concham tenere; cuius rei exemplum præbet numus Fauſtinæ iunioris apud Oiſelium. Mythograph. Latin. T. II. p. 304. Edit. Munker. Albericus Gentilis : „ Pingebatur „ Venus pulcherrima puella, nuda & mari natans, & in manu ſua „ dextra concham marinam tenens atque geſtans". Ad quæ verba

notat doctiſſimus Munkerus, ſimulacrum Veneris concham portantis ex vetere marmore in de imaginibus Deorum repræſentari Carthario, qui eſt Vincentius Chartarius, cuius de eo argumento liber, Italico ſermone ſcriptus, proſtat. Veneris τὴν ὄπισθεν εὐμορφίαν, *pulchritudinem poſteriori ex parte corporis*, in Cnidia Venere Praxitelis vberius deſcribit Lucianus, quam & in numo hoc mire expreſſam, nemo non agnoſcat. (Dial. de Amor. T. III. p. 187.) Cum toties in numis tam Auguſtorum quam Auguſtarum Venus hac forma, nempe a tergo nuda, & nudas oſtentans nates, occurrat, ſuſpicatur Cl. Oiſelius, Venerem Καλλίπυγον Syracuſis olim (l. c. p. 289.) templo peculiari cultam, qua de Athenæus, deſignari. (Lib XII. p. 554.) Sed de ea vel cogitaſſe Romanos, nemo ſibi perſuaderi ſerio patietur. Vt vero C. Vibius Varus ſingulis IIIuiris Reipublicæ Conſtituendæ numos cudendos curauit, ita hunc, in Cæſaris Octauiani gratiam, ſignatum eſſe, coniicit Cl. Vaillantius, (l. c. p. 546. ſq.) Veneremque hanc Genetricem, cui ille ludos ſtatim a morte Iul. Cæſaris celebrauit, interpretatur, (Dio. Lib. XLV. p. 273. Appian Lib. I. p. 170.) columnatus templum innui, quod Iulius Cæſar ei ante pugnam Pharſalicam vouit, victoque Pompeio exſtruxit. (Dio Lib. XLII. p. 225.)

§. X.

(*De Opere familiarum Romanarum, quod Andr. Morellius parabat.*)

Hoc loco, cum aureorum, quæ Romanarum familiarum monimenta ſeruant, numiſmatum ſupellex votis noſtris, quod vtique fatendum eſt, anguſtior finem imponere capiti præſenti iubent, ne breuitas eius operis huius ſtructuram quodammodo deformet, liceat operis, quod Andreas Morellius V. Cl. de argumento hoc meditabatur, breuem ſubiicere ſciagraphiam, & Cl. Vaillantio, cuius de iisdem Gentibus Romanis volumina duo proſtant, neglecta inde excerpere. Vt enim lucem id vnquam adſpiciat, exigua omnino ſpes ſupereſt, poſtquam tabulæ æneæ, quæ ectypos numorum ſummo artificio cælatos ſiſtunt, tot annos iam cum tenebris luctantur. De iis totoque opere ipſum Morellium audiamus. (Epiſtol. ad Perizon. de Num. Conſul. ſubiect. diſſ. de ære graui. p. 149.) „ Penes me, inquit, conſtitueram, Imperatorum numos cæteris præmittere, horumque iam „ vltra quingentas tabulas ſculpi feceram, ſed cum integram ſeriem „ nondum conſtituerent, ipſeque delineationes in hoc meo ſtatu amplius dare prorſus nequeam, non exiguam inde labori accreſcere dif„ ficultatem facile deprehendi. Ad numos Conſulares ergo animum „ adieci, eo cum maxime perductus, quod Imperatoriis non ſolum „ tempore priores, ſed & delineati, ſculptique iam eſſent, meque in „ antiquiſſima Heluetiorum Republica naſci contigerit: hinc ſtatui, „ numos ſummæ, quæ vnquam fuit in Orbe terrarum, Reipublicæ „ primum in lucem proferre, ad reliquas operis partes dein progreſſu„ rus, ſi Deus vitam viresque conceſſerit. Hocce autem inſtitutum „ eo vsque perduxi, vt nihil prælum morari poſſit, quam munda „ iam exarati Operis deſcriptio, in quo verba Patinianæ editionis per „ omnia retinui, vbique tamen notas, cum nouis obſeruationibus, „ &, vbi opus fuit, etiam correctiones adieci. Religio quippe mihi „ fuit, incomparabilis Fuluii Vrſini, cuius ſummi Viri memoria o„ mnium venerationem meretur, cuiusque librum Scaliger Diuini elo„ gio affecit, auctoritati quicquam detrahere, quod eo gratius futu„ rum ſpero iis, qui veteri editioni iam aſſueti ſunt. In tabulis æreis

„ ordo

„ ordo & numerus Patinianus ſeruatus eſt, ita tamen, vt iis ſemper „ fuerint inſertæ acceſſiones nouorum numorum, qui ſuis notis di- „ ſtinguuntur, hocque certo promittere poſſum, omnes delineationes, „ ſculpturasque ad fidem ipſorum numorum tam accurate elabora- „ tas eſſe, vt beneuolis Lectoribus ſeſe ipſas ſint commendaturæ. „ Numi Conſulares Goltzii ordine alphabetico ad finem Operis ad- „ iecti ſunt, ſicut libri Apocryphi Canonicis, quia dubiæ ſunt fidei, „ & maior pars haud incertas notas falſitatis præ ſe fert, licet multo „ labore illorum explicationes tentauerint Viri Illuſtres, Erizzo, Pi- „ ghius aliique, quorum lucubrationes addere placebit, etiamſi in- „ genii luſus ſint, in iis tamen multa diſcenda rem numariam per- „ ſcrutantibus ſe obiiciunt".

§. XI.

De eodem plura. Ex his patet, non modo ſculptos iis, quas dixi, tabulis, operis præclari numos, ſed & notas atque obſervationes ad manus iam fuiſſe Morellio noſtro, quibus argumento huic nouam poſt Fuluii ac Patini labores lucem affunderet. Sed quod de tabulis æneis a me dictum eſt, idem dicendum de commentariis Viri optimi ad hoc opus pertinentibus, qui eodem fato vel interciderunt prorſus, vel ſi deliteſcunt alicubi, partim a blattis ac tineis exeſi, partim putredine corrupti extremam rerum omnium ſortem expectant. Vni, quod certo conſtat, ſuperſunt ectypi numorum huius operis ordine alphabetico collecti in volumine ſingulari, quod ex ſupellectile libraria Cl. Schlegelii, deceſſoris mei, vna cum aliis codicibus manu ſcriptis, de quibus forte alio loco agetur, redemit Sereniſſimus Princeps noſter, cuius munificentiam in litterarum cultu prouehendo noſtra ætas admiratur, & grata, ſi qua futura eſt, poſteritas perpetuis laudibus celebrabit. Atque id ipſum volumen, quod tenues naufragii maximi tabulas complectitur, vix dum comparatum toto prope triennio ſeſe oculis noſtris ſubduxit, ita, vt fati quadam lege labor Viri optimi premi videretur, per quam ne tantillæ quidem operis huius reliquiæ ſeruari poſſent. Quas quando propitia mihi fortuna eo ipſo tempore obtulit, quo de numis eiusdem argumenti commentabar, non alienum ab inſtituto hoc viſum eſt, ſingulas, quas exhibiturus erat Morellius, familias percurrere, & monſtrare paucis, qua parte illas vel pleniores vel emendatiores ſperare licuiſſet Viri diligentiſſimi curis & vigiliis, quam Cl. Vaillantius eas dedit, niſi morbus primo, deinde & mors immatura calculos eius intempeſtiue turbaſſet. Semel vero hic admonere liceat, numos omnes ea, qua reapſe ſignati ſunt, magnitudine delineatos Morellium exhibuiſſe, ita, vt vel hinc appareat, veriſſimum longe eſſe, quod affirmat ipſe in verbis paullo antea adductis, „ omnes delineationes, „ ſculpturasque ad fidem ipſorum numorum tam accurate elaboratas „ eſſe, vt beneuolis Lectoribus ſeſe ipſas ſint commendaturæ".

§. XII.

Excerpta ex eodem de familia Abaria. Gentis *Abariæ* numis, Vaillantii exemplo, nouum haud adiecit Morellius, ſed tamen priſtinos haud paulo emendatiores dedit. Auerſa pars ſecundi,

ſecundi, qui primus eſt apud Patinum, in Morelliano ectypo Solem quadrigis inſiſtentem cum flagello exhibet, in Patiniano, quem Vaillantius retinuit, flagellum vix agnoſcas. Neque aliter res habet cum primo, quem Vaillantius de ſuo adiecit, tametſi ille flagellum in ſubiecta deſcriptione agnoſcit; quam Patiniano numo nullam adiecit, quod eius partes ſub ceteris numis explicatæ reperiuntur. Quartus eiusdem gentis numus quadrans eſt apud Morellium, tribus quippe punctis vtrinque notatus, ſextans apud Vaillantium ex Patino. Sexto, cuius auerſa in parte inſcriptio M. ABVRI. MF. GEM. vocem ROMA addit ectypus Morellianus. Genti *Aciliæ* nihil noui addidit Vaillantius, quod non & apud Morellium deprehendas, qui tertium Vaillantii numum bis, nempe & tertiæ & primæ magnitudinis modulo repræſentat, ſextum autem, quem ex Patini Omiſſis repetit Vaillantius, ita exhibet, vt hinc caput Auguſti cum Victoria coronam ei imponente, & inſcriptione: IMP. CAES. DIVI F. AVGVST. COS. IX. illinc Auguſti & Liuiæ Capita ſibi oppoſita reddat cum inſcriptione: M. ACILIVS GLABRIO PROCOS. non PROPR. vt eſt apud Patinum. His addidit Morellius cum MANII ACILII, IIViri Corinthi, numos tres, ex quibus vnum ſaltem in opere Coloniarum recenſuit Vaillantius, tum Auiolarum, quod cognomen ACILIOS geſſiſſe conſtat, duorum, ex quibus alterius ſub Caio Imperatore in numis Smyrnæorum mentio, alterius ſub Nerone in numis Epheſiorum. Eos inter numiſmata Græca recenſet Vaillantius vno Caii excepto, cuius auerſa in parte figura ſedens, dextra ſpicas & papauer, ſiniſtra haſtam tenens cum epigraphe: ΔΡΟΥϹΙΛΛΑ ϹΜΥΡΝΑΙΩΝ. ΜΗΝΟΦΑΝΗϹ, itemque altero Neronis, in quo hinc capita iugata Neronis & Poppææ cum inſcriptione: ΝΕΡΩΝ. ΠΟΠΠΑΙΑ, illinc ceruus cum epigraphe: ΑΥΙΟΛΑ ΑΝΘΥΠΑΤΟϹ ΑΙΧΜΟΚΛΗϹ. Quartum *Aebutiæ* gentis numum male Antonio IIIviro tribui a Patino contendit Vaillantius. Sed vindicat eidem ectypus Morellii, in quo caput Antonii manifeſte ſculptum cernitur. Idem vero Morellius cur numum Antonii eiusdem, in quo P. ALITIVS & L. MENIVS. IIVIR Vaillantio in opere Coloniarum laudatum huic familiæ attexuerit, non ſatis intelligo. Pertinet enim ad familiam ALITIAM vel MENIAM, cuius vt & VERRIÆ VOLVMNIÆQVE numos, ſub Auguſto cuſos commemorat Ill. Spanhemius.

Acilia. T. I. p. 31. P. 11. 16. *Aebutia.* T. I. p. 11. Numiſm. Colon. T. I. p. 7. T. II. p. 8.

§. XIII.

Ad gentem *Aeliam* pergo, cuius ex numis notus ille, in quo hinc caput Iunonis & inſcriptio: BALA, illinc Diana Lucifera curru vecta, cui duo cerui iuncti, cum epigraphe: C. ALLI. Eum decies ſepties diuerſo typo exhibuit Cl. Morellius, in quo nec littera capiti aduerſa in parte ſubiecta eadem eſt, & ſymbola auerſæ, currui ſubiuncta, admodum inter ſe diuerſa reperiuntur. Ampliſſimæ familiæ *Aemiliæ* numos non alios Vaillantius protulit, niſi vel e Goltzio, quorum maxima pars eſt, vel Fuluio Patinoque depromtos. Contra Morellius tabulas ſingulas Patini noua acceſſione ditauit, ſex vnicuique numis adiectis, non illis quidem omni ex parte ſemper diuerſis,

Aelia. *Aemilia.*

dignis tamen, qui, vel ceterorum illustrandorum causa in lucem producerentur. Inter eos nouem sunt IIVirorum ex coloniis, quorum non omnes in Opere suo Coloniarum recensuit Vaillantius. Numo Græco adulterinam inscriptionem: ΜΑΡΚΟΣ ΛΕΠΙΔΟΣ præferenti, quem Patinus ex Tristano haustum familiæ Aemiliæ falso inseruit, genuinum subiecit Morellius ex thesauro regio Gallorum, in quo hinc caput barbatum ac laureatum, cum inscriptione: ΔΙΟΦΑΝΤΟΣ ΚΩΙΩΝ, illinc caput imberbe cum litteris: ΝΙΚΙΑΣ. Vaillantius numum illum Patini tacite prætermisit, cuius rei tamen ratio vel verbo reddenda erat lectori, ne numi viris doctissimis, Tristano & Patino, probati icone se male defraudari sibi persuaderet. In familia *Afrania* numum quartum Patini, quem expunxit Vaillantius, non modo retinuit Morellius, sed & plures ei similes adiecit, quos longa numorum Hispanicorum series subsequitur. Eos hunc in locum reiectos arbitror, non quod eo pertinere eos crederet Morellius, sed quod nollet oblatam a Fuluio Patinoque occasionem, collecta ab se numismata similia promendi ex manibus dimittere. *Anniæ* familiæ numum secundum apud Vaillantium quater Morellius, tertium quinquies, quartum decies ter diuersum produxit. Accedunt alii duo, ex quibus alter hinc caput nudum exhibet cum inscriptione: ANNIO...... illinc proram cum figura triquetra Siciliæ. Alterum Vaillantius in opere Coloniarum sub Nerone recensuit, cuius in auersa tamen pagina inscriptio non, vt apud Vaillantium, Q. FVLV. sed Q. FLACC. ANNIO IIVIR COR. Familias *Antestiam Antistiamque*, in qua posteriori numum illum Augusti cum fecialibus & inscriptione: C. ANTISTIVS VETVS FOEDVS P. R. CVM GABINIS bis delineatum dedit Morellius, neutra icone ectypo Vaillantii congruente, itemque *Antiam* taceo, vt transire ad *Antoniam* liceat, cui quatuor tantum numos de suo adiecit Vaillantius, Morellius noster haud paulo plures, cum alios, tum Græcos, quorum vnum tantum ex Patino Vaillantius, tametsi integriorem, quam apud Patinum extat, exhibet. Eius generis est tabulæ II Patinianæ subiunctus, in quo hinc caput Antonii cum inscriptione mutila: ΕΤΟΥC ΚΑΤ....... CΑ..... illinc Cleopatræ, cum litteris ΚΑ....... ΜΟΝΑ. itemque tres alii sub finem tabulæ Patinianæ XI. quorum duos inter numismata Imperatorum Græca Vaillantius recenset. Tertius primæ magnitudinis, Vaillantio omissus, exhibet hinc caput Libertatis cum inscriptione: ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ ΕΛΕΥΘΕΡΙΑΣ, illinc Victoriam gradiuam, quæ dextra lauream, sinistra palmam tenet, cum epigraphe: Μ. ΑΝΤ. ΑΥΓ. Γ. ΚΑΙ ΑΥΤ.

V. Morell. Epist ad Perizon. subi. diss. de aere graui p. 261.

Afrania. *Annia.* T. I. p. 119. *Antestia, Antistia.* *Antia.* *Antonia.*

§. XIV.

Appuleiæ familiæ Morellius subiunxit numum contorniatum Apuleii Philosophi, quem ex gaza regia Gallorum pridem iuris publici fecit; sed plus ei *Aquillia* gens debet, cui quinque numos addidit, Vaillantius tantum duos, itemque *Arria*, cui nullos Vaillantius, Morellius tres tametsi IIVirorum ex coloniis subiecit. Ceterum an alterum illum Patinianum, quo caput nudum cum inscriptione truncata........ IIVIR, recte suppleuerit Vaillantius, haud iniuria dubitari possit.

Appuleia. Specim. Tab. III. p. 45. *Aquillia.* *Arria.* T. I. Tab. 22. p. 139.

Eundem

Eundem enim numum bis exhibet Morellius, primo cum capite Tiberii, deinde & cum Augusti capite radiato, vbi, vt taceam, in fronte templi, quod auersa pars exhibet, vocem AVGVSTVS esse omissam, inscriptio aduersæ partis non: M. IVNIO BALBO IIVIR, sed L. FVRIO LABEO IIVIR. quo pacto & in posteriori legi ipse nos Vaillantius in suo Coloniarum opere docuit. *Asiniæ* Familiæ Morellius subnexuit duos Caii Asinii Pollionis, Proconsulis, numos, ex quibus alterum, sed minus ex vero alibi Vaillantius descripsit. Ita enim ille: » ΔΡΟΥΣΟΣ ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΣ ΚΑΙΣΑΡΕΣ. ΝΕΟΙ ΘΕΟΙ „ ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΙ. ΑΔΕΛΦΟΙ. *Noui Dii Fratrum amantes.* Drusus „ & Germanicus sedentes II. ΕΠΙ ΓΑΙΟΥ ΠΟΛΛΙΩΝΟΣ ΑΝΘΥ- „ ΠΑΤΟΥ. *Sub Caio Asinio Pollione Proconsule*, circa coronam quern. „ in qua ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ ΚΟΙΝΟΥ ΑΣΙΑΣ. *Sardianorum Communitatis* „ *Asiæ*". Sed inscriptio aduersæ partis: ΔΡΟΥΣΟΣ ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΣ ΚΑΙΣΑΡΕΣ ΝΕΟΙ ΘΕΟΙ ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΙ, h. e. *Drusus*, *Germanicus Cæsares noui Dii Philadelphi*; auersæ: ΓΑΙΟΥ ΑΣΙΝΙΟΥ ΠΩΛΛΙΩΝΟΣ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ, h. e. *Caio Asinio Pollione Proconsule*, & in corona querna: ΚΟΙΝΟΥ ΑΣΙΑΣ; h. e. *Communitatis Asiæ*. Alter similis est huic, sed epigraphe hinc: ΔΡΟΥΣΟΣ ΚΑΙΣ. ΓΕΡΜ. ΚΑΙΣ. ΝΕΟΙ ΘΕΟΙ ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΙ, h. e. *Drusus Cæsar*, *Germanicus Cæsar noui Dii Philadelphi*, hinc: ΓΑΙΩ ΑΣΙΝΙΩ ΠΟΛΛΙΩΝΙ ΑΝΘΥΠΑΤΩ, h. e. *Caio Asinio Pollioni Proconsuli*, in corona vero eadem ratione: ΚΟΙΝΟΥ ΑΣΙΑΣ; h. e. *Communitatis Asiæ*. Familiam *Attiam* non agnoscit Vaillantius; eam ex numismate Græco Neronis nobis ob oculos ponit Morellius, in quo hinc caput Neronis cum inscriptione: ΝΕΡΩΝ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΣ, illinc in basi cista mystica Bacchi, quam arguit thyrsus ex parte posteriori. Supra eam globus cum fascia & cornu copiæ, itemque capricornus cum globo. Inscriptio: ΕΠΙ ΑΤΤΙΟΥ ΛΑΚΩΝΟΣ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. In cista mystica vox ΝΕΡΩΝΟΣ & infra: ΝΙΚΑΙΕΩΝ. Hoc numisma inter Græca Cæsarea recenset Vaillantius, sed descriptio eius ab icone Morelliana non vno modo recedit. Neque prætermisit Morellius familiæ *Aufidiæ* numos, quorum prior aduersa in parte inscriptionem habet RVSO, non RVS, vt est apud Vaillantium, qui eam vocem RVSTICVS interpretatur, improbante id celeberrimo Perizonio. Posterior est IIViri Cæsar Augustæ, C. Aufidii Gemelli, sub Tiberio cusus, quem in opere Coloniarum protulit Vaillantius. Quem in familia *Aurelia* septimo loco idem exhibuit, numus cum capite Vulcani & aquila fulmini insistente, septies diuerso typo repræsentatur Morellio, qui & sub finem numisma Emporiarum addidit cum inscriptione auersæ partis: P. AR. COT. Ⓡ Eadem ratione primus familiæ *Axsiæ* numus sex typis, diuersis inter se, expressus in opere Morelliano cernitur.

T. I. p. 32. *Asinia.* Numism. Græc. p. 16. *Attia.* p. 17. *Aufidia.* Epist. ad Periz. subi. diss. de ære graui p. 252. Epist. ad Morell. subi. diss. de ære grau. p. 252. T. I. p. 67. *Aurelia.* *Axsia.*

§. XV.

Bæbiam gentem quinque numis Coloniarum, quorum non omnes apud Vaillantium in opere eius argumenti reperiuntur, illustrat Morellius, eique *Belliam* iungit, similiumque numorum ope ei lucem affundit. Duo illi sunt, ex quibus alterum iam exhibuit Patinus; in neutro eorum caput Augusti, quod Patini icone minus integra nixus

Bæbia. *Bellia.* L. c. p. 46.

 statuit

T. II. p. 7. *Cæcilia.* ſtatuit Ill. Spanhemius, ſed Caii. In gente *Cæcilia*, vt numos Coloniarum Græcumque Caii Cæcilii Cornuti taceam, cuius auerſa in parte ſedentem figuram muliebrem ex Morelliana icone facile Romam galeatam agnoſcas, non ex Vaillantiana, notatu digni inprimis duo Vaillantio prætermiſſi. Alter a Traiano reſtitutus præfert hinc caput Pietatis & ciconiam, illinc elephantem loricatum cum inſcriptione: IMP. CAES. TRAIAN. AVG. GERM. DAC. P. P.
p. 37. REST. Infra: Q. C. M. P. I. quem numum Patinus in Theſauro edidit. Alter aduerſa in pagina caput Neptuni cum litteris: Q. METEL. PIVS. exhibet, in auerſa Aeneam cum Anchiſe & Palladio, addita epigraphe: CAESAR. Porro ex numo Tiberii Vticenſi, qui
T. I. p. 89. *Cælia.* in Coloniarum opere viro celeberrimo laudatur, *Cæliam*, ex Græcis Domitiani & Domitiæ, in quibus Cæſennii Pæti Proconſulis nomen
Cæſennia. Smyrnæi atque Epheſii ſignarunt, *Cæſenniam* familiam exhibuit Mo-
p. 23. 25. rellius. Ii inter Vaillantii numiſmata Græca reperiuntur, vno tamen alteroque excepto, cuiusmodi eſt, in quo hinc caput Domitiani cum litteris: ΑΥΓ. ΔΟΜΙΤΙΑΝΟC. ΚΑΙC. illinc ſerpens cum inſcriptio-
Calpurnia. ne: ΕΠΙ ΚΑΙCΕΝΝΙΟΥ ΠΑΙΤΟΥ. *Calpurniæ* vero familiæ numiſmata ita coaceruauit Morellius, vt labor eius nimius videri poſſit. Vt enim alios taceam, L. PISONIS FRVGI numos, qui hinc caput Apollinis, illinc deſultorem equo decurrentem ſiſtunt, tot diuerſos exhibuit, vt quinque illi tabulas, quarum prima viginti ſeptem, reliquæ non multo pauciores complectuntur, oppleant. In aliis ſigna quædam minora, vt noctua, caput Iunonis Soſpitæ, bipennis, in aliis litteræ, in aliis numeri diuerſi, in aliis iuncta hæc vel omnia,
Caninia. vel pleraque diſcrimen pariunt. *Caninia* in gente præter numos M. KANINII & L. CANINII AGRIPPAE IIVirorum, denariumque L. CANINII GALLI IIIVIRI, cuius auerſa in parte cippus cum litteris C. C. AVGVSTI, eiusdem Caninii aureum numum expreſſum ære dedit Morellius, in quo hinc caput Auguſti cum litteris: AVGVSTVS, illinc ara, in qua corona ciuica, quam arguunt litteræ adiectæ: OB. C. S. ad latus vtrumque laurus cum
Caruilia. inſcriptione: L. CANINIVS GALLVS IIIVIR. *Caruiliam* ille gentem Vaillantii exemplo non adiecit, eiusdem tamen numos ſub Cariſia recenſuit Fuluium Patinumque duces ſecutus. Eo ſpectant numi argentei duo, in quibus ſub quadrigis Iouis litteræ: CAR. OGVL. ÆR, quorum alterum iam exhibuere Fuluius & Patinus, tum æreus cum capite Iani bifrontis & prora eademque inſcriptione,
Caſſia. a Vaillantio editus. *Caſſiæ* genti nihil adiecit Vaillantius, Morellius non vnos, ex quibus & Græci, ſub Claudio Imperatore cuſi. Eorum
Num. Græc. p. 283. alterum deſcribit Vaillantius, nempe in auerſa eius parte lauream expreſſam cerni, legique: ΕΠΙ ΚΑΣΣΙΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ϚϞ h. eſt *ſub Caſſio Antiochenſium anno XCVI.* Sed præmittendæ numeris litteræ ET. Alter ſimili in laurea ſeruat inſcriptionem: ΕΠΙ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΕΤ. ΔϞ. Eum forte ob oculos habuit Vaillantius, vbi affirmat, in eo, quem de-
Ceſtia. De vſu & præſt. num. Edit. vet. p. 906. De num. Vrb. & pop. Opp Sell. p. 54. ſcripſit, numo legi ΕΤ ΑϞ, *anno XCI.* In *Ceſtia* gente numos duos municipii Siculorum, Hennæ, Morellius produxit, quorum vnius meminit Ill. Spanhemius, & ex eo Cl. Harduinus. Aerei illi ſunt, alter primæ magnitudinis, alter tertiæ: In illo hinc caput Cereris cum face & inſcriptione: L. MVNATIVS M. CESTIVS, illinc

raptus

raptus Proserpinæ cum litteris: MVN. HENNA; In hoc altera ex parte caput muliebre nudum cum epigraphe eadem: MVN HENNA. ex altera Venus nuda stans, dextra extensa. Inscriptio: M. CESTIVS L. MVNATIVS IIVIR.

§. XVI.

Claudia gens non minus, quam ceteræ, debet Morellio nostro. Nam & industria eius in promendis similium numorum diuersis inter se exemplis laudanda est, & adiecti præterea cernuntur noui haud vni, Vaillantio prætermissi, iique non tantum IIVirorum ex coloniis, sed & alii. Eiusmodi est, qui altera ex parte caput nudum Augusti, vt videtur, altera ex parte simpulum præfert cum inscriptione: TI. CLAVDIVS. Idem dicendum de *Cœlia*, cui Græcum Claudii numisma subiunxit, cuius auersa in parte: ΝΕ & in margine: Γ. ΚΟΗΛΙΟΣ ΒΑΛΒΟΣ ΑΝΘΥΠΑΤΟΣ, quem numum descripsit quidem Vaillantius inter numismata Imperatorum Græca, sed & vocem ΑΝΘΥΠΑΤΟΣ omisit, & ΚΟΙΛΙΟΣ scriptum exhibet pro ΚΟΗΛΙΟΣ. Accuratior descriptio numi apud eundem Vaillantium sub eodem Claudio cusi, vnde familiam *Cominiam*, quam laudat Ill. Spanhemius, elicit Morellius, cuius auersa pars in area litteras: ΚΥΠΡΙΩΝ, & in margine: ΕΠΙ ΚΟΜΙΝΙΟΥ ΠΡΟΚΛΟΥ ΑΝΘΥΠΑΤΟ sistit. Eiusdem numi inscriptio aduersa in parte Latina est: Ita enim habet: TI. CLAVDIVS CAESAR AVG. P. M. TR. P. *Considiæ* familiæ Morellius addidit quinarium, cuius aduersa pars caput Veneris cum litteris PAETI, auersa Victoriam cum tropæo exhibet & inscriptionem: C. CONSIDI; itemque numum Tiberii a Vaillantio alibi laudatum, in quo T. CONSIDII IIIIVIRI Cluniensis mentio. In *Corneliam* vero familiam, quanquam haud vna extant Cl. Vaillantii merita, haud paulo tamen plurium numorum accessione eam Morellii diligentia ditauit. Præterea numos eosdem diuersis typis expressos, itemque IIVirorum ex coloniis, Græcosque Cornelii Lupi, sub Tiberio cusos, vt de ceteris rationem reddere vberius liceat. Pertinent huc numi duo quartæ Patini tabulæ adiecti: Alter hinc caput Sullæ dictatoris præfert, cum litteris: SVLLA COS. alter Bruti, regum expulsoris, cum litteris BRVTVS. Alterius aduersa in parte caput Veneris, ante quam globus, sine inscriptione, in auersa Sulla dormiens ad montis radices, circa quem Diana sedens cum Luna bicorni, & Victoria cum palma. In hoc numi ectypo neque inscriptio: L. BVCA comparet, quam tamen similes in Aemilia & Iulia gente huius numi icones seruant, & absunt, perinde, atque in ceteris, vestigia litterarum Punicarum, quas alibi Morellius agnoscit, vnde nata est Viro celeberrimo Iacobo Gronouio Morellium sugillandi occasio. Ita enim ille: „ Qualis illa studiorum ratio dicenda est, qua vtitur Andr. „ Morellius? Ille enim cum Parisiis in specimine rei antiquariæ ad nu- „ mum, in quo legitur ΔΑΡΔΑΝΙΩΝ ΡΟΔΙΟϹ, post citata de flu- „ uio Rhodio Strabonis verba scripsisset pag. 80. *Huius etiam mentio* „ *apud P. Melam*, in Germanica nuper editione supposuit pag. 182. „ *Mela eundem fluuium nominat*. Quid? vtrum vt verbis melioribus „ proferat? an priora intelliguntur facilius ab Gallis, posteriora ab „ Germa-

Claudia. *Cœlia.* p. 13. 309. l. c. *Cominia.* T. I. p. 8. *Considia.* Num. Colon. T. I. p. 73. *Cornelia.* Specim. Tab. XXIV. p. 237. Præf. II. in Melam.

„ Germanis? Omnino istum fluuium in Mela vidit iisdem oculis, „ quibus in numo L. Aemilii Bucæ pag. 237. *apparebant litteræ Pu-* T. I. p. 355. „ *nicæ*". Eundem numum exhibuit Vaillantius, sed in imo loco auersæ partis eadem ratione litteras incognitas agnoscit. Pertinet huc porro numus Augusti restitutus, in quo hinc caput Augusti cum litteris: AVGVSTVS, illinc figura equestris, humero tropæum gestans, cum epigraphe duplici versu scripta: IMP. CAIS. TRAIAN. AVG. GER. DAC. P. P. RESTIT. II COSSVS CN. F. LENTVLVS, cistophorus item: P. LENTVLI IMPERATORIS cuiusmodi pridem vulgauit Begerus, in quo hinc cista mystica Bacchi in corona ex hedera & baccis contexta, illinc duo serpentes circa pharetram cum litteris: P. LENTVLVS IMPERATOR. Ad latus ΑΠΑ. Infra ΜΥΙΣΚΟΥ.

De Numis serpentif. p. 26.

§. XVII.

Cossutia. Quartum *Cossutiæ* familiæ numum a Patino prolatum tacite Vaillantius prætermisit, retinuit Morellius; sed vitiosæ Patini delineationi, T. I. p. 253. quam & Ill. Spanhemius repetitam dedit, accuratiorem substituit, in qua non monstrum marinum, sed balaustium expressum cernitur, Epist. ad Periz. p. 171. qua de re Morellius: „ Sirenem aut Tritonem, qui num. 4. in gente „ COSSVTIA occurrit, Rhodiorum Rosam siue Balaustium esse, „ instituto numi accuratiori examine, deprehendi". Idem familiæ *Crepusia.* *Crepusiæ* numum, qui tertius est apud Vaillantium, quartus apud Pa- *Critonia.* tinum, tricies diuersum sistit, *Critonia*, quam ignorant Fuluius & Patinus, subiuncta. Eam & operi suo Vaillantius inseruit, sed nulla Morellii facta mentione, qui primus tamen familiæ huic numum, ma- L. c. p. 173. & 296. conf. Perizon. ad Morell. Epist. p. 249. sq. le a Fuluio Patinoque Crepusiæ attextum, asseruit. Idem Vaillantius Curtiæ familiæ numum secundo loco adiecit, de quo ita ille in explicatione subiecta: „ De Ioue cum nota esse (*Scribendum* S) sparsim T. I. p. 381. „ solito fere assis semi symbolo diximus (*vel*, *vt reponenda loco suo* „ *verba sunt*, SOLITO FERE SEMIASSIS VEL SEMISSIS „ SYMBOLO SPARSIM DIXIMVS,) sed magis nouum est in iis „ typus, quam (*hanc vocem delendam puto*) temo, nisi dicamus pro „ frequenti numorum insigni, naue, hic exhiberi, aut pro vsu mi„ litum, qui in nauibus essent". In Morelliano huius numi ectypo non temo, sed claua Herculis comparet, in aliis etiam numis Roma- *Domitia.* narum familiarum satis obuia. *Domitiæ* familiæ cum alios CN. DOMITII AMPLI IIVIR Cæsar Augustæ, quos Vaillantius in T. I. p. 17. opere Coloniarum recenset, numos, tum eum subiunxit Morellius, l. c. p. 21. quem eximiæ raritatis & elegantiæ habendum esse Vaillantius affirmat, & cuius typum a Cardinale de Maximis, manu eius delineatum, se accepisse testatur. In aduersa eius parte tres figuræ stantes, media Augusti, extremæ C. & L. Cæsarum. Caio Cæsari Augustus simpulum porrigit, signum nempe sacerdotii ei delati. Inscriptionem hanc T. I. p. 21. in eo reperiri tradit Vaillantius: IMP. CAESAR. AVG. C. CAES. COS. DES. Sed Morellianus ectypus eam huius numi epigraphen sistit, quæ in singulas figuras quadrat. Ei, quæ ad dextram partem cernitur, addita sunt verba: L. CAES. COS. DES. sinistra in parte stanti: C. CAES. COS. DES. mediæ vero AVG.

Nec

Nec abludit ab eo Vaillantii delineatio, nisi quod ad dextram numi partem pro L. sculptum est I. vt mirum proinde sit, qui aberrare tantopere in legenda ea Vir celeberrimus potuerit. *Durmia* familia in Vaillantii opere duobus numis aucta comparet, in Morellii tribus. Tertius hinc caput Honoris inter duas stellas cum inscriptione: M. DVRMIVS IIIVIR. HONORI, illinc coronam quernam exhibet, in qua verba: AVGVSTO OB C. S. *Epriam* gentem, indictam Vaillantio, Morellius excitauit ex numo, cuius altera in parte caput imberbe diademate cinctum cum inscriptione: ΘΕΟΝ ΣΥΝΚΛΗΤΟΝ, in altera figura muliebris succincta, quæ dextra globum, sinistra hastam tenet cum epigraphe: ΑΝΘΥ ΕΠΡΙΩ ΜΑΡΚΕΛΛΩ. Γ. & in area ΚΥ. Huius Eprii Marcelli Proconsulis meminit quidem Vaillantius in indice Ἀνθυπάτων, quem contexuit, sed vbi numum eius sub Vespasiano cusum, quem laudat, quæsieris, inuenies ita eum describi: ΕΠ. ΜΑΡΚΕΛΛΩ ΑΝΘΥΠΑΤΩ ΚΥ quod interpretatur Vaillantius: *Sub Marcello Proconsule Cypriorum.*

Durmia. Epria. Numism. Græc. p. 309. L. c. p. 20.

§. XVIII.

Fabia in gente non recenset numos Vaillantius, nisi vel a Fuluio Patinoque editos, vel Goltzianos. Morellius cum diuersis eam typis eorundem numorum, tum aliis numis locupletauit. Vt IIVirorum numos omittam, notatu cum primis dignus numus Græcus, cuius aduersa in parte caput nudum Augusti, vt videtur, cum inscriptione: ΦΑΒΙΟΣ ΜΑΞΙΜΟΣ, & in auersa litteræ area: ΙΕΡΑΠΟΛΕΙΤΩΝ ΤΡΥΦΩΝ. Gentis *Fonteiæ* numos plerosque diuersos plus semel Morellius exhibuit, vt nouos iis adiectos taceam. Ei, in quo hinc caput Veiouis laureatum, illinc caper cum insidente puerulo alato, quem Fonteiæ genti inscriptio MN. FONTEI. C. F. vindicat, vna cum aliis adiectus nouus cernitur, in quo hinc caput Veneris, cum epigraphe: MAXSVMVS, illinc idem caper cum vectore alato, sed quem Egnatiæ potius familiæ, præter typi aduersa in parte similitudinem, vindicat cognomen MAXSVMI, quod Fonteios gessisse non constat. *Fuluia* gens cum aliis IIVirorum numis aucta a Morellio est, tum duobus, qui a duumuiris Coloniæ Leptis cusi capita Imperatorum nulla præferunt, cuiusmodi ad antiquas familias Romanas reuocandas esse ne ipse quidem Vaillantius, vtcunque in IIVirorum ceteroqui numis ex hac classe remouendis, censor admodum seuerus, diffitetur. Prior aduersa in parte exhibet caput galeatum cum inscriptione: COL. VIC. IVL. LEP. in auersa bouem cum litteris: P. ALPA. M. FVLVI PR. IIVIR. alter hinc Victoriam, cum eadem epigraphe: COL. VIC IVL. LEP. illinc colonum agentem boues cum inscriptione: M. FVL. COTA PR. QVIN. Prior ex museo Thomasiano huic gazæ accessit, sed qui auersa in parte non tam bouem quam suem monstroso capite repræsentat. Nomen prioris IIViri præterea non est P. ALPA, sed P. SALPA. In *Furia* gente præter alios a Morellio additum reperio numum æreum, in quo hinc caput Iani bifrontis, illinc prora cum litteris PVR. Infra: ROMA, & ad latus sinistrum nota assis, I. *Galliæ* familiæ nihil noui Morellii ope accessit, emendatiores tamen pristinos exhibuit, inprimis alterum

Fabia. Fonteia. Fuluia. Furia. Gallia.

ac

ac tertium, in quo distincte coronam ciuicam, querneam nempe, expressit, quam flagitat inscriptio adiecta: OB CIVIS SERVATOS. Vaillantius, quam in Patini ectypo repererat, lauream non tantum
T. I. p. 480. retinuit, sed & peculiarem ea de re obseruationem adiecit. „ Obser„ uandum, inquit, quod corona quernea, OB CIVES SERVA„ TOS, concedebatur, & in plurimis Triumuirorum monetalium „ numis, qui eiusmodi Augusto cuderunt, exhibetur, tamen in hoc, „ vt in Calpurnia, Cassia, Licinia & quibusdam aliis, laurea expressa „ est". Frustra sane Vir celeberrimus ad familias Calpurniam, Cassiam & Liciniam prouocat, in quibus lauream pro quernea corona haudquaquam inueniri, vel ex his ectypis Morellianis, ad numorum
Gellia. ipsorum fidem delineatis, abunde patet. *Gelliae* familiae Morellius adiecit numum Graecum Messalinae, quem e cimeliis Patricii Veneti, Cor-
Num. Graec. p. 14. rari, vulgauit Vaillantius. *Stupendae* eum *raritatis* Vir celeberrimus vocat, vnde mirum est, auersam eius partem minus diligenter delinea-
T. II. p. 281. tam cerni in ectypo eius, quem & Ill. Spanhemius operi suo inserendam putauit. Neque enim comparet ibi pulchritudo illa singularis aedificii vel porticus, quam tantopere Vaillantius commendat. Haud paulo illam distinctius repraesentat ectypus Morellianus, qui & in ima aedificii eius parte litteras, sed ex parte exesas,... ETP..... ob oculos ponit.

§. XIX.

Gessia. Grania. Gelliam familiam *Gessia* & *Grania* sequitur; quarum illam Graecis Claudii & Neronis, hanc IIVirorum municipii Calaguritani numis, ex
Horatia. parte indictis Vaillantio, illustrat Morellius, qui & *Horatiam* familiam duobus numis locupletauit, altero simili ei, quem Traianus Imperator restituit, sed cum sola voce ROMA, unde suum videri possit op-
ad Sueton. p. 468. timus Imperator expressisse; altero contorniato Horatii, quem Patinus
Hostilia. iuris publici fecit. *Hostilia* in gente notandus est argenteus numus ab Morellio adiectus, in quo hinc caput Palloris, pone quod lituus militaris cum voce SASERNA, illinc tres figurae stolatae, stantes intra septa comitiorum cum litteris: L. HOST. h. e. HOSTIL. vltima littera ex tribus conflata, ne de numo nunc loquar, ex familia Helia Patini huc translato, quem & Vaillantius familiae huic, tametsi nulla eius descriptione adiecta, subnectendum duxit. Quanto emendatiores numorum icones Morellius dederit, quam Vaillantius, vel ex sexage-
Iulia. simo septimo numo familiae *Iuliae*, qui primus est tabulae septimae apud
T. I. p. 532. Patinum, colligas, licet. Eum ita describit Vaillantius: CAESAR „ AVGVSTVS. Caput Augusti: ex altera parte: IVLIO IIVIR. „ Arcus triumphalis, cum tribus fornicibus, supra quem Imperator, „ in curru quatuor equorum". Nempe vitiosam Patini iconem sequitur, quae numum eum vtique ita expressum sistit, vt Vaillantio describitur. Sed haud paulo accuratior ectypus Morellianus, qui auersa in parte caput Augusti cum litteris: AVGVSTVS BVTHR. in auersa pontem tribus fornicibus constantem exhibet, supra quem non Imperator in quadrigis, sed litterae: P. POMPONI. Infra: C. IVLIO IIVIR. Eum ipsum numum in opere Coloniarum
T. I. p. 14. protulit Vaillantius, sed quod litterae inferiores: C. IVLIO IIVIR

in

in eo oblitteratæ essent, alium eum a præsenti statuit, quem & perperam ectypus Vaillantianus pro argenteo venditat, cum æreum eum esse nota Æ, quam Patinus ei addidit, declaret. Diligentiam porro Morellii in huius gentis numis accumulandis vel vnus L. IVLII BVRSIONIS numus declarat, quem ille vicies septies diuerso typo expressum exhibuit, quoties nempe & L. SILANI, L. F. in gente *Iunia* numus delineatus ab eodem sistitur. Iuniæ genti subiunctæ sunt *Iuuentia* & *Lætilia.* Illam illustrat Morellius numis Augusti Cæsar-Augustæ cusis, in quibus IVVENTII IIViri nomen occurrit, hanc numis Iubæ Iunioris & Ptolemæi. In illo hinc apex, securis, aspergillum, & simpulum cum inscriptione ex parte detrita: ...... LIVS PONTI, IIV. Q. illinc flos, vt videtur, cum epigraphe: IVBA REX IVBAE F. II. V. Q. *Liciniæ* familiæ numum trigesimum quartum perinde, vt apud Patinum extat, repræsentauit Vaillantius, cum laurea nempe in aduersa parte, cui inscripta sunt verba: AVGVSTVS TRIBVNIC. POTEST. Sed ex ectypo Morelliano patet, coronam non lauream, sed querneam expressam cerni. Adiecit illi alium primæ magnitudinis, quem Vaillantius ignorat, in quo hinc caput Augusti nudum, illinc inscriptio: P. LICINIVS STOLO IIIVIR A. A. A. F. F. & in area: S. C. Familiæ *Lucienæ* tres numos, prout Ill. Spanhemius testatur, se editurum recepit Morellius, sed in hoc opere nullus comparet.

Iunia. *Iuuentia.* *Lætilia.* *Licinia.* *Luciena.* T. I. p. 9.

§. XX.

Luriæ vero gentis quatuor numi ab editis diuersi in eodem exhibentur: In posterioribus notæ spectatu dignæ, quales TIB. IMP. IMP. AVG. CÆ. & ipsæ quidem antiquæ, sed tamen a manu posteriori additæ. *Mæciæ* genti, quæ inter familias Romanas Vaillantii desideratur, Græcis numis M. Mæcii Rufi, sub Vespasiano cusis, Morellius lucem affundit. Postremi ex tribus auersam partem inter numismata Græca describit Vaillantius, inscriptionemque hanc eius affert: ΕΠΙ ΜΑΡΙΟΥ ΡΟΥΦΟΥ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ Sed ΜΑΙΚΙΟΥ. legendum esse pro ΜΑΡΙΟΥ, & pridem monuit Morellius, & ectypus eius huic operi insertus docet. Primum atque alterum frustra in eodem Vaillantii opere quæras. In illo, de cuius tamen fide indubia per omnia sibi non satis constare Vir optimus in litteris ad Cl. Perizonium fatetur, hinc caput Vespasiani laureatum cum litteris: ΑΥΤΟΚΡ. ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣ. ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟ, illinc figura muliebris stans cum temone & aratro. Inscriptio eadem: ΕΠΙ Μ. ΜΑΙΚΙΟΥ ΡΟΥΦΟΥ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. & in area: ΒΙΘΥΝΙΑ. In hoc Domitiani caput, inscriptionis litteris temporis iniuria absumtis, & auersa in parte quinque aristæ cum epigraphe eadem. *Marcia* in gente, ad quam pergo, Morellius numum Philippi, cuius aduersa pars caput Anci regis cum titulo & litteris: ANCVS, auersa equitem supra aquæ ductum cum inscriptione: PHILIPPVS AQVA MR. ob oculos ponit, restitutum a Traiano sistit, cum epigraphe exteriori in margine auersæ paginæ: IMP. CÆSAR TRAIAN. AVG. GER. DAC. P. P. REST. qui quidem numus, perinde atque apparatus ille eorundem diuersi typi numorum C. CENSORINI inprimis, quem Morellius congessit,

Luria. *Mæcia.* Numis. Græc. p. 25. Epist. ad Periz. p. 191. sqq. L. c. *Marcia.*

in Vaillantii opere deſideratur. Idem dicendum de numo ſexto gentis Memmia. *Memmiæ*, qui primum in familia ea locum apud Patinum occupat. Hunc enim ſimili ratione reſtitutum a Traiano repræſentat Morellius. Duplex enim in parte auerſa inſcriptio; interior: MEMMIVS AED. CERIALIA PREIMVS FECIT; exterior: IMP. CAES. TRAIAN. AVG. GER. DAC. P. P. REST. Accuratior præterea vtriusque numi, tum cuſi a Memmio, tum reſtituti a Traiano, delineatio apud Morellium, quod Cererem ſedentem non cum colo, quam agnoſcit Vaillantius, ſed cum face accenſa & ſpicis Mindia. exhibet. *Mindiam* gentem ex numis Græcis Claudii & Britannici Imperatoris producit Morellius. Eos in Achaia Patrenſes, & Nicæenſes ac Nicomedenſes in Bithynia cuderunt cum Mindii proconſulis nomine. In Patrenſium numis Λ. ΜΙΝΔΙΟΥ ΠΟΛΛΙΩΝΟΣ, in Nicæenſium & Nicomedenſium Λ. ΜΙΝΔΙΟΥ ΒΑΛΒΟΥ mentio occurrit. Num. Græc. p. 13. ſq. In illis proconſulis nomen cum cognomine ΒΩΛΑΝΟΥ ſiſtit Vaillantius, ſed legendum eſſe ΠΟΛΛΙΩΝΟΣ, docet ectypus Morellii, cuius auerſa in parte capiti galeato addita eſt inſcriptio: ΕΠΙ Λ. ΜΙΝΔΙΟΥ Mineia. ΠΟΛΛΙΩΝΟΣ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ ΠΑΤΡ. *Mineiam* gentem a Patino exhibitam ſuſtulit Vaillantius, Morellius retinuit, numi eius, quem Patinus protulit, tribus diuerſis exemplis repræſentatis. Idem Vaillantius Mitreia. *Mitreiam* familiam ignorat, cuius Morellius duos exhibuit numos. In vtroque caput aduerſæ partis idem, cum delphino & inſcriptione: C. MITREIVS L. F. MAG. IVVENT. Auerſa pars alterius exhibet numerum XI. in laurea, altera ædificium, cui inſcriptæ litteræ: L. SEXTILI. L. F. Infra IIII.

§. XXI.

Neratia. *Neratiæ* gentis haud meminit Vaillantius: Morellius eam numorum beneficio illuſtratam ſiſtit, ſed Græcorum. Alter hinc caput Titi laureatum cum epigraphe ex parte mutila: .... ΤΙΤΟΣ ΚΑΙ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ, illinc caduceum intra ſpicam & papauer exhibet, cum litteris: ΚΟ. ΓΑ. & in margine: ΕΠΙ Μ. ΝΕΡΑΤΙΟΥ ΠΑΝΣΑ ΠΡΕΣΒΕΥΤΟΥ. p. 22. Proſtat hic numus vulgatus inter numismata Græca Vaillantii, ſed perperam ibi in epigraphe auerſæ partis vox: ΠΡΕΣΒΕΥΤΟΥ omiſſa p. 317. eſt, tametſi poſtea M. Neratius Panſa ex numo hoc inter ΠΡΕΣΒΕΥΤΑΣ vtique numeratur. Alterius auerſa pars tantum expreſſa cernitur, in qua figura nuda dextra globum, ſiniſtra haſtam tenens, monti inſiſtit, adiecta eadem inſcriptione: ΕΠΙ Μ. ΝΕΡΑΤΙΟΥ ΠΑΝΣΑ. ΠΡΕΣ-Nonia. ΒΕΥΤΟΥ. In gente *Nonia* numum exhibet Morellius indictum Vaillantio, in quo hinc caput barbatum cum litteris: SVFENAS S. C. illinc ex Plautia gente deſumtus typus Iouis quadrigis vecti, cum in-Nouia. Octauia. ſcriptione: C. YPSAE. COS. PRIV. CEPIT. *Nouiam Octauiam*que familiam ex numis Coloniarum repræſentatam lubens præter-Oppia. eo. Notatu ſane digniores numi, quibus *Oppiam* gentem locupletauit Morellius, quorum & quatuor Vaillantius exhibuit, quibus addendus, qui altera ex parte capita oppoſita M. Antonii & Cleopatræ ſiſtit, cum epigraphe: M. ANT. IMP. TER. COS. DESIG. ITER. ET. TER. IIIVIR. R. P. C. ex altera eundem Antonium & Cleopatram, ſtantes in curru, cui quatuor equi marini iuncti, infra

infra quos ara cum litteris ΔΙ & ſupra HS. Inſcriptio: M. OPPIVS CAPITO. PROPR. PRAEF. CLASS. F. C. Similem cum nomine L. ATRATINI in ſua Ptolemæorum hiſtoria protulit Vaillantius. *Papiæ* familiæ numum, qui hinc Iunonis Siſpitæ caput, illinc gryphum exhibet, cum inſcriptione: L. PAPI quinquagies quater diuerſum Morelliani ectypi ſiſtunt. In familia *Papiria* Caii Papirii Carbonis Prætoris Bithyniæ numos & plures exhibet Morellius, & emendatiores, quam Vaillantius. Vna cum aliis deeſt in Vaillantii opere, cuius auerſa pars capita duo iugata exhibet, barbata illa & corona hederacea cincta, cum inſcriptione: ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ, auerſa Romam ſedentem in clypeis, dextra Victoriolam, ſiniſtra haſtam tenentem, cum inſcriptione: ΕΠΙ ΓΑΙΟΥ ΠΑΠΙΡΙΟΥ ΚΑΡΒΩΝΟΣ. Sub clypeis litteræ numerales: ΔΚΣ & inferius: ΡΩΜΗ. In area monogramma ⩚. In ectypis ſimilium numorum apud Vaillantium perperam Roma ſellæ inſidens exhibetur, quæ & ipſa ſculpta eſt ea ratione, vt nihil minus, quam Roma videri poſſit. *Plætoria* in gente, præter collectos varios eorundem numorum typos diuerſos, notandus inter Morellianos icones numus Vaillantio prætermiſſus, qui hinc caput Monetæ cum epigraphe: MONETA. illinc vrceum & facem ardentem ſiſtit cum litteris: M. PLAETORI. CEST. EX S. C. *Planciæ* familiæ addidit Morellius numos Græcos M. Plancii Vari ſub Veſpaſiano cuſos, quos alio loco Vaillantius produxit, quibus quatuor addas hinc licet, primum, cuius auerſa in parte caput muliebre non turritum, cum inſcriptione: ΕΠΙ ΜΑΡΚΟΥ ΠΛΑΝΚΙΟΥ ΟΥΑΡΟΥ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. alterum cum aquila & epigraphe eadem, tertium cum corona quernea, in qua: ΜΑΡΚΟΣ ΠΛΑΝΚΙΟΣ ΟΥΑΡΟΣ ΑΝΘΥΠΑΤΟΣ M..... quartum cum litteris in area: Β ΤΗΣ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ HNKOM. & in margine: Μ. ΠΛΑΝΚΙΟΥ ΟΥΑΡΟΥ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ.

p. 195. Papia. *Papiria.* *Plætoria.* *Plancia.* *Numiſm. Græc. p. 21.*

§. XXII.

Pompeiæ genti adiecti a Morellio haud vni ſunt numi, quos Vaillantius prætermiſit. Vt enim Græcum illum taceam, vnde catalogum Græcorum numiſmatum orditur Vir celeberrimus, in quo hinc caput Pompeii magni cum litteris: Γ. ΠΟΜΠΗΙΟΣ, illinc figura ſtolata, turrito capite, rupi inſidens, pedemque imponens non proræ, quod ait Vaillantius, ſed homini ex aquis enatanti, cum inſcriptione: ΠΟΜΠΗΙΟΠΟΛΕΙΤΩΝ, ei, qui apud Patinum eſt in tabula II. quartus, apud Vaillantium viceſimus ſecundus, alium ſubiunxit, cuius aduerſa quidem pars eadem, ſed auerſa haud paulo alia, quippe in qua tropæum diuerſi generis cum litteris: IMP. TER. Adiecit idem numos cum boue & litteris T. POM. item P. POM. auerſa in parte, ex quibus ſimilem ad *Pomponiam* familiam Cl. Vaillantius reuocauit; cui familiæ ſubiuncti a Morellio cernuntur numi Titi Pomponii Baſſi, legati, ſub Domitiano Nerua & Traiano percuſſi. Eos inter Græca Romanorum numiſmata recenſet Vaillantius, ſed recenſitis addi ex hoc opere non vni poſſunt. Neque enim, niſi duos, commemorat Vir paulo antea laudatus, cum ſex Morellius delineatos dederit. Duos ex iis vel tribus verbis deſcribere hoc loco liceat. Primæ alter, alter

Pompeia. *p. 1.* *Pomponia.* *p. 27.*

ſecundæ eſt magnitudinis. In vtroque caput Traiani laureatum; ſed in illo epigraphe: ΑΥΤ. ΝΕΡ. ΤΡΑΙΑΝΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕ. in hoc: ΑΥΤ. ΚΑΙ. ΝΕΡ. ΤΡΑΙΑΝΟC ΔΑΚΙΚΟC. Differunt eadem ratione partes auerſæ. In priori figura ſedens, dextra ſpicas, ſiniſtra haſtam tenens, cum litteris: ΕΠΙ ΒΑΣΣΟΥ ΚΟΙΝΟΝ ΓΑΛΑΤΩΝ; in poſteriori mons, cuius in vertice laurea. Inſcriptio: ΕΠΙ ΒΑΣΣΟΥ ΕΤ. Γ.

Pupia. *Pupiæ* gentis tria Græca numiſmata protulit Vaillantius, Morellius totidem. In primo Vaillantius caput Lyſimachi agnoſcit, in altero Iouis Ammonis. In vtroque apud Morellium Iouis illius caput; in altero inſcriptio: ΑΥΛΟC ΠΟΥΠΙΟC. . . . . in altero. . . . . ΒΑΙ ΤΑΜΙΑC. . . . . Poſteriorem ex his numum integriorem nactus eſt Vaillantius, qui emendatius legit hinc: ΚΤΙCΤ. ΤΑΜΙΑC, & auerſa in parte, quæ veſtigia tantum inſcriptionis in ectypo Morelliano ſiſtit: ΠΟΥΠΙΟC ΝΙΚΑΙΕΩΝ, priorem Morellius, qui Lyſimachi, quod huc minus quadrat capiti, Iouis Ammonis ſubſtituit, prætereaque auerſa in parte non tantum litteras ΤΑΜΙΑC L. A. ſed & infra. . . . . ΤΙC. . . . exhibet, cum nulla in icone Vaillantii vocis eo loco expreſſæ veſtigia ſuperſint. Tertium huius Pupii numum ita repræſentauit Vaillantius, vt auerſa in parte duo fulmenta ligni pro igne, cum clathro ferreo transuerſo, agnoſcat, vnde ſtatuit, ſuper iis victimas Ioui Ammoni crematas, eaque exhibuiſſe A. Pupium ad denotanda ſacra huic Deo, antiquo ciuium more, quotannis perpetrata. Sed explodit commentum Viri doctiſſimi ectypus Morellii, qui non fulmenta ligni cum clathro, ſed ſellam cum haſta transuerſa manifeſte ob oculos ponit.

Roſcia. *Roſcia* in gente typi, qui in vno eodemque numo

Rubria. quadragies ter diuerſus occurrit, varietas notanda eſt. *Rubriæ* familiæ numos a Traiano reſtitutos duos ex Patino hauſit Vaillantius, quibus ex Morellii opere tertius accedit, in quo hinc caput barbatum cum ſceptro & litteris: DOSSEN. illinc thenſa cum iunctis ei quatuor equis, vnde Victoria lauream geſtans euolat. Inſcriptio: L. RVBRI. IMP. CAES. TRAIAN. AVG. GER. DAC. P. P. REST.

§. XXIII.

Salluſtia. *Salluſtiam* gentem Morellius ex numis duobus contorniatis ob oculos

Theſ. p. 132. ponit. Alterum ex Patini theſauro exhibet Cl. Hauercampius; In

De num. Contorn. p. 150. altero aduerſa pars eadem ferme, caput nempe barbatum, pone quod figura cordis inſculpta, cum litteris: SALVSTIOS AVTOR. Auerſa Solem, capite radiato, dextra corollam, ſiniſtra globum te-

Satriena. *Scribonia.* nentem, exhibet in quadrigis. Infra crocodilus. Et *Satrienam* & *Scriboniam* familiam nouo denario Morellius ditauit. Prior hinc caput Tiberii laureatum exhibet cum litteris: TI. CAESAR DIVI AVG. F. AVGVSTVS. illinc lupam cum inuerſis litteris: AMOꓤ. Infra: OSATRIS. In altero caput ornatum muliebre cernitur aduerſa in parte ſine vlla inſcriptione, in auerſa ara encarpis ornata cum

Sepullia. litteris: PVTEAL. SCRIBON. LIBO. *Sepulliæ* genti adiectus cernitur numulus argenteus, in quo hinc caput alatum Mercurii cum nota ſeſtertii HS. illinc caduceus cum epigraphe: P. SEPVLLIVS, itemque æreus, cuius priori in parte caput velatum, in poſteriori

arcus

arcus & pharetra, cum litteris: MACER. *Sextiliam* gentem iuxta cum Fuluio & Patino ignorat Vaillantius, non item Morellius, qui duos eius numos affert. In altero hinc caput Alexandri ſpoliis leoninis tectum cum inſcriptione: ALEXSANDER, illinc capra lactans capellam, cui impoſitum eſt cornu cum litteris: . . . . . . SEXTILIVS. Alterum iam ſub Mitreia familia adductum huc reuocant hæ litteræ aduerſæ partis, ædificio inſcriptæ: L. SEXTILI L. F. *Sofiæ* familiæ vnum ex propria ſupellectile, duos ex Goltzio numos recenſet Vaillantius. Morellius tres delineauit a ſe viſos, primum atque alterum Vaillantii, tertiumque Græcum, in quo hinc caput Antonii IIIViri, ſine inſcriptione, illinc in area litteræ: ϹΩϹΙΟΥ. Idem Morellius *Statiæ* genti nouum addidit, in quo hinc caput Vulcani cum forcipe, illinc Victoria in quadrigis, cum epigraphe: STATI. TREBO. Quos *Suilliæ* gentis Græcos numos produxit Vaillantius, iidem in Morellii opere emendatiores reperiuntur: In primo certe non caput Claudii, ſed Veſpaſiani expreſſum cernitur. *Tadiam* familiam, ex numis Coloniarum duobus repræſentatam, taceo. Sed in *Terentia* notandus eſt numus apud Patinum pariter atque Vaillantium poſtremus, quem ita ex Patino hauſit Vaillantius, vt tamen emendaſſe eum videatur. Ait enim, in ſuo legi: CVLEONE, cum apud Patinum ſit CVLLEONE. Eum vero haud paulo diuerſum exhibet Morellius, in quo legitur: Q. TERENTIO CVLLEONE PROCOS. Ei ſubiecit numum Græcum Tiberii, cuius auerſa in parte laurea, in qua: ΕΠΙ ΚΟΥΛΛΕΩΝΟΣ ΑΙΓΕΑΙΩΝ ΔΗΜΟΥ. *Valeriæ* familiæ numos haud vnos adiecit Morellius, Vaillantio prætermiſſos, ex quibus duos hoc loco recenſebo. Alter eſt argenteus ab Traiano reſtitutus, in quo hinc Apollinis caput corona radiata cinctum, pone aciſculus cum epigraphe: ACISCOLVS, illinc Diana bicornis in bigis, cum inſcriptione: L. VALERIVS. IMP. CAES. TRAIAN. AVG. GER. DAC. P. P. REST. alter æreus, cuius aduerſa in parte caput Auguſti cum epigraphe: NASSICA. in auerſa caput bouinum, cum litteris: C. VAL. C. SEX. AEDILES. quem numum pridem Seguinus, & ex eo poſtea Spanhemius iuris publici fecerunt, caput in eo expreſſum Scipioni Naſicæ tribuentes, quod primus numi adſpectus Auguſto adſerit. In *Vipſania* familia numis M. Vipſanii Agrippæ Auguſti generi, græcum ſubdidit Morellius, in quo hinc caput Auguſti cum litteris: ΘΕΩ ΣΕΒΑϹΤΩ: illinc figura togata cum inſcriptione ad vtrumque latus quatuor verſibus exarata: ΑΓΡΙΠΠΑϹ ΑΓΡΙΠΠ.. ΚΑΙ ΤΗϹ ΙΥΛΙΑϹ ΥΙΟϹ. Hactenus de numis, qui ad certas familias reuocari poſſunt, in quibus vel emendandis vel augendis quid præſtiterit Morellius, iam ſatis, vt puto, conſtat. De incertis iam dicendum eſſet, quibus ille tabulas æneas oppleuit non unas, niſi inſtituti huius ratio ex diuerticulo me iampridem in viam reuocaret.

Sextilia. *Sofia.* *Statia.* *Suillia.* *Tadia.* *Terentia.* *Valeria.* Sel. Numiſm. p. 94. Spanh. T. II. p. 157. *Vipſania.*





CAPVT III.

DE NVMIS AVREIS IMPERATORVM ROMANORVM.

§. I. *De numis aureis Imperatorum Romanorum, quos thesaurus Fridericianus seruat, in genere.*

§. II. *Comparatio eorum cum numis aureis Imperatorum gazæ Arschotanæ & Parmensis.*

§. III. *Præstantissimorum enumeratio.*

§. IV. *De numo Iul. Cæsaris cum inscript. auersæ partis:* C. CAESAR COS. PONT. AVG. *Locus Appiani expensus.*

§. V. *De Capricorno in numis Augusti.*

§. VI. *De numo Augusti cum Capricorno & inscript.* SIGNIS RECEPTIS. *Morellii de Capricorno sententia sub examen vocatur.*

§. VII. *De numo Caligulæ, in quo tres sorores eius expressæ.*

§. VIII. *De numo Galbæ cum inscript.* PAX AVG.

§. IX. *De numo Vespasiani cum capitibus Titi & Domitiani auersa in parte.*

§. X. *De numo Hadriani cum typo Herculis.*

§. XI. *De eiusdem numo cum inscript.* VICTORIA AVG.

§. XII. *De bello Iudaico sub Hadriano, disquisitio contra Cl. Harduinum.*

§. XIII. *De numo Postumi cum inscript.* CLARITAS AVGG.

§. XIV. *De eadem inscriptione plura.*

§. XV. *De numo Aureliani cum titulo:* P. F.

§. XVI. *De eiusdem Aureliani numo cum inscr.* FIDES MILITVM.

§. XVII. *De numo Tetrici cum inscript.* VICTORIA AVG.

§. XVIII. *De numo Probi cum inscript.* PAX AETERNA.

§. XIX. *De numo Nigriniani cum inscr.* CONSECRATIO.

§. XX.

§. I.

QVae adhuc commemoraui aurea numismata, decus equidem cimeliarchio nostro & ornamentum afferunt, sed pauciora sunt tamen, quam vt splendorem inde magnificentiamque eius metiri satis animo liceat. Sed spero, contemplationem eorum, quae ex eodem metallo ab Imperatoribus Romanis percussa seruamus, facile persuasuram cuiuis, id quod ab initio huius operis dixi, supellectilem non curtam, sed amplissimam, & PRINCIPE, qui illam sibi comparauit, dignam, hic deprehendi. De Ludouici Ioberti, viri peritia rei numariae, quam peculiari libello orbi erudito probauit, apud Gallos suos haud vulgarem laudem adepti, sententia mille circiter, aut mille & ducenti, aurei numi Caesarum, aut certe non multo plures, ad seriem inde efficiendam reperiuntur. Quem numerum equidem, quod fateor, non aequat gaza nostra; tantam vim tamen auri antiqui in hoc genere complectitur, vt haud ita longe ab eo absit. Non nescio, eruditissimum, mihique amicitia haud vulgari, cum in vrbe Gallorum principe morarer, iunctum, Genebrerium, insigne Galliae suae decus, cuius doctrinam in hac antiquitatis parte lucubrationes eius pridem vulgatae loquuntur, bis mille & quingentos Imperatorum numos polliceri in Museo Romano Aureo, quod parat, ex ipsis numorum prototypis

De numis aureis Romanorum Imperatorum in genere.

Science des Medailles p. 27. Edit. Amstel.

Titulus integer Libri: Museum Ro-

manum aureum, ſeu Series abſolutiſſima omnium numismatum aureorum, quæ ſub Romanis Imperatoribus percuſſa ſunt: vna cum cuiusque Principis Iconiſmo & breui deſcriptione v. le Mercure d' Aouſt. 172[illegible]. à Paris cIↄ Iↄccxxii. 8. p. 133.

typis deſcriptos. Sed quanquam iudicium mihi de opere non viſo lectoue non arrogo, puto tamen, ſi, qui ceteris in rebus iidem, notis tantum monetariorum aliisue minoris momenti rebus, inter ſe differunt, numos non omnes ac ſingulos connumerauerimus, fortaſſe nos dimidium, multo autem maiorem numerum vix habituros. Vtcunque ſe res habeat, ne quis de præſtantia gazæ noſtræ locus dubitandi relinquatur, viſum eſt contendere eam hac ex parte cum collectionibus aureorum numorum celeberrimis, quæ quidem adhuc in lucem editæ proſtant. Altera earum exhibet numiſmata aurea Caroli, Ducis Croii & Arſchotani, ſub initium ſuperioris ſeculi a Ioanne Hemelario, Canonico Antverpienſi, doctiſſimis obſeruationibus illuſtrata, altera ex eodem metallo numiſmata, quæ in cimeliarchio Sereniſſimi Ducis Parmenſium reperiuntur, opera Pauli Pedruſii fuſis commentariis deſcripta.

§. II.

Comparatio eorum cum gaza Arſchotanæ & Parmenſis numis huius generis.

Poſteriorem quidem theſaurum apparatus noſter hac ex parte longiſſime ſuperat, priorem nunc æquat, nunc etiam poſt ſe relinquit; id quod ex ſequenti ſchemate luculentius patebit.

NVMI AVREI

ARSCHOTANI,		PARMENSES,		SAXO-GOTHANI.	
Iulius Cæſar	VI.	Iulius Cæſar	IV.	Iulius Cæſar	VII.
- -	- -	- -	- -	Pompeius M.	I.
- -	- -	Sextus Pompeius	I.	Sextus Pompeius	I.
- -	- -	M. Antonius	III.	M. Antonius	I.
Auguſtus	XIX.	Auguſtus	XII.	Auguſtus	XXVIII.
Tiberius	V.	Tiberius	IV.	Tiberius	V.
Nero Claud. Druſus	II.	Nero Claudius Drus.	I.	Nero Claud. Drus.	II.
Antonia	II.	Antonia	I.	Antonia	II.
Germanicus	I.	- -	- -	Germanicus	I.
Caligula	III.	Caligula	III.	Caligula	VI.
Claudius	XII.	Claudius	IX.	Claudius	XIII.
Agrippina	II.	- -	- -	Agrippina	V.
Nero	XVI.	Nero	XIV.	Nero	XVII.
Galba	IV.	Galba	II.	Galba	VIII.
Otho	II.	Otho	II.	Otho	V.
Vitellius	I.	Vitellius	II.	Vitellius	IX.
Veſpaſianus	XIII.	Veſpaſianus	VII.	Veſpaſianus	XXVI.
Titus	XII.	Titus	III.	Titus	XXV.
Domitianus	VII.	Domitianus	XIII.	Domitianus	XVII.
Domitia	I.	- -	- -	Domitia	II.
Nerua	IV.	Nerua	VI.	Nerua	VI.
Traianus	XXXII.	Traianus	VII.	Traianus	XLII.
Plotina	I.	- -	- -	Plotina	III.
-	-	- -	- -	Marciana	I.
Matidia	I.	Matidia	I.	Matidia	II.

Hadrianus

ARSCHOTANI,		PARMENSES,		SAXO-GOTHANI.	
Hadrianus	XXXVI.	Hadrianus	V.	Hadrianus	LII.
Sabina	IV.	-	-	Sabina	V.
L. Aelius	III.	-	-	L. Aelius	IV.
Antoninus Pius	XXV.	Antoninus Pius	XIII.	Antoninus Pius	XL.
Faustina M.	X.	Faustina M.	III.	Faustina M.	XVII.
M. Aurelius	XXVII.	M. Aurelius	VIII.	M. Aurelius	XXXI.
Faustina min.	XVI.	Faustina min.	VII.	Faustina min.	XIV.
L. Verus	VIII.	L. Verus	I.	L. Verus	XV.
Lucilla	V.	-	-	Lucilla	III.
Commodus	III.	Commodus	XII.	Commodus	VII.
-	-	Crispina	I.	Crispina	III.
Pertinax	I.	Pertinax	VI.	Pertinax	IV.
Didius Iulianus	I.	-	-	Didius Iulianus	I.
Manlia Scantilla	I.	-	-	Manlia Scantilla	I.
-	-	-	-	Didia Clara	I.
Pescennius Niger	I.	-	-	Pescennius Niger	I.

Aureos numos Pescennii non dari, vulgo antiquariis est persuasum; quibus facile subscribo. Spurio tamen cimeliarchii Arschotani spurium opponere, vt puto, licebit, quod is ab initio locum in cimeliarchio nostro obtinuit, idque non inuito Morellio, qui suis eum verbis, adiecta etiam icone, in catalogum aureorum numorum retulit. Ceterum ouum ouo similius non est, quam Arschotanus ille Pescennius nostro; nihil enim differunt, nisi quod in illo est IMP. CAES. C. PESC. NIGERIVS AVG. quasi legendum sit: IMP*erator* CAES*ar* *Caius* PESC*ennius* NIGERIVS AVG*ustus*; cum noster habeat CÆS. C. PESC. NIGER IVST. AV. h. e. CÆ*Sar* *Caius* PESC*ennius* NIGER IVST*us* AV*gustus*.

ARSCHOTANI,		PARMENSES,		SAXO-GOTHANI.	
Albinus	I.	-	-	-	-
Seuerus	V.	Seuerus	II.	Seuerus	XVI.
Iulia Domna	II.	-	-	Iulia Domna	VII.
Caracalla	V.	Caracalla	I.	Caracalla	XIII.
Plautilla	I.	-	-	Plautilla	II.
Geta	I.	-	-	Geta	I.
Macrinus	I.	-	-	Macrinus	III.
Diadumenianus	II.	-	-	Diadumenianus	I.
Elagabalus	XIII.	Elagabalus	I.	Elagabalus	XIII.
Iulia Mæſa	I.	-	-	Iulia Mæſa	I.
Iulia Mammæa	I.	-	-	-	-
Alexander Seu.	V.	-	-	Alexander Seu.	XIV.
Maximinus	I.	-	-	-	-
Maximus Cæs.	I.	-	-	-	-
Gordianus Afr. Sen.	II.	-	-	-	-
Balbinus	II.	-	-	-	-
Pupienus	I.	-	-	-	-
Gordianus Pius	V.	Gordianus Pius	I.	Gordianus Pius	XIV.
Philippus Sen.	II.	-	-	Philippus Sen.	I.
Otacilia Seu.	I.	-	-	Otacilia Seu.	I.
Philippus iun.	II.	-	-	Philippus iun.	I.
Traianus Decius	II.	-	-	Traianus Decius	IV.
Herennia Etruſcilla	I.	-	-	Herennia Etruſcilla	I.
Q. Herennius	I.	-	-	-	-
Hoſtilianus	I.	-	-	Hoſtilianus	I.
Trebon. Gallus	II.	-	-	Trebon. Gallus	I.
Voluſianus	I.	-	-	Voluſianus	II.
Aemilianus	II.	-	-	-	-
Valerianus	II.	-	-	Valerianus	IV.
Mariniana	II.	-	-	-	-
Gallienus	II.	Gallienus	II.	Gallienus	X.
Salonina	II.	-	-	Salonina	I.
Saloninus	II.	-	-	Saloninus	I.
Valerianus iun.	II.	-	-	-	-
Quietus	I.	-	-	-	-
Poſtumus	IV.	Poſtumus	II.	Poſtumus	XI.
Victorinus	II.	Victorinus	I.	Victorinus	I.
-	-	-	-	Marius	I.
Aureolus	I.	-	-	-	-
Claudius Goth.	II.	-	-	-	-
Quintillus	I.	-	-	-	-
Aurelianus	II.	-	-	Aurelianus	II.
Seuerina	I.	-	-	-	-
Tetricus P.	II.	-	-	Tetricus P.	III.
Tetricus F.	II.	-	-	Tetricus F.	III.
Tacitus	II.	-	-	Tacitus	II.
Probus	III.	-	-	Probus	VI.
Carus	I.	-	-	-	-

Numerianus

ARSCHOTANI,		PARMENSES,		SAXO-GOTHANI.	
Numerianus	I.	-	-	Numerianus	I.
Carinus	II.	-	-	Carinus	II.
-	-	-	-	Iulianus	I.
-	-	-	-	Nigrinianus	I.
Diocletianus	I.	-	-	Diocletianus	V.
Maximianus Herc.	III.	-	-	Maximianus Herc.	IX.
Conſtantius Chlorus	II.	-	-	Conſtantius Chlor.	V.
Helena	I.	-	-	-	-
Seuerus	I.	-	-	Seuerus	I.
Gal. Maximianus	I.	-	-	Gal. Maximianus	I.
-	-	-	-	Galeria Valeria	I.
Maxentius	II.	-	-	Maxentius	I.
Maximinus	I.	-	-	Maximinus	I.
Licinius	I.	-	-	Licinius	I.
Licinius iun.	I.	-	-	-	-
Conſtantinus M.	VII.	Conſtantinus M.	I.	Conſtantin. M.	XXIV.
Fauſta	I.	-	-	-	-
Criſpus	I.	-	-	Criſpus	II.
Delmatius	I.	-	-	Delmatius	I.
Conſtantinus iun.	V.	Conſtantinus iun.	III.	Conſtantin. iun.	V.
Conſtans	V.	Conſtans	I.	Conſtans	VII.
Conſtantius	VI.	Conſtantius	III.	Conſtantius	XIII.
Magnentius	I.	Magnentius	I.	Magnentius	II.
Decentius	I.	-	-	Decentius	II.
Iulianus	II.	-	-	-	-
Iouianus	I.	-	-	Iouianus	I.
Valentinianus	IV.	Valentinianus	VIII.	Valentinianus	X.
Valens	VII.	Valens	III.	Valens	VI.
Gratianus	V.	Gratianus	I.	Gratianus	V.
Valentinianus iun.	IV.	-	-	Valentinianus iun.	IV.
Theodoſius	VII.	Theodoſius	I.	Theodoſius	VII.
Flaccilla	I.	-	-	-	-
Maximus	I.	-	-	Maximus	II.
-	-	-	-	Fl. Victor	I.
Eugenius	II.	-	-	Eugenius	I.
Arcadius	IV.	Arcadius	V.	Arcadius	VII.
Honorius	II.	Honorius	VI.	Honorius	III.
-	-	-	-	Conſtantinus	III.
-	-	-	-	Iouinus	I.
Priſcus Attalus	I.	Priſcus Attalus	I.	Priſcus Attalus	I.
-	-	Theodoſius iun.	II.	Theodoſius iun.	III.
-	-	Ael. Eudoxia	I.	Ael. Eudoxia	I.
Iohannes	I.	Iohannes	I.	Iohannes	I.
Pl. Valentinianus	III.	Pl. Valentinianus	VI.	Pl. Valentinianus	IV.
-	-	Lic. Eudoxia	I.	-	-
-	-	Petronius Maximus	I.	Petronius Maximus	I.
Marcianus	I.	-	-	Marcianus	I.
-	-	-	-	Auitus	III.

ARSCHOTANI,		PARMENSES,		SAXO-GOTHANI.	
Leo	I.	Leo	I.	Leo	III.
-	-	Maiorianus	II.	Maiorianus	III.
Libius Seuerus	I.	Libius Seuerus	I.	Libius Seuerus	V.
-	-	Anthemius	II.	Anthemius	III.
-	-	Olybrius	I.	-	-
-	-	-	-	Fl. Leo iun.	I.
Zeno	II.	Zeno	II.	Zeno	IV.
Iul. Nepos	II.	Iul. Nepos	I.	Iul. Nepos	III.
Romulus Auguft.	I.	Romulus Auguftus	I.	Romulus Auguftus	I.
-	-	Bafilifcus	I.	Bafilifcus	II.
Anaftafius	III.	Anaftafius	II.	Anaftafius	V.
Iuftinus	II.	Iuftinus	I.	Iuftinus	IV.
Iuftinianus	I.	Iuftinianus	II.	Iuftinianus	V.
Iuftinus iun.	II.	Iuftinus iun.	II.	-	-
Tib. Conftantinus	II.	-	-	Tib. Conftantinus	I.
Mauritius	I.	Mauritius	I.	Mauritius	V.
Focas	I.	Focas	I.	Focas	II.
Heraclius	II.	Heraclius	III.	Heraclius	VIII.
-	-	-	-	Conftant. Pogonatus	V.
-	-	-	-	Iuftinianus II.	II.
-	-	-	-	Leo Ifauricus	I.
-	-	-	-	Niceforus	I.
-	-	-	-	Michael Rhangabe	I.
-	-	-	-	Theophilus	III.
-	-	-	-	Bafilius Maced.	II.
-	-	-	-	Conftantinus VI. Porphyrog.	I.
-	-	-	-	Nicephorus II. Focas	I.
-	-	-	-	Conftantinus Monomachus	III.
-	-	-	-	Ifaacius Comnenus	I.
-	-	-	-	Romanus Diogenes	II.
-	-	-	-	Alexius Comnenus	II.
-	-	-	-	Ioannes Comnenus	III.
-	-	-	-	Manuel Comnenus	I.
-	-	-	-	Andronicus Comnen.	I.

§. III.

Præftantiorum enumeratio.


His conftat numis feries aureorum, quos ab Imperatoribus Romanis cufos gaza noftra complectitur, quibus fi iam adiicias numos aureos maximi moduli, barbaros item ad imitationem Romanorum cufos, vna cum aliis nonnullis, qui feriem noftram Imperatorum claudunt, fpero, facile intellecturos, qui, quid veteres numos colligere fit, norunt, in thefauro noftro quod fpectatorum oculos allicere ac tenere poffit, haudquaquam defiderari. Sed parum laudis in numero & copia pofitum fuerit, nifi & præftantia fele&tuque ac raritate numorum gazas fupra laudatas noftra vel æquet vel etiam fuperet. Id

autem

autem vel ex ipſa ſerie, prout eam deſcriptam dedi, manifeſtum redditur, vt quæ non tantum Auguſtos Auguſtasque, quorum obuia ſunt huius generis ex auro monumenta, ſed & alios, quorum nulla prope exſtant, eosque haud raro plus ſimplici vice ſiſtit. Huiusmodi ſunt Domitia, Marciana, Matidia, L. Aelius Cæſar, Didius Iulianus, Manlia Scantilla, Diadumenianus, Iulia Mæſa, Otacilia Seuera, Philippus iun. Herennia Etruſcilla, Hoſtilianus, Saloninus, Marius, Tetricus iun. Iulianus, Nigrinianus, Fl. Val. Seuerus, Gal. Valeria, Delmatius, Iouinus, Leontius, & forte alii plures ſequentium. Neque enim fas eſt ſollicita nimis omnium enumeratione lectorem fatigari, vtpote quem propior diligentiorque paulo eius, quam ſupra exhibui, ſeriei, conſideratio de præſtantia theſauri noſtri facile conuincet. Sed ne quid deſiderari a me hac ex parte poſſit, non contentus generali hoc indicio, ad curatiorem quandam eius contemplationem lectoribus viam, exemplis in medium allatis, ſternere conabor.

§. IV.

Iulii Cæſaris numus initium faciat, cuius auerſam tantum partem deſcriptam dedit Cl. Vaillantius, qui rariſſimum eum appellat. *De numo Iulii Cæſaris.* Præf. Numiſm. T. II. p. 3.



Iulii Cæſaris capiti laureato adiecta eſt inſcriptio: C*aius* CAESAR DICT*ator* PERP*etuo* PONT*ifex* MAX*imus*. Auerſa in parte caput Auguſti nudum cum inſcriptione: C*aius* CAESAR CO*nſul* PONT*ifex* AVG*ur*. Eundem numum ſub primo Auguſti Conſulatu profert Cl. Harduinus: ſed affirmat, in parte contraria caput M. ANTONI*i* Triumuiri reperiri. Auguſtus in hoc numo C. CAESAR appellatur, quod cum haud ignoraret Cl. Vaillantius, mirum eſt, id reticuiſſe, hæc de nominibus eius memoriæ prodentem: „ Octauius in gentem Iuliam a Dictatore adoptatus, dictus eſt Octauianus Cæſar; ſed in denariis poſt mortem patris adoptiui CAESAR DIVI F. ſcribitur, deinde CAESAR AVGVSTVS". (Numiſm. Famil. T. I. p. 526.) Sed, nulla parentis, qui eum adoptauerat, mentione adiecta, dictum etiam C. CAESAREM, numus hic vna cum aliis declarat. Idem vero nomen C. CAESARIS, quod adoptiuum eſt, reuocat mihi in mentem locum Appiani, qui de Cæſare poſtea Auguſto: „ Καὶ εὐθὺς, inquit, ὠνομάζετο Καῖσαρ. Ἔθος γὰρ ἦν Ῥωμαίοις, τοὺς θετοὺς τὰ τῶν θεμένων ὀνόματα ἐπιλαμβάνειν. Ὁ δὲ οὐκ ἐπέλαβεν, ἀλλὰ καὶ τὸ αὑτοῦ καὶ τὸ πατρῷον ὅλως ἐνήλλαξεν, ἀντὶ Ὀκταουΐου παιδὸς Ὀκταουΐου, Καῖσαρ εἶναι καὶ Καίσαρος υἱὸς καὶ διετέλεσεν. οὕτω χρώμενος". (Lib. III. p. 532.) Hæc ſi ſenſum ſpectes, non male vertit interpres. „ *Confeſtimque cœpit nominari Cæſar, quum alioqui Romanis ſit mos, aſſumere nomen patris adoptiui. Hic vero id omnino mutauit, pro Octauio Octauii filio, dictus in perpetuum Cæſar filius Cæſaris*". Sed Ill. Spanhemius (T. II. p. 81.)

hemius τὸ ῥητὸν pressius sequendum ratus, hunc verborum elicit sensum: „ *Et confestim CAESAR est nominatus: Romanis enim mos ille est, vt* „ *adoptati adoptantium nomina adsumant: HIC VERO NON ADSVM-* „ *SIT, sed etiam suum & parentis nomen omnino immutauit; pro OCTA-* „ *VIO OCTAVII FILIO, CAESAR ac CAESARIS FILIVS,* „ *& constanter quidem dici deinceps voluit*". Hic arbitratur Vir summus ἀσύστατα, & quæ se mutuo destruant dici, miraturque fugisse id interpretem Appiani, neque postremum scriptoris eius editorem quidquam ea de re in notis monuisse. Octauium, vt appellabatur ante adoptionem, post eandem ratam habitam adoptiui parentis nomine CAESAREM dictum, vtique consuetudini Romanorum, qua adoptati adoptantium nomina adsumebant, esse obsecutum, adeo, vt ne OCTAVII quidem & OCTAVII FILII aut OCTAVIANI nomina retinuerit, sed CAESAR demum & CAESARIS FILIVS appellari voluerit. In Appiani proinde verbis supplendam esse vocem μόνον, legendumque ὁ δὲ οὐκ ἐπέλαβεν μόνον, ἀλλὰ καὶ κ. τ. λ. *Hic vero* (Cæsaris cognomen) *non adsumsit solum, sed etiam*, & reliqua. Sed puto, nihil peccauero in manes tanti Viri, si dixerim, superuacaneam hanc videri emendationem, & sensum loci illius absque ea sibi affatim constare. Ἐπιλαμβάνειν enim hoc loco idem est atque ἐπὶ τοῖς ἄλλοις λαμβάνειν, ita, vt opponatur τῷ περιλαμβάνειν. Adoptati enim non abiiciebant prorsus nomina priora, sed vni ex iis retento, &, si gentile esset, leuiter inflexo adoptantis nomina iungebant, vnde dicti illi ἐπιλαμβάνειν, h. e. super nomen ex parentibus naturalibus relictum assumere sibi, quæ adoptantes gerebant, nomina. At secus factum ab Octauio, postea Cæsare Augusto, qui non ἐπέλαβεν hoc sensu nomen parentis sui adoptiui, vt id nomini naturali iungeret, quod post adoptionem agnoscebat nullum, sed potius & suum & paternum omni ex parte immutauit. Ita enim iteratam illam particulam καὶ vertendam puto, non vt Vir illustris, *sed etiam, suum & paternum nomen omnino immutauit*, vnde mirum non est, vocem μόνον, quam particulæ ἀλλὰ καὶ eo sensu acceptæ requirunt, illi visam desiderari. Immutauit nempe suum nomen, qui loco OCTAVII se CAESAREM, paternum vel parentis, qui pro OCTAVII F. CAESARIS F. se appellauit; Id quod sibi velle Appianum, nexus orationis clarissime docet. Mutationem hanc vtriusque nominis numi passim loquuntur, in quibus inscriptio DIVI, nempe CAESARIS, F. Sed notanda hoc loco verba Dionis, qui, de Cæsare Consule creato: „ Ἐς τὸ τοῦ Καίσαρος γένος, inquit, κατὰ τὰ νομιζόμενα ἐσεποιήθη, καὶ διὰ τοῦτο καὶ τὴν ἐπίκλησιν μετέθετο. „ Ὠνόμαζε μὲν γὰρ καὶ πρότερον αὐτὸς ἑαυτὸν, ὥσγε τισὶ δοκεῖν, Καίσαρα, ἐξ οὗ τὸ ὄνομα „ αὐτῷ τοῦτο μετὰ τοῦ κλήρου κατελήφθη· οὐ μέντοι οὔτ' ἀκριβῆ τὴν προσηγορίαν, οὔτε ἐπὶ „ πάντας εἶχε, πρὶν δὴ καὶ ἐκ τῶν πατρίων αὐτὴν τότε ἐβεβαιώσατο". h. e. „ *In* „ *Cæsarum genus secundum instituta maiorum cooptatus est, proptereaque no-* „ *men mutauit. Nam appellauerat equidem iam ante se, vt quibusdam* „ *videtur, Cæsarem, ex quo nomen hoc vna cum hereditate ei relictum* „ *erat, at neque constanter hoc nomen, neque apud omnes gerebat; antequam* „ *id more sibi patrio confirmauit*".

Lib. XLVI. p. 321. sq.

§. V. Quid

§. V.

Quid Capricornus in numis Auguſti, & eorum exemplo cuſis aliis Imperatorum, regum vrbiumque numis ſibi velit, viri docti diſceptant. Vt pleriſque perſuaſum eſt, ſignauit eum Auguſtus, quod hoc ſidere natus eſſet, eoque, orbis quippe terrarum imperium illi portendente, ſibi admodum placeret. Qui ita ſtatuunt, nituntur teſtimoniis luculentis Germanici Cæſaris, Manilii & Suetonii, quorum priores duo manifeſte Auguſti natalibus Capricorni ſidus præficiunt, tertius inſuper docet, Auguſtum huius ſideris nota numos, quales hodie extant, percuſſiſſe. Prouocant eadem de re ad Gellium Triſtanus & Spanhemius; prior etiam productis ex Gellio verbis epiſtolæ Auguſti ad Caium affirmat, addere iis Gellium, ſcripſiſſe Auguſtum, non tantum IX. Kal. Octobris, ſed & Capricorno horoſcopante ſe natum. Sed quod pace tantorum virorum dixerim, nihil horum apud Gellium, qui præter epiſtolam Auguſti, qua de ſexageſimo quarto natali VIIII. Kal. Octobr. a ſe celebrato agit, nihil affert, quod præſenti argumento inſeruiat. Hæc teſtimonia ſcriptorum nihil moratus Cl. Harduinus Capricornum abundantiæ terra marique ſymbolum interpretatur, cenſetque a Suetonio deceptos, qui de natali Auguſti accipiunt. Hanc ſententiam ſuam protulit non tantum in diſſertatione de numis Herodiadum, quam notat Ill. Spanhemius, ſed & in præclaro opere de numis vrbium & populorum, itemque in Chronologia V. T. & Hiſtoria Auguſtorum ex numis. Rationes, quibus adductus a recepta ſcriptorumque teſtimoniis munita ſententia diſceſſit, an tanti ſint ponderis, quanti arbitratur Vir eruditiſſimus, ipſe viderit. Certe qui Illuſtri Spanhemio diſputata cum iis contenderit, ei, niſi omnia me fallunt, vix poterit deeſſe, quod ad ſingulas reſpondeat, ita vt mirer, Cl. Haymium nuperrime eandem Harduini ſententiam calculo ſuo comprobaſſe. Aliam de eodem Capricorno coniecturam ſibi excidere paſſus eſt Morellius noſter, qui cum vidiſſet in numo quodam, primo familiæ Oppiæ ſimili, pone caput aduerſæ partis, Capricornum, ſibique perſuaſiſſet, numos eius gentis omnes ad res nauales ſpectare, putauit, Capricornum in Auguſti numis nihil aliud denotare, quam ſummum imperium victoria nauali Actiaca ab Auguſto acquiſitum, ratus, Manilio auctore huius generis fortunam Capricornum inferre. Colligit inde, fidem Suetonii vacillare, numos Capricorno notatos ad natalitium Auguſti thema referentis, additque, ad ſententiam receptam infirmandam, pridem euictum a viris doctis eſſe, Capricornum natale Auguſti ſidus minime extitiſſe. Ad quæ cum nihil reſpondeat Cl. Perizonius, quam, credere ſe nihilominus Suetonio, diſertiſſime id Capricorni thema in Auguſti numis expreſſum affirmanti; ſpecioſiorem hanc eſſe rationem Capricorni in numis exprimendi, quam Morellianam, obſcuriorem non modo & longius petitam, ſed neque uſu quodam ex aliis numis probatam, rationes Viri optimi, quibus reſponſio Cl. Perizonii parum obeſt, ſub examen reuocare non abs re fuerit. Quod antequam faciam, videndum, an ex his ipſis numis ſint, qui controuerſiæ huic dirimendæ inſeruire poſſint.

De numis Auguſti cum ſymbolo Capricorni.

Germ. Cæſar. Phænom. Arat. ỿ. 554. ſeq. Edit. Schwartzii p. 110.
Aſtronom. Lib. II. ỿ. 507.
Auguſt. c. 94.
Lib. XV. c. 7. Comment. Hiſt. T. I. p. 68.
De Vſu & Præſt. T. I. p. 238.

Opp. Sell. p. 329. ſq.
l. c.
Hard. ibid. p. 185.
ibid. p. 624.
ibid. p. 698. 702. 736.

Teſor. Britann. T. II. p. 8.
Epiſt. ad Perizon. ſubi. Diſſert. de ære graui p. 199.

L. c. p. 281.

§. VI. Eius

§. VI.

De eodem argumento plura. Eius generis esse puto numos Augusti, quorum auersa in parte inscriptio: SIGNIS PARTHICIS RECEPTIS, vel SIGNIS RECEPTIS, vna cum Capricorno expressa cernitur. Horum e numero est, cuius delineationem ex thesauro nostro subiicio.



Stante recepta sententia, Capricornus inscriptioni huic: SIGNIS RECEPTIS concinne iungitur, cuius auspicatissimo, quo natus erat, sideri, Augustus vt orbis terrarum imperium, adeoque tot aliarum gentium obsequium, ita & miram illam Parthorum in reddendis reposcenti, quæ M. Crasso & M. Antonio ademerant, signis, promtitudinem, qua non secus, ac si bello vicisset Parthos, gloriabatur, acceptam ferebat. (Suet. August. c. 21. Dio Lib. LIV. p. 125. seq.) Age iam, si, ex Harduini sententia, Capricornus abundantiam terra marique, aut, ex Morellii, imperium summum victoria nauali Actiaca partum designat, qui symbolo huic conuenit cum inscriptione? Sed vt ad Morellium solum redeam, videamus ante omnia, quo sententia eius fundamento nitatur. Nata illi est ex consideratione numi similis primo familiæ Oppiæ, cuius aduersa pars iuxta caput, quod in ea expressum, Capricornum exhibet. Eum numum, quantumuis in Vaillantii opere de numis consularibus prætermissum, exhibiturus erat Morellius noster in ea, quam parabat, aut potius prælo iam paratam habebat, Fului Patinique de numis Romanarum Familiarum editione, si bono reipublicæ litterariæ, cui natus erat, diutius superfuisset Vir optimus post fata etiam diligentiæ dexteritatisque singularis nomine gratæ, siqua futura est, posteritati commendandus. Sed primo Capricornus in eo sculptus πάρεργον videri haud immerito potest, & ablegari ad notas monetariorum, quales innumeræ in numis familiarum Romanarum sculptæ occurrunt. Deinde cum ille de ipsius sententia Morellii nihil notet, nisi rem naualem, mirum est, quo pacto affirmare possit, eodem in Augusti numis non modo rem, sed & victoriam naualem, eamque Actiacam, ac non modo victoriam, sed & imperium summum, victoria nauali Actiaca partum, designari. Qua ratione porro Manilium sententiæ suæ patronum citare potuerit, non satis intelligo, quando is nihil aliud de Capricorno tradit, quod ad rem faciat, nisi:

Lib. IV. ℣. 566. sqq.

Vltimus in caudæ Capricornus acumine summo
Militiam Ponto dictat, puppisque colendæ
Dura ministeria & vitæ discrimen inertis.

Quibus in verbis nulla victoriæ naualis, nedum imperii victoria nauali obtinendi,

obtinendi mentio occurrit. De natali Augusti eiusque sidere genethliaco, mirum est fugisse optimum Morellium, quæ a nemine ignorantur, post editam Rubenii de natali Augusti dissertationem, vulgatamque simul epistolam Godfridi Wendelini, qui re sub examen, cui Italorum duorum; Thesauri & Monodi, controuersia ansam præbuerat, vocata, pro sua in Astrologicis rationibus excutiendis dexteritate obseruat, „ natum quidem Augustum cum horoscopo surgentis vir- „ ginis , sed natum eundem sidere *Capricorni* quintam sub terris do- „ mum Fortunæ signante". T. XI. Antiqu. Rom. p. 1378.

§. VII.

Noti sunt numi Caligulæ, quibus sorores suas dicam, an prostibula, (cum omnibus enim stupri consuetudinem fecit, vt docet Suetonius) insculpi iussit. Aureum ex gaza Arschotana Hemelarius, æreum primæ magnitudinis alii passim exhibuerunt, plumbeus idem secundæ formæ extat apud Patinum. Eos omnes pretio atque elegantia superat longissime , quem thesaurus noster iampridem seruat, sed adhuc antiquariis minus notum.

De numo Caligulæ, quo tres eius sorores exhibentur. Caligul. c. 24. Tab. 5. p. 14. Imper. Numism. p. 91.



Aduersa in parte capita duo iugata occurrunt, alterum Caii, alterum Drusillæ , vna cum inscriptione: *Caius* CÆSAR AV*Gustus* PONTifex MAXimus TRibunitia Potestate. Auersa pars capita reliquarum duarum sororum sibi opposita sistit cum adscriptis earum nominibus: AGRIPPINA, IVLIA. Haud paulo rectius hinc distinctiusque vultus trium Caii Sororum cognoscas, licet, quam ex numis adhuc vulgatis , in quibus sculptæ totæ sunt, qua ratione factum, vt partibus singulis corporis, capitique inprimis ad viuum delineando artifex æque operam dare haud potuerit. Contra in hoc numo vultus singularum , forma, ætas, ita pellucet, vt iudicio de ingenio moribusque earum ferendo materies sagacioribus deesse haud possit. Atque Agrippina quidem & Iulia, quam Liuillam appellat Suetonius, vnde & Liuia in quodam ex ære magno numismate dicitur, cum apud Iosephum , Tacitum , ac Dionem nomine Iuliæ gaudeat , auersa in parte numi expressæ conspiciuntur. *Eas enim nec cupiditate tanta , nec dignatione* pessimus Imperator, vt auctor est Tranquillus, *dilexit.* Drusillæ caput suo proxime iunxit Caius, vt *quam, prætexta necdum posita, vitiauit*, quam *Lucio Cassio Longino Consulari collocatam abduxit*, *& in modum iustæ uxoris propalam habuit, heredem quoque bonorum atque imperii æger instituit, qua defuncta iustitium indixit, in quo risisse, lauisse, coenasse cum parentibus, aut coniuge, liberisue capitale fuit, ac mœroris impatiens, cum repente noctuque profugisset ab vrbe, barba capilloque promisso rediit, nec vnquam quantiscunque de rebus, ne pro concione quidem populi*

Calig. c. 7. Harduin. Histor. August. Opp. Sell. p. 715. Ioseph. Antiquit. Lib. XIX. c. 3. p. 671. Tacit. Annal. Lib. VI. c. 15. Dio. Lib. LX. p. 667. 670. L. c. c. 24. L. c.

l. c. *puli aut apud milites, nisi per numen Drusillæ, deierauit*, prout idem Tranquillus memoriæ prodidit, quam in sententiam plura apud Dionem legas. Vt vero Drusillæ in hoc numo præcipuum habuit honorem Caius, ita eadem iuxta cum Caio sola sculpta cernitur, in numis Græcis apud Patinum, Vaillantium, Morellium & Haymium. Latinus eius numus æreus primæ magnitudinis cum filia Cæsoniæ, *Iulia Drusilla* ex auersa parte extat in thesauro Parmensi descriptus pluribus a Cl. Pedrusio, sed quem dubiæ fidei haberi a peritis antiquariis docet Ill. Spanhemius. Mirum est, Virum summum, cum occasio id ferret, non monuisse, quid sentiendum sit de simili Drusillæ numo æreo, quem Patinus publici iuris fecit, in quo Iuliam Drusillam in auersa parte Drusillæ & Caii filiam interpretatur Vir eruditissimus, de qua miratur, se ne γρῦ quidem apud antiquos scriptores reperisse, cum ea sit Cæsoniæ filia, de qua Suetonius: *Enixam vxorio nomine dignatus est, vno atque eodem die professus & maritum se eius, & patrem infantis ex ea natæ. Infantem autem, IVLIAM DRVSILLAM appellatam, per omnia Dearum templa circumferens Mineruæ gremio imposuit, alendamque & instituendam commendauit. Nec vllo firmiori indicio sui seminis esse credebat, quam feritatis, quæ illi quoque tanta iam tunc erat, vt infestis digitis ora & oculos simul ludentium infantium incesseret.*

Lib. LIX. p. 648.

Patin. ad Suet. Calig. c. 24. p. 218. Vaill. Numism. Græc. p. 12. Morell. Specim. Tab. XX. p. 203. Haym. Tesor. Brit. T. II. p. 181. Tab. III.

T. VI. p. 67. seqq. Tab. VI.

T. II. p. 279. ad Suet. Caligul. c. 24.

L. c. c. 25.

§. VIII.

De numis aureis Galbæ Mediobarbo prætermissis.

Quam multa desint Mediobarbi operi, quo Imperatorum Romanorum numos Latinos recensuit, quod ad posteriora tempora attinet, luculenter docet Vir eruditionis diligentiæque laude nemini hodie postponendus, Anselmus Bandurius in commentariis, quibus Imperatorum eorundem inde a Traiano Decio numismata cum Latina tum Græca ordine concinno descripsit. Haud pauciora desiderari, si primorum Imperatorum ætatem spectes, cum plurimis exemplis liceat euincere, vno Galbæ contentus ostendam, quantum illi vel ex aureorum numorum classe addi possit. Cum Galbæ numi aurei inter rariores numerentur, sex eorum tantum commemorat Mediobarbus. Iis ex vna Gaza nostra, ne de aliis accessionibus nunc loquar, quinque ante omnia adiiciendi, quorum auersas tantum partes breuiter descriptas dabo:

Imp. Roman. Numism. p. 98. sq.

CONCORDIA PROVINCIARVM. *Figura muliebris stans dextra ramum oliuæ, sinistra cornucopiæ tenet.*

S. P. Q. R. OB CIVES SERVAT. *In corona quernea.*

HISPANIA. *Figura muliebris, cuius in dextra spica & papauer, in sinistra clypeus cum duabus hastis.*

VICTORIA P. R. *Victoria globo insistens dextra lauream; sinistra palmam gestat.*

Tum vero haud prætereundus, cuius delineationem subiicio.

Caput



Caput Galbæ laureatum in aduerſa parte notatur epigraphe: IMP*erator* GALBA CAESAR AVG*uſtus*. Auerſa pars ſiſtit figuram muliebrem, quæ dextra ſublata ramum oliuæ caduceumque iunctim tenet, ſiniſtra demiſſa clypeum, vt videtur, cum inſcriptione: PAX AV-G*uſta* vel AVG*uſti*; nam vtrumque totidem verbis alii numi exhibent. Inſcriptio admodum trita eſt & frequens, quam adductis ſcriptorum locis illuſtrat ſummus vir Ezech. Spanhemius, non æque typus, T. II. p. 641. quem apud Antonium Auguſtinum & Iacobum Oiſelium fruſtra quæras. Monet is nempe, PACEM hanc non emtam largitionibus, non emendicatam precibus, aliaue minus honeſta ratione expreſſam, ſed virtute armorum partam eſſe, monet inſuper, reddita quantumuis tranquillitate armorum curam prorſus abiiciendam haud eſſe. Vt vero PACEM hic Galba, ita PACEM ORBIS TERRARVM alio numo iactitat, propterea quod, vt auctor eſt Suetonius, *Non* c. 11. *prius uſum togæ recuperauit, quam oppreſſis, qui res nouas moliebantur, præfecto prætorii Nymphidio Sabino Romæ, in Germania Fonteio Capitone, in Africa Clodio Macro, legatis.*

§. IX.

De numo Veſpaſiani cum auerſa parte filiorum, Titi & Domitiani.

LIBERI IMP*eratoris* AVG*uſti* VESPASIANI, quemadmodum in argenteo numo appellantur, Titus nempe ac Domitianus, in auerſa numorum eius parte haud vnis modis expreſſi occurrunt. Modo ſtantes cernuntur, idque togati pariter ac paludati, modo ſedentes, modo equitantes. Aliquando ſculptor capita tantum eorum exhibuit, vt in argenteo, qui in gaza noſtra extat, numo cum epigraphe: CAESAR AVG*uſti* F*ilius* CO*nSul*. CAESAR AVG*uſti* F*ilius* PR*ætor*. qui quidem & aureus reperitur in gaza regia Gallorum. Ab eo, ſi typum ſpectes, parum recedit eiusdem gazæ noſtræ numus aureus, cuius iconem ſubiicio.



Quod ad inſcriptas vero litteras attinet, ita ab eodem differt, vt pretio eum & elegantia longiſſime poſt ſe relinquat. Aduerſa in parte caput Veſpaſiani laureatum cum inſcriptione: IMP*erator* CAES*ar*

VESP*asianus* AVG*ustus.* In auersa duo capita, sibi opposita, Titi & Domitiani, & inscriptio clarissimis verbis expressa, quam, initio a superiori numi parte facto, lego: CAESAR AVG*ur* TR*ibunicia* P*otestate.* CAESAR AVG*usti* F*ilius* CO*n*S*ul.* Priora verba ad Titum spectant, qui CAESAR AVG*ur* TR*ibunitia* P*otestate* appellatur: Ita enim litteras AVG. interpretandas esse, non AVG*ustus*, patet, quod Vespasiano, cui AVG*usti* dignitas propria ac peculiaris, viuo numus est percussus, vnde communicari ea dignitas cum filio, tametsi ceteroquin tribunitiæ, quod & inscriptio docet, iam tum consorte, non potuit. Id enim velut nouum ac singulare quiddam post Antonini Pii demum fata contigit, vt duo simul Imperatores AVG*u-* [T. II. p. 375.] *sti* titulo fuerint insigniti, quemadmodum præclare obseruat Ill. Spanhemius. AVG*uris* vero dignitatem, cuius in laudes plus semel excur- [Deleg. II. c. 12. conf. Plin. Lib. IV. Ep. 8. Goltz. Thes. p. 49. sqq.] rit Tullius ipse augur, Cæsarei fastigii titulis adiectam cerni, res est satis nota, quæ Augusti, Vitellii, Vespasiani, Titi ac Domitiani, quos tres posteriores proinde in numis Goltzii Græcis ΟΙΩΝΙΣΤΑΣ appellari videas, haud infrequentibus exemplis comprobatur. Spectat huc ipsius Vespasiani numus argenteus thesauri nostri, quem ex gaza Vi- [L. c. p. 85.] ennensi citat Ill. Spanhemius, cuius auersa in parte instrumenta Pontificalia, simpulum, aspergillum, vrceolus, & lituus cum inscriptione: AVGVR TRI. POT. Eosdem titulos Titus cum in hoc [Num. Arschot. Tab. XXVIII. n. 12. Tit. c. 6.] numo sibi vindicat, tum in alio gazæ Arschotanæ, in quo tripus cum delphino & epigraphe: AVGVR PONT. TR. P. COS. II. CENS. quas inscriptiones mire illustrat Suetonius, qui de Tito *Redux,* inquit, *ex oriente non destitit participem imperii atque etiam tutorem agere: triumphauit etiam cum patre, censuramque gessit vna, eidem collega & in tribunitia potestate, & in septem consulatibus fuit.* Domitianus neque AVG*ur* adhuc neque tribunitiæ potestatis particeps CAESAR AV-G*usti* F*ilius* appellatur, adiecto non PR*ætoris*, vt in numo illo argenteo aureoque, de quo supra, sed eodem, quo ibi frater Titus macta- [Domit. c. 2. & 13.] tur, CO*n*S*ulis* titulo. Primum hic consulatum Domitiani, quorum ille, Suetonio teste, septem, Patre & fratre superstite, septendecim in vniuersum gessit, intelligendum esse, prout nemo dubitauerit, ita non ordinarium sed suffectum eum fuisse, manifestum reddit inscriptio [p. DLXXIII. 1.] apud Gruterum, quæ Consulatum III Vespasiani patris ordinarium cum Domitiani & Cn. Pedii Casti consulatu coniungit, vnde liquet posteriores σμικροτέρυς ὑπάτυς, MINORES CONSVLES, quem- [Lib. 48. p. 378.] admodum eos Dio appellat, fuisse.

§. X.

[*De numo Hadriani cum typo Herculis.*] Hadriano, Herculis in peragrando orbe terrarum & beneficiis ornando humanum genus sedulo imitatori, nomen herois tanti diserte tribuunt Græci eius numi, in quibus ΑΥΓ. Κ. ΑΔΡΙΑΝΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΗΡΑΚΛΗΣ ΡΩΜΑΙΟΣ, h. e. *Imperator Cæsar Hadrianus Augustus, Hercules Romanus,* & ΤΩ ΗΡΑΚΛΕΙ ΣΩΤΗΡΙ ΑΥΓ. h. e. *Herculi Seruatori Augusto,* quos quidem ex Casauboni ad Spartianum no- [T. II. p. 492.] tis citat Ill. Spanhemius. Priorem ex his laudat etiam Iosephus Sca- [Ad Euseb. p. 211.] liger, qui perperam ibidem Hadriani aureum numum cum figura tem-

pli

pli Herculis Gaditani, Bæti, fluuio, infra decumbente, ad Τέμενος τὸ Ἐλευσινίων, in quo Hercules initiatus, refert, & fluuium infra cubantem Cephiſum interpretatur. Idem nomen Hadriano ex Latinis numis aureus cum inſcriptione HERC. GAD. impertiri viſus eſt non tantum Triſtano, ſed & Ill. Spanhemio. Ita enim poſterior in editione altera præſtantiſſimi Operis ſui. „ Herculis etiam nomen eidem Ha- „ driano tribuunt aliquot numi, qualem vnum euulgauit Triſtanus „ cum inſcript. HERC. GAD. ſeu Herculi Gaditano". Sed ipſe Hercules, cuius effigies cum claua & tribus pomis expreſſa cernitur, non Hadrianus id nominis fert in numo eo, quem Imperator ille ad arguendam originem ſuam ex Italica vrbe ad Bætim, quem figura decumbens denotat, ſita, in qua, perinde atque in toto illius prouinciæ tractu, Herculis Gaditani cultus florebat, cudendum curauit. Præclare id oſtendit Cl. Vaillantius, cuius ſententiæ, re maturius expenſa, ſubſcripſiſſe Ill. Spanhemium, inde haud immerito colligas, quod in tertia eiusdem operis editione verba paulo antea adducta prorſus expungenda duxit. Sed ſi minus nomen Herculis Hadriano tribuunt Latini numi, eius tamen effigie eundem haud obſcure deſignant, cuiusmodi eſt, cuius delineationem ex gaza noſtra ſubiungo.

Comm. Hiſt. T. I. p. 747. p. 745. Præſtant. Numiſm. T. II. p. 149.



Caput Hadriani priori in parte numi laurea cinctum læuæque obuerſum; Inſcriptio: IMP*erator* CAESAR TRAIAN*us* HADRIANVS AVG*uſtus*. In poſteriori Hercules ſpoliis inſidens, dextra clauæ innititur, ſiniſtra exuuias leoninas tenet, cum epigraphe: P*ontifex* M*aximus* CO*nSul* III. Imperatores Romanos cum Hercule componi, iam inde ab Auguſti temporibus receptum. Horatius de Auguſto: Lib. III. Od. 13.

Herculis ritu modo dictus, o plebs,
Morte venalem petiiſſe laurum,
Cæſar Hiſpana repetit penates
Victor ab ora.

Inde & ſtatuæ eorum Herculeo habitu effictæ, cuiusmodi Domitiano poſitam aliquoties memorat Martialis: InprimisLib. IX. Epigr. 65.

Herculis in magni vultum deſcendere Cæſar
Dignatus, Latiæ dat noua templa viæ.

Eiusmodi ſtatuam videtur exhibere in gaza noſtra numus argenteus Traiani, ab Oiſelio vulgatus, in quo Hercules, vel potius, ſub Herculis figura, Traianus baſi inſiſtens, clauam & ſpolia geſtat cum inſcriptione: P. M. TR. P. COS. III. P. P. Simili ratione Hadrianus Herculis effigie expreſſus in hoc numo cernitur, quæ ita ei, tot Tab. XLIV. p. 233.

 terras,

terras, tot maria emenſo, & varia iniuriarum monſtra, quibus Romanus orbis ſub præſidibus iniquis conflictabatur, vlto conuenit, vt velut propria ei videatur: adeo alterius acta & labores alterum velut rediuiuum ſiſtunt. Quod autem Hercules ſpoliis inſidet, atque in ſimili argenteo numo gazæ Farneſianæ victoriolam tenet, non abs re fuerit, quemadmodum & viſum eſt doctiſſ. gazæ Farneſianæ interpreti, Petro Pedruſio, HERCVLEM eum VICTOREM, quæ inſcriptio in numis ſequiorum temporum occurrit, interpretari. Nam certe, quantumuis ſtans ille haud ſemel effingatur, tamen ita Maximiani Herculei numiſmata ex auro & ære apud Triſtanum & Begerum exhibent, quæ vna cum aliis diligenter recenſet Cl. Bandurius, qui ſententiæ Triſtani Begerique, ſtatuentium, Herculis ſedentis habitu Maximianum imperio poſito quieſcentem repræſentari, haud immerito refragatur. Sed dum effigie ea Maximianum prorſus negat repræſentari, quod tamen manifeſte ſuadet alter numus æreus apud Begerum, & ita explicari poteſt, vt dicamus Maximianum eo in numo poſt tot gentes barbaras deuictas, Herculis ritu reſpirare pauliſper, haud ſcio, an nimio plus ingenio ſuo indulgeat. Quamquam enim cum in natali vrbis, quod docet Mamertinus, tum alias, vt patet ex antiquis monumentis apud Gruterum, HERCVLI VICTORI vota ſoluta ſunt, quod tamen in numis his nulla votorum fit mentio, ad ea ibi reſpici fruſtra, vt arbitror, Vir doctiſſimus coniectat. Vnde, vt ad numum præſentem redeam, nihil ego, ſaluis tamen aliorum ſententiis, dubitem, ex his ipſis Maximiani numis eius petere interpretationem, ac ſtatuere, Hadrianum, ſub hoc ſchemate HERCVLIS VICTORIS, peragratis Romani orbis finibus, perfunctumque ex voto laboribus, quos generis humani demerendi cauſa ſubierat, quieſcentem ac velut reſpirantem exhiberi.

T. III. Tab. III. n. 3. p. 34. ſq.

T. III. p. 367. Tom. III. p. 170. T. II. p. 780. Tom. II. p. 50. 71.

Panegyr. in Maxim. Hercul. c. 13. p. XXIII. 3. L. 23. 45. MLXX. 7.

§. XI.

De Hadriani eiusdem numo cum typo Victoriæ & inſcr. VICTORIA AVG. c. 5.

De eodem Hadriano Spartianus: „ Adeptus imperium ad priſcum „ ſe ſtatim morem inſtituit, & tenendæ per orbem terrarum paci ope- „ ram impendit. Nam deficientibus his nationibus, quas Traianus „ ſubegerat, Mauri laceſſebant, Sarmatæ bellum inferebant, Britanni „ teneri ſub Romana ditione non poterant, Aegyptus ſeditionibus vr- „ gebatur, Lycia denique ac Palæſtina rebelles animos efferebant. Qua- „ re omnia trans Euphratem ac Tigrim reliquit, exemplo, vt dice- „ bat Catonis, qui Macedonas liberos pronuntiauit, quia teneri non „ poterant". Et alio loco: „ Expeditiones ſub eo graues nullæ „ fuerunt; bella etiam ſilentio pene transacta". Hinc mirum non eſt, in tanta multitudine numorum Hadriani pauciores vel EXPEDITionem vel VICTORIAM AVGuſti ob oculos ponere. Ex poſteriorum genere eſt aureus gazæ noſtræ.

c. 21.

In



In parte aduersa caput Hadriani nudum, prout plerumque occurrit, vnde lucem fœnerantur Dio ac Spartianus, qui Imperatorem eum, caloris quippe & frigoris patientem, caput texisse negant. Οὔτε τὴν κεφαλὴν, inquit prior, οὐκ ἐν θάλπει, οὐκ ἐν ῥίγει ἐκαλύφθη· ἀλλὰ καὶ ἐν ταῖς χιόσι ταῖς Lib. LXIX. Κελτικαῖς καὶ ἐν τοῖς καύμασι τοῖς Αἰγυπτιακοῖς, γυμνὴν αὐτὴν περιῄει h. e. „ *Neque* p. 792.
„ *calore, neque frigore adduci potuit, vt caput operiret; verum & in* „ *Celticis niuibus & in Aegyptiacis caloribus id nudum reliquit*". Et po- c. 17.
sterior: *Frigora & tempestates ita patienter tulit, vt nunquam caput tegeret.* Nam ansa ex numis huiusmodi, in quibus Hadriani caput nudum, arrepta, finxisse id scriptores, ipse, vt eodem verbo vtar, fingit celeberrimus Harduinus, cuius obseruationem de eodem capite Ha- Hist. Aug.
driani nudo, quo significari contendit, nulli eum bellicæ expeditioni Opp. Sell. p. 762.
præfuisse, nullam ab eo insignem aut cruentam victoriam de hostibus fuisse reportatam, inter figmenta potiori iure numeraueris. Inscriptio: HADRIANVS AVG*ustus* CO*n*S*ul* IIII. P*ater* P*atriæ*. Auersa pars Victoriam sistit gradiuam, vultu dextrorsum conuerso, dextra lauream, sinistra palmam tenente, una cum epigraphe: VICTORIA AVG*usti*. Interpres gazæ Farnesianæ P. Pedrusius similes argenteos nu- e Museo Farnes. T. III. p. 99. sqq.
mos refert ad victoriam de Iudæis, quibuscum Hadrianus bellum haud parui momenti gessit. Quod saltem longe verosimilius, quam quod Cl. Harduinus affirmat, *nihil aliud significari, quam leuem aliquam ad-* De Num. Vrb. & Popul. Opp. sel. p. 76.
uersus latrones, tunc Galliam Italiamue infestantes, expeditionem.

§. XII.

Quid enim adfert tandem Vir doctissimus, vt persuadeat nobis, ex- *De eodem numo plura.*
peditionem Iudaicam, quam commemorant scriptores, fuisse nullam? Aduentum Hadriani pacificum in Iudæam celebrant numi. At quos pacatos sub aduentum suum inuenit, an ii post discessum eius rebellare non potuerunt? Iudæa tum ab Ethnicis habitata, ac tota Græca erat. At scriptores, qui Iudaici huius belli meminerunt, alia omnia nos docent, quibus cum fidem habendam neget Vir celeberrimus, quæ tandem firmiora profert argumenta, vt sententiam nobis suam verosimilem reddat? Nempe Iudæa coram Hadriano rem diuinam facit. Non respondebo, factum id esse a recutita gente, quod aduentu & præsentia Hadriani, qui patria religione illi ac circumcisione interdixerat, territa ad gentilia sacra se pronam simularet, quemadmodum Tri- T. I. p. 467. sq.
stanus numos cum inscriptione: ADVENTVS AVG. IVDEÆ & IVDEA, exponit. Verum si non cadebat hæc simulatio in Iudæos saltim omnes ac singulos, potuere gentilem superstitionem professi, qui inter eos habitabant, vna cum Iudaici ritus cultoribus minus

nus

nus ſinceris, ſub aduentum Imperatoris, facere ſacra, idque Romani, tanquam ab Iudæa vniuerſa factum eſſet, interpretari. Vnde hinc nullo modo efficitur, Hadriani tempeſtate Iudæos ortu & ritu tales in Iudæa omnino nullos fuiſſe. Porro, quod ad numos ΚΑΠΙΤΟΛΙΕΩΝ, ΔΙΟСΠΟΛΙΤΩΝ & ΡΑΒΒΑΘΑΜΗΝΩΝ prouocat Vir celeberrimus, primo non equidem ad rem facit vel ΡΑΒΒΑΤΑΜΗΝΑ (ita enim exhibet vocem Vaillantius, [Num. Græc. 155.] ΡΑΒΒΑΤΑΜΑΝΑ ſcriptoribus dicitur) vrbs Arabiæ montanæ, quæ & Philadelphia dicta, [V. Reland. Palæſt. p. 95. Chronol. V. T. p. 638.] tametſi eam ad mare Galilæum reuocat Vir doctiſſimus, ea de cauſa, quod Neptunum in numo Caracallæ inſculpſit, cuiusmodi vero ab hac vrbe percuſſum Vaillantius haud memorat, [L. c. p. 109.] qui ſimilem cum inſcriptione: ΡΑΒΑΘΜΩΜΑ recenſet, vel ΚΑΠΙΤΟΛΙΑΣ, quam fruſtra ille, qua de re alio loco, cum Aelia Capitolina confundit. Pone autem, pertinere huc eas vrbes, ſi eæ, vna cum Dioſpoli, vel plures, quam Iudæos, vel vnos forte Græcos incolas habuere, num id argumento eſt, nullos omnino in Iudæa Iudæos, Hadriani ætate, fuiſſe ſuperſtites? Neque vero maioris ſunt momenti, quibus vlterius ſententiam ſuam propugnat Vir celeberrimus, rationes, nempe Hadrianum IMP. II. in numis haud dici, prædicari in iis PACEM & TRANQVILLITATEM, itinera poſtremo, quibus Hadrianus orbem Romanum peragrauit, nulli bello locum reliquiſſe. Poſteriora duo, quæ vrget Vir eruditiſſimus quam infirma ſint, non opus eſt pluribus oſtendere. PAX enim & TRANQVILLITAS in numis prædicari potuit Hadriani tempeſtate, etiamſi imperium eius bellicis motibus prorſus haud vacauit. Nam ſatis eam in rem erat, pluribus in locis & maximam temporis, quo imperauit, partem pacata & tranquilla omnia fuiſſe. Luſtrationes autem prouinciarum tam vaſti imperii quis neget nouis rebus ſtudendi locum relinquere potuiſſe, cum Imperatori vbiuis perpetuo adeſſe haud liceret? Prior ratio ſpecioſior, de titulo IMP. haud iterato: Sed qui in numis IMP. II. haud appellatur, [Grut. Inſcript. CCXLVIII. ſeq.] ita in aliis temporum illorum monumentis dicitur, quorum fidem ſine ratione vellicat Vir eruditiſſimus, cui nemo non largietur, appellationem illam bello Iudaico longe eſſe priorem, quando ea cum TRIB. POT. III. h. e. tertio imperii anno, [Spartian. c. 6. Tillem. Hiſt. des Empremes T. II. Part. II. p. 387.] quo bellum cum Sarmatis geſtum eſt, coniungitur. Quod autem Hadrianus, bello Iudaico confecto, hunc Imperatoris titulum, aucto illo, qui addi ſolet, numero, neque in numis neque alibi denuo aſſumſit, neque, vt in TITI numis, IVDAEA CAPTA in numis Hadriani dicitur, aut tropæa, ſpolia, captiuique flentes in iisdem cernuntur, quod requirit Vir celeberrimus, rationem reddit Dio, [Lib. LXIX. p. 794.] qui docet, tot Romanos bello eo periiſſe, vt Hadrianus cum ſcriberet ad Senatum, non vſus ſit exordio, quo vti Imperatores conſueuerant. SI VOS LIBERIQVE VESTRI VALETIS, BENE EST; EGO QVIDEM ET EXERCITVS VALEO, vnde patet, ob cladem immenſam Romanorum, qua victoria Iudaica conſtabat, Hadrianum appellatione ea de induſtria ſeſe abſtinuiſſe. Quocirca &, vt fatear quod res eſt, numos cum inſcriptione: VICTORIA AVG. adeoque & ſuperiorem ad victoriam Iudaicam haud retulerim, ſed ad anteriorem, ab Sarmatis reportatam, quibuscum bellum anno tertio imperii geſſit,

quo

quo & ſpectat numus æreus primæ formæ, cum inſcriptione: EXPED. AVG. de quo inferius dicendi occaſio recurret. *Cap. VIII. §. V.*

§. XIII.

Poſtumi numum præſtantiſſimum rariſſimumque ex theſauro Principis Arnſtadio-Schwartzburgici, ANTONII GVNTHERI commemorat Cl. Bandurius, ac pro inſtituti ſui ratione breuiter ac ſtrictim deſcribit. Cum gaza illa pridem, atque adeo dudum ante quam condidit præclarum opus ſuum Vir eruditiſſimus, mutato priſtino poſſeſſore, Gotham, ſedem Sereniſſ. FRIDERICI II. conceſſerit, & Fridericiani, quod in hoc Opere deſcribendum ſuſcepi, cimeliarchii partem nobiliorem præſtantioremque efficiat, liceat eius, omnium, quos Poſtumo percuſſos conſtat, elegantiſſimi pulcherrimique delineationem ex archetypo ſubiicere. *De numo Poſtumi cum typo Solis & Lunæ.* T. I. p. 286.



Adverſa pars exhibeatne Poſtumorum, Patris & Filii, quod vulgo arbitrantur, an Poſtumi & Iouis, quemadmodum Cl. Harduinus exiſtimat, aut eiusdem & Herculis capita, quæ Morellius noſter agnoſcit in Poſtumi numis duobus, æreo altero maximi moduli ex hac ipſa gaza, altero aureo theſauri regii Gallorum, quorum priorem, vt eſt apud nos, nunquam a ſe viſum & tam perito veterum numorum iudici, qualem fuiſſe Morellium noſtrum omnes conſentiunt, probatum, adulterinum tamen ac recentem appellat Cl. Harduinus, non contendam nunc multis, modo ne Poſtumus filius propterea ad fabulas relegetur prorſus, quem a patre Cæſarem appellatum, ac deinceps in eius honore Auguſtum, cum patre interemtum Trebellius Pollio tradit. Quod enim Cl. Bandurius ait, demonſtraſſe videri Cl. Harduinum, vnicum fuiſſe Poſtumum Auguſtum, id de vnico in numis, qui adhuc noti ex cimeliarchiis, Poſtumo haud dubie capiendum eſt, vnde equidem, alterum fuiſſe nullum, contra manifeſtum Pollionis teſtimonium fruſtra colligas, cum fieri poſſit, vt deliteſcant adhuc numi, qui vni eidemque adſcribi haud poſſint. Id certum, vt aliorum, ita & præſentis ad patrem tantum pertinere inſcriptionem: POSTVMVS PIVS FELIX AVG*uſtus*. Auerſæ partis ſymbola caput duplex, Solis alterum, alterum Lunæ; Inſcriptio: CLARITAS AVG*uſti*. Recte obſeruauit Cl. Bandurius, hunc typum pariter & adſcriptas ei voces primum occurrere in numo præſenti. Sed addere debuerat, neutrum præterea vllo in numo eorum, qui adhuc prodiere, deprehendi. Fallitur enim Vir eruditiſſimus, quando eandem ſaltem inſcriptionem in Diocletiani numo reperiri contendit. „ Hæc epigraphe, (verba ſunt eius ad numum Val. Maxi- *Hiſt. Auguſt. Opp. Sel. p. 856. Specim. p. 42. & 78. Hiſt. Auguſt. Opp. Sel. p. 857. In Gallien. c. 4. & XXX. Tyran. 2. 3. Præf. ad T. I. T. II. p. 68.*

 „ miani

„ miani cum inſcriptione : CLARITAS AVGG.) primum in „ Poſtumo, ſed typo diuerſo, deinde in Diocletiano occurrit, & quidem Poſtumi & Diocletiani numus inſcribitur CLARITAS „ AVG. hic autem AVGG. Cuſus quibusdam videtur hic numus „ Diocletiano, ob victorias ab eo in Oriente relatas, deinde ne aliquis honos vni tantum deferri videretur, eundem numum, qui „ Diocletiano oblatus, Maximiano dicatum putant, & propterea „ inſcribi : *Claritas Auguſtorum.* Sed huius coniecturæ vanitatem „ demonſtrat laudatus Poſtumi numus". Inde & ſub Diocletiano epigraphen numi eius ita exhibet: CLARITAS AVG. D. P. TR. obſeruatque in notula ſubiecta, Mediobarbo eum ex Patino prolatum eſſe. Sed ſi doctiſſimus Vir Patinum, quod aliis ſuadet, ipſe conſuluiſſet, vidiſſet, inſcriptionem eandem in Diocletiani numo eſſe, atque in altero illo Maximiani: CLARITAS AVGG. Imo, ne opus quidem erat, vt Patinum conferret; niſi enim Mediobarbum inſpexiſſet feſtinantius, nullo idem illud negotio intellexiſſet. Ita enim ille de numo Diocletiani: „ CLARITAS AVGG. D. P. TR. Sol „ nudus radiatus, ſiniſtra elata cum globo, ad pedes captiuus:" vbi miror tamen, ad Indicem potius Patini, quam ad ipſum opus de numis Imperatorum æreis ſecundæ ac tertiæ formæ, in quo delineatus iuxta & deſcriptus extat, lectores ablegari. Patet vero hinc, quam friuola ſint, quæ de numo hoc primum Imperatori Diocletiano, deinde, ne honos vni tantum deferri videretur, Maximiano dicato ex aliorum ſententia refert Cl. Bandurius, cum vtrobique CLARITAS AVGG. nempe Diocletiani pariter atque Maximiani prædicetur.

L. c. p. 40. Numiſm. Imp. p. 442. p. 224. l. c.

§. XIV.

De eodem plura.

Ceterum in numis Diocletiani & Maximiani CLARITAS AVGG. vno Solis typo deſignatur ſtantis, vt vidimus, dextramque eleuantis, ſiniſtra tenentis globum. In Poſtumi numo Solis & Lunæ capita coniunctim ſeſe offerunt, quo typo notum eſt AETERNITATEM indicari, tametſi eadem & vno Solis ſymbolo expreſſa occurrit. Seruat gaza noſta Veſpaſiani numum argenteum, in quo figura velata, ſtans ante aram accenſam, dextra manu caput Solis, ſiniſtra Lunæ geſtat cum inſcriptione: AETERNITAS. Cui non abſimilis alter pariter argenteus Hadriani in eadem gaza noſtra, in quo mulier ſtans capita Solis & Lunæ geſtat, adſcriptis ad vtrumque latus in area vocibus: AET. AVG. & in margine P. M. TR. P. COS. II. Hinc in veteri inſcriptione apud Gruterum:

p. XXXII. 9.

AETERNITATI
SACR
SOLI ET LVNAE
P. NOVELLIVS P. F.
PAL. VERVS D. D. reliqua.

Ib. 10. & in alia:

SOLI

SOLI. AETERNO. LVNÆ
PRO. AETERNITATE. IMPERII
ET. SALVTE. IMP. CA.... SEPTIMI. SEVERI
AVG. Pii. reliqua.

Hinc non inepte colligas, CLARITATEM deſignari in numo hoc AETERNITATIS æmulam, perpetuoque duraturam.

Vt vero in his numis CLARITAS AVG. vel AVGG. prædicatur, ita in poſterioribus Conſtantiniani æui cum typo Solis ſtantis, vt ſupra, dextra elata, ſiniſtra globum tenente, CLARITAS REIP. extollitur, cuiusmodi eſt Conſtantis, ad quem ita commentatur Cl. Bandurius: „ Numum hunc rariſſimum Mediobarbus T. II. p. 352.
„ exſcripſit ex Oiſelio, quem dormitaſſe oportet, cum ſcripſit, cuſum fuiſſe ob victoriam Conſtantis contra Parthos, quæ victoria, „ Solis inſtar, reipublicæ claritatem conciliauit: quod enim bellum „ Conſtans aduerſus Parthos geſſit, qui ne in Aſiam quidem vnquam „ transgreſſus videtur? Sunt numi non pauci, qui Claritatem Auguſtorum commendent: quos omnes ſi ad res in Oriente geſtas pertinere exiſtimas, profecto falleris: Vel Poſtumi numum aureum vide, „ inſcriptum: CLARITAS AVG. cum Lunæ & Solis capitibus „ iugatis. Igitur Claritas, Splendor, Dignitas (ſynonyma enim ſunt,) „ Auguſtorum aut Reipublicæ in his numis commendatur, cuius „ Claritatis ſymbola eſſe voluerunt Solem & Lunam, lucidiſſima cœli „ ſidera". Hic certum omnino eſt, dormitaſſe Oiſelium. Ita enim ille de numo hoc: „ Numus Conſtantis, cum inſcript. CLARI- Tab. LVIII. n. 11. p. 348.
„ TAS. REI. PVB. Iuuenis nudus, radiato capite, cum globo „ in manu ſiniſtra, Solem orientem deſignans, ob Victoriam Conſtantis contra Parthos, quæ Victoria, Solis inſtar, Reipublicæ „ Claritatem conciliauit. Sic Libanius in Baſilico: Ἡ γὰρ τῶν ἡττημένων „ Λαμπρότης εἰς τὴν τῶν κρατησάντων Εὔκλειαν συντελεῖ. *Nam deuictorum hoſtium Claritas, ad eorum, qui vicerunt, nominis ſplendorem confert*". Si quæras, vnde hanc Conſtantis contra Parthos victoriam hauſerit Vir doctus, fingendæ illius anſam præbuit commentarius eruditiſſimi Rubenii, quo numiſmata Arſchotana illuſtrauit, quem ducem Oiſelius, nullo eius rei indicio facto, haud raro ſequitur. In eo de eodem Conſtantis numo ſequentia legas: „ *Sol oriens: quia Conſtans Parthos vicit, ex* Tab. LXVII. n. 4. p. 101.
„ *qua victoria Claritas Reip. orta. Vide Libanium in Baſilico*". Vbi vel Libanii oratio, quam laudat Rubenius, & quam Oiſelio quoque conſultam verba inde allata docent, mendum in Rubenii verbis latere ſatis arguit. Nempe ibi pro *Pictos*, quibus Conſtans, ſuſcepto in Britanniam itinere, bellum intulit, operæ typographicæ errore manifeſto *Parthos* exhibent, quibuscum nihil illi vnquam controuerſiæ vel interceſſit vel intercedere potuit, partibus verſus Occidentem ſitis imperitanti. Quem errorem non modo non animaduertiſſe, ſed & ſuum feciſſe, inſignis vtique oſcitantiæ eſt, iure omnino a Cl. Bandurio reprehenſæ. Sed quod idem ſcribit, hunc numum ex Oiſelio exſcripſiſſe Mediobarbum, numos item non paucos *Claritatem Auguſtorum*

 commen-

commendare, quodque numum Constantis argenteis annumerat, id, quo faciat iure, non æque intelligo. Mediobarbus enim ad Arschotana numismata prouocat, non ad Oiselium: Et præter tres Postumi, Diocletiani & Val. Maximiani numos nullos adhuc antiquarii norunt, inscriptionem CLARITAS AVG. vel AVGG. præferentes, ita, vt verosimilius omnino sit, pro *Claritate Augustorum*, *Claritatem Reipublicæ*, quæ & inscriptio in numo Constantis legitur, clarissimum Virum scribere voluisse. Quod ad tertium attinet, argenteis quidem & Mediobarbus hunc numum accenset, sed cum eius notitiam Arschotanorum numismatum collectioni, vt vidimus, debeat, atque in illa aurei, argentei atque ærei, nullo metalli indicio facto, misti inter se reperiantur, vix tuto illi, nisi aliunde ea de re constet, videtur in argenteorum classe numorum locus posse tribui.

p. 478.

§. XV.

De numo Aureliani cum titulo P. F. Hist. Aug. Opp. Sell. p. 861.

„ Non occurrit, inquit celeberrimus Harduinus, in numis Aureliani Aug. cognomen F*elicis*, ac ne P*ii* quidem; quoniam videlicet „ originem ducit a Domitiano Aug. qui longe fuit ante P*ios* & ante „ F*elices* Augustos. Nec scio, vnde sculptor apud Spanhemium in „ Iuliani Cæsares p. 109. hauserit hunc titulum: IMP. C. L. DOM. „ AVRELIANVS P. F. AVG. SOLI INVICTO: cum „ hunc titulum neque ego vspiam viderim, neque habeat illum Occo „ aut Mediobarbus". Hic negari omnino non potest, appellationem illam P*ii* F*elicis* Aureliano in numis perraro tribui, vnde & factum, vt neque Occoni neque Mediobarbo similes sese obtulerint, apud quos eorum indicium frustra quæras. Neque tamen nullos reperiri,
T.III.p.246. vt Tristanum nunc taceam, vel ex Spanhemii libro, quem laudat, poterat doceri Vir eruditissimus, nisi hypotheseos tuendæ studio abreptus sculptoris fidem in suspicionem adducere, quam, quod res est,
T.II. p.759. agnoscere maluisset. Similem aureum in Brandenburgico thesauro Be-
T.I. p.368. gerus exhibuit, quem inde operi suo intexuit Cl. Bandurius, addito alio æreo tertiæ formæ, in quo: IMP. C. AVRELIANVS. P. F. AVG. ex penu N. Romani de Riues Presbyteri Galli. His accedat tertius ex auro longe integerrimus, quem gaza nostra seruat.



In aduersa parte caput Aureliani laurea cinctum ad pectus cum lorica, cui litteris maxime distinctis adiecta cernitur epigraphe, qualis & in Spanhemiano & Brandenburgico occurrit: IMP*erator* C*æsar* L*ucius* DOM*itianus* AVRELIANVS P*ius*, F*elix* AVG*ustus*: In auersa figura stolata sedens, dextra pateram, sinistra duplex cornucopiæ tenens; Inscriptio:

Inſcriptio : CONCORDIA AVG*uſti* vel AVG*uſta*. Numis his conſentiunt antiquæ inſcriptiones apud Gruterum: p. CCLXXVI. 4. 6. 7.

I.

IMP. CAES. L. DOMITIO
AVRELIANO. PIO. FELICI
INVICTO. AVG. PONTIF. MAXIMO
reliqua.

II.

IMP. CAES. AVG. DOMITIO PIO FEL.
INVICTO. RESPVB. ASTIG. DEVOTA
NVMINI. MAIESTATI QVE EIVS.

III.

IMP. CAE.
L. DOMITIO AV
RELIANO PIO
ET INVICTO
reliqua.

Quibus inſcriptionibus conſentit præclara illa Foroiulienſis, vnde celeberrimo Pagio occaſio conſcribendæ diſſertationis Hypaticæ nata eſt: Diſſert. Hypat. p. 2.

RESTITVTOR ORBIS
IMP. CAES.
L. D. AVRELIANO
PIO FEL. INVICTO & reliqua.

Quæ cum ita ſint, quid ſupereſt, niſi vt Vir celeberrimus nouum nobis Aureliani ſtemma comminiſcatur, quo Aureliani familiam ſimul ex Antonini Pii maiorumque eius & Commodi, Pii Felicis, gente arceſſat, ſiquidem, appellationem Pii & Felicis non virtutis & laudis titulum eſſe, ſed familiæ cognomen hereditarium, prouti contendit, ſit credendum. V. Spanhem. de Vſu & Præſtantia numiſm. T. I. p. 438. ſqq.

§. XVI.

Cum aurei numi Imperatoris Aureliani rari ſint omnes, quod obſervat Cl. Bandurius, ac, vel tacente eo, res ipſa loquitur, quando eorum pauciora vtique recenſet, nemo ſuccenſebit, vt ſpero, ſi ſuperiori ſequentem, Bandurio æque ac aliis indictum, adiecero. *De alio eiusdem Aureliani numo.*



Caput Aureliani laurea cinctum, vt supra; pectore, qua extat, lorica munito; Inscriptio neque nomen integrum nec titulos P. F. exhibet: IMP*erator* *Cæsar* AVRELIANVS AVG*ustus*. Auersa numi pars mulierem exhibet duo signa militaria tenentem cum epigraphe: FIDES MILITVM. Vulgaris hic typus alibi; sed cum æreos huius Imperatoris numos hac inscriptione notatos, quorum quatuor tantum recenset, raros pronuntiet Cl. Bandurius, de auro quid sentiendum sit, facile intelligitur.
c. 7. Ex Vopisco patet, milites, quorum hic numus FIDEM prædicat, Aurelianum seuera admodum disciplina rexisse. Testis pœna, quam miles, adulterii cum hospitis vxore commissi reus, luit, duarum arborum capitibus inflexis, & ad pedes eius deligatis, ac deinde dimissis subito, vt scissus ille vtrinque penderet. Testis epistola militaris ad vicarium in hanc, eodem Vopisco teste, scripta
l. c. sententiam: „ Si vis tribunus esse, imo si vis viuere, manus „ militum contine. Nemo pullum alienum rapiat, ouem nemo „ contingat. Vuam nullus auferat, segetem nemo deterat; oleum „ sal, lignum nemo exigat: annona sua contentus sit. De præda ho„ stis, non de lacrimis prouincialium, habeat" & quæ sequuntur.
c. 46. Sed hanc seueritatem idem Imperator indulgentia blanda temperauit, qui, „ vt fibulas aureas gregarii milites haberent, primus concessit, „ cum antea argenteas habuissent, qui Paragaudas ipse primus militi„ bus dedit, quum ante non nisi rectas purpureas accepissent, & qui„ dem aliis monolores, aliis dilores, trilores aliis & vsque ad pente„ lores", ad quem locum videndi Casaubonus & Salmasius. Inde FIDES MILITVM in Imperatorem suum, perpetua eius in bellis felicitate magis magisque roborata, quam illi & perfidia Mnesthei extincto probarunt, deferentes Senatui arbitrium Imperatorem nouum creandi, hanc vnam ob causam, ne quis eorum, qui tam bonum principem e medio sustulerant, rerum potiretur. Extat exercitus ad Sena-
c. 46. tum ea de re epistola; vbi ille post alia: „ Hunc inter Deos referte, „ & de vobis aliquem, sed dignum vestro iudicio, principem mit„ tite. Nos enim de iis, qui vel errarunt, vel malefecerunt, im„ perare nobis neminem patimur". Similis inscriptio occurrit in alio
V. Numismata aliquot variora Augustor. Tetrici Sen. Aurelian. iun. & Maxentii. insert. Opp. sell. Harduini p. 648. Aureliani numo nobilissimi Viri de Ballonfeaux, quem is tribuit Aureliano iuniori, cuius tamen scriptorum nemo meminit. „ Caput quidem, „ vt verbis eius vtar, radiatum habet, sed faciem prorsus imberbem, „ liberalem, succi plenam, vno verbo iuuenilem totam, cum epi„ graphe: IMP. C. DOM. AVRELIANV.... Auersam par„ tem occupat mulier stans, quæ sinistra signum militare gestat, ad-
ib. p. 654. „ dito lemmate": FIDES M. III. Cl. Harduinus nouum Augustum, scriptoribus ignotum, suo more facile agnouit, inscriptione aduersæ partis ita suppleta: IMP. C. DOM. AVRELIANVS IVN.

IVN. AVG. Sed gratis eundem fingi demonstrandum suscepit Cl. Gallandius, cui respondit postea nobilissimus Vir, ita tamen, vt facile appareat, numum illum vnum haud satis esse nouo Augusto in historiam Romanam inferendo, vnde & non mirum, a Cl. Bandurio nullam eius factam esse mentionem.

v. Obseruations sur les explications de quelques medailles de Tetricus le Pere & d'autres tirées du Cabinet de Mr. de Ballonfeaux. l'an 1701. p. 84. sq.

§. XVII.

De numo Tetrici.

In triumpho, quem Aurelianus de Oriente atque Occidente speciosissimum egit, & fuse descripsit Vopiscus, non magis Zenobia, Palmyrenorum domina, quam Tetricus, senator populi Romani, idemque consularis, qui cum Gallias neglectas ab Romanis per quinquennium summo imperio rexisset, *quod*, Pollione teste, *militum suorum impudentiam & procacitatem ferre non posset, volens se grauissimo principi & seuerissimo*, Aureliano, *dedit*; omnium in se oculos conuertit. „ Prælati sunt, inquit Vopiscus, tituli gentium nomina continentes. Inter hæc fuit Tetricus chlamyde coccinea, tunica galbina, braccis Gallicis ornatus, adiuncto sibi filio, quem Imperatorem in Gallia nuncupauerat". Non ea quidem lege haud dubie defecerat ad Aurelianum vir fortissimus, prodito exercitu suo, neque id virtus eius, qua Gallias ab irruptione barbarorum defenderat, merebatur, vt in triumpho ductus ciuibus suis ludibrium deberet. Sed de Oriente & Occidente pariter triumphum, vt apud Vopiscum est, Romanis oculis exhibiturus facere non poterat Aurelianus, quin tantum virum vna cum Zenobia produceret, atque ita non fœminas tantum a se vinci posse, sed & viros doceret. Ignominiam tamen hanc quodammodo abstersit Imperator, senatoria dignitate Tetrico restituta, mandataque insuper Correctoris vel Italiæ totius, quod Pollio, vel Lucaniæ, quod plerique tradunt, dignitate. Neque momordit ea magnopere Tetricum, quando triumphi eius memoriam tabula picta, in ædibus suis dedicata, ad posteros transmittere nihil dubitauit. Ceterum in triumpho ductus ab Aureliano multiplicem ipse triumphum meruerat, victoria haud vna, dum Gallias regeret, a barbaris relata. Eius rei testes numi, quorum æreos nonnullos produxit Cl. Bandurius, interque raros numerat. Iis aureum sequentem ex gaza nostra adiicias, licet.

Aurelian. c. 33. seq.

c. 34.

c. 32.

T. I. p. 405. sq.



Aduersa pars caput Tetrici ad pectus vsque exhibet cum lorica, dextræ obuersum, & laurea cinctum, prominente illinc dextra manu, quæ hastam humeris impositam apprehendit, hinc clypeo capite Medusæ insigni. Inscriptio: IMP*erator* TETRICVS AVG*ustus*. In auersa Victoria versus dextram progrediens, dextra lauream, sinistra palmam

l. c. p. 654. palmam geſtat cum verbis: VICTORIA AVG*uſti.* Pollio tradit, multa Tetricum feliciter egiſſe, quo indicio generali acquieſcamus hoc loco oportet; ad quam enim victoriam numus hic pertineat, nemo dixerit. Neque enim ex eorum genere eſt, quorum ope hiſtoriam Auguſtam noua luce perfudit, ac Tetrici de integro velut hiſtoriam
l. c. p. 654. contexuit Cl. Harduinus, Trebellio Pollione inter ſcriptores fabuloſos reiecto. Non hinc colligas, Tetricum *alterum Reipublicæ conſeruandæ Auguſtum*, vt ex numo: CAE. TETRICVS ARPA, non *pulſis Aquitanis creatum Imperatorem*, vt ex numo: TETRICVS PACI, non *Romanæ ditioni Narbone vindicato Imperii conſervatorem*, vt ex numo: IMP. C. TETRICVS R. DN. VIC. non *præſidiaria legione Illiberi impoſita Vrbis conſeruatorem*, vt ex numo: IMP. C. TRICVS PLIIVC. Sed & hinc periculum non eſt, ne, quod de coniecturis illis omnino verendum eſt, pro Iunone nubem, pro rerum olim geſtarum veritate nugas & mera ſomnia amplectamur.

§. XVIII.

De numo Probi. Accedat Probi numus, cui inter numiſmata Imperatoris huius ſimilem, quod ad inſcriptionem auerſæ partis attinet, Cl. Bandurius non modo ex auro, ſed & argento atque ære nullum protulit.



Caput Probi aduerſa in parte laurea cinctum, pectore lorica munito: Adſcriptum eſt: IMP*erator* C*æſar* M*arcus* AVR*elius* PROBVS AVG*uſtus*. In auerſa figura ſtolata dextra ramum oleæ gerit, ſiniſtra haſtam puram, eamque transuerſam. Epigraphe: PAX AETERNA. PAX PERPETVA. in numis Auguſti ac Titi, AETER-
Aeneid. l. 4. v. 99. NA, de qua Iuno apud Virgilium:

Quin potius PACEM AETERNAM pactosque hymenæos
Exercemus?

Grut. p. CCXXXIX. 3. Et cui olim ſtatua dicata, cuius baſis ſupereſt, in qua inſcriptio:

PACI. AETERNAE
DOMVS
IMP. VESPASIANI
CAESARIS AVG.
LIBERORVMQVE EIVS
SACRVM
TRIB. SVC. IVNIOR.

Primum

Primum in numo M. Aurelii laudatur, quem ex theſauro Mauroceno p. 100.
deſcribit Cl. Harduinus. Sed ibi, neque aduerſa pars eiusque in- Hiſt. Aug.
ſcriptio, neque auerſæ typus qui ſit, docetur, quorum proinde Opp. Sell. p. 785.
vtrumque aliunde ſupplet Vir celeberrimus. Præterea ipſa auerſæ pa-
ginæ inſcriptio nonnihil diuerſa; nam apud Cl. Harduinum: TR.
P. XXX. IMP. VIII. COS. III. P. P. PAX AETERNA,
ibi vero: PAX AETERNA AVG. IMP. VIII. COS. III. P.
P. & paulo inferius: PAX AETERNA AVGVSTA IMP.
VIII. COS. III. quemadmodum & inſcriptionem eam repræſentat
numus gazæ Arſchotanæ ſimilis, in quo præterea non Imperator, quod Numiſm. Arſchot. Tab.
ſcribit Vir eruditiſſimus, ſed Pax ipſa ſpolia admotâ face accendit. Et XLVII. n. 13.
typum & inſcriptionem eandem exhibet Mediobarbus, vt Ill. Span- p. 225. ſq.
hemium taceam, qui PACEM AETERNAM cum ſymbolo Pa- T. II. p. 642.
cis arma comburentis in M. Antonini numo Regiæ Gallorum gazæ
ſculptam affirmat. Repetita dein illa epigraphe in variorum Impera-
torum numis nemini facile iure potiori tribui potuit, quam Probo,
tot hoſtium victori, & victoriis ſuis nihil aliud niſi PACEM
AETERNAM ſpectanti. Id docent verba eius apud Vopiſcum: c. 20.
„ Si vnquam eueniat ſalutare, Reip. breui milites neceſſarios non
„ futuros". Quibus ſubiicit ſcriptor ille: „ Quid ille conceperat
„ animo, qui hoc dicebat? nonne omnes barbaras nationes ſubiecerat
„ pedibus? quia totum mundum fecerat iam Romanum: Breui, in-
„ quit, milites neceſſarios non habebimus. Quid eſt aliud dicere,
„ Romanus iam miles erit nullus, vbique regnabit, omnia poſſide-
„ bimus, ſecura Resp. orbis terrarum non arma fabricabit, non an-
„ nonam præbebit; boues habebuntur aratro, equus naſcetur ad pa-
„ cem, nulla erunt bella, nulla captiuitas. Vbique pax, vbique
„ Rom. leges, vbique iudices noſtri. Et infra: Quæ deinde felicitas c. 23.
„ emicuiſſet, ſi ſub illo Principe milites non fuiſſent? Annonam pro-
„ uincialis daret nullus, ſtipendia de largitionibus nulla erogarentur,
„ æternos theſauros haberet Romana Reſpublica, nihil expenderetur a
„ principe, nihil a poſſeſſore redderetur: aureum profecto ſeculum pro-
„ mittebat. Nulla futura erant caſtra, nusquam lituus audiendus,
„ arma non erant fabricanda: populus iſte militantium, qui nunc
„ bellis ciuilibus rempublicam vexat, araret, ſtudiis incumberet,
„ erudiretur artibus, nauigaret, adde quod nullus occideretur in bello".
Hæc vera ac viua PACIS AETERNAE deſcriptio, ſed qua Ro-
mani quo minus perfruerentur, milites prohibuere, quibus omnis
PAX, nedum AETERNA exoſa, quique adeo Imperatorem opti-
mum, eiusque media inter bella cupidiſſimum, interemerunt.

§. XIX.

Nigriniani numos argenteos tantum æreosque, non æque aureos *De numo Nigriniani.*
laudauit Cl. Bandurius. Nec videtur aureos vidiſſe Vir doctiſſimus T. I. p. 543.
mihique amiciſſimus, Genebrerius, cuius erudita de hoc Nigriniani
numo extat diſſertatio, tametſi in Latina eius verſione eorum mentio Inſerta Elect. rei nu-
occurrit. *Aurea*, inquit, *ac ærea, quæ Nigriniani extant numiſmata*, mar. p. 252.
illum cum conſecrationis nota ſiſtunt. Iam aquila in iis ſola, iam rogus

cernitur. Dixisse Virum eruditissimum puto argentea atque ærea numismata, cuius verba de rogo præterea male accepit, vt arbitror, interpres. Neque enim rogum in iis cernas, sed aram quadratam, supra quam ignis accensus, quam in his numis & Cl. Bandurius agnoscit. Sed ea de re, quibus dissertatio ea Gallico sermone, quo exiit, scripta ad manus est, viderint. Non male ego de harum rerum studiosis merebor, vt puto, si aureum Nigriniani numum, quem gaza nostra rarioribus suis cimeliis annumerat, produxero.



Cernitur hinc Nigrinianus capite non coronato, sed nudo, eoque admodum iuuenili, aut puerili potius: Inscriptio: DIVO NIGRINIANO. Illinc rogus, cui biga imposita, & epigraphe: CONSECRATIO. De Nigriniano hoc videnda quæ Cl. Genebrerius
T. II. p. 266. disseruit, Illustri Spanhemio & Cl. Bandurio probata ea ex parte,
l. c. qua, confutatis Occonis & Tristani sententiis, quorum ille Nigrinianum hunc ad Constantii, hic ad Maxentii tempora ablegat, eundem Nigrinianum intra decennium, quod Claudium inter & Diocletianum intercedit, h. e. Aureliani, Taciti, Floriani, Probi, Cari eiusque filiorum ætate vixisse demonstrat. Vbi longius progressus definire conatur, fueritne tyrannus, qui turbas dederit sub Aureliano, Tacito ac
l. c. p. 261. Floriano, an filius vel cognatus (ridicule vertit interpres, *an fuerit filius vel potius parens*, cum legeret hic Gallicam vocem *Parent*) cuiusdam ex istis Imperatoribus. Lubens ei quidem largior, tyrannum haud videri, id quod vultus plusquam iuuenilis in numo expressus
l. c. facile persuadet, tametsi vtique Ill. Spanhemius censet, fuisse, qui ætate illa tyrannorum ferace imperium haud diuturnum arripuerit. Sed quemadmodum sententiam eam vultus ratio, vt dixi, satis refellit, ita nolim inquirere multis cum Viro eruditissimo, vtrum Aurelianum patruelem, parentemve agnoscat, an potius Carini aut Numeriani sit filius censendus. In tantis enim temporum eorum tenebris, quibus aut perexiguam aut nullam scriptores lucem affundunt, admodum verendum est, ne opera ludatur.

§. XX.

De numo Diocletiani cum inscr. FATIS VICTRICIBVS.

De Vs. & Præstant. Num. Edit. secundæ 8. p. 838. tertiæ 8. p. 639. Mediob. p. 423.

Rarissimum imo singularem Diocletiani numum, quem iam porro exhibeo, dudum est, quod e gaza Cardinalis Leopoldi Medicei ære expressum iuris publici fecit Ill. Spanhemius, prout eundem &, post Mediobarbum, qui indicium eius se debere operi Spanhemiano fatetur, Cl. Bandurius descripsit. Sed si dixero nec delineationem Viri summi, Spanhemii, quæ in altera inprimis operis præstantissimi editione vel deformitate sua aberrantis ab archetypo manus suspicionem haud exiguam

exiguam movet, nec deſcriptionem Bandurianam numo ſatis reſpondere, nihil dixero, vt arbitror, cuius fidem probare lectoribus non liceat. Extat enim is numus in theſauro Fridericiano, vnde ectypum ſequentem, quanta fieri potuit cura, excepit artifex in his monimentis delineandis ſatis exercitatus. l. c. T. II. p. 6.



In aduerſa parte caput Diocletiani ſiniſtræ obuerſum, laureatumque ad pectus, cum paludamento. Inſcriptio: IMP*erator* C*æſar* C*aius* VAL*erius* DIOCLETIANVS AVG*uſtus*. In ea exhibenda non conuenit Spanhemio & Bandurio. Prior plane geminam noſtræ ſiſtit, niſi quod voces vna ſerie, nullo vſpiam ſpatio notabili relicto, connexas chalcographus, neſcio quo conſilio, ſed haud probando tamen, diuellendas exiſtimauit. Sed poſterior litteras P. F. intrudit, quaſi ſit IMPCC VAL DIOCLETIANVS PF AVG. ita vt vel diuerſum paulo numum, vel ſi idem eſt, prout omnino veroſimile ſit, præter morem minus accurate eum deſcribat. Niſi omnia me fallunt in leuiuſculum errorem hac ex parte impulit doctiſſimum Virum numus Maximiani ſimilis, qui ex cimelio D. de Monieux, quod docet Morellius, in theſaurum regis Galliarum transiit, in quo aduerſæ partis inſcriptio inſertis litteris P. F. ita ſe habet: IMP. C. M. AVR. VAL. MAXIMIANVS P. F. AVG. In auerſa numi parte tres mulieres ſtolatæ, ſtantes cum cornibus copiæ, vt recte obſeruat Ill. Spanhemius. Cl. Bandurius accuratiorem daturus deſcriptionem, tædas eas tenere, dextris vero inuicem nexas putat, obſeruatque præterea iuxta inſcriptionem: FATIS VICTRICIBVS in ima parte comparere litteras SC. ab Ill. Spanhemio cum ipſa inſcriptione permiſtas. Sed numus noſter luculenter docet, primo haud quaquam tædas eſſe, id quod figuræ muliebres tenent. Tædæ enim rectæ ſunt, non incuruatæ, nec tam breues, multo minus manu tam arcte corpori applicata geſtantur, vt taceam, cum Fata, vel Parcæ, non Furiæ, quæ faces tenent in præclaro illo, quem Vir eruditiſſimus Petrus Seguinus vulgauit, Philippi iunioris numo, cum epigraphe: ANTIOXEΩN, exhibeantur, haudquaquam patere, quid illis cum facibus negotii eſſe poſſit. Cornua igitur copiæ tenent, prætereaque gubernacula, cuiusmodi Ill. Spanhemius rectiſſime agnouit, qua de re ſequentia neminem dubitare patientur. Nempe exhibentur illæ habitu Fortunæ, cuius ſymbola cornucopiæ & temo. Singulis quippe ſua cornua copiæ ſunt, quod prima dextra, duæ reliquæ ſiniſtra geſtant; Gubernacula tantum duo expreſſa, quorum prius, prope quod ſtella comparet, priores duæ figuræ, altera ſiniſtra, altera dextra manu apprehendunt, tertia vero ſuum ſibi peculiare dextra tenet. Non congruit igitur huic numo Cl. Bandurii deſcriptio, qui dextras omnium figurarum inter ſe nexas putat, quod equidem in Maximiani numo

Specim. p. 81.

Sel. Num. p. 180. Edit. recent.

 obſerues,

Specim. p. 81. obſerues, quem omnium accuratiſſime expreſſum ære exhibuit Morellius, (prout ectypus eius ichthyocolla ad fidem prototypi expreſſus me T. II. p. 49. docuit) admodum autem feſtinanter Cl. Bandurius deſcripſit, qui nihil de auerſæ partis typo prodidit memoriæ, niſi tres ibi Parcas cum attributis ſtantes obſeruari, non vero in præſenti Diocletiani, in quo prima figura tantum ac ſecunda, quarum altera dextram, altera ſiniſtram gubernaculo admouet, communi hoc vinculo ſibi inuicem nectuntur. Epigraphe: FATIS VICTRICIBVS, & litteræ in ima parte S C. ita ſe habent, vt Cl. Bandurio deſcriptæ ſunt. Litteræ S C. notandæ in numo hoc; quæ more horum temporum vrbem, in qua numus percuſſus, denotant, vt ſit: *Siſciæ Cuſa*, nempe moneta. Id perſuadent alii Diocletiani numi aurei, in quibus eædem litteræ; vt ille ex regia Gallorum gaza, cuius in auerſa parte Iupiter, dextra fulmen, ſiniſtra haſtam tenens, cum inſcriptione: IOVI CONSERVATORI, & iisdem infra litteris S C. ſtellæ iunctis, qualis in area numi præſentis comparet. Accedit alius ex eadem penu cum inſcriptione auerſæ partis: VICTORIA AVG. & infra SIS cum ſimili ſtella, quo SISCIAE vrbis monetariam officinam eandem denotari manifeſte patet. Stellæ in hoc numo ſimilis eſt nota Ƶ in gemino Maximiani numo, a Morellio noſtro in delineatione ſua expreſſa, tametſi eandem reticet Cl. Bandurius, quibus quidem notis officinas monetarias diſcriminis cauſa vſas, a vero non abhorret.

§. XXI.

De eodem numo plura. Ad illuſtrandum vero typum huius numi non commemorabo hic multis, quam bene fortunæ habitus conueniat FATIS, quibus bonorum omnium diſpenſationem, poteſtatemque regendi orbis terrarum Suet. Tit. c. 9. veteres tribuebant. Vnde, quod ad prius attinet, effatum illud Titi ad reos affectati imperii: *principatum fato dari*; Et de Auguſto Vel- L. II. c. 60. leius: „ Aſſerebant ſalutaria reipublicæ terrarumque orbis fata con- „ ditorem conſeruatoremque Romani nominis"; Quod ad poſterius, Lib. IV. ℣. 14. nota Poëtarum teſtimonia, Manilii:

Fata regunt orbem, certa ſtant omnia lege.

Sat. IX. 32. & Iuuenalis:

Fata regunt homines.

Neque oſtendam, Fortunam Fatumque olim haud diuerſa Numina Aeneid. L. VIII. ℣. 333. viſa; vnde Euander apud Virgilium ad Aeneam:

Me pulſum patria pelagique extrema ſequentem
FORTVNA omnipotens & ineluctabile FATVM
His poſuere locis.

p. CCCIV. 9. Atque vnde & figura illa ſtolata in marmore apud Gruterum cum inſcri-

inſcriptione: FATIS CAECILIVS FEROX FILIVS, rotam pedibus ſubiectam habet, quod ſymbolum FORTVNAE vulgo eſſe, nemo ignorat. Nec repetam ex Ill. Spanhemio, cui de T. II. p. 639. ſeq. hoc argumento diſputata tanti haud immerito viſa ſunt Cl. Bandurio, T. II. p. 49. vt ad verbum ea exſcribenda duxerit, quod ille præclare obſeruat, FATA hic, tribus figuris ſtolatis adumbrata, Parcas eſſe, Fulgentio Conf. Muncker ad Fulgent. Mythol. Lib. I. c. 7. nota. & ad Albrici Imagines Deorum c. 10. not. f. TRIA FATA appellatas, eoque nomine Romæ olim earum templum fuiſſe Anaſtaſio, Procopio, & Cypriano memoratum; veroſimile fieri, id ſub Diocletiano fuiſſe excitatum, maxime cum Tertulliani ætate nondum extiterit, Romanos quippe ſugillantis, qui *FATIS dedentibus ſibi Carthaginem aduerſus deſtinatum votumque Iunonis non tantum honorem dicauerint, quantum proſtitutiſſimæ lupæ Larentinæ.* Apolog. Lib. II. Neque, eodem præeunte, cur VICTRICIA dicantur, perinde vt in illis De Laud. Stilicon. Lib. III. ℣. 127. Claudiani:

> *In propriam ſeducta larem VICTRICIA reddit*
> *FATA ſolo.*

fuſius inquiram: modo liceret, de occaſione, qua cuſus eſt numus, paulo certiora afferre. Ill. Spanhemius eo infauſtos Diocletiani de Chriſtianorum gente triumphos celebrari arbitratur. Ita enim ille: „ Ad geminos (egerat autem in præcedentibus de Maximiani Herculei De quo vid. T. I. p. 268. „ numo, in quo, ſub ſymbolo Herculis Hydram perimentis, de Chri- „ ſtianis deletis triumphus ex ſententia eius denotatur) ſed infauſtos „ Diocletiani collegæ triumphos refero quoque numum aureum eximiæ „ raritatis, *& reliqua*". Quæ contra morem ſuum paulo oſcitantius, vt videtur, certe ita tranſcripſit Cl. Bandurius, vt, nulla prorſus l. c. mentione antecedentium facta, de induſtria velut lectoribus ſuis illudere videatur. „ *Numum*, inquit, idque duobus locis, *illum Span-* L. c. T. II. p. 6. & p. 49. „ *hemius ad geminos ſed infauſtos eius triumphos refert*". Quinam gemini hic triumphi? Annon cum triumphorum aliorum nulla præcedat mentio, lectores duplicem ſibi triumphum, cum ſimiles intelligendi ſint, fingent? Morellius noſter, gemino Maximiani numo adductus, Specim. li. p. 84. cuſum vtrumque arbitratur cum Diocletianus & Maximianus imperio ſeſe abdicarent, atque ita FATIS VICTRICIBVS cederent. Neutra ſententia veroſimilitudine ſua deſtituitur; certe ita poſteriorem laudat Ill. Spanhemius, vt ſuam, hoc eſt priorem, ei, pro ſingulari modeſtia ſua, nihil anteponat, tametſi vtique hæc illi præferenda non vnam ob cauſam videtur. Quodſi certo conſtaret, templum TRIVM FATORVM, de quo ſupra diximus, ſub Diocletiano conditum fuiſſe, referri & eo fortaſſe numi hi poſſent; ſed coniecturis, vbi lucem præferunt nullam ſcriptores, indulgere nolo. Mirum vero Cl. Bandurium cum Ill. Spanhemii verba de FATIS VICTRICIBVS operi ſuo intexeret, editione præſtantiſſimi operis nouiſſima non vſum. Hoc ſi feciſſet, neque arguiſſet Spanhemium, Maximiani ſimilem numum ei ignoratum fuiſſe, quem ille ex Morelliano ſpecimine ære expreſſum adduxit, vt taceam eundem illum in obſeruationibus ad Iuliani Cæſares, & Callimachum ab eo commemorari, & p. 385. p. 431. locum illum hic illic auctiorem tranſcribere potuiſſet.

§. XXII.

De numo Maximiani Herculei.

Sed hactenus de Diocletiani numo; eum præstantia æquat, artificio etiam ſuperat alius Maximiani Herculei, quem ſubiicio:



Aduerſa in parte caput Maximiani laurea cinctum, cum inſcriptione: MAXIMIANVS AVGVSTVS: In auerſa Imperatores duo laureati ac paludati, equis phaleratis inſidentes, aduerſis frontibus congrediuntur, dextra elata neſcio quid geſtant, & ſiniſtra tenentes bacillum. Epigraphe: ADVENTVS AVG. Similis Diocletiani aureus perpulcher pondo numi Ludouici aurei, elegantis admodum fabricæ, plane vt noſter, laudatur ex Muſeo D. de Ballonſeaux a celeberrimo Harduino, deſcriptione illius ſequenti ſuppeditata: „ DIOCLETIANVS AVGVSTVS. Capite laureato:][ADVENTVS AVGVSTORVM. Auguſti duo, Diocletianus & „ Maximianus, capitibus laureatis, paludati, in equis phaleratis, „ aduerſis frontibus, dextra elata oleæ ramum geſtant; ſiniſtra bacil„ lum Imperatorium tenent". Ex eo Diocletiani numo efficere conatur Vir eruditiſſimus, eodem anno vtrique Auguſto Diocletiano & Maximiano gubernacula imperii delata eſſe. *Hic numus*, inquit, *certiſſimo documento eſt, eodem tempore ambos Auguſtos imperium ſuscepiſſe, & in prouinciam aduenisſe.* Sed id nemo vel ex alterutro horum numorum ſigillatim, vel ex vtroque coniunctim elicuerit, niſi qui, capitali bonæ notæ ſcriptorum & marmorum vetuſtorum odio accenſus, numos non alio conſilio tractet, vt inde quomodocunque contradicendi iis occaſionem quam creberrimam nanciſcatur. Ceteroqui enim quid ADVENTVS AVGVSTORVM facit ad initia imperii vtriusque cognoſcenda? Pertinet vero hic ADVENTVS AVGVSTORVM Diocletiani & Maximiani, qui in numis his celebratur, ad annum poſt Chriſtum natum CCCIII. De Maximiani inprimis, quem præſens numus deſignat, aduentu Panegyricus incerti auctoris in nuptiis Conſtantini & Fauſtæ, Maximiani filiæ, dictus ita ad eundem: *TE primo* (triumphali nempe, vt recte obſeruat Cellarius ad hunc locum) *ingreſſu Tuo tanta lætitia, tanta frequentia populus excepit, vt cum te ad Capitolini Iouis gremium vel oculis ferre geſtiret, ſtipatione ſui vix ad portas vrbis admitteret.* Eundem aduentum in numis Maximiani cum epigraphe: FELIX ADVENTVS AVGG. N. N. notari ſibi perſuaſit Mediobarbus, ſed falſo, quod typi ratio facile euincit, & Cl. Bandurius pluribus demonſtrat. Idem argenteum Maximiani numum recenſet, aureo noſtro ſimillimum, eumque rariſſimum appellat, quo elogio & ornat aureum Diocletiani ab Harduino vulgatum:

Add. & Corrigend. ad Opp. Sell. p. 934.

c. 8.

p. 435.

L. c. T. II. p. 57.

ib. p. 52.

In Addendis. ad T. II. ſub

gatum: „ Numus hic, inquit, rariſſimus, imo ſingularis", vnde quanti faciendus ſit ſimilis alter Maximiani e gaza noſtra, facile colligitur. finem præclari operis.

§. XXIII.

Aduentus is coniunctus fuit non tantum cum triumpho, quem ob oculos ponit præclarus ille numus aureus Diocletiani & Maximiani, a ſummo Viro Henr. Noriſio peculiari diſſertatione illuſtratus, ſed & cum Vicennalibus, vnde Lactantius: „ Hoc ſcelere perpetrato, Diocletianus, cum iam felicitas ab eo receſſiſſet, perrexit ſtatim Romam, ut hic Vicennalium diem celebraret, qui erat futurus ad duodecimum Kalendas Decembres. Quibus ſolemnibus celebratis", & quæ ſequuntur. Vicennalia iſta deſignat numus Conſtantii Chlori, qui ex gaza noſtra primum, vt arbitror, nunc prodit.

De numo Conſtantii Chlori.

v. Duplex diſſert. de duob. num. Dioclet. & Licin. Patau. 1676. fol. & in Theſ. Nou. Antiquit. Rom. T. I. p. 387.

De Mortib. Perſecut. c. 17.



Cernitur hinc caput Conſtantii laureatum, cum epigraphe: CONSTANTIVS NOB*iliſſimus Cæſar*, illinc corona laurea, cum inſcriptione: VOTA XX. AVGG. N. N. Pars auerſa, vt patet, vota VICENNALIA AVGVSTORVM NOSTRORVM h. e. Diocletiani & Maximiani, celebrat, qui anno Chriſti CCXCII Conſtantium Chlorum & Galerium Maximianum Cæſares creauere, ex quibus prior hoc numo pietatem Auguſtis, inprimis Maximiano ſocero, probauit, cuius geminus ex auro numus in gaza regia Gallorum, prout docet Cl. Bandurius, reperitur, qui aduerſa in parte caput Maximiani laureatum cum inſcriptione: MAXIMIANVS AV*Guſtus*, in auerſa lauream exhibet, cui ſimili ratione inſcripta ſunt verba: VOTA XX. AVGG. N. N. Ad huiusmodi Maximiani numos monuit Cl. Bandurius, *Vicennalia ſolutane, an ſuſcepta ſolum hic prædicentur, incertum eſſe.* Pridem nempe docuit doctiſſimus Pagius, „ cauendum eſſe, ne, cum legitur in numis verbi gratia VOTA XX, exiſtimemus, intelligi ea ſoluta, & huiusmodi numos anno imperii viceſimo ſemper cuſos fuiſſe; poſſe enim intelligi etiam Vota XX in Decennalibus nuncupata, neque hac de re certam regulam tradi poſſe; Imo Norriſium Diſſertat. de Numiſmat. Licinii c. 3. obſeruaſſe, ſolutis votis decennalibus, ſuſcepta fuiſſe non tantum vota Quindecennalia, ſed etiam Vicennalia". Idem proinde & de VOT. XX. in hoc Conſtantii numo expreſſis dicendum foret. Sed, vbi perpendo, eadem tot typis diuerſis ſignata occurrere, pariterque in mentem reuoco, qua pompa Diocletianus & Maximianus Vicennalia ſoluta celebrarint, fere eo propendet animus, vt ſoluta indicari credam. Maximianum ea Vicennalia anticipaſſe

T. II. p. 52.

L. c.

Diſſert. Hypatic. P. II. c. 2. p. 96.

Disſert. de Numiſm. Diocl. & Maxim. c. 2. Disſert. Hypatic. P. II. c. 7. p. 157. conf. Crit. in Baron. T. I. p. 319. ſq.

paſſe biennii ſpatio ſtatuit Noriſius, inficiatus eundem ante, quam Auguſti dignitatem nanciſceretur, Cæſarem fuiſſe. Sed contrariam Cl. Pagius ſententiam tuetur, ſtatuitque, vtrumque Auguſtum legitimo tempore ſolennia ea edidiſſe, Diocletianum nempe Auguſtei, Maximianum Cæſarei imperii, lectumque iis celebrandis diem fuiſſe XII. Kalendas Decembres, quod eo die Diocletianus Maximianum Cæſarem crearit. Id certum, Cæſarem ante fuiſſe creatum Maximianum, quam Auguſti dignitatem capeſſeret, quando id non ſcriptorum tantum, ſed & numiſmatum fide luculenter conſtat. Præter eos enim numos, quos Onuphrius laudauit, extat in regia Gallorum gaza æreus maximi moduli a Bandurio laudatus, in quo hæc inſcriptio: VAL. MAXIMIANVS NOB. CAES.

§. XXIV.

De numo eiusdem Conſtantii cum typo conſecrationis. T. III. p. 399.

Conſtantii eiusdem numos, quorum auerſa in parte leo, vel aquila, cum inſcriptione: MEMORIAE AETERNAE, iuſſu Helenæ & Conſtantini, filii, cuſos arbitratur Triſtanus, adeoque non ſigna conſecrationis more gentili præferre, ſed titulis atque inſcriptionibus modeſtioribus, ſine rogo araue, notatos eſſe, iuſtis Conſtantio extincto fortaſſe ritu idololatrico haud perſolutis, quod Helena eum, perinde ac ſe, Chriſtianæ religionis fuiſſe aſſeclam videri vellet. Sed in hoc typo nulla myſteria venanda eſſe, nec poſſe eum Helenæ & Conſtantino, velut animi erga Chriſtianam religionem propenſi teſſeram, tribui, vt alia taceam, cum Claudii Gothici & Valeriani Maximiani numi euincunt, in quibus idem ille occurrit, tum alii Conſtantii noſtri, in quibus ipſa vox CONSECRATIONIS, quin & ſymbola, *templum* atque *ara*, vt & ipſe ritus, rogo adumbratus, manifeſte cernitur. Huc nempe ſpectat Imperatoris huius numus, ſequenti ectypo expreſſus.

Conf. Beger. T. II. p. 787. & Bandur. T. II. p. 106.



Caput Conſtantii non radiatum hoc loco, vt in Auguſtorum aliorum, quorum conſecratio celebratur, numis, neque velatum, laureatumue, cuiusmodi numi Conſtantii, inter diuos eum relatum ſiſtentes, fere exhibent, ſed nudum, cum inſcriptione Cl. Bandurio haud obſeruata: DIVVS CONSTANTIVS. Auerſa pars rogum pulcherrimum quatuor tabulatorum, aulæis & ſtatuis vndiquaque ornatum ſiſtit, cuius in vertice quadrigæ, quibus figura, radiato capite flagellumque tenens, inſiſtit, adſcripta voce: CONSECRATIO, & infra PTR. De conſecratione Conſtantii Eumenius haud vno loco: „Vere, inquit, profecto illi ſuperum templa patuerunt, receptusque eſt conſeſſu cœlitum, Ioue ipſo dexteram porrigente. Et „ poſt:

C. 7. Paneg. Conſtant.

c. 8.

„ poſt : Dii boni quanta Conſtantium Pium etiam in exceſſu ſuo „ felicitate donaſtis! Imperator transitum facturus in cœlum vidit, „ quem relinquebat heredem" Et paucis interiectis: „ Purpuram „ ſtatim tibi. . . . milites. . . . iniecere lacrimanti. Neque enim „ fas erat, diutius fleri principem conſecratum". De conſecrationis ritu ipſoue rogo, quem poſt Claudii ætatem in numis amplius nullis
reperire potuit Cl. Bandurius, videndus Dio & Herodianus. Qua- Ind. Typo-
drigis, quibus aliquando bigas ſubſtitutas cernas, currum inauratum, rum T. I. ſubiecto.
quo Imperator aut Auguſta vehebatur, repræſentari tradit Oiſelius. Lib. LVI.
Hauſtum id ex Dione, qui de conſecratione Pertinacis, rogoque eius: p. 598. ſq. & Lib. LXXIV.
ἐπ' αὐτῆς τῆς ἄκρας, inquit, ἅρμα ἐπίχρυσον, ὅπερ ὁ Περτίναξ ἤλαυνεν· h. e. *in* p. 841. ſq. Herod. Lib.
faſtigio eius currus inauratus, quem Pextinax agitabat. Ceterum hunc IV. c. III. p. m. 140.
perinde ac ſuperiorem numum fruſtra quæſieris apud Cl. Bandu- ſqq.
rium. Rationem ipſe reddit, nempe Conſtantii Chlori numos au- L. c. p. 504. Lib. LXXIV.
reos in vniuerſum raros eſſe, obſeruatque, prima deceptos eſſe Oc- p. 842. T. II. p. 91.
conis editione, qui ſecus tradiderunt.

§. XXV.

Criſpi Cæſaris numos aureos idem Bandurius parce admodum no- *De numo Criſpi.*
bis admetitur, non aliam ob cauſam, quam quod perquam pauci vel extant vulgati, vel in muſeis quamlibet ditiſſimis reperiuntur. Non ægre igitur ferent, qui horum monumentorum ſpectaculo tenentur, ſi a viro doctrinæ diligentiæque laude florentiſſimo adductis, quorum ſex tantum ſunt numero, e gaza Fridericiana vnus atque alter acceſſerit. Quem ſubiicio mole plerisque, at præſtantia nulli temere concedit.



Aduerſa in parte caput Criſpi laureatum ad pectus vſque cum lorica: Inſcriptio: F*lavius* IVL*ius* CRISPVS NOB*iliſſimus* CAES*ar*. Auerſa pars exhibet captiuum tropæo adſidentem, cultu barbarico, in quo pileus & braccæ notatu dignæ, conſpicuum, dextro innixum brachio: Epigraphe ſupra: GAVDIVM ROMANORVM. Infra FRANCIA. Pertinet numus ad victoriam, quam Criſpus Cæſar, Conſtantini M. Filius natu maximus, quem ei Mineruina peperit, de Francis reportauit anno Chriſti CCCXX. De ea Na-
zarius ad Conſtantinum: „ Franci ipſi, præter ceteros truces, quo- c. VI.
„ rum vis quum ad bella efferueſceret; vltra ipſum Oceanum æſtu „ furoris euecta Hiſpaniarum etiam oras armis infeſtas habebat; ii igitur ſub armis tuis ita conciderunt, vt deleri funditus poſſent, niſi „ diuino inſtinctu, quo regis omnia, conficienda filio reſeruaſſes. Quan- „ quam ad gloriam veſtram fœcunda malis ſuis natio ita raptim ado-

 „ leuit,

„ leuit, robuſteque recreata eſt, vt fortiſſimo Cæſari primitias ingen-
„ tis victoriæ daret, cum memoria acceptæ cladis non infracta ſed a-
C. XXXVI. „ ſperata pugnaret". Eundem Cæſarem inferius nominat: „ Decla-
„ rant ecce rationem cupiditatemque votorum facta Criſpi, Cæſa-
„ rum maximi, in quo velox virtus ætatis mora non retardata pue-
„ riles annos gloriis triumphalibus occupauit: Cuius ita iam vberes
„ ſcatent laudes, vt plenæ poſſent videri, niſi cœpiſſe & patrem co-
„ gitaremus". Et paulo poſt: „ Quæ tuum mite pectus inundauit
„ gratulatio, cui tanto interuallo videre filium licuit, & videre victo-
„ rem? Narrauit vtique exhauſta bella, & hoc ad ſuam gratiam,
„ non ad ſui oſtentationem: qualis excipiendo hoſte, quam reſiſtenti
„ vehemens, quam facilis ſupplicanti"! In gaza regia Gallorum extat numus aureus Criſpi ſimilis, cuius auerſa in parte infra: ALAMANNIA, vnde patet eodem tempore Criſpum FRANCIAM & ALAMANNIAM deuiciſſe. Hinc vtraque in Conſtantini M. rariſſimo numo, Schwartzburgici olim nunc Fridericiani theſauri præclara portione, coniungitur, qui quidem Conſtantini numus vna cum aliis duobus, in quibus FRANCIA & ALAMANNIA ſeorſim expreſſa, ad eandem Criſpi victoriam pertinet. Ceteroqui miratur Cl. Harduinus, præter Conſtantini M. numos duos, nusquam in alio Auguſti vel Cæſaris cuiuscunque ex vllo metallo FRANCIAM occurrere. Sed falli Virum celeberrimum, abunde docet Criſpi hic numus, in quo eadem FRANCIA ſculpta cernitur.

V. Morell. Specim. Tab. VII. p. 82. ſqq.

Numiſm. Sæc. Conſtant. Opp. Sell. p. 469. 1.

§. XXVI.

De alio numo eiusdem Criſpi. T. II. p. 199.

Exhibet Cl. Bandurius Licinii iunioris numos cum epigraphe: SECVRITAS REIPVBLICAE, qua innuitur, vt puto, Conſtantinum Liciniumque Auguſtos, Licinium filium vna cum Criſpo & Conſtantino iuniore Cæſarea ornantes dignitate SECVRITATI REIPVBLICÆ proſpexiſſe. Criſpi Cæſaris eadem inſcriptione inſignes fruſtra apud eundem quæras. Neque tamen nullos cuſos ei fuiſſe docet aureus, quem gaza noſtra ſeruat.



Caput Criſpi laurea cinctum, vt in ſuperiori numo, pectore, quousque prominet, nudo: Inſcriptio, vt ibidem: F*lauius* IVL*ius* CRISPVS NOB*iliſſimus* CAES*ar*. Auerſa in pagina figura ſtans, dextram capiti imponens, ſiniſtra columnæ innixa cum epigraphe: SECVRITAS REIPVBLICAE. Infra P. TR. Numus hic memoriam mihi refricat alterius, Criſpo eidem cuſi, quem inter numiſmata ærea
T. II. p. 324. incerti moduli refert Cl. Bandurius, atque ita deſcribit: „ CRI-
„ SPVS NOB. CAES. Criſpus laureatus, habitu Conſulari, dex-
„ tram

„ tram protendens, ſiniſtra ſcipionem cum aquila][SALVS ET „ SPES XRPVBLICAE. Figura ſtolata ſedens, dextram protendens, ſiniſtra crucem; huic adſtant duæ figuræ militares, infra „ SP". Huic deſcriptioni ſubiungit: „ Numum hunc e Baronio „ & Gretſero exhibuit Ducangius, ſed male, vt quidem videtur, deſcriptum : in auerſa enim parte libentius legero: SALVS ET „ SPES REIPVBLICAE. Typus vero non figuræ ſtolatæ eſt, „ ſed Conſtantini ſedentis inter filios duos Criſpum & Conſtantinum „ iuniorem". Si libuiſſet Viro eruditiſſimo Baronium & Gretſerum conferre, ad quos prouocat doctiſſimus du Cange, de hoc ipſo numo, quem inter ſingulares reponendum cenſet, plura ac certiora dare potuiſſet. Baronius enim, vnde ſua hauſit Gretſerus, in priori quidem operis Annalium Eccleſiaſticorum editione, illius paucis meminerat duntaxat, quod fidem illius antiquariis nonnullis ſuſpectam noſſet. Sed in poſteriori, icone eius prolata, docet, extitiſſe id numiſma ex ære apud Horatium Tigrinum de Nariis, dum viueret; pro genuino id agnouiſſe Fuluium Vrſinum, cumque intellexiſſet, hac de cauſa illud improbaſſe nonnullos, vt poſſent viliori emere pretio, emtum id muſeo ſuo intuliſſe; dubitandi de eo cauſam inde potiſſimum fluxiſſe, quod legendum videretur: SALVS ET SPES REIPVBLICAE, cum in numo ſit: XRPVBLICAE: veruntamen litteram X. minime fucatam, ſed plane germanam, omnique dubitatione prorſus carentem, ſupra ipſum Chriſti caput ad perpendiculum ita poſitum eſſe, vt videatur, non modo Chriſti nomen indicare, ſed in contextum aliarum recepta ſignificare, *Chriſtum Salutem & Spem Reipublicæ eſſe*; nam ita titulum eum explicari debere: SALVS ET SPES CHRISTVS REIPVBLICAE. Quod ad typum attinet, mediam figuram ſedentem, vt ex dictis iam patet, Chriſtum interpretatur Baronius, reliquas duas Conſtantinum M. & Criſpum, tametſi non negat poſſe & ambos Cæſares, Conſtantini filios, Criſpum & Conſtantinum iuniorem, intelligi. Quid videatur de numo hoc, ſi dicendum ſit, vt omni fraudis ſuſpicione careat, admodum vereor. Perquam enim veroſimile eſt, falſarium, vt Chriſtum eo numo exhiberi credulis perſuaderet, litteras REI corrupiſſe, atque inde XR. effeciſſe. At vero media illa figura ſedens, vtcunque nimbo & cruce ornata apud Baronium, cuius iconem minus curate expreſſam Gretſerus repetit, non Chriſtum deſignat, cuius effigies in huius æui numis nondum reperitur, ſed Conſtantinum Patrem, quem circumſtant Criſpus & Conſtantinus iunior. Illi igitur tres, Parens ac filii, SALVS ET SPES REIPVBLICAE appellantur. Geminum Conſtantini M. numisma æreum maximi moduli Vaillantius, & ex eo Bandurius, produxit, quod omnem, vt puto, de vera huius numi ſcriptura & ſenſu dubitationem tollit.

Famil. Byzant. p. 26.

Annal. T. III. p. 257. ſq. Edit. Col.

De Cruce T. III. Lib. I. c. 8. p. 1814.

Numiſm. præſt. T. I. p. 251. T. II. p. 256.

§. XXVII.

Conſtantii, Conſtantini M. ex Fauſta filii natu ſecundi, ſeptima Quinquennalia imperii Cæſarei, ſeu VOT. XXXV. in numis occurrere quis dubitet, cum prope octaua viuendo attigerit? Conſtantius enim,

De numo Conſtantii, Conſtantini M. filii.

[Epitom. p. m. 227.] enim, vt eſt apud Aurelium Victorem, „ *interiit anno æui quarto & „ quadrageſimo, imperii* (Cæſarei) *nono atque trigeſimo.* [de Numiſm. Licin. c. 3. Diſſert. Hypal. Part. II. c. 2. p. 96.] Norriſius, & ex eo Fr. Pagi ſine hæſitatione ad eos prouocant. Legitur, inquiunt, in numis Conſtantii VOT. XX. MVLT. XXX. & rurſus VOT. XXV. MVLT. XXX. & VOT. XXX. MVLT. XXXX. & pariter VOT. XXXV. MVLT. XXXX. Fruſtra tamen apud [p. 553.] Cl. Bandurium poſtremo ſimilem quæſiueris, cum tamen Occo pridem huius generis aureum commemorarit, celeberrimo Harduino inde inter [Numiſm. Sæcul. Conſtantin. Opp. Sel. p. 492. 2.] numiſmata ſeculi Conſtantiniani productum. Cauſa eius rei eſt, quod Mediobarbus eum prætermiſit; vnde rectius omnino ſibi conſuluiſſet Vir doctiſſimus, ſi, quod alibi ab eo factum, Occonem ſimul ob oculos habuiſſet, vt neglecta Mediobarbo ab oblivione vindicare poſſet. Neque enim vana attuliſſe Occonem, ſequens ectypus aurei pariter numi noſtri docebit.



Conſtantii caput a fronte expreſſum eſt ad pectus vſque; In illo galea diademate vincta, in hoc lorica ſpectabilis. Prominet altera ex parte dextra, ſpiculum humero dextro impoſitum geſtans, ex altera clypeus, equite captiuum proſternente inſignis. Inſcriptio: FL*auius.* IVL*ius* CONSTANTIVS PERP*etuus* AVG*uſtus.* Aduerſa in parte Roma galeata cum haſta, & Conſtantinopolis turrita, ſiniſtra gerens ſceptrum, pedem proræ imponens, ſedent clypeum tenentes, cui inſcriptum: VOT*is* XXXV. MVLT*is* XXXX. Epigraphe: GLORIA REIPVBLICAE, & infra: MSIR. Septima hæc Quinquennalia, quæ in numo indicantur, Conſtantio IX. & Iuliano Cæſare II. COSS. h. e. anno Chriſti CCCLVII. celebrata fuiſſe [Faſt. Conſular. ſubiect. Euſeb. Chron. p. 31.] nos docet Idatius. Ita enim ille: CONSTANTIO IX. ET IVLIANO CAES. II. *His Conſſ. introierunt Conſtantinopolim reliquiæ S S. Apoſtolorum Andreæ & Lucæ die V. Non. Mart. & introiuit Conſtantius Aug. Romam IV. Kal. Maias & edidit XXXV.* Quo anno, quod viceſimus eſt, ex quo Auguſti faſtigium conſcendit Conſtantius, Vicennalia potius celebrata fuiſſe tradit auctor Chronici Paſchalis: [p. 293.] Κωνστάντιος Ἄυγουστος εἰς τὴν ἑαυτοῦ Εἰκοσιετηρίδαν, μετὰ πολλῆς φαντασίας καὶ παρατάξεως εἰσῆλθεν ἐν Ῥώμῃ κ. τ. λ. quæ verba poſt Raderum vertit doctiſſimus. Du Cange: *Conſtantius Auguſtus propter Vicennalia ſua multo cum apparatu Romam venit. reliqua.* [Notæ in Chron. Paſchal. p. 562.] Ex quo loco Idatium corrigit eruditiſſimus vir, quando poſt adducta eius verba, *lege*, inquit, XX. *ſeu Vicennalia.* Contra [Ad Baron. T. I. p. 486. ſq.] Pagius, verba: εἰς τὴν Εἰκοσιετηρίδα vertenda cenſet non *propter vicennalia*, ſed *anno viceſimo.* Haud ſcio, an vterque ſibi paulo pluſculum indul- [Paneg. Conſtantin. c. 2.] geat. Inſcriptionem VOT. XXXV. MVLT. XXXX. explicare liceat verbis Nazarii, quodammodo ad rem præſentem accommodatis: „ Triceſimum quintum annum maximus princeps ſalutaris imperii „ [Cæſarei] degit, ſed auguramur iam altera Vicennalia & venturi „ fidem

„ fidem ſuperiorum felicitate ſancimus. Septima Quinquennalia Conſtantii occupatos in gaudiis habent, ſed in deſtinatis ſecundis Vicennalibus iam vota properantia & ſpes volucres conſtiterunt".

§. XXVIII.

Aeliæ Eudoxiæ numos cum alios, tum aureos, qui longe ſunt rariſſimi, more ſuo diligenter recenſet Cl. Bandurius. Poſtremum, quem ex theſauro regio & Andreæ Fontainii ſupellectile numaria citat, ita deſcribit: „ AEL. EVDOXIA AVG. Caput Eudoxiæ cum „ diademate ex vnionibus & corona imminente:][SALVS REI- „ PVBLICAE. Victoria ſpoliis inſidens, Chriſti monogramma „ clypeo inſcribit: in ima parte CONOB". Eundem numum gaza noſtra pridem inter præcipua ornamenta ſua numerauit, cuius pars auerſa tamen cum differat, nihil prohibuerit, vt ſpero, quo minus hoc loco delineatus prodeat. *De numo Aeliæ Eudoxiæ.* T. II. p. 562. ſqq.



Aduerſa pars conſentit prorſus deſcriptioni Bandurianæ, in qua cur omiſerit Vir diligentiſſimus verba, quibus præcedentium numorum aduerſam paginam plenius deſcripſit, nempe caput expreſſum eſſe *ad pectus cum ſtola*, neſcio. Nihil illis cum præſenti diſcriminis intercedit hac ex parte, & vel primus adſpectus numi, prout eum delineatum exhibuit Vir clariſſimus, ea flagitat. In auerſa numi parte & inſcriptio ſingularis eſt, & typus differt. Legitur enim: SALVS RIPVBLICAE, non REIPVBLICAE, quod, quin monetarii errore ſit factum, nemo, vt puto, dubitauerit. In typo id ſingulare, quod clypeus, cui Victoria inſcribit non plenum monogramma Chriſti, ſed tantum Crucem decuſſatam cum lineola transuerſa ſpectandam offert. Idem obſerues in ectypo numi huius, quem ex theſauro Brandenburgico vulgauit Cl. Begerus noſter, ſed qui veteri & inolito pridem errore numum hunc vxori Arcadii, Eudociæ tribuit, cum ſit vxoris Theodoſii iunioris, quæ Athenis, patre Leontio Philoſopho, nata, Athenaidis primo nomen tulit, poſt a fratribus, patre mortuo, eiecta Conſtantinopolim conceſſit, & Pulcheriæ, ſorori Theodoſii, quæ tum omnia apud fratrem poterat, per materteram commendata, cum forma pariter ac morum elegantia eius ſibi gratiam conciliaſſet, eadem annitente, Theodoſio fratri nupſit, quo facto poſuit nomen priſtinum, cumque titulo Auguſtæ Ael. Eudoxiæ nomen aſſumſit. Primus id docuit Cl. Bandurius, ſubſidio vſus numi, cuius aduerſa in parte inſcriptio: AEL. EVDOXIA AVG. in auerſa autem IMP. XXXXII. COS. XVII. P. P. quæ inſcriptio, vt numum illum vxori Theodoſii iunioris, cui decimus ſeptimus Conſulatus cum anno T. II. p. 836. Zonar. Annal. T. II. Lib. XIII. p. 40. T. II. p. 536. 562. ſq.

 imperii

imperii quadragesimo tribui potuit, non Arcadio, vindicat, ita Eudoxiam eam, Eudociam vero, cuius diuersi ab his reperiuntur numi, Arcadii vxorem dictam, satis luculenter docet. Optandum vero, vt numus ille ex cimeliarchio aliquo potius, quam ex Occonis & Mediobarbi libris, citari posset. Nam prior oscitanter admodum inspexit numum, quando auersam partem ita describit: AEL. EVDOXIA AVG. aut EYDOCIA. posterior oscitantius etiam Occonem, cuius verba ita refert: AEL. EVDOCIA AVG. alius EVDOXIA. Sed præsto est primo argenteus numus similis ex Fauueliana penu iisdem inscriptionibus notatus, qui, si est fusus, prout ob litteras CONOB. doctissimus Bandurius coniicit, ad aurei tamen numi prototypum fusus videtur, quem Occo minus accurate descriptum dedit. Deinde & geminum numisma aureum exhibuit Gretserus, de quo ille: „ Fere simile est illud apud Numographum, in quo visitur Victoria sedens, „ dextra globum cum Crucis signo gerens, sinistra scipionem. Hic „ figuram galeatam cernis, siue illa sit Roma, siue Constantinopolis, „ siue quæ alia, cum globo crucigero in dextra, scuto ad sinistram & „ stellulam sub globo. Forsan & corona a manu cœlesti demissa & „ Augustæ imposita in nosto peculiare quiddam est". Aureum id numisma fuisse diserte haud docet Gretserus, colligo id tamen cum ex litteris CONOB. tametsi illæ & in argenteo Fauueliano comparent, sed quem fusum, vt dixi, haud immerito suspicatur Cl. Bandurius, tum inde, quod apud Numographum, Occonem nempe, quem ita appellat, simile reperiri scribit. Hoc vero aureum esse Occo additis ad marginem litteris Aur. manifeste declarat.

p. 573. p. 336. De Cruce T. III. Lib. I. c. 16. p. 1839.

§. XXIX.

De numis Constantini Monomachi.

Hoc loco coronidem imponere capiti huic poteram fortasse, sed antequam id faciam, ad postrema imperii inferioris tempora descendere paulisper, atque indidem nonnulla speciminis loco promere, non abs re fuerit, opinor. Numum Constantino Monomacho haud iniuria abiudicat Cl. Bandurius, quem ei doctissimus Du Cange tribuit, cuius aduersa pars duas figuras stemmatibus crucigeris cinctas, alteram virilem, muliebrem alteram cum inscriptione: CONSTANTIC ET ZOH b. auersa nihil exhibet præter epigraphen: CONSTANTINOC ET ZOH. bASILIS ROMEON, eumque vna cum similibus vindicat Constantino Porphyrogenito, qui aliquandiu sub tutela Zoes matris imperauit. Neque enim coniugem Imperatoris exhiberi, sed matrem facile aspectus numi docet, in quo Imperator statura minor, atque adeo adolescentis habitu, mater statura iusta expressa cernitur. Hoc pacto igitur cum nullus Constantini Monomachi vulgatus prostet numus, (neque enim alium indicauit Cl. Bandurius, qui superiori illi, alium in locum translato, substitui possit) & imperium eius, quod duodecim gessit annos, horum monumentorum testimonium flagitare videatur, videndum, an sequentes, quos gaza nostra seruat, numi ad eum pertineant.

T. II. p. 745. Fam. Byzant. p. 136. sq.

Prior,



Prior, ſi partem anteriorem ſpectes, exhibet Imperatorem ſtemmate crucigero cinctum, barbatum, dextra narthecem, ſiniſtra volumen, vt videtur, tenentem, vna cum inſcriptione minutis litteris expreſſa: ✝ CωNSTANTIN BASILEYS RωM. *Conſtantinus rex Romanorum*, ſi poſteriorem, Seruatorem cum libro Euangeliorum, ad pectus vsque cum epigraphe: IHS. XPS REX REGNANTIVM. In poſterioris aduerſa parte Imperator idem loro ſeu habitu conſulari indutus, cum ſtemmate crucigero, ſed barba minus promiſſa, dextra crucem, ſiniſtra globum crucigerum tenet; in auerſa Seruator ſedet in cathedra cum libro Euangeliorum. Videri equidem poſſint hi numi pariter cuſi ab Conſtantino Porphyrogenito. Sed, de vultu vt taceam, barba huius Imperatoris longior haud paulo, quam vt Conſtantini Porphyrogeniti credi poſſit, quodque numi illius iunctum eum vel matri Zoæ, vel filio Romano ſiſtunt, nihil admiſero, quod veritati repugnet, vt arbitror, ſi Conſtantino Monomacho hos numos adſignem. Vitam ac res geſtas eius, copioſe aliis expoſitas, delibare non fert inſtituti huius ratio. Occupati a barbaris orientis imperii culpam ei tribuunt ſcriptores, quod Prouincias, quæ adhuc immunes, pro vectigalibus, locorum anguſtias tueri conſueuerant, pendere tributa iuſſit, vnde illæ, ſublatis cuſtodiis, barbarorum irruptionibus impune patuerunt. Ἐκεῖνος, inquit Zonaras, ὁ ἀνὴρ αἴτιος τοῖς ἀπαθῶς λογιζομένοις κριθήσεται τοῦ τὴν Ἑῴαν μοῖραν δορὶ κυριευθῆναι βαρβαρικῷ h. e. *Rem ſine affectu expendentes viro huic adſcribent Orientem barbaricis armis ſubactum eſſe.* T. II. Lib. XVII. p. 260.

§. XXX.

Inter familias Byzantinas nulla facile illuſtrior gente Comnenorum, ex quibus, qui Conſtantinopolitanum imperium tenuere, Iſaacius, Alexius, Ioannes, Manuel & Andronicus tanto minus tacendi hoc loco, quod plerorumque, indicta adhuc aliis, in gaza noſtra numiſmata reperiuntur. Iſaacii Comneni nullum in ſuo de familiis Byzantinis opere delineatum exhibuit Du Cange, tametſi de iis ſe alibi, nempe *De numo Iſaacii Comneni.*


nempe ad Annæ Comnenæ Alexiadem, & in diſſertatione de numis Impp. C. P. egiſſe monet. Nempe in notis illis ad Annam Comnenam exhibuerat numum ex Gazophylacio Thuaneo, in quo hinc Princeps, cuius caput manus de cœlo tangit, dextra crucem haſtæ impoſitam ferens, ſiniſtra gladium ab Angelo accipiens, cum epigraphe: ΙΣΑΑΚΙΟC ΔΕ... ΡΑ. ΜΙ. illinc virgo ſedens icunculæ caput in ſinu ferens, monueratque numum eſſe aureum, ſed ponderis non æquantis ſolidum Iuſtinianeum. Verum in diſſertatione laudata numum illum haud obſcure ad Iſaacium Angelum refert, tametſi fatetur, ſibi eum inſpicere non licuiſſe. Vnde eum neque inter numos familiæ Comnenæ, neque inter eos, quos Angelis tribuit, poſtea collocauit. Atque Iſaacius quidem Angelus facile carere huius numi teſtimonio poterat, cui alios tres Vir doctiſſimus adſignauit, ſed non æque Comnenus, cui, quod vindicaret, aliud numiſma expiſcari non potuit. Sed protulit Begerus numum aureum, qui quin Iſaacii Comneni, non Angeli, ſit, neque ipſe dubitat Begerus, neque qui eum inde repetit, Cl. Bandurius. Cum eundem gaza noſtra ſeruet, licebit, vt paulo maior ei lux affulgeat, denuo eum delineatum hoc loco exhibere.

L. c. p. 170. Subiect. Io. Cinnano. p. 323.

De infer. æu. Numiſm. §. XXXI. ſubi. Gloſſ. med. & inf. Latin. p. 25.

T. II. p. 864.

T. II. p. 747.



Caucius nempe vel ſcyphatus eſt, quod Begerus monere neglexit, in quo hinc Imperator armatus cernitur, dextra narthecem, ſiniſtra gladium tenens, vna cum inſcriptione: †ΙCΑΑΚΙΟC ΒΑCΙΛΕΥC ΡΩΜ. h. e. *Iſaacius Rex Romanorum*; illinc Seruator ſedens, qui dextram, benedicentis inſtar, extendit, ſiniſtra librum Euangeliorum tenet: Epigraphe: IHS XIS REX REGNANTIVM. Quod numum hunc Begerus Iſaacio Comneno tribuit, permouit eum Du Cange, qui ex Zonara & Scylitze docet, Imperatorem hunc ad Auguſtale ſolium euectum, id ſuæ fortitudini acceptum retuliſſe. Sed idem, cui hanc obſeruationem debet Vir eruditiſſimus, haud mediocri eum difficultate premit, quando eosdem ſcriptores ſecutus notat, in numis eum ſuis ſtricto gladio effingi voluiſſe: Nam in hoc numiſmate non ſtringit gladium, ſed reconditum vagina tenet Imperator. Ac facile quidem ſe expedire poterat Begerus, ſi meminiſſet, coniectare alibi Du Cangium, ſcriptores illos, imagine S. Georgii, gladium ſtrictum tenentis, deceptos, eam, in auerſa numi parte forte expreſſam, pro Imperatoris effigie male accepiſſe. Sed tum quidem id Viro optimo non ſuccurrebat, qui nihil aliud reſpondet, niſi in hoc numiſmate ſecus rem habere, nec videri hunc Imperatorem arrogantis adeo ingenii fuiſſe. At ſi idem Zonaram & Scylitzem conſuluiſſet, vidiſſet, nullam eos ſtricti gladii mentionem facere, ſed ſimpliciter narrare, Imperatorem hunc ξιφήρη & σπαθηφόρον h. e. *enſiferum* in numis effingi voluiſſe. Voce Σπαθηφόρος enſiferum ſimpliciter, non enſem ſtrictum gerentem notari, nemo negauerit; idem de voce ξιφήρης obſeruat Heſychius. Ita enim

l. c.

l. c. Diff. cit. p. 25.

enim ille: Ξιφήρους, ξίφος ἔχοντος, ξιφηφόρου. ξιφήρεις, ξίφη κατέχοντες. h. e. ξιφήρους *gladium habentis, enſiferi.* ξιφήρεις, *gladios gerentes.* Patet hinc, male vertiſſe interpretes loca Scylitzis & Zonaræ. Prior hæc habet: Τὸν μὲν οὖν τρόπον, ὃν εἴρηται, τὴν βασιλείαν ὁ Κομνηνὸς ἀναζωσάμενος, δόξαν τε παρεσχηκὼς ἀνδρείας καὶ πεῖραν πολεμικῆς γενναιότητος, αὐτίκα τῷ βασιλικῷ νομίσματι σπαθηφόρος διαχαράττεται, μὴ τῷ θεῷ τὸ πᾶν ἐπιγράφων, ἀλλὰ τῇ ἰδίᾳ ἰσχύϊ καὶ τῇ περὶ πολέμους ἐμπειρίᾳ, quod reddidit interpres: „ *Ad hunc modum, quem di-* „ *ximus, Comnenus adeptus Imperium, qui & virtutis opinionem de ſe* „ *præbuerat, & ſpecimen præſtantiæ in rebus bellicis, ſtatim regio numis-* „ *mati DISTRICTO ENSE inſculpitur, non omnia accepta Deo refe-* „ *rens, ſed propriæ virtuti, & rei militaris peritiæ.* Apud poſteriorem „ hæc legas: Ὁ δὲ Κομνηνὸς, τῇ βασιλείᾳ ἐγκαταστὰς, ἑαυτῷ τὴν ταύτης ἐπιτυ- „ χίαν, καὶ οὐ τῷ Θεῷ ἐπεγράψατο, καὶ τοῦτο δῆλον, ὅτι τῷ νομίσματι ξιφήρη ἑαυτὸν „ ἐνεχάραξε, μόνον οὐχὶ βοῶν, ὅτι τοῦτό μοι τὴν βασιλείαν, καὶ οὐχ ἕτερόν τι προυξένησε, „ quod rurſus vertit interpres: *At Comnenum, firmato Imperio, adeptio-* „ *nem eius non Deo, ſed ſibi adſcripſiſſe ex eo apparet, quod in numis* „ *ſuam imaginem STRICTO ENSE inſculpendam curauit, tantum non* „ *clamitans, eum ſibi, nec quicquam aliud regnum peperiſſe".* Hallucinatos ſuſpicatur Du Cangius ſcriptores hos, ſed fruſtra, cum numi huius teſtimonio hac ex parte fides eorum ac diligentia extra omnem ſuſpicionis aleam ponatur.

In voce ξιφήρους.

Excerpt. Io. Scylitzæ ſubject. Cedreno. p. 807.

Zonar. Annal. T. II. Lib. XVIII. 4. p. 268.

§. XXXI.

Iſaacium Comnenum, poſt interiectos aliquot e gente Ducarum Imperatores, excepit eadem dignitate ornatus Alexius Comnenus, cuius hoc numiſma in theſauro noſtro reperitur, dignum profecto cuius icon, a nemine adhuc deſcripta, locum hic inueniat.

De numo Alexii Comneni.



Aduerſa in parte duæ figuræ ſtantes, altera Imperatoris dextra tenentis acaciam, ſiniſtra crucem, altera Seruatoris, ſiniſtram pectori admouentis, dextra crucem porrigentis Imperatori. Inſcriptio: ΑΛΞΙω ΔΕC Τω ΚΟΜΝΗΝΟ. Iuxta caput Seruatoris cernuntur litteræ: ΟΚΥ quod interpretor Ο ΚΥριος. In auerſa idem ſedet, dextra Euangeliorum librum tenens, ad vtrumque latus adſcriptis litteris ΙC ΧC. Epigraphe: ΚΕ ΒΟΗΘΕΙ, quod eſt Κύριε ΒΟΗΘΕΙ nempe ΑΛΕΞίῳ ΔΕCπότῃ τῷ ΚΟΜΝΗΝῷ, coniuncta cum his alterius partis epigraphe h. e. *Domine adiuua Alexium Deſpotam Comnenum*; vnde & patet, eam numi partem, quam poſteriori loco explicaui, priorem eſſe ſtatuendam, id quod & Cl. Du Cange de huius generis numis obſeruauit. „ Notan- „ dum, inquit, in eiusmodi numiſmatibus potiorem haberi eam par- „ tem, atque pro antica accipi debere, quæ Chriſti protomen præ-

Diſſert. cit. §. XXVIII. p. 23.

„ fert: quod, præterquam quod id ſatis euincit diuinæ Maieſtatis dignitas, docent characteres KE BOHΘEI". Sed prout idem Vir doctiſſimus, (qui ingenue fatetur, harum ſe litterarum KE BOHΘEI ſenſum diu asſequi non potuiſſe, quod eo minus mirandum, quod tertia littera B. perinde in numis ſcribitur, ac R) in delineationibus deſcriptionibusque horum numorum eam, qua Imperatores expreſſi cernuntur, partem præmiſit, ita idem & mihi licebit, ſpero, eo inprimis loco, vbi Imperatores, qui numos hos cuderunt, potiſſimum ſpectantur. Alexium hunc pluribus deſcribit Anna Comnena, filia, in Opere Alexiadis, quo vitam ac res geſtas parentis complexa eſt:

Alexiad. Lib. III. p. 76. Ὁ μὲν γὰρ Ἀλέξιος, inquit, οὐ πάνυ μὲν ἀπὸ τῆς γῆς ἐπῆρτο ἐπὶ πολύ, εἰς εὖρος δὲ συμμέτρως πῶς ηὐρύνετο· καὶ ἱστάμενος μὲν οὐ τοσοῦτον θάμβος ἐδίδου τοῖς θεωμένοις, εἰ δὲ ἐπὶ τοῦ βασιλείου καθίσειεν ἕτος θρόνου, καὶ γοργωπὸν σέλας ἀφήσει τῶν ὀφθαλμῶν, πρηστὴρ ἐδόκει, καὶ ἄμαχον αὐγὴν ἀποστέλλειν καὶ τοῦ προσώπου καὶ τῆς ὅλης διοργανώσεως. μέλαινα μὲν γὰρ ἡ ὀφρὺς ἑκατέρωθεν ἐκυρτοῦτο. τῇ δὲ ὀφθαλμὸς ὑπεκάθητο βλοσυρὸν ἅμα καὶ ἥμερον ἐνορῶν, ὡς ἀπό τε τῆς βολῆς τῶν ὀμμάτων καὶ τῆς στιλπνότητος τοῦ μετώπου καὶ τῶν παρειῶν τῆς σεμνότητος καὶ τοῦ ἐπιτρέχοντος αὐταῖς ἐρεύθους, ὁμοῦ καὶ δεδοικέναι τε καὶ θαῤῥεῖν. τῶν τε ὤμων ἡ εὐρύτης καὶ τῶν βραχιόνων τὸ στεῤῥὸν καὶ τῶν στέρνων ἡ προβολή, ἡρωϊκὰ πάντα, καὶ ὅλως θάμβος καὶ τέρψιν τοὺς πολλοὺς ἐκκαλούμενα. τὸ γὰρ αὐτὸ τοῦ ἀνδρὸς καὶ ὥραν εἶχε καὶ χάριν, βάρος καὶ ὄγκον ἀπρόσιτον. Quæ ita liberius, ſed forte & tumidius vertit interpres, Petrus Poſſinus: „ *Alexius quidem ſtatura fuit non multum eminenti, ceterum plena, nec modum tamen excedente habitudine corporis. Itaque illius pedibus inſiſtentis non tantum percellebat intuentes maieſtas, quantum in throno reſidentis regio & acrem inde oculorum aciem contra vibrantis. Tunc enim nihil minus terrificum præſtinguebat viſus adſtantium, quam quod eliſis nubibus fulgur reſplendens conniuere audaciſſimos cogit: tanta ex toto non ſolum vultu, ſed etiam corpore ac conformatione vniuerſa membrorum lux imperioſæ ac venerationem extorquentis emicabat dignitatis. Nigrum vtrinque ſupercilium concinne curuabatur: & ſua cuique ſubiecta pupilla blandos ſimul eadem terribileſque dabat. Vt a iactu obtutuum, a fulgore vultus a dignitate genarum apte inſperſo rubore micantium, mixti maieſtatis clementiæque radij ſimul vereri, ſimul confidere homines iuberent. Iam latitudo humerorum, lacertorum toroſitas, prominentia pectoris, heroica omnia & ſimul admirationem, ſimul voluptatem afferentia ſpectantibus. Idem enim in eo & ſpeciem habebat & gratiam & pondus atque inſtar grauitatis inaceſſæ*". Vtinam tam peritum ſculpendi artificem, quam facundum præconem nactus eſſet Alexius noſter! Nihil enim horum omnium ex numo hoc agnoſcas; adeo temporum horum barbariem ſpirant omnia, & oculos elegantiæ veterum numorum asſuetos deformi aſpectu ſuo offendunt. Non æque apud Latinos bene audit Alexius noſter, quam apud ſuos, quod expeditionibus ſacris, quarum obtentu occidentis imperium peti ſibi perſuadebat, haud faueret. Sed quæ Anna filia de eo memoriæ prodidit, qui legerit, laudem ei fortitudinis, prudentiæ & pietatis facile relinquet. Seruatori, a quo crucem accipit, monaſterium exſtruxit, Χριστοῦ φιλανθρώπου dictum, in quo & corpus eius terræ mandatum eſt, quod docet Nicetas Acominatus Choniates,

v. Du Cange Conſtantin. Chriſt. p. 81. p. 6.

§. XXXII. Qui

§. XXXII.

Qui Alexio ſucceſſit, Ioannes Comnenus ſequenti numo expreſſus comparet. *De numo Ioannis Comneni.*



Cernitur hinc Imperator cum loro, dextra tenens narthecem, ſiniſtra acaciam, cui Deipara, quam deſignant litteræ Μ. Θ. h. e. Μήτηρ Θεοῦ, *Mater Dei*, adſtans coronam imponit cum inſcriptione in duas diuiſa partes: τῷ ΔΕCΠΟΤ τῷ ΠΟΡ || ΦΥΡΟΓΕΝΗΤ h. e. *Ioanni Domino Porphyrogenito:* Illinc Chriſtus ſedens dextra, velut ad benedicendum, extenſa, ſiniſtra tenente librum Euangeliorum cum litteris ad vtrumque latus ĪC X̄C. Sunt, qui ſimiles Ioannis huius numos protulerunt; præſenti tamen ſimilior nullus, quam Brandenburgicus, inter eos, quos Begerus vulgauit, primus. Diuerſa autem typi ratio, quod Imperator in Brandenburgico crucem, in noſtro narthecem vel labarum tenet; diuerſa & inſcriptio, plenior nempe & alio litterarum ordine diſpoſita. Vitium chalcographi puto, quod loco litterarum ΜΡ ΘΥ h. e. ΜήτηΡ ΘεοῦΥ, *mater Dei*, ſcriptum eſt ΜΘ ΘΥ. Id ipſum tamen retinuit Cl. Bandurius, qui eius ipſius numi explicationem operi ſuo intexuit. Imperator hic Nicetæ Choniatæ: Ἀνὴρ ϗ τὴν ἀρχὴν ἄριστα διωκηκὼς ϗ Θεῷ εὐαρέστως βεβιωκὼς, h. e. *Vir, qui & principatum optime adminiſtrauit & placitam Deo vitam egit.* Præcipuo quodam honore Deiparam coluit, quæ coronam ei imponit, cui eandem ſe debere hoc pacto profitetur. Eidem & victorias retulit acceptas, vnde in triumpho illo de Perſis quadrigis triumphalibus eius imaginem impoſuit. Audiamus ea de re Nicetam rurſus: Καὶ δὴ τὸ μὲν τέτρωρον εὐτρεπὲς, ϗ εἷλκον τοῦτο πίσυρες ἵπποι καλλίτριχες, χιόνος λευκότεροι. Ὁ δὲ βασιλεὺς τὴν τοῦ ἅρματος ἐπίβασιν παρεικὼς τὴν τῆς ΘΕΟΜΗΤΟΡΟΣ ΕΙΚΟΝΑ ΤΟΥΤΩ ΕΠΑΝΕΒΙΒΑΣΕΝ, ΕΦ Η ΚΑΙ ΗΝ ΓΕΓΗΘΩΣ ΚΑΙ ΤΗΝ ΨΥΧΗΝ ΕΚΛΕΙΠΩΝ ΑΥΤΗΝ, ΚΑΙ ΤΑΣ ΝΙΚΑΣ ΩΣ ΣΥΣΤΡΑΤΗΓΕΤΙΔΙ ΑΜΑΧΩ ΕΠΙΓΡΑΦΟΜΕΝΟΣ. ϗ τοὺς ἄγειν τὰ χαλινὰ τοὺς παρ' ἐκείνῳ δυναμένους τὰ μέγιστα, ϗ τοῖς ἐκ γένους ἐγγίζουσιν ἀμφιπονεῖσθαι τὸ ἅρμα ἐνδούς. Προῆγεν αὐτὸς σταυρικὸν σημεῖον ἐπαγόμενος ϗ ποσὶ τὴν πορείαν ποιούμενος. „ Quæ ita vertit interpres: *Quadrigæ a quatuor equis*
„ *niue candidioribus trahebantur. Imperator vero non conſcendit, ſed*
„ *DEI GENETRICIS IMAGINEM IN EO COLLOCAVIT,*
„ *OB QVAM LAETITIA EXVLTABAT ET ANIMO PENE*
„ *LINQVEBATVR, CVI VICTORIAS, VT COLLEGAE IM-*
„ *PERII INVICTAE, ACCEPTAS FEREBAT. Habenas viris*
„ *potentiſſimis moderandas & cognatis ſuis currum curandum dedit. Ipſe*
„ *crucem manu geſtans pedibus anteceſſit.*

T. II. p. 867.
T. II. p. 756.
p. 81.
p. 13.

 §. XXXIII. Io-

§. XXXIII.

De numo Manuelis Comneni.

Ioanni Comneno ex viuis decedenti duo fupererant filii Ifaacius & Manuel. Huic tametfi natu minimo imperium reliquit parens, Ifaacio fratre natu maiori, qui & a moribundo parente aberat, & ad iram pronior imperii habenas minus fapienter moderaturus videbatur, præterito. Numum eius aureum, quem gaza noftra feruat, fubiungo.



Aduerfa pars, quam chalcographus pofteriori loco collocauit, Imperatorem fiftit, dextra narthecium, finiftra globum crucigerum tenentem, cui manus e nubibus coronam imponit: Epigraphe ad vtrumque latus: ΜΑΝȣΗΛ ΔΕCΠΟΤ || Τω ΠΟΡΦΥΡΟΓΝ: Auerfa Chrifti protomen, notatam litteris IC XC, cum infcriptione: ΚΕ ΡΟΗΘΕΙ, quæ verba cum iis, quæ in priori parte expreffa confpiciuntur, perinde atque in fuperiori numo coniuncta hunc fenfum efficiunt: ***Domine adiuua Manuelem Dominum Porphyrogenitum.*** Vnde fufpicor, minus ex vero defcriptam a clariffimo Bandurio epigraphen fimilis numi e thefauro regio: ΜΑΝȣΗΛ ΔΕCΠΟΤΗC Τω ΠΟΡΦΥΡΟΓΕΝΝΗΤω. Sed ea de re viderint, quibus numum ipfum infpiciendi copia forte dabitur. In hoc numo Porphyrogenitum fe appellat Manuel perinde atque in fuperiori numo parens eius, Ioannes, quod vterque parente Imperatore & matre Augufta natus effet, quæ nafcendi felicitas cum neque Ifaacio, neque Alexio Comnenis, quorum numos vidimus, obtigiffet, eodem titulo haud vtuntur. Vnde autem Imperatorum liberi tulerint hoc nomen Porphyrogenitorum, pridem conftat, & pluribus docet clariffimus Du Cange. Chrifti Seruatoris protome, quam & aliorum huius ætatis Imperatorum numi exhibent, fuperftitionis mihi memoriam refricat, qua Manuel infignem pietatis laudem captauit verius, quam retulit. Fuerat Ephefi lapis purpureus, viri magnitudine, in quo fama ferebat Chriftum fafciis fepulcralibus inuolutum vnctumque fuiffe: Mariam Deiparam lacrimis eum rigaffe fuis illarumque veftigia adhuc cerni: Afportaffe eundem ex terra fancta Mariam Magdalenam, dum Romam, vt Pilatum ac Iudæos cædis iniuftæ reos apud Tiberium deferret, iter fufcepiffet, & in portu Ephefi, quo forte appulerat, reliquiffe. Eum lapidem Manuel Ephefo adducendum curauit, & aduectum, quod is fanctiffimum Chrifti corpus geftaffet, a porta Bucoleontis vfque ad ædem, quæ in turri palatii eft, fuis ipfe humeris pertulit. Narrant id Cinnamus ac Nicetas, docetque pofterior, idem hoc faxum poft Manuelis obitum e palatio ad fepulcrum eius translatum ibidem adorari.

Conftantinop. Chrift. p. 170. & Notis ad Annæ Alexiadem p. 321.

Lib. VI. p. 161. fq. Annal. Lib. VII. p. 144.

§. XXXIV. Ma-

§. XXXIV.

Manuel imperium filio adhuc impuberi reliquit Alexio II. Ei ne diuturnum id foret, factum est impietate Andronici Comneni, cui numum aureum tribuit Cl. Du Cange, quem ita describit: „ ΑΝΔΡΟ-„ ΝΙΚΟC ΕΝ Xω bACIA. Deipara stans, ad cuius pedes procumbit „ imperator.][Figura vrbis Constantinopolitanæ cum quinque por-„ tis; ad latera eius, quæ infra est, describuntur Characteres P. P. „ nisi prima fuerit C. vt per C P. Constantinopolis designetur. In „ medio numo visitur Deiparæ figura cum manibus expansis". De eodem numo idem Vir doctissimus alibi curatius paulo agit, tametsi inscriptionem eius minus plenam affert. Appellat enim prægrandem, & eius generis esse docet, qui Caucii dicuntur. Præterea etiam, cur ad Andronicum Comnenum referat hunc numum, luculenter docet, nempe quod Caucii fere a Comnenis Imperatoribus sint cusi. Neque tamen dissimulat, posse eundem numum tribui Andronico Palæologo seniori; fateturque id suadere vrbis Constantinopolitanæ figuram; quam Michael parens eius, missis typis antiquis, parti posteriori numorum suorum, prout testatur Pachymeres, impressit, a filio deinde, vt admodum verisimile est, imitatore parentis, simili ratione adhibitam. Mirum est, Virum doctissimum, his perpensis, potuisse dubitare vlterius, cuinam Andronico, Comneno an Palæologo, sit numus tribuendus, præsertim cum reputaret secum cultum, quo Deiparam, coram qua Imperatorem in genua prouolutum in suo numismate se videre credidit, Andronicus posterior est prosecutus, cum de priori nihil simile scriptores memoriæ prodiderint. Rectius hunc ipsum numum, vtcunque Caucius sit, cuiusmodi ex familia Comnena Imperatores cuderunt, quod vnum mouit Du Cangium, vt eum Andronico Comneno tyranno adscriberet, Andronico Palæologo vindicat singulare societatis suæ ornamentum, Io. Harduinus. Descriptio quoque numi, quam ex prototypo dedit, haud paulo accuratior, in primis si partem eius priorem spectes. Neque enim in eo Deipara expressa, quod putabat Du Cangius, sed Christus, dextram imponens capiti Andronici ad illius pedes procumbentis, qua de re ne dubitemus, additæ sunt litteræ ad latus IC. XC. Inscriptio quoque haud parum diuersa: ΑΝΔΡΟΝΙΚΟC ΕΝ Xω ΔΕCΠΟΤΗC X ΥΠ h. e. vt ille exponit: Ἀνδρόνικος ἐν Χριστῷ Δεσπότης Χριστῷ Ὑποπίπτει. *Andronicus in Christo Despota Christo se submittit*; redarguitque Vir celeberrimus hac occasione errorem duplicem sculptoris apud Du Cangium, qui bASIL pro ΔΕCΠ. mixtosque cum Græcis Latinos characteres expresserit, tametsi posterior culpa, mea quidem sententia, nulla est, cum sit bACIA non bASIL apud Du Cangium, littera B. autem hoc modo b scripta in huius generis monumentis plus semel occurrat. Ceterum inscriptionem, qualem eam repræsentat Cl. Harduinus, non deprehendo in eiusdem numi exemplo, quod ex Gaza nostra exhibeo.

De numo, quem Andronico Comneno tribuit Cl. du Cange. Famil. Byzant. p. 169.

Dissert. cit. §. LXVII. p. 46.

Lib. 72. c. 1.

Opp. Sell. p. 497.

 Quantum



Quantum mihi quidem perſpicere licuit poſt diuturnam litterarum ſingularium, quæ in tertio in primis verſu peſſime effictæ ſunt, conſiderationem, legitur:

--N
ΔPNICO
CEN Xω
ΔECΠOT.
ΠOΛ
POM.


h. e. Ἀνδρόνικος ἐν Χριστῷ Δεσπότης πόλεως Ῥωμαίων, *Andronicus in Chriſto Dominus vrbis Romanorum.*

Dominum ſe vrbis Romanorum, hoc eſt Byzantii, inſcribit Andronicus iſte non immerito, vt quam parens eius, Michael, Latinis ereptam ſibi poſterisque ſuis denuo vindicauit, & cuius imaginem pars aduerſa ſiſtit. Ceterum delineatus eſt numus ea magnitudine, quam præfert; videtur tamen latioris fuiſſe marginis, ab imperito fortaſſe homine reſectæ. Aurum, quo conſtat, probæ notæ haud eſt; adulteraſſe id Michaelem Palæologum, ita, vt e quatuor & viginti partibus aurei ſolidi, auri puri nouem duntaxat eſſent, quindecim miſturæ ſequioris, eoque fatis ſuis perfuncto, ſub Andronico nempe filio, exiguam eſſe emendationem ſecutam, decem partibus auri purgati ad vitioſas quatuordecim adiectis, fide Georgii Pachymeris conſtat. Atque id ipſum mihi tanto certius perſuadet, numum iſtum, qui notæ huius auro, quod ipſe docet adſpectus, conſtat, Andronici huius eſſe, non Comneni.

Lib. VI. c. 8. p. 343.



CAPVT



CAPVT IV.

DE NVMIS ARGENTEIS ET, QVI IVNCTI IIS HOC LOCO SVNT, AEREIS REGVM.

§. I. *De numis Regum in genere, quorum index sistitur.*

§. II. *De numo Alexandri M. cuius auersa in parte Leo cum vectore Cupidine.*

§. III. *De tempore, quo numus idem cusus, vt & compendio* ȣ.

§. IV. *Πάρεργον de numulo æreo cum inscript.* TETAPTEPON.

§. V. *De numo Philippi Aridæi, quem ei tribuit Cl. Haymius.*

§. VI. *De numis Antipatri, Cassandri filii.*

§. VII. *De numis Antigoni Tutoris & Philippi Demetriadis.*

§. VIII. *De numo Persei cum inscriptione:* BA ΕΡ.

§. IX. *De numis Regum Syriæ ac primo Seleuci* I.

§. X. *De numo Stratonicæ, vxoris Antiochi* I.

§. XI. *De numo Seleuci* IV. *cum epocha:* PΛΣ.

§. XII. *De numo Antiochi* IV. *cum typo aquilæ auersa in parte.*

§. XIII. *De numo Demetrii* I. *cum epocha:* ΘΝΡ.

§. XIV. *De numo Antiochi* VI. *cum æra:* EOP.

§. XV. *De*

§. XXXIX. *De numo Iubæ Iunioris Regis Mauritaniæ cum litteris* R. XXXII.

§. XL. *De numo Ptolemæi cum symbolo Capricorni & litteris* RAX.

§. XLI. *De numis Gelonis Regis Syracusanorum cum inscript.* ΣΥΡΑΚΟΣΙΟΙ ΓΕΛΩΝΟΣ.

§. I.

De numis argenteis æreisque regum in genere.

HActenus de numis aureis antiquis, quos gaza nostra complectitur. Ex eorum numero præstantiaque facile iam colligere est, quanto plus argenti ærisue antiqui cusi scrinia nostra seruent. Quibus enim in rarissimo omnium metallo, auro nempe, ex remotissimæ antiquitatis latebris producendo & colligendo, tam feliciter negotium cessit, vt præstantissima musea non tantum æquet hac ex parte numophylacium nostrum, sed & multis modis superet, quanto maiorem eos argenteorum æreorumque numorum, qui, si res vniuersim spectetur, & maiori numero prostant, & emtores pretii magnitudine plerumque minus deterrent, apparatum credi par est congessisse. Sed ea de re iam ipsa eorum consideratio propior lectores dubitare nullo modo patietur; monendum vero sub initium, cum instituti huius ratio alias postulet, vt metalla singula seorsim perlustrentur, hoc loco recedendi ab eo paulisper necessitatem mihi imponi. Regum enim, populorum atque vrbium, imo & Romanarum familiarum numi, prout, ad ordines pleniores efficiendos, ex argento atque ære promiscue locum in scriniis nostris occupant, ita & eadem ratione a me, nullo discrimine habito argentei æreiue sint, percensebuntur. Ne tamen non constet, cuius metalli sint, quos speciminis loco exhibeo, notas Æ. aut Æ. ectypis vbique adiiciendas curaui. Initium faciendum ab regibus & qui ad eandem classem vulgo referuntur. Quinam eorum & quot adsint, sequens catalogus litterarum ordini respondens docebit, in quo simul Arsinoën & Pharnacem, quorum aureos tantum numos seruat thesaurus noster, notandos duxi, vt vniuersam numorum huius generis, qualis ea apud nos adhuc reperitur, seriem lectores vno velut obtutu perspiciant:

Agathocles, R. Sicil.
Agrippa iun. R. Iud.
Alexander, Amyntæ fil. R. Maced.
Alexander M. R. Maced.
- - I. Bala } R. Syr.
- - II. Zebinas } R. Syr.
Amyntas II. R. Maced.
Antigonus Tutor, R. Maced.
Antiochus I. Soter. } Reg. Syr.
- II. Deus. } Reg. Syr.
- III. Magnus. } Reg. Syr.
- IV. Deus Epiphanes. } Reg. Syr.
- VII. Euergetes. } Reg. Syr.

Antiochus VIII. Grypus } Reg. Syr.
- IX. Philopator, cogn. Cyzicenus } Reg. Syr.
- XII. Dionyſus. } Reg. Syr.
- IV. Commagenes rex.
Antipater, R. Maced.
Aretas, R. Arab.
Arſaces, R. Parth.
Arſinoë Ptolem. Philadelphi.
Aſander, R. Boſpori.
Berenice, Reg. Aegypt.
Caſſander, Rex Maced.
Cleopatra, Mater Antiochi Grypi R. Syriæ.
- III. } Reg. Aegypt.
- VI. } Reg. Aegypt.
Demetrius I. Soter. } R. Syr.
- II. Nicator. } R. Syr.
- Poliorcetes, R. Mac.
Gelo, R. Siciliæ.
Herodes Ethnarch. Jud.
Herodes Tetrarch. Jud.
Hiero I. } R. Syrac.
- II. } R. Syrac.
Hieronymus, R. Syrac.
Juba Pater. } R. Mauritan.
- Filius. } R. Mauritan.
Lyſimachus, R. Thrac.
Mauſſolus, aliusue rex Cariæ: Inſcriptio enim obliterata.
Mithridates Eupator, R. Ponti.
Nicomedes Epiphanes vlt, R. Bithyn.
Ninnius. Vid. Beg. Theſ. Brandenb. T. I. p. 301. Sed nota hic aduerſa in parte non MAVR legi, vt apud Begerum, ſed MAVC.
Perſeus, R. Maced.
Pharnaces II. R. Ponti.
Philetærus, R. Pergam.
Philippus, Pater Alexand. M. R. Mac.
- penultimus Rex Maced.
- Epiphanes Philadelph. R. Syriæ.
Philiſtis, Regina Magn. Græc. vel Sicil.
Pruſias Claudus, R. Nicom.
- Venator, R. Nicom.
Ptolemæus I. Soter. } R. Aegypt.
- II. Philadelphus. } R. Aegypt.
- III. Euergetes. } R. Aegypt.
- V. Epiphanes. } R. Aegypt.
- VII. Euergetes II. vulgo Phyſcon. } R. Aegypt.
- Soter II. } R. Aegypt.
- VIII. } R. Aegypt.
- XI. Auletes. } R. Aegypt.

Ptolomæus,

Ptolomæus, R. Mauritan.
Rhoemetacles I. Thrac.
Sauromates R. Boſpori.
Seleucus I. Nicator. }
Seleucus II. Callinicus. } R. Syr.
Seleucus IV. Philopator. }
Seleucus VI. Epiphanes Nicator. }
Tigranes, R. Arm.
Tryphon, R. Syr.

§. I I.

Circumſpicienti mihi iam, quid ex hac farragine promi poſſit ad veterem hiſtoriam noua luce perfundendam, primo ſe mihi loco rurſus offerunt reges Macedoniæ, ex quibus Alexander M. vt priores poſterioresque rerum geſtarum magnitudine famaque nominis longiſſime poſt ſe reliquit, ita tot ſui monumenta in hoc genere antiquitatis vel viuus vel poſt fata poſteritati reliquit, vt vnius Alexandri M. numi, quos hodie Muſea ſeruant, omnium omnino regum Macedoniæ numiſmata, quæ in iisdem reperiuntur, numero vel ſuperent, vel æquent. Si magnitudinem ſpectes, omnibus fortaſſe, ſi artificii præſtantiam, nulli concedit ſequens argenteus. *De numo Alexandri M.*



Geminus eſt ei, quem ex gaza Illuſtriſſimi Comitis Winckelſeenſis, cuius ſummam erga me in monſtrandis rariſſimis quibusque muſei ſui cimeliis humanitatem grata, vt par eſt, mente recolo, affert Cel. Haymius, quemque duas ob cauſas inter maxime ſingulares numerat, primo quod caput Alexandri in numis, vt ille arbitratur, raro obuium exhibet; ac deinde, quod illud ipſum ſummo artificio ſculptum eſt: vnde vlterius colligit, Alexandrum hic omnium accuratiſſime effictum cerni. Nam & magnitudo reſpondet, & typus, tametſi haud vna ratione diuerſus, ſummam artificis dexteritatem prodit, quam vtinam ſculptoris manus, quæ in reddenda ea, meo hortatu, iterum iterumque deſudauit, aſſequi omni ex parte potuiſſet! Caput Alexandri in eo nec vinctum diademate neque cornutum, vt eſt in Winckelſeenſi numo, ſed nudum comparet. Capilli ſparſi, ac ſurſum quodammodo flexi, vultus decens, ſed qui Martem ſpiret, plane ad mentem AEliani, qui Ἀλέξανδρον δὲ, inquit, τὸν Φιλίππου ἀπραγμόνως ὡραῖον λέγουσι γενέσθαι· τὴν μὲν γὰρ κόμην ἀνασεσύρθαι αὐτῷ, ξανθήν τε εἶναι. ὑπαναφύεσθαι δέ τι ἐκ τοῦ εἴδους φοβερὸν τῷ Ἀλεξάνδρῳ λέγουσι. h. e. „ *Alexandrum, Philippi filium, ſine cura formoſum fuiſſe perhibent: Capillos* „ *enim ei ſurſum retortos & flauos quidem fuiſſe. Ferunt vero formi-* *Teſor. Britann Vol. II. p. 9.* *Lib. XII. var. Hiſt. c. 14. Edit. Perizon.*

 „ *dabile*

„ *dabile quiddam ex facie Alexandri ſuboriri viſum*". Neque præter-
eunda ἡ ἀνάτασις τοῦ αὐχένος εἰς εὐώνυμον ἡσυχῆ κεκλιμένου καὶ ἡ ὑγρότης τῶν ὀμμάτων,
h. e. *proiecta ceruix atque in ſiniſtrum humerum modice propenſa, & ocu-
lorum claritas*, quam Lyſippus quondam in ſtatuis Alexandri fingendis
accurate expreſſit, neque inſuper habuit artifex huius numi, ita, vt
τὸ ἀῤῥενωπὸν καὶ λεοντῶδες αὐτοῦ, h. e. *maſculum & leoninum illud*, quod
præ ſe ferebat, ſeruarit, quod non æque factum quondam eſſe a Ly-
ſippi æmulis Plutarchus docet. Leo in auerſa numi parte non ſolus
comparet, ſed cum vectore, Cupidine alato, Epigraphe non duplici,
vt in eodem Winkelſeenſi numo, ſed vno verſu: ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ,
Alexandri. Leo, quo ſpectet, audiamus Tertullianum luculenter id
ex inſomnio parentis explicantem: „ Philippus Macedo, nondum
„ pater, Olympiadis vxoris naturam obſignaſſe viderat annulo: leo
„ erat ſignum. Crediderat præcluſam genituram; opinor, quia leo
„ ſemel pater eſt. Ariſtodemus vel Ariſtophon coniectans, imo nihil
„ vacuum obſignari: filium, & quidem maximi impetus portendi.
„ Alexandrum qui ſciunt, leonem annuli recognoſcunt". Ab hoc
leone Alexandria, quam Alexander condidit, Λεοντόπολις dicta. Ita
enim Stephanus: Ἐκλήθη δὲ Ῥακῶτις καὶ Φάρος καὶ Λεοντόπολις διὰ τὸ τὴν Ὀλυμ-
πιάδος γαστέρα ἐσφραγίσθαι λέοντος εἰκόνι. h. e. „ *Dicta vero & Rhacotis
„ & Pharus & Leontopolis, eo quod Olympiadis vterus leonis imagine
„ obſignatus fuiſſet*". Sed quid leoni hoc loco cum Cupidine vectore,
quem frequentius numi vel delphino, vel hirco inſidentem exhibent,
tametſi nec deſunt vetera monumenta, in quibus ſimili ratione vel
leoni vel pantheræ inequitans cernitur, vnde ipſe apud Lucianum ad
matrem: Τοῖς λέουσιν αὐτοῖς ἤδη ξυνήθης εἰμὶ καὶ πολλάκις ἐπαναβὰς ἐπὶ τὰ νῶτα,
καὶ τῆς κόμης λαβόμενος ἡνιοχῶ αὐτούς. Οἱ δὲ σαίνουσί με καὶ τὴν χεῖρα δεχόμενοι ἐς τὸ στόμα
περιλειχμησάμενοι ἀποδιδόασί μοι. h. e. „ *Ipſis leonibus familiaris iam factus
„ ſum, & ſæpe, tergis eorum conſcenſis & coma apprehenſa, aurigæ in-
„ ſtar illos agito. Illi vero caudis mihi adblandiuntur, manumque ori
„ applicantes lambentesque mihi reddunt*". Nempe Deus is non tantum
amantium, ſed & fortium virorum. Audiamus ea de re Athenæum:
Λακεδαιμόνιοι πρὸ τῶν παρατάξεων Ἔρωτι προθύονται, ὡς καὶ ἐν τῇ τῶν παραταττομένων
φιλίᾳ κειμένης τῆς σωτηρίας τε καὶ τῆς νίκης. Καὶ Κρῆτες δ' ἐν παρατάξεσι τοὺς καλλίστους τῶν
πολιτῶν κοσμήσαντες διὰ τούτων θύουσι τῷ Ἔρωτι ὡς Σωσικράτης ἱστορεῖ. Ὁ δὲ παρὰ
Θηβαίοις ἱερὸς λόχος καλούμενος, συνέστηκεν ἐξ ἐραστῶν καὶ ἐρωμένων τὴν τοῦ Θεοῦ σεμνό-
τητα ἐμφαίνων, ἀσπαζομένων θάνατον ἔνδοξον ἀντ' αἰσχροῦ καὶ ἐπονειδίστου βίου. h. e.
„ *Lacedæmonii ante inſtructas acies Amori rem diuinam faciunt, quod
„ in militarium ordinum amicitia ſita victoria ſit & ſalus. Cretenſes
„ ad conflictum iam expedito milite ex ciuibus formoſiſſimos deligunt, qui
„ Amorem inuocantes ſacris operentur, vt ſcribit Soſicrates. Quam apud
„ Thebanos ſacram cohortem aut turmam vocant, ex iis conſtat, qui
„ amant & amantur, declarans maieſtatem Dei, quando illi decoram
„ mortem turpi ac probroſæ vitæ praeferunt*". Hinc & in gemmis Cu-
pido haſtam & clypeum geſtat apud Licetum & Begerum, quos vide.

Vita Alexand. T. I. Opp. p. m. 666. & de Fortuna vel Virtute Alex. Orat. II. Tom. II. p. m. 335.

De Anima. c. 46. conf. Plut. l. c. p. 665.

Voce Ἀλεξάνδρεια.

Spanh. T. I. p. 228. ſeq.

Dial. Ven. & Cupid. T. IV p. 85.

Lib. XIII. p. 561.

Gem. Annul. p. 95. Theſ. Brandenb. T. I. p. 37.

§. III.

De eodem plura.

Ceterum in voce ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ litterarum ΟΥ compendium occur-
rit,

rit, perinde atque in hoc æreo, vt metallo, ita & arte longe illi inferiori.



In quo hinc Alexandri caput, ſimile prorſus ei, quod ex numo ſuperiori expreſſimus, cum litteris: ΑΛΕΞΑΝΔΡȣ, *Alexandri*, illinc Alexander Bucephalum arrectis pedibus ante ſe ſtantem domans cum inſcriptione: ΚΟΙΝΟΝ ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ ΝΕΩκόρων. h. e. *Commune Macedonum Neocororum.* Ei deſcribendo non immorabor hoc loco: neque enim vel rarus ille vel indictus antiquariis, quando ſimiles pridem Goltzius, Patinus, Spanhemius aliique vulgarunt. Id vero notaſſe non abs re fuerit, numum hunc docere, quo tempore ſuperior ille argenteus ſit cuſus, qui non tantum idem compendium ȣ ſed & litteram ϖ pro Ξ eadem ferme ratione formatam exhibet. Hæc enim ſimilitudo litterarum haud obſcure declarat, numos hos ad eadem tempora pertinere, vtcunque elegantia argentei illius, quæ ſumma profecto eſt, alia omnia ſuadere videatur. Atqui titulus ΝΕΟκόρων, quem τὸ ΚΟΙΝΟΝ ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ, h. e. *Commune Macedonum*, in æreo hoc numo fert, ad Caracallæ nos ætatem deducit, cuius extat in regio Gallorum theſauro numus, cum auerſæ partis, in qua idem Alexander Bucephalum domat, inſcriptione: ΚΟΙΝΟΝ ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ Β. ΝΕΩ. Similem theſaurus noſter ſeruat, ſed cuius aduerſa in parte caput Alexandri, vt in ſuperiori, non Caracallæ. Vnde dubitari vix poteſt, quin cuſi hi numi ſint Caracallæ ætate, qui, vt eſt apud Herodianum, vbi in Thraciam, Macedonibus conterminam, peruenit, εὐθὺς Ἀλέξανδρος ἦν, καὶ τήν τε μνήμην αὐτοῦ παντοίως ἀνενεώσατο. h. e. *continuo Alexander alter euaſit, memoriamque eius omnibus modis renouauit.* Ceterum ſcribendi alia ratio, qua duæ litteræ ΟΥ in vnam ȣ coaleſcunt, poſt Caracallam frequenter in Elagabali, Alexandri Seueri, Gordiani, & Voluſiani numis occurrit, ad quos ex parte prouocat Ill. Spanhemius, vbi de eadem agit. Addit, rei vlterius confirmandæ cauſa, ſe in minori quodam numo æreo obſeruaſſe apud Cl. Seguinum ΤȣΔΕ ΕΛΑΦΡΟΤȣΡΟΝ. Mirum, tam vagum numi indicium excidere potuiſſe ſummo viro nihil perfunctorie agenti; quis enim ille ſit minor æreus Seguini numus, nemo fortaſſe coniectura aſſequatur. Cum vero eundem gaza noſtra ſeruet, eius ectypum, tametſi huc minus ſpectantem, hoc loco exhibere non abs re fuerit.

Græc. T. XXIV. n. 15. v. Nonn. Com. p. 181. Numiſm. Imp. p. 12. Les Ceſars de Julien. p. 259.

Vaill. differt. du Titre de Neocore. v. Memoire de litterat. de l'Academie des belles lettres T. IV. p. 204.

Lib. IV. c. 8.

T. I. 123. conf. Montfauc. Palæograph. Græc. Tit. II. c. 7. p. 175. & in recenſione Operis eiusdem p. 10. T. I. p. 123.



In auerſa parte legitur ✠ HAAIOCEAHNATON. Quo nomine a ſolis & lunæ ſymbolis, quæ ei impreſſa forte initio, petito, monetæ quoddam genus apud Græcos ſequioris æui denotari nemo dubitauerit, tametſi eam tacitus in ſuo de mediæ & infimæ Græcitatis Gloſſario prætermiſit celeberrimus du Cange. Auerſæ partis inſcriptio eſt: TOΔE EΛAΦPOTEPON TȣTȣ APΓEI. h. e. *quod autem leuius hocce eſt, non valet.* Notauerat hæc compendii illius ȣ, quod in voce TȣTȣ bis occurrit, gratia Illuſtris vir, ſed priorum verborum tantum recordatus,
p. 82. expreſſerat in editione operis ſui Amſtelodamenſi: TOΔE EΛAΦPOTEPON; vere quidem, ſed quod ſequentia deſunt, minus ad rem. Id cum animaduerteret, eadem verba in nouiſſima editione Londinenſi typis repetiturus, ſequentium prorſus immemor, in illis vitium latere credidit, ſcripſitque adeo: TȣΔE EΛAΦPOTEPON. Male omnino, quemadmodum numus noſter docet.

§. IV.

Πάρεργον de numo cum inſcr. ✠ TE-TAPTEPON. Numulus hic æreus non abſimilis alii, quem hac occaſione proferre in lucem, haud inuitis, vt ſpero, lectoribus, licebit.



Aduerſæ paginæ inſcriptæ litteræ: ✠ TETAP, auerſæ TEPON, quæ ſi coniungantur, habebimus: TETAPTEPON, quod fuit monetæ genus a Nicephoro Foca inuentum. Ἠλάττωσε δὲ καὶ νόμισμα, inquit Cedrenus,
T. II. p. 658. τὸ λεγόμενον TETAPTHPON ἐπινοήσας. Διπλοῦ δὲ τοῦ νομίσματος ἐκ τότε γεγονότος ἡ μὲν εἴσπραξις τῶν δημοσίων φόρων τὸ βαρύτερον ἀπῄτει, ἐν δὲ ταῖς ἐξόδοις τὸ μικρὸν ἐσκορπίζετο. h. e. „ *Nomiſma etiam attenuauit, TETARTERO „ excogitato. Cumque eo modo duplex eſſet numus, penſiones publicæ „ grauiorem exigebant, minor in ſumtibus faciendis diſſipabatur".* Ge-
T. II. p. 203. mina tradit Zonaras: Ἦν δὲ πρὸς τοῖς ἄλλοις καὶ χρημάτων ἥττων, ὡς ἔοικε· μέχρι γὰρ ἐκείνου παντὸς νομίσματος ἑξαγίου σταθμὸν ἕλκοντος ἐκεῖνος τὸ TETAPTHPON ἐπενόησε, κολοβώσας αὐτὸ κατὰ τὸν σταθμόν, καὶ τὰς μὲν εἰσπράξεις διὰ τοῦ βαρυτέρου, τὰς δὲ δόσεις καὶ πάντα τὰ ἀναλώματα διὰ τοῦ κεκολοβωμένου πεποίητο· quod vertit interpres: „ *Apparet eundem auaritiæ quoque ſordibus fuiſſe contamina- „ tum.*

„ *tum. Nam cum vsque ad eum quoduis numisma exagium penderet,*
„ *ille TETARTERVM excogitauit pondere imminuto & exactiones gra-*
„ *uiore, largitiones & omnes impensas mutilato numo fecit*". Νόμισμα his scriptoribus, vt Suidas interpretatur, κόμμα τῦ τετυπομένυ χαλκῦ. h. e. *æs signatum*, vnde Τετάρτηρον, siue, vt in numulo nostro vox ea scripta extat, Τετάρτερον, vtpote eodem sensu νόμισμα, ex auro argentoue frustra quæras. Inde & aureis Byzantiis *Tartarones*, qua voce truncata monetæ id genus designant sequioris æui scriptores, opponuntur. Albertus Aquensis: „ Imperator hac Petri humilitate audita, motus mi-
„ sericordia, ducentos Byzantios aureos sibi dari iussit: de moneta
„ vero, quæ dicitur TARTARON, modium vnum exercitui
„ illius erogauit. Et alio rursus loco: A tempore Dominicæ incar-
„ nationis . . . . vsque ante paucos dies Pentecostes per singulas heb-
„ domadas quatuor viri Byzantiis aureis onerati cum decem modiis mo-
„ netæ TARTARON de domo Imperatoris duci mittebantur,
„ quibus milites sustentari possent". Aenei diserte numi appellantur Fulgærio Carnotensi: *Pecunia illa retenta iussit Imperator de auro suo & argento atque palliis proceribus nostris dari; peditibus quoque distribui fecit de numis suis æneis, quos vocant TARTARONES.* Ac hactenus quidem recte fidem his scriptoribus adhibet Cl. Du Cangius, non adhibiturus Orderico Vitali, qui quadratos fuisse scribit, si numus noster in manus eius incidisset. Adductis enim illius verbis (sunt autem hæc: „ *Tartarones quadratos ex cupro numos Thraces vocitant, de*
„ *quibus in Thracia seu Bithynia prouinciales mercimonia sua, sicut Philippis*
„ *aut Byzantiis actitant,*) subiungit: Erant igitur Tartarones ex moneta-
„ rum illarum genere, quas Τετραγώνυς vocat Nouella Iustiniani". Rem vero secus habere numulus noster facile persuadet: nisi forte dicendum: rotundos ab initio tartarones forma postea quadrangulari cusos fuisse.

[Margin notes: voce Νόμισμα. — Hist. Hierosol. Lib. I. c. 16. — Ib. Lib. II. c. 16. — Gest. peregrin. Franc. p. 387. — Dissert. de num. inf. æui. §. LXXXVII. conf. Gloss. infim. Græc. voce Τετάρτηρον & Gloss. infim. Latin. voce Tartaron. — Eccles. Histor. Lib. X. p. 791.]

§. V.

Sed e diuerticulo in viam, hoc est, ad reges Macedoniæ redeamus. Alexandro extincto Aridæus, frater eius, successor datus est, quem milites, *Philippum* consalutatum, regem appellasse Curtius tradit. Ei numum argenteum ex gaza Illustrissi. Comitis Pembrociensis tribuit vir summus Ez. Spanhemius, cuius auersa in parte caput imberbe leonis spoliis tectum, a Philippi patris in eius numis effigie diuersum, in auersa tripos & arcus, cum nomine ΦΙΛΙΠΠΟΥ. Fugit id Clariss. thesauri Britannici editorem, Nicolaum Franciscum Haymium, cuius humanitati debeo, quod pleraque olim cimeliarchia, quibus Anglia sese effert hodie, mihi perlustrare licuit. Neque enim alias scripsisset, vt puto, adhuc Aridæi regis Macedoniæ numisma nullum lucem adspexisse. Nisi forte vir doctissimus, quod Aridæi numum esse haud crederet, qui nomen ΑΡΡΙΔΑΙΟΥ non præfert, sed ΦΙΛΙΠΠΟΥ, nullum eius habendum duxit. Sed nisi omnia me fallunt, Pembrociensis numus ab Ill. Spanhemio vulgatus longe rectius Aridæo vindicatur, quam ille Deuoniensis gazæ, quem vir clarissimus produxit hinc capite galeato, illinc dimidia naue & litteris ΒΑ Æ insignem. Primo enim commode ille Alexandro tribui potest, cuius nomen in litteris

[Margin notes: De numis Philippi Aridæi. — Lib. X. c. 7. — T. I. p. 384. — T. II. p. 12]

litteris ΒΑ, quod eſt Βασιλέως Αλεξάνδρυ deliteſcit: Neque adeo neceſſe eſt, vt monogrammate ℞ nomen ΑΡΡΙΔΑΙΟΥ intelligatur, quod in aliis Macedoniæ regum numis occurrit, quos nemo Philippo Aridæo tribuerit. Eius generis ſequentem Philippi patris e gaza noſtra ſubiicio.



Deinde vel ipſum ΑΡριδάιυ nomen, quod in eo quærit vir clariſſimus, luculenter docet, hunc numum Philippi Aridæi eſſe non poſſe. Diſerte
Lib. XIIX. p. 627. enim Diodorus: Ε'υθὺς ᾗ βασιλέα κατέϛησαν τ̃ Φιλίππυ υἱὸν Α'ρρίδαιον, κ̀ μετωνόμασαν Φίλιππον, h. e. *ſtatim regem creauere Philippi filium Aridæum, mutatoque nomine PHILIPPVM appellarunt.* Conſentiunt Diodoro,
Lib X. c. 7. Lib. XIII. c. 3. Græc. Euſeb. Scalig. p. 58. ſq. Chron. Can. p. 177. Curtius, Iuſtinus, Dexippus, & Porphyrius apud Euſebium, & Euſebius ipſe. Philippus igitur dictus eſt Aridæus, poſtquam regiam dignitatem capeſſiuit, cui nihil obſtat, quod Iuſtinus & Pauſanias, ad quos prouocat vir doctiſſimus, iam tum regem, Aridæum appellant. Factum id diſcriminis cauſa ab ſcriptoribus his, ne cum aliis ille Phi-
l. c. lippis permiſceretur. Ceteroqui de eodem Philippi nomine Iuſtinus: „ Aridæum Alexandri fratrem regem appellant, ... & nomine *Phi-* „ *lippi* Patris vocari iubent". Quod autem coniectat Cl. Haymius aſſumſiſſe quidem Philippi nomen Aridæum, ſed eo in numis atque aliis publicis monumentis ſeſe abſtinuiſſe, id quam firmum ſit, res ipſa ſatis loquitur.

§. VI.

De numis Antipatri. Sel. Num. Tab. 3. p. 27. Antipatro, Caſſandri filio, numum ſequentem tanto minus tribuere vereor, quod ſimilem ei pridem Cl. Wildius aſſignauit.




Altera pars in clypeo Macedonico, qualis in aliis Antipatri numis
Græc. Tab. XXXVIII. apud Goltzium occurrit, monogramma exhibet litteris ΑΝΤΙ conſtans, initialibus nempe nominis ΑΝΤΙπάτρυ. In altera cernitur galea criſtata, cum litteris: ΒΑΣΙΛΕως, & monogrammate ad ſiniſtram. In numiſmate Wildiano circa galeam eandem litteriæ: ΑΒ ΑΣ quod ille interpretatur: *Antipatri regis.* Sed hic littera nulla præter quatuor illas ΒΑΣΙ comparet, ita vt coniungi inſcriptionem vtriusque partis oporteat, legique: ΑΝΤΙ-

πάτρυ

πάτρα ΒΑΣΙλεως· hoc eſt *Antipatri regis.* Quæ interpretatio ſi locum habeat, viderint iam, quibus ea facultas, an non numus ille cum figura excitante tropæum, quem modo Philippo, Amyntæ filio, modo Alexandro M. tribuit Goltzius, rectius eidem huic Antipatro vindicari poſſit. Cùm ter ille in gaza reperiatur noſtra, expreſſæ hic delineationi eius, quæ omnibus eius exemplis reſpondet, fidem tanto facilius habebunt lectores.

L. c. Tab. XXXI. n. 1, 10.



Cernitur hinc caput galea cinctum, cuius parti ſuperiori caput minuſculum galeatum a manu poſteriori impreſſum eſt, illinc figura ſtans ad truncum arboris, quæ tropæum excitat. Inſcriptio: ΒΑ ꟿ quod interpretor: ΒΑσιλέως ΑΝΤΙπάτρυ. Eodem nempe monogrammate, atque in ſuperiori numo notatur nomen Antipatri, quod obſeruauit quidem Goltzius, ſed minus accurate expresſit, Ⱥ pro ꟿ exhibito. Huic Antipatro ſi relinquamus numum hunc, quem iure, vt puto, ſibi vindicat, conſtabit iam, quæ res ſollicitum habebat Nonium, fides ſua Pauſaniæ, qui diſerte negat, Philippum, Amyntæ filium, Alexandrumue vlla tropæa erexiſſe, tametſi de eodem Illyriorum victore id affirmat Diodorus. Antipatrum autem, vana ſpe victoriarum, quas ſibi pollicebatur, inflatum, boni velut ominis cauſa exhibuiſſe in numis hominem tropæo erigendo operam dantem, quantumcunque id, teſte Pauſania, mori patrio aduerſaretur, tanto facilius credi poteſt, quod ille alias, neque diuina neque humana iura magno opere curabat, matre, quæ vitam per vbera materna deprecata erat, immani facinore peremta. „ Cauſa parricidii fuit, inquit „ Juſtinus, quod poſt mortem mariti, in diuiſione inter fratres „ regni, propenſior fuiſſe pro Alexandro videbatur. Quod facinus eo „ grauius omnibus viſum eſt, quod nullum maternæ fraudis veſtigi„ um fuit".

Comment. in Goltz. Græc. p. 174. 179. Boeot. p. 319.
Biblioth. Lib. XIV. p. 512.
l. c.
Lib. 16. c. 1.

§. VII.

Antigoni Tutoris numus, quem e cimeliis Chriſtinæ Auguſtæ primus vulgauit Ill. Spanhemius, poſt e theſauro Palatino & Brandenburgico quoque Begerus produxit, noſtræ quoque ſupellectili numariæ decus haud vulgare addit. In eo vero non tam regis illius caput, quam Panis comparet, cuius habitu rex ille ſiſtitur. Facies enim quodammodo monſtroſa, frons bicornis, pedum a tergo, non claua Herculea, quam ibi agnoſcit vir ſummus. Recte id obſeruatum Cl. Begero, qui nihil eorum, quæ ad illuſtrandum hoc numiſma facere videntur, prætermiſit. Antigono Tutori, quo pacto eum Græcos, vt cognomine a ceteris regibus diſtinguerent, appellaſſe, Liuius teſtatur, ſucceſſit pupillus Philippus, Demetrii filius; cui vindicandos

De numo Philippi Demetriadis.
T. I. p. 385. Theſ. ex Palat. delect. p. 127. Brandenb. T. I. p. 247.
l. c.
Lib. XL. c. 54.

O cum

Select. Num. Tab. I. cum alios puto numos, quos Cl. Wildius Philippo, Amyntæ filio, assignauit, tum & sequentem.



Aduersa in parte cernitur Apollinis caput radiatum. Eius Dei honorem, sacro bello contra Phocenses, fani Delphici expilatores, suscepto, strenue vindicarat Philippus, Amyntæ filius, quem vt Philippus Demetriades æmulabatur, ita & præcipuam quandam Apollinis venerationem præ se tulit, tametsi ipsum vicissim pari prope cultu Græci excepere. Cum enim apud Argiuos, quod docet Liuius, mos esset, comitiorum die primo velut ominis causa, prætores pronuntiare Iouem Apollinemque & Herculem; additum legi erat, vt iis Philippus rex adiiceretur, vnde coniectare possis, ipsius Philippi caput iuuenile corona radiata, quæ arguat diuinos honores, quamque non multo post Seleucides Antiochus IV. successoresque eius, vna cum titulo ΘΕΟΥ, sibi vindicarunt, cinctum in hoc numo exhiberi. Auersa numi pars fulmen in corona quernea sistit, cum inscriptione: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΦΙΛΙΠΠΟΥ. Supra monogramma ∆∕. De fulmine & corona quernea, Iouis Olympii in Macedonia culti symbolis, quod nota res est, de industria nihil addo. Quod vero numum hunc Philippo, Amyntæ filio, abiudicandum duxi, mouit me iuxta cum artificio numi, quod in Philippi numis haud parum diuersum, partim ductus litterarum, qui posteriora tempora arguit, partim monogramma illud ∆∕. quod in Philippi, Demetrii F., numo, quem Ill. Spanhemius e Pembrocianis cimeliis produxit, itidem comparet, partim corona, qua symbola aduersæ inclusa comparent, quæque in Philippi & Persei postremorum Macedoniæ regum non item anteriorum numis occurrit.

Pausan. VII. p. 212.

Lib. XXXII. c. 25.

Vaill. Histor. Seleuc. p. 198.

Vid. Wild. l. c. & Beger. T. I. p. 237.

T. I. p. 385.

§. VIII.

De numo Persei. L. c. T. II. p. 15.

Persei filii numos duos produxit Cl. Haymius, vtrumque ex gaza Illustrissimi Ducis Deuoniensis, Mæcenatis litterarum summi, cuius in monstrandis lectissimis, quæ vndique magno sumtu collegit, præstantissimæ gazæ suæ cimeliis humanitatem, quam iterata vice experiri mihi licuit, grata, prouti par est, mente veneror. In posteriori, quem sistit, hæret vir optimus, quo litteræ ΕΡ, nullius omnino nominis regum Macedoniæ initiales, sint referendæ. Sed aut omnia me fallunt, aut illas minus, quam alias solet, (neque enim diligentior illo quisquam in singulis apicibus numorum sollicite rimandis expendendisque) attente inspexit. Sunt enim non diuisæ ab inuicem, prout eas vir clarissimus repræsentauit, sed vno nexu monogrammatis instar iunctæ, ita vt Π, primam litteram nominis Persei, manifeste

nifeste simul exhibeant. Patebit hoc luculenter, vbi eundem numum ex gaza nostra spectauerimus.



Aduersa pars caput sistit alatum, & galea, capite gryphi alisque ornata, tectum. Quo minus enim causiam illam, hoc est pileum Macedonicum, cum Cl. Haymio interpretet in causa est, quod pileis (T. II. p. 416.) similia ab animalibus petita ornamenta addita fuisse, nec Solerius, ad quem prouocat, nec alius forte scriptor vllus vel antiquior vel recentior docet. Simile certe capitis inuolucrum ex gemino numo abbatis de Fontenu inter galearum genera retulit celeberrimus Montfauconius. (Antiquit. Explic. T. IV. Tab. 19. n. 7. p. 40.) Ad humerum sinistrum cernitur gladius vel pugio peculiaris formae, qualis & occurrit in parte auersa numi aerei, cum inscriptione: ΦΙΛΙΠΠΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ, quem Galliae suae ornamentum, Cl. de Boze publici iuris fecit, & ad Philippum Persei huius patrem retulit. (Dissert. de Taurobol. insert. T. IV. Hist. Acad. inscr. p. 115. 116.) Eum Cl. Haymius cultrum victimarium interpretatur, propterea quod similis in veteri ara Cybeles ob memoriam taurobolii, pro salute Hadriani Imperatoris celebrati, ei dedicata, quae Lugduni anno huius seculi quarto inuenta est, expressus occurrit, eaque de causa adiectum credit, vt, reges Macedoniae simul sacerdotes fuisse, inde appareat. (Vid. l. c. p. 111. sqq.) Quod sane de regibus Lacedaemoniorum ex Xenophonte, & ex Plutarcho de vetustis Aegypti regibus praeclare obseruat Ill. Spanhemius, (T. II. p. 416.) facileque & proinde admitti potest de iis, quos Macedonia tulit. Ceteroqui reges Imperatoresque saepe equidem arma, hastasque potissimum, humeris gestant in numis; sed qui victimarium cultrum, popae instar, gestet, ab hoc numo si discedas, frustra fortasse quaeratur. Caput ipsum Philippo, patri Alexandri magni, assignat Cl. Haymius; qua quidem in re virum doctissimum ingenio suo abundare nemo non tanto facilius patietur, quod Persei caput non imberbe, cuiusmodi in numo hoc, sed barbatum, sistit numus gazae Brandenburgicae, quem Begerus & Spanhemius exhibent. (T. I. p. 249. T. I. p. 380.) Auersa numi pars aquilam sistit ramo insistentem, indicium cultus, quo Iouem, cuius ales illa est, non tantum Macedonum gens vniuersa, sed & inprimis Perseus prosequebatur. Audiendus eam in rem Liuius: „ *Magnificentiae in Deos, vel* (Lib. XLI. c. 20.)
„ *Iouis Olympii templum Athenis, vnum in terris inchoatum pro ma-*
„ *gnitudine Dei, potest testis esse. . . . . Antiochiae Iouis Capitolini ma-*
„ *gnificum templum, non laqueatum auro tantum, sed parietibus totis*
„ *lamina inauratum, & alia multa in aliis locis pollicitus, quia per-*
„ *breue tempus regni eius fuit, non perfecit*". Litterae vero adsunt ΒΑ ΠΕ quod legendum esse: ΒΑσιλεως ΠΕΡσεως, tribus prioribus litteris monogrammate iunctis, quis non vel primo aspectu agnoscat?

§. IX.

De numo Seleuci I. regis Syriæ.

Miſſa iam Macedonia, cuius regnum Alexander Magnus ipſis prope terrarum finibus terminauit, ſed penitus ad incitas redactum Romanis reliquit Perſeus, in Syriam progrediamur, videamusque, quid gaza noſtra ad Seleucidarum hiſtoriam, cui poſt Vaillantium nuperrime haud parum lucis Cl. Haymii diligentia affudit, vberius illuſtrandum (T. I. p. 26.) conferre poſſit. Seleuci I. numum affert paulo ante laudatus Haymius, cuius auerſa in parte Diana ſtans cum haſta, & ceruo ante pedes. Inſcriptio: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΣΕΛΕΥΚΟΥ. Ei iungas licet ſequentem e gaza noſtra.



Aduerſa pars caput eiusdem Dianæ ſiſtit cum pharetra ad collum prominente: auerſa Apollinem cortinæ inſidentem, cuius dextra ſagittam tenet, ſiniſtra arcum. Inſcriptio eadem: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΣΕΛΕΥΚΟΥ. De Apolline, obuio numorum, quos Seleucidæ cuderunt, ſymbolo, (Lib. XV. c. 4.) videndus Iuſtinus. Diana, tametſi raro in iisdem occurrit, vnde ty- (L. c. p. 90.) pum eius in hoc genere numorum inſolitum appellat Cl. Haymius, non incommode fratri Apollini iungitur, cum vtriusque fana & ſimu- (Ad Callimach. p. 246.) lacra; quod obſeruat Ill. Spanhemius, ſæpe iisdem in locis ſociata reperiantur, atque ipſa etiam capita eorum in numis Deliorum, in- (Goltz. Inſcr. Græc. Tit. XVIII.) primis præclaro illo cum inſcriptione: ΘΕΩΝ ΑΔΕΛΦΩΝ, arctiſſime iuncta occurrant. Poſſis vero eandem Dianam in numo noſtro Dianam Perſicam interpretari, cuius caput haud abſimili cultu expreſſum (Sel. Num. p. 11. ſq. conf. Spanh. ad Callim. p. 153. ſq. Lucull. p. 507. Lib. V. p. 237. Syr. p. 123.) in numo æreo eruditiſſimi Seguini, cum inſcriptione: ΠΕΡCΙΚΗ. Dianam enim, docente Plutarcho & Diodoro, impenſe colebant Perſæ. At Seleucus, vt eſt apud Appianum, ἦρξε Μεσοποταμίας ϗ Ἀρμενίας ϗ Καππαδοκίας τῆς Σελευκίδος λεγομένης ϗ ΠΕΡΣΩΝ ϗ Παρθυαίων κ. τ. λ. *rexit Meſopotamiam, Armeniam, Cappadociam, Seleucidis cognomine, Perſas ac Parthos.* Vnde gentis ſibi ſubditæ, vt eam ſibi conciliaret, numen fortaſſe in numis iuxta cum Apolline exhibendum duxit. Idem caput Dianæ occurrit in numis Seleuci IV. Demetrii I. & Antiochi VIII. (L. c. p. 42. 51. 90. p. 42. ſq.) apud Cl. Haymium, vbi ille obſeruat, reginas eo habitu repræſentari. Id vt ſibi perſuadeat, adduxere eum Seleuci IV. inprimis numi, in quibus caput idem, modo cum pharetra, modo, ſine illa, corona hederacea, modo diademate redimitum cernitur. Ea obſeruatio (Demetr. p. 905. Hiſt. Seleuc. p. 18.) ſi locum habeat, ſtatuendum, Apamen, quam Perſidem appellat Plutarchus, Artabazi filiam, haud ſcio quo auctore, Vaillantius, priorem Seleuci vxorem, ſub Dianæ ſimulacro eſſe expreſſam, tametſi (T. I. p. 26.) eandem Apamen vultu admodum diuerſo nobis exhibet vir ſæpius laudatus.

§. X. Poſt

§. X.

Poſt Apamen Seleucus I. Stratonicem, Demetrii Poliorcetæ & Philæ filiam, ſibi matrimonio iunxit, cuius amore correptum cum ſenſiſſet filium Antiochum, qui poſtea Soteris nomen tulit, inaudito exemplo non modo non inique id tulit, ſed & nouercam vna cum maiori parte regni amanti permiſit. Eius nouercæ pariter & coniugis vultum Antiochus I. cognomine Soter, priuignus & maritus, numis, vt veroſimile videtur, expreſſit, cuiusmodi ſequentem gaza noſtra ſeruat.

De numo Antiochi I. Appian. Syr. p. 126. Plutarch. p. 609. ſq. Lucian de Dea Syr. T. III. p. m. 762.



Aduerſa pars caput velatum ſiſtit, quale Cleopatræ matris iunctum capiti filii Antiochi Grypi, ſine epigraphe; In auerſa caput elephanti vna cum tripode. Inſcriptio: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ & infra Δ. Eundem ferme numum ex muſeo Iacobi de Wilde produxit & Ill. Cuperus in præclara de Elephantis commentatione, vbi neſcio quo conſilio editoris bis ille expreſſus, idque eodem loco, comparet. Neque enim differunt ectypi, niſi magnitudine, & quod alteri adſcripta eſt nota metalli, quo conſtat. Ac fatetur quidem initio vir ſummus, vtrum is pariter atque alius, quem eodem loco exhibet numus, cuius altera in parte clypeus Macedonicus, in quo ancora, in altera elephas, cum eadem epigraphe, ad Antiochum Soterem pertineat, ſe iuxta cum ignariſſimis ſcire: addit tamen paulo poſt, eſſe admodum veroſimile, vtrumque poſſe Antiocho Soteri tribui. Imo inferius legas ſequentia: „ Antiochi Soteris nullum cum elephanto exhibet (Vaillantius) licet „ ſcribat, eius frequentem typum in Antiochi numis obſeruari: atque „ inde puto raritatem numorum, quorum ectypos exhibeo, patere, „ ſi ad Soterem referri poſſunt, *qui forte in vnius area vultum ſculpi* „ *fecit Stratonicidis*, (legendum Stratonices) *nouercæ & coniugis*". Eodem tempore eosdem, quos Ill. Cuperus laudat, numos, haud paulo accuratiori eorum delineatione data, publici iuris fecit Cl. Haymius & Antiocho Soteri vindicauit, nixus eadem ratione, qua Cuperus, e Luciano petita, qui narrat, Antiochum hunc victoria de Gallis ope elephantorum reportata, a gratulantium turba coronatum victoremque pronuntiatum, flentem dixiſſe: Αἰσχυνόμεθα, ὦ ϛρατιῶται, οἷσγε ἡ σωτηρία ἐν ἑκκαίδεκα τούτοις θηρίοις ἐγένετο. h. e. *Pudet nos, quorum ſalus ſedecim his belluis ſtetit, ac*, ne quid aliud in tropæo, præter elephantum, ſculperetur, præcepiſſe. Idem in capite aduerſæ partis, quod præſens numus præ ſe fert, Stratonicam, vxorem Antiochi Soteris, agnoſcit, cumque Cl. Begerus ſimilem numum, quod in auerſa eius parte litteram Σ numeri notam crederet, Tryphænæ vxori Antiochi VIII. tribuat, recte oſtendit, litteram eam numeralem haud eſſe,

Exercit. I. de Eleph. l. c. p. 63. ſq.

p. 67.

l. c. p. 29. ſqq. Zeuxis vel Antioch. T. II. p. m. 327.

Theſ. Brand. T. III. p. 27.

 quippe


quippe cui aliæ diuersissimæ in aliis eiusdem numi exemplis substituuntur, cuius generis est Δ in præsenti. De Stratonica & Combabo
T. III. de Dea Syr. p. 766. fabulam Lucianus narrat: vnde repetiit & dignis lasciuiente, quo vtebatur, ingenio commentariis illustrauit Petrus Bælius.

Dictionnaire Historiq. & Crit. T. I. p. 969. l'Article de Combabus.

§. XI.

De numo Seleuci IV.

Seleuci IV, Antiochi magni filii natu maioris, cui Philopatoris cognomen, numos omnium in hac serie rarissimos esse, nemo eorum,
l. c. 40. sq. qui veteres numos tractarunt, nescit. Duos eorum attulit Cl. Haymius, quorum tamen prior tantum certo Seleucum IV. designat, simi-
Hist. Reg. Syr. p. 159. lis nempe ei, quem Vaillantius profert, nisi quod apud eum litteræ, quæ epocham sistunt, inuerso ordine collocatæ reperiuntur. Cum enim in Vaillantii numo litteræ numerales hoc ordine compareant: ϛΛΡ. in hoc ita expressæ cernuntur: ΡΛϛ. Similem earundem ordinem præfert numus eiusdem Seleuci IV. qui in gaza nostra asseruatur.



Caput Seleuci IV. eadem ratione, vt apud Vaillantium & Cl. Haymium, diademate cinctum, vultu fucci pleno, sine acrosterio, quod in Vaillantii numo cernitur, quemadmodum idem illud in Haymii etiam numo, ex Roberti Abdii scriniis depromto, desideratur. Aduersa
L. c. p. 151. pars triremem, sed diuersam nonnihil ab ea, quam præfert Vaillantii & Cl. Haymii delineatio, exhibet, typum nempe solennem Tyriorum, quod vox ΤΥΡΙΩΝ, in similibus aliis Syriæ regum, in primis Antiochi
Vaill. l. c. p. 197. 244. 272. 307. IV. Demetrii I. & II. vt & Antiochi VII. numis addita declarat. Iuxta inscriptionem: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΣΕΛΕΥΚΟΥ litteræ numerales non sunt ΡΛϛ, prout Cl. Haymius legit, sed clarissime ΡΛΞ, quæ annum CXXXVII. regni Seleucidarum designant, eundem nempe, qui vi-
App. Syr. p. 116. uendi finem Seleuco nostro attulit, Heliodori insidiis oppresso, post-
l. c. quam duodecim annos regnasset. Vaillantius de numi sui æra notat, inuerso eam esse ordine, a dextra versus sinistram, Phoenicio more, Hebræis, Syris, Arabibus aliisque orientalibus populis vsitato. Nempe
In cap. 9. Daniel. Hieronymus: „ Nos, inquit, iuxta proprietatem linguæ nostræ „ nunc dicimus: Abraham vixit annis centum septuaginta quinque; „ illi e contrario loquuntur: vixit Abraham annis quinque & septu-
De Epoch. Syr. p. 173. „ aginta & centum". Inde nata, quod obseruat Norisius, viris doctis opinio, in numis Syriæ minores numeros maioribus præponi, quod Syris cum Hebræis in numeris designandis conuenire sibi persuaderent. Sed præclare ostendit vir summus, Græcos scriptores subinde eandem numeros collocandi rationem secutos, ipsosque adeo Syros tam constanter eam neutiquam ob oculos habuisse, vt non maiores numeros

aliquando

aliquando minoribus præponerent. Id certe factum cum in aliis numis, tum in noſtro pariter atque altero illo Abdiano, cui ille, vt magnitudine, ita & artificio atque integritate, quantum ex delineatione colligere licet, omni ex parte reſpondet.

§. XII.

Antiochi IV. quem obſidem Romanis datum, miſſo eius in locum *De numo Antiochi IV.*
filio ſuo Demetrio, liberauit Seleucus IV. frater, intereaque e medio
ſublatus ſucceſſorem habuit, numos, quorum auerſa in parte aquila,
fruſtra apud Vaillantium quæras, multumque adeo debent harum re-
rum ſtudioſi Cl. Haymio, qui duos eorum in lucem produxit. L. c. p. 46.
Similes duo, quod non monuit vir clariſſimus, vulgati reperiuntur
apud Begerum, ex quibus priorem mole ſua conſpicuum & gaza no- T. III. p. 16.
ſtra ſeruat, ſed ex parte anteriori non nihil diuerſum.



Caput enim Iouis non tantum laureatum & barbatum, ſed &, vt
Iouis Hammonis eſſe intelligatur, cornutum. In auerſa parte aquila
fulmini inſiſtit cum inſcriptione: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΘΕΟΥ
ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ, h. e. *Regis Antiochi Dei*, non illuſtris, vt vertit Cl. L. c. p. 45.
Haymius, ſed *præſentis*, vt Spanhemius demonſtrauit, atque adeo ver- T. I. p. 426. ſqq.
tendum eſſe agnouit quoque Noriſius, vbi vox ΘΕΟΥ adiecta cerni- De Epoch. Syr. Maced. p. 129. ſqq.
tur, tametſi ſolus ille titulus ceteroqui nobilem atque illuſtrem potius
quam præſentem, quod docet idem vir ſummus, & calculo ſuo com-
probat Spanhemius, deſignat. Ceterum non ſymbola tantum huic
numiſmati impreſſa Aegyptiaca ſunt, ſed & ſculptura artificem Aegy-
ptium arguit, ita vt dubitari non poſſit, quin huius generis numi
cuſi ſint, cum Antiochus Epiphanes rerum in Aegypto potiretur. Ea
de re, ne alios nunc teſtes aduocem, ſcriptor librorum, qui Macca-
bæorum res geſtas complectuntur: Καὶ ἡτοιμάσθη ἡ βασιλεία ἐναντίον Ἀντι- I. Macc. I. 18. conf. Hieron. ad cap. XI. Dan.
όχου, καὶ ὑπέλαβε βασιλεῦσαι τῆς Αἰγύπτου, ὅπως βασιλεύσῃ ἐπὶ τὰς δύο βασιλείας. Καὶ
εἰσῆλθεν εἰς Αἴγυπτον ἐν ὄχλῳ βαρεῖ, ἐν ἅρμασι καὶ ἐλέφασι καὶ ἐν ἱππεῦσι καὶ ἐν στόλῳ
μεγάλῳ· Καὶ συνεστήσατο πολεμὸν πρὸς Πτολεμαῖον βασιλέα Αἰγύπτου, καὶ ἐνετράπη
Πτολεμαῖος ἀπὸ προσώπου αὐτοῦ καὶ ἔφυγε· καὶ ἔπεσον τραυματίαι πολλοί, καὶ κατελά-
βετο τὰς πόλεις τὰς ὀχυρὰς ἐν γῇ Αἰγύπτῳ. h. e., vt vertit interpres vulgatus:
*Et paratum eſt regnum in conſpectu Antiochi, & cœpit regnare in
terra Aegypti, vt regnaret ſuper duo regna. Et intrauit in Aegy-
ptum in multitudine graui, in curribus & elephantis, & equitibus
& copioſa nauium multitudine: & conſtituit bellum aduerſus Ptole-
mæum regem Aegypti, & veritus eſt Ptolemæus a facie eius & fu-
git, & ceciderunt ſaucii multi. Et ceperunt vrbes munitas in terra
Aegypti,*

Aegypti, & cepit ſpolia terræ Aegypti. Contigit hoc anno CXLIII. Seleucidarum. Anno inſequenti, teſtibus iisdem libris, in Aegyptum rediit, ſed quo minus diuturna Antiochi huius dominatio in Aegypto eſſet, Romani perfecerunt, miſſis ad eum legatis, in primis Popillio, qui virga regem circumſcribendo breue ei reſponſum de relinquenda Aegypto expreſſit. *Clara ea per gentes legatio fuit*, inquit Liuius, *quod haud dubie adempta Antiocho Aegyptus habenti iam, redditumque patrium regnum ſtirpi Ptolemæi fuerat.*

Lib. XLV. c. 12.

§. XIII.

De numo Demetrii I.

Antiocho huic, nominis iſtius quarto, ſucceſſit filius Antiochus V. cognomine Eupator, eique poſt biennium interfecto Demetrius I, Soter dictus, Seleuci IV. filius, cuius numum ex ære ſequentem liceat ſubiicere.



L. c. p. 241. Theſ. Brand. T. I. p. 254.

Non ignoro ſimiles dudum a Vaillantio & Begero prolatos eſſe; ſed cum præſens non vna, ſibi peculiaria, exhibeat, facile, ſpero, ignoſcent lectores, quod producendum eum putaui. De capite quidem tacebo. Aduerſa pars, quæ Apollinem apud Vaillantium & Begerum totum veſtitum ſiſtit, veſte nempe longa indutum, hic ſeminudum exhibet, prout ille in aliis regum Syriæ numis modo nudus omni ex parte comparet, modo circa inferiores tantum partes leui quodam veſtitus genere vtitur. Præterea vero, ne de monogrammatibus, quæ in Vaillantii numo nulla, in Begeriano diuerſa occurrunt, ☧ ☧, quorum poſtremum Antiochiam fortaſſe deſignat, multa afferam, æra diuerſa eſt. Cum enim apud Vaillantium ΗΝΡ. h. e. annus CLVIII. apud Begerum ΒΞΡ. h. e. annus CLXII. legatur, in noſtro numiſmate ΘΝΡ. h. e. annus CLIX. expreſſus cernitur, quo filium, vt Vaillantius ad alium cum eadem æra numum obſeruat, Demetrius noſter Romam miſit, vt mature is ſibi Romani populi beneuolentiam conciliaret. Inſcriptio: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΣΩΤΗΡΟΣ, h. e. *regis Demetrii, Soteris*, quo de cognomine, quod Demetrius I. poſt Antiochum, Seleuci Nicatoris filium ſecundum, teſte Appiano, geſſit, plura eruditione ſua digna congeſſit Ill. Spanhemius. Quod Apollo idem cognominis ferebat, in numo ΛΑΠΙΘΩΝ dictus ΑΠΟΛΛΩΝ ΣΩΤΗΡ, prætereaque Sol, qui non diuerſus ab Apolline, ΣΩΤΗΡΟΣ nomine apud Megalopolitas Arcadas, teſte Pauſania, colebatur, credi poſſit, ipſum Demetrium Apollinis Soteris habitu in hoc numo exhiberi, niſi Apollo idem vulgare ſymbolum eſſet numorum, quos Syriæ reges quondam percuſſere. Ceterum cornucopiæ, quod

L. c. p. 242. — Syr. p. 131. — T. I. p. 415. ſeqq. v. Beg. T. I. p. 477. & Spanh. l. c. p. 417. — Lib. VIII. p. 263.

Apol-

Apollo gerit, prout haud dubie abundantiam rerum omnium, qua Syria affluebat, Apollini, vel Soli omnia fœcundanti, debitam, denotat, ita nemo fortaſſe *Piſtacion* Syrorum, *Caſiamque* & *palmulas* in eodem quæſiuiſſet, absque ingenioſiſſimo viro ſi fuiſſet, laudato ſæpius Begero. PISTACION interpretatur racemos dependentes, ex Poſidonio apud Athenæum, *Caſiam* quod dentis inſtar prominet, & *palmulas* poma vtrinque poſita. Addit confirmandæ rei cauſa „ ab „ eodem Athenæo, vel potius, cuius verſus adducit, Melanippide „ Mileſio, appellari Caſiam & palmulas τέρενα Συρίας τέρματα, inſignes „ Syriæ opes". Quo ipſo, quod nollem, oſcitantiam vtique inſignem prodidit vir ceteroqui, vt conſtat inter eruditos, neque doctrinæ neque diligentiæ laude fraudandus. Primo enim locum hunc corruptum eſſe dudum obſeruauit ὁ πάνυ Caſaubonus, qui legendum cenſet: Ἱερόδακρυν λίβανον, εὐώδεις τε Φοίνικας ϗ κασίαν κρατεῦσαι, τέρενά τε Συρίας μυρώματα, vel etiam, τέρενά τε Συρίας ῥεύματα aut ἀρώματα, h. e. *thus ſacrum, & ſuaueolentes palmulas caſiamque tenentes, & mollia Syriæ vnguenta vel aromata.* Deinde ſi vel maxime relinquamus veterem ſcripturam, quomodo τέρενα Συρίας τέρματα licebit vnquam interpretari, INSIGNES SYRIAE OPES? Nempe verſionem Dalechampii ſecutus eſt vir doctus, qui verba Græca corrupta: Α'νευη λιασδέα πολλάκι θῆρες Φρένα τερπόμεναι ἱερόδακρυ λίβανον εὐώδεις τε Φοίνικας κασίαν τε κατεῦσαι τέρενα Συρίας τέρματα, quæ minus ceperat, liberius ita vertit:

Obſ. ad Athen. p. 928.

Athen. Lib. XIV. p. 649.

Athen. l. c. p. 651.

Feris autem ſæpius animus ferox leniebatur ſacrarum lachrymarum thuris,
Odoratarumque Φοινίκων, *palmularum ac tenellæ caſiæ,*
Quæ omnia SYRIAE ſunt INSIGNES OPES.

Hinc igitur Begero τέρενα Συρίας τέρματα ſunt *inſignes Syriæ opes*, qui ſi conſuluiſſet Caſaubonum, & rationem haud aſpernandam ſanandi vulnera huius loci didiciſſet, & cauiſſet profecto, ne praua verſione deceptus bellum de piſtacio inprimis in numo expreſſo εὕρημα, quo adeo ſibi placet, vt exclamare haud vereatur: *Quis ante me in eo*, nempe numo, *Piſtacion Syrorum obſeruauit?* riſui vrbaniorum hominum expoſuiſſet.

§. XIV.

Demetrius Soter, cuius numum vidimus, duos reliquit filios Demetrium II. Nicatorem, & Antiochum VII. qui in numis ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ appellatione inſignis, vulgo *Sidetes* appellatur. Prior filiorum, vt viris doctis adhuc perſuaſum fuit, cæſo Alexandro Bala, regnare cœpit anno æræ Seleucidarum CLXVII. quo capto a Parthis, Antiochus frater regni gubernacula ſuſcepit anno CLXXIV. quæ, a Parthis occiſus, Demetrio Nicatori poſtliminio reliquit. Vtriusque, vt & coniugis eorum communis Cleopatræ, Ptolomæi Philometoris filiæ, numos quosdam minus obſeruatos adhuc ordine eo, quem temporis in iis notati ratio præſcribit, e gaza noſtra delineatos non inuiti ſpectabunt, vt puto, qui monumenta hæc remotioris æui vero ſuo pretio metiuntur. Antiochus Euergetes nos primum ad ſe vocat, de quo Spanhemius: „ Præter tres adductos in Hiſtoria regum Syriæ huius Antiochi, cum illa ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ, appellatione, numos duos inſuper „ obſeruare mihi in præclaris cimeliarchiis licuit; vnum, in quo nauis „ roſtrum cum Dioſcurorum pileis & impoſitis ſtellis, ſolito Tripoli-

De numo Antiochi VII.

L. c. T. I. p. 440.

„ tarum in Phœnicia typo: alterum hinc cum Loto & Cupidine: il-
„ linc cum Cupidinis & Victoriæ iconibus, vtrumque autem cum in-
„ ſcriptione: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ, addita in pri-
„ ori ΕΟΡ CLXXV. in poſteriori ΓΟΡ CLXXIII". Ad quæ Illuſtris viri & in hoc litterarum genere principis verba leue ſit notare, non tres apud Vaillantium, ſed quatuor Antiochi numos cum hoc ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ cognomine reperiri. An vero poſterior numus cum Loto & Cupidine æram adſcripta habeat ΓΟΡ CLXXIII. de ea re haud iniuria dubitauerim. Videtur enim vir ſummus τὸ ἐπίσημον βαῦ ς, notam numeri ſenarii, quæ in numo extabat, cuius generis adductum a Cl. Haymio videas, confudiſſe cum alphabeti littera tertia Γ. Anno enim CLXXIV. æræ Seleucidarum demum Syria Antiocho noſtro ceſſit, quod ſi ita ſe habet, anno præcedenti ei cudi numiſmata haud potuere. Priorem vero numum recte vtique deſcripſit vir Illuſtris, quem non Vaillantio tantum, verum & nuperrime Cl. Haymio prætermiſſum ex gaza noſtra ſpectaſſe non abs re fuerit.

L. c. p. 80.



Præter ſymbola huius numi, quæ vir Illuſtris commemorat, nauis roſtrum cum Dioſcurorum pileis & impoſitis ſtellis, cernitur aduerſa in parte tridens; ad cuius latus dextrum cornucopiæ ſculptum eſt. Iuxta inſcriptionem, ſupra allatam, comparet monogramma [monogram] diuerſum ab eo, quod in ſimilibus numis, quos exhibet Cl. Haymius, occurrit.

Theſ. Britann. Vol. I. p. 77.

§. XV.

De alio numo eiusdem Antiochi VII.

Succedat eiusdem Antiochi numus mole minimus cum iisdem numerorum notis, qui hoc typo inſignis virorum doctorum diligentiam fugit. Tametſi enim ſimilis apud Cl. Wildium reperitur, abeſt tamen æra, quæ his monumentis vel maximum pretium conciliat.

Sel. num. Tab. p. 35. ſq.



Siſtitur hinc claua Herculis cum inſcriptione: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ h. e. *regis Antiochi Euergetæ*. Infra: ΕΟΡ h. e. anno CLXXV. illinc caput leonis Nemæi, vt puto, ab Hercule interemti. Herculis inſignia vel cultum eius in vrbe Tyro arguunt, vel pertinent ad originem regum Syriæ declarandam. Ii enim Macedoniæ regibus, qui poſteros ſe Herculis ferebant, ſuccedentes vna cum imperii dignitate iura eorundem & antiquitatem generis ſibi vindicabant.

bant. Præiuitque omnibus exemplo eam in rem Seleucus I. imperii fundator, cuius caput, leonis exuuiis indutum, numi, ſi non perpetuo, quod arbitratur Vaillantius, frequenter tamen, ſiſtunt. Ceterum Antiochum hunc, quem ſeptimum vulgo numerant, ſextum ponit Cl. Haymius, adductus indicio numi cum inſcriptione: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΒΞΡ. h. e. *Regis Antiochi anno CLXII.* quem protulit ex ſupellectile nobiliſſimi Sadleri., ſibique perſuadet, filios Demetrii I. nempe Demetrium Nicatorem & Antiochum, de quo agimus, ſimul parentem occiſum acceperant, in parte Syriæ iunctim regnare cœpiſſe ab anno inde CLXII. Enimuero ſi ita res haberet, ne de ſilentio nunc ſcriptorum loquar, dubitandum non foret, quin & Demetrii fratris natu maioris cum ſimili annorum numero haberemus numos, qui quidem adhuc nulli in lucem prodierunt. Accedit, Antiochum eo tempore, quo Tryphonem vicit, puerum admodum appellari a Iuſtino. Vicit autem anno Seleucidarum CLXXIV. Inde ſi ad annum ſexageſimum ſecundum redeamus, vix id tum ætatis eſſe potuit, vt eius a fratre vel in regno obtinendo, vel numis nomine eius ſignandis ratio haberi potuiſſe videatur. Quanquam de regno quid loquor, quod tum obtinuiſſe filios Demetrii Cl. Haymius cenſet? Nullum id fuiſſe facile intelligemus, vbi conſiderauerimus, & teſtari ſcriptores, non parte Syriæ, ſed tota illa potitum eſſe Alexandrum Balam, nec meminiſſe vllius belli, contra filios impuberes Demetrii ſuſcepti, quod non omiſſurus ille erat, ſi vel tantillam paterni regni partem retinuiſſent. De numo illo igitur diligentius videndum putem; præſertim, cum, ad ſcripturam nominis proprii quod attinet, minus integrum eum ad nos perueniſſe vel delineatio eius abunde comprobet, tametſi ceteroqui vir clariſſimus ei laudem & integritatis ſummæ & artificii omnibus numeris abſoluti tribuere nullus dubitat. Id enim volunt, niſi omnia me fallunt, verba: *E beniſſimo conſeruata e di perfetto lauoro*, Quæ cum ectypo numi ære expreſſo, qualem vir doctus dedit, niſi κατὰ πλάτος accipienda ſint, vix ſatis conſiſtere videntur.

L. c. p. 69. L. c. p. 52. Lib. XXXVI. c. 1. L. c.

§. XVI.

Poſt Antiochi Sidetis numos locum ſibi ratione temporis vindicant ſequentes Cleopatræ.

De numis Cleopatræ reginæ Syriæ.



Aduerſa pars, quam, vtpote in vtroque numo eandem, ſemel deli-

neatam do, caput Cleopatræ exhibet Ptolemæi Philometoris filiæ, trium regum Syriæ vxoris, plurium matris. Vt ita sentiam cum vultus aliis ex numis satis notus mihi persuadet, tum æra in aduersa parte, quæ iuxta cum boue, obuio in numis regum Syriæ, siue quod taurum ab ara aufugientem cornibus arreptum retinuit Seleucus I. siue quod Apollo, numen tutelare Syriæ, bouibus delectaretur, siue quod fertilitatem agrorum & læta pascua designat, symbolo expressa est, in priori quidem: ΡΟΔ h. e. anno CLXXIV. in posteriori: ΡΟΕ h. e. CLXXV. Quid enim ceteræ sibi litteræ velint, aliis, quibus vberior coniectandi facultas, indagandum relinquo. Anno CLXXIV. æræ Seleucidarum, qui in priori numo expressus cernitur, thalami pariter ac regni Antiocho Sideti copiam fecit Cleopatra. Nupserat primo Alexandro Balæ, sed parens eius Ptolemæus Philometor, qui tum in Syria vnus omnia poterat, insidiis a genero impetitus nouum filiæ sponsum legit Demetrium II. qui cæso Alexandro regnum sibi paternum asseruit. Eum cum Parthi, quos bello lacessierat, captiuum abduxissent, fratri eius, Antiocho Sideti, nupsit, quo, in prœlio aduersus Parthos cæso, rediit Demetrius II. pristinus maritus, quem odio nouæ vxoris Rodogunes, quam apud Parthos duxerat, accensa e viuis sustulit, idem scelus ausa in filio natu maiori, Seleuco V. sed quod frater illius, Antiochus VIII. cognomine Grypus cæde eius expiauit. Ea de re Iustinus: „ Grypus porro, recuperato patrio „ regno, externisque periculis liberatus, insidiis matris appetitur. „ Quæ cum, cupiditate dominationis, prodito marito Demetrio & „ altero filio interfecto, huius quoque victoria inferiorem dignitatem „ factam doleret, venienti ab exercitatione poculum veneni obtulit. „ Sed Grypus, prædictis iam ante insidiis, veluti pietate cum matre „ certaret, bibere ipsam iubet; abnuenti instat. Postremum prolato „ indice eam arguit, solam defensionem sceleris superesse, affirmans, „ si bibat, quod filio obtulit. Sic victa regina scelere in se verso, ve„ neno, quod alii parauerat, extinguitur". Id quod factum anno Seleucidarum CLXXXI.

App. Syr. p. 124 Pausan. Lib. VII. p. 226. Clem. Alex. Strom. v. p. 671. Edit. Potter.

Ioseph. Antiqu. Lib. XIII. c. 7. 8.

Iustin. XXXV. c. 1.

L. c. c. 10.

App. Syr. p. 132. Liu. Epit. Lib. LX.

Lib. XXXIX. c. 2.

§. XVII.

De numo Demetrii II.

Subiungo Demetrii Nicatoris eiusque Reducis numum, non eius generis, quales sub initium reditus sui ex Parthia cudendos curauit, barba prolixa insignes, cuiusmodi pulcherrimum gaza nostra seruat, geminum ei, quem Vaillantius produxit, nisi quod loco æræ: ΑΠΡ, in eo litteræ Ħ M. sed in quo pristinum oris habitum assumsit. Similes idem exhibuit Vaillantius, sed quibus palmam facile præripit sequens, vt qui annum, quo extinctus est Demetrius Nicator, distinctius declarat.

Hist. Reg. Syr. p. 314.

L. c. p. 319. 322.

Cernitur



Cernitur hinc Demetrius Nicator capite diademate cincto ; ex altera parte , cuius epigraphe: ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ, h. e. *Demetrii regis*, ſtat aquila cum palma , vt Vaillantius coniectat, in gratiam vxoris Cleopatræ, tanquam Aegypti Principum ſymbolum , expreſſa. Ad dextrum latus litteræ $\frac{\text{A}}{\text{PE}}$ & infra claua Herculea cum monogrammate Tyri, ad ſiniſtrum A Σ quæ quidem litteræ quin legi poſſint ΤΥΡος ΙΕΡΑ ΑΣΥλος, h. e. *Tyrus ſancta, inuiolabilis*, quemadmodum Vaillantius contendit , non magnopere dubitandum putem cum Cl. Haymio. De voce prima ΤΥΡος res clara, vt & de tertia ΑΣΥλος; ΙΕΡΑ vero quin legatur altera, nihil impedit, ſi litteram Ρ & vicem τοῦ Ι præſtare obſeruemus. Iuncta his litteris æra ΞΠΡ h. e. *anno Seleucidarum LXXXVII*. Infra: M. Apud Vaillantium in ſimili numo expreſſa eſt æra ϛΠΡ h. e. annus CLXXXVI. quem recte affirmat euincere , ante hunc annum interfectum non eſſe Demetrium noſtrum. Sed vero aliter habet, quod addit : „ Demetrii cædes hoc exeunte „ anno, inimicorum ipſius fraude ac dolo , nec conſentientibus ipſis „ Tyriis, perpetrata videtur". Anno enim ſequenti adhuc ſuperfuiſſe Demetrium, numi præſentis teſtimonio conſtat. Demetrius hic ſubinde cognomen ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ gerit in numis, vnde mirum eſt, qui factum ſit , vt Ill. Spanhemius , vbi Seleucidarum meminit cognomine hoc inſignitorum, Antiochi XI. nempe & Philippi, Demetrium hunc tacite prætermittat. Nam ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΝ ſe appellat cum in numo præclaro apud Vaillantium, tum aliis a Cl. Haymio productis, ex quibus poſterioribus tertium & quartum etiam theſaurus noſter inter præſtantiora cimelia ſua numerat, Ceterum numus cum eodem typo aquilæ auerſa in parte, qui apud Cl. Vaillantium reperitur, ſi non tam ſculptoris , qui vocem ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ cum voce ΑΝΤΙΟΧΟΥ, incertum quo errore, permutauit, auctoritate, quam celeberrimi viri deſcriptione & explicatione eius ſtandum eſt, ad hunc regem non ſpectat, ſed ad Antiochum Sidetem , vnde ad epocham eius ΠΡ quæ annum CLXXXX. notat, cur hæreat Cl. Haymius , non ſatis intelligo.

L. c. p. 309. 319.
L. c. p. 76.
L. c. p. 322.
T. I. p. 442.
L. c. p. 271.
L. c. p. 66. ſqq.
L. c. p. 308.
L. c. p. 78. ſq.

§. XVIII.

Seleuci VI. numum argenteum ex cimeliis Illuſtriſſimi Comitis Pembrocienſis idem affert Haymius, cuius auerſa in parte Pallas Νικηφόρος cum inſcriptione : ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΣΕΛΕΥΚΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ, & in area ΝΕΙΣΙ, monetque, multos equidem peritiſſimos antiquarios de numo hoc diſſeruiſſe, ſed quo litteræ ΝΕΙΣΙ ſpectent, docuiſſe

De numo Seleuci VI.
L. c. p. 95.

Num. antiq. Vrb. & P. p. 4. Edit. 4. docuisse neminem præter Cl. Harduinum breuiter de iis agentem; Vaillantium exemplo Tristani & Patini non modo eas tacitum præteriisse, sed & æri iam incisas curasse eradendas; Begerum easdem in æram ΕΙΣ transmutasse, omissa vltima littera Ι & initiali Ν in ꝶ conuersa. Hic non negauerim Vaillantium inprimis & Begerum censoriam virgulam mereri, quantumuis possit fieri, vt posterior diuersum nonnihil numum ob oculos habuerit, in quo reapse litteræ in area ita se, vt eas expressas sistit, habuerunt. Neque enim inde, quod in Pembrociensi numo ÆΙΣΙ est, efficitur, in alio, tametsi ceteroqui simili numo, alias litteras sculpi non potuisse. Sed quod negat vir clarissimus, quid eæ litteræ sibi velint, vno Harduino excepto, neminem docuisse, in eo humani eum nonnihil passum, satis vtique constat. Agit enim de iisdem Ill. Spanhemius, idque non strictim ac breuiter, vt Harduinus, quem veteris de iis sententiæ pœnituisse admodum probabile est, quod non modo in noua editione operis de Numis Antiquis Vrbium & Populorum, sed & in Chronologia V. T. ne verbo quidem eius, numiue ipsius; meminit, sed pluribus, vbi inter alia huc T. I. p. 607. spectantia vir summus: „ Ea voce ΝΕΙΣΙΒΙΝ seu ΝΕΣΙΒΙΝ designari licet omnino statuere; prout varias Syriæ vel Phœnices vrbes „ in regum id genus Seleucidarum numis signari iam antea diximus, „ Antiochiam ad Daphnem, Apameam, Sidonem, Tyrum aliasque". Sed eam ipsam interpretationem dubiam reddit similis numus eiusdem Seleuci VI. in quo omnia ad amussim respondent alteri illi, quem dixi, nisi quod hic litteræ ΑΑΕ ΔΗ in area eodem loco sculptæ, quo ÆΙΣΙ. Vtriusque numi ectypum ex gaza nostra subiungo.



Posteriorem e supellectile numaria nobilissimi Grosei de Boze iam produxit Cl. Harduinus, qui litteras ΑΑΕ ΔΗ interpretatur ΑΛΕξανδρέων ΔΗμος. Intelligit nempe Alexandriam ad Issum, cuius numi alii vulgati prostant. Quæ interpretatio si locum habeat, non licebit iam litteras ÆΙΣΙ in gemino numo de vrbe Nisibi accipere. Neque enim fieri potest, vt vrbes haud parum ab inuicem dissitæ eodem prorsus typo, iisdem litteris numos sculpendos curarint.


Chronol. V. T. Opp. Sell. p. 588.

§. XIX. De

§. XIX.

De Antiochi XII. numis, qui vere illi tribuendi sint, non ita facile est statuere, tametsi Cl. Haymius eos, qui ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ ΔΙΟΝΥΣΟΥ nomen præferunt, sine hæsitatione illi assignat. Nempe sequendam duxit sententiam Cl. Vaillantii, qui in præclaro de regibus Syriæ opere huic Antiocho eos vindicare nihil dubitarat. Hunc enim, perinde ac numi illi, Διόνυσον Iosephus, grauissimus scriptor, appellat, cuius fidem tum sollicitandi nulla viro clarissimo ratio fuerat. Sed idem postea in numum incidit argenteum, iuxta cum inscriptione eadem, litteras numeri ΗΞΡ. h. e. anni CLXVIII. præferentem, qui annus numos illos ad priorem longe, Antiochum sextum nempe, Alexandri Balæ filium reuocare iubet. Numi igitur istius fide standum arbitratur, Iosephi se auctoritate delusum persuasus, ac ne Antiocho XII. numorum testimonium desit, numum cum epigraphe: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΘΕΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ ΝΙΚΗΦΟΡΟΥ, Antiocho VI. ademtum, illi restituit. Repetit hæc vberius Ill. Spanhemius, ac rem quidem, ab viro præsertim tantæ in his rebus auctoritatis numi testimonio confirmatam, suo loco relinquit, haud obscure tamen in priorem sententiam Vaillantii, veterum scriptorum atque inprimis Iosephi auctoritati magis consentaneam, atque a se quoque adoptatam propendet. Meum non est, tantorum virorum lites componere; siue autem sextus, siue duodecimus huius nominis existimetur Antiochus Dionysus, en numum eius, a nemine, quod sciam, adhuc vulgatum.

De numo Antiochi XII. — L. c. p. 101. sq. — p. 383. sq. — Antiqu. Lib. XIV. c. 23. — Hist. Ptolem. p. 100. — T. I. p. 435. sq.



Aduersa eius pars caput Dei Luni sistit, pileo Phrygio, stellis ornato, insigne & fascia ligatum, Lunæque falcatæ impositum. In auersa bos gibbosus, quales in Cleopatræ numis paulo ante vidimus, & cuiusmodi in orientis partibus obuii. Similes describit Olearius: *Vehiculum reguli Indorum trahebant boues Indici coloris albi, pulcherrime nitentes, collis breuibus, in ceruice prope humeros gibbosis.* Inscriptio, omisso cognomine ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ, quod & Iosephus prætermittit, est ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΔΙΟΝΥΣΟΥ. Quod ad Deum Lunum, quem masculum Lunam appellat Tertullianus, attinet, eius cultum in Orientis partibus floruisse docent numi Γαβηνῶν, & Καῤῥηνῶν, qui vulgati prostant. Carrhas Luni Dei gratia venisse Antoninum Seueri filium, ibidemque interemptum docet Spartianus, vbi idem scriptor subiungit: „ Et quoniam Dei Luni fecimus mentionem, sciendum, doctissimis quibusque id memoriæ traditum, atque ita nunc quoque a Carrhenis præcipue haberi, vt qui Lunam fœmineo nomine ac sexu putauerit „ nun-

Itin. IV. 29. conf. Cuper. Apotheos. Homeri. p. 72. sq. — Apoll. c. 14. — c. 6.

„ nuncupandum, is addictus mulieribus ſemper inſeruiat: at vero, qui „ marem deum eſſe crediderit, is dominetur vxori, neque vllas muliebres „ patiatur inſidias. Vnde quamuis Græci vel Aegypti eo genere, „ quo fœminam hominem, etiam Lunam Deam dicunt, myſtice ta- „ men deum dicunt". Græce is Μὴν appellatur cum Straboni, tum in numis, ex quibus notatu inprimis digni, quos ex ditiſſima gaza De- uonienſi produxit Cl. Haymius cum inſcriptione ΜΗΝ ΑCΚΗΝΟC. vbi rectiſſime animaduertit vir doctiſſimus, vocem ΑCΚΗΝΟC eſſe epitheton Dei Luni. Id vero, quod eidem non obſeruatum, Strabo nobis, licet corruptum, ſeruauit, qui memorat, Antiochiæ in Piſidia Μῆνα h. e. Deum Lunum cultum, quem modo Ἀσκαίε modo Ἀρκαίε cognomine appellat, cum ex numo hoc ΑCΚΗΝΟC omnino dictus videatur. Bos ex altera parte exhibetur, cuius caput & ad pedes Dei Luni in numo ΝΥΣΑΕΩΝ apud Seguinum expreſſum comparet. Factum id, vt vir lectiſſimi ingenii coniectat, *ſiue quia Luna bicornis eſt, ſiue quod in tauro cœleſti excelſior Lunæ ſit aſcenſus, & virtus in hæc inferiora maior.* Equiden vir ſummus, Ezech. Spanhemius in hoc ipſo capite bouino nihil agnoſcit, niſi ſymbolum Nyſæ Eu- boicæ. Ad diſtinctionem, inquit ad eundem Seguini numum, „ Nyſæ Euboicæ, ab aliis vrbibus ὁμωνύμοις additum familiare inſulæ, „ ac vnde ei nomen, ſymbolum bouini capitis: ſicut vulgo in numis „ vrbium Trinacriæ ſeu Siciliæ, eam tria crura, notum regionis in- „ ſigne, ſolent denotare". Sed mirum, virum ceteroqui oculatiſſi- mum inſcriptione ipſa ΕΠ. ΓΡ vel potius ΓΡ. (ut eum ipſum numum accuratius deſcribit Vaillantius) ΜΕΝΑΝΔΡΟΥ ΝΥCΑΕΩΝ, ſe non admoneri paſſum, vt vrbem potius Aſiæ proconſularis, quam Eubœæ hic agnoſceret. Menander nempe in eo Γραμματεὺς, *ſcriba* Nyſæorum appellatur. At cum numum Valeriani, cuius auerſa in parte inſcri- ptio: ΘΕΟΓΑΜΙΑ ΟΙΚΟΥΜΕΝΙΚΑ ΝΥCΑΕΩΝ ΕΠΙ ΓΡ. Μ. ΑΥΡ. ΛΑΙΑΝΟΥ, Nyſæ Cariæ in proconſulari Aſiæ adſcriberet, primum huius rei indicium ei ſuppeditarat expreſſa in eodem Γραμματέως ſiue *Scri- bæ* dignitas, quod norat, *haud ferme alibi* (iterum verba eius legenda propono,) *quam in Cariæ, Lydiæ, Myſiæ, aut Phrygiæ vicinarum re- gionum ac Proconſularis Aſiæ vrbium numis, ſcribarum id genus, vt conſpicui in iisdem Magiſtratus, nomina ſignari.*

L. c. Vol. II. p. 145. ſq.

Lib. XII. p. 557. & 577.

Select. nu- miſm. Edit. poſter. p. 105. ſq.

T. I. p. 194.

Num. Græc. p. 178.

Epiſt. 2. ad Morell. ſubi. Specim. p. 104. conf. de Vſu. & præſt. Num. T. I. p. 703.

§. XX.

De alio eiusdem Antiochi numo.

Antiochi huius titulos minus plenos exhibet ſuperior numus; ſubii- cere igitur alium liceat, in quo nihil ea ex parte deſideratur.



Altera eius pars Pantheram dimidiam, altera coronam hederaceam ex- hibet,

hibet, cum inſcriptione: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ ΔΙΟΝΥΣΟΥ, h. e. *Regis Antiochi, Illuſtris Dionyſi.* Eundem numum ex gaza Illuſtriſſimi Ducis Deuonienſis profert Cl. Haymius, ſed fatetur, eum tam rudi artificio ſculptum eſſe, vt quantumuis integerrimus longe ſit, discernere non liceat, vtrum bouem, an aliud animal dimidium expreſſum ſiſtat. In delineatione tamen ipſa bouem dimidium exhibendum duxit, qua in re a prototypo aberraſſe virum clariſſimum, ectypus ad fidem numi eiusdem, prout ille in gaza noſtra reperitur, delineatus abunde docet. Clariſſime enim Pantheram exhibet, eamque ita ſculptam, vt de artificis vel cura vel dexteritate conquerendum magnopere non videatur. Neque obſcurum præterea, quo id animal ſpectet in numo Antiochi Dionyſi; quod vt dimidia tantum ex parte hic, ita in alio apud Cl. Vaillantium integrum occurrit. Vt enim corona hederacea, quod recte obſeruat Cl. Haymius ad cognomen illud Dionyſi alludit, ita idem de Panthera ſtatuendum eſt. Notum enim, eam Baccho ſacram eſſe, eaque de cauſa ſimulacris Bacchi fere adiungi, ita vt vel effuſum in ſe liquorem Bacchi rictu excipiat, vel botros deuoret. Ratio, cur huiusmodi animalia Baccho antiquitas conſecrarit, ex natura & indole eorum, vino quippe deditorum, petita eſt, quam ob cauſam ab Oppiano Θῆρες φιλάκρατοι, *feræ vinoſæ* appellantur, quæ & vino, vt idem ille docet, inebriatæ capiuntur. Vinoſas vero eſſe nihil mirum, ſi, quod veteres narrant, nutricum Bacchi quondam partes obiere, qua de re Oppianus:

L. c. p. 101

L. c. p. 102.

Cynegèt. Lib. IV. ℣. 19.

L. c. ℣. 327. ſqq.

Lib. III. ℣. 78. ſqq.

Ἔμπης καὶ τόδε φῦλον ἐπικλείουσιν ἀοιδοὶ,
Πρόσθ' ἔμεναι Βάκχοιο φερεσταφύλοιο τιθήνας.
Τοὔνεκεν εἰσέτι νῦν οἴνῳ μέγα καγχαλόωσι,
Δεχνύμεναι στομάτεσσι Διωνύσου μέγα δῶρον.

h. e.

Ceterum & hoc genus celebrant Poëtæ,
Antea fuiſſe Bacchi vuiferi nutrices.
Qua cauſa etiam nunc vino admodum exultant,
Capientes ore Liberi Patris magnum munus.

§. XXI.

Poſt Seleucidas neque Lagidæ, qui Aegypti regno, Alexandro extincto, præfuerunt, taciti nobis prætereundi. Iis omnibus cum idem Ptolemæi ſit nomen, dolendum vtique, cognomina eorum in numis non æque ac in ſtatuis, in Odeo illis quondam apud Athenienſes poſitis, vt discerni ab ſe rectius poſſint, adiecta cerni. Id enim vni Ptolemæo I. & VI. obtigit, quorum ille ΣΩΤΗΡ hic ΦΙΛΟΜΗΤΩΡ in numis, qui quidem vultum eorum præferunt, appellatur. Equidem Ptolemæi etiam III. & IV. cum cognominibus ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ & ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ extant numi, ſed non cum vultu ipſorum, qui ad alios

De numo Ptolemæi I. regis Aegypti.

Pauſan. Attic. p. 7.

alios eorum numos detegendos lucem præferre poſſet; ſed cum Iouis barbati capite, vnde mirum eſt, horum tantum, ac non potius Ptolemæi Soteris & Ptolemæi Philometoris, cuius numum cum cognomine ΦΙΛΟΜΗΤΟΡΟΣ tanti fecit Cl. Vaillantius, vt viginti eum aureis coronatis emendum duxerit, meminiſſe ſcriptorem vitæ Vaillantii, vbi de difficultate ſcribendi Hiſtoriam Ptolemæorum ex numis agit. „ Numi, inquit, Ptolemæorum longe difficilius ab inuicem diſcernuntur, „ quam Seleucidarum. Nulla illi cognomina præferunt, ſi Euergetæ „ & Philopatoris excipias, quæ ipſa non vultui eorum, ſed Dei cuiuſ„ dam capiti adiecta cernuntur". Nempe quod de æreis Ptolemæorum numis in Præfatione affirmat Vaillantius, id, qui vitam eius contexuit, de omnibus eorum numis perperam accepit. At inueniuntur & argentei cum cognominibus, ipſoque Ptolemæorum vultu, cuiusmodi ſunt Ptolemæi I. qui ΣΩΤΗΡΟΣ cognomen obtinuit, ex quibus ſequentem gaza noſtra ſeruat.

V. Hiſtor. Ptolem. p. 103.
V. T. I Hiſtoire de l'Acad. des inſcript. p. 436.



Similes vulgarunt & Begerus & Vaillantius, docteque explicarunt, aquilam referentes inprimis ad hiſtoriam illam, qua Iouis ales Ptolemæum a matre in clypeo expoſitum ab iniuriis defendiſſe, ac ſanguine coturnicum aluiſſe dicitur, & cognomen ΣΩΤΗΡΟΣ ad Rhodios, qui, teſte Pauſania, id illi indidere. Sed abſunt ab iis monogrammata, quæ in præſenti cernuntur. Primum eſt ΠΤ, quod cum litteræ O ſubiectum in numo Ptolemæi Philometoris inueniſſet Vaillantius Οπτωναίων h. e. *Opponæorum* legendum credidit. Hic vero nulla eius litteræ veſtigia, ſed tantum monogramma ΠΤ quod conſtat litteris ΠΤ. quale expreſſum in eiusdem Ptolemæi Soteris numo apud Begerum, tametſi ibi, culpa forte ſculptoris, litteræ illæ plus æquo diuulſæ comparent. Subiunctæ huic duæ aliæ notæ ſimiles *AI*, & *HP*, quarum in priori litteræ ΑΙ, in poſteriori ΗΡΑ deliteſcunt. Lego autem priores ΠΤολεμαϊτῶν ΑΙγύπτυ. ΠΤ ΠΤολεμαϊτῶν interpretor, putoque ita explicandas quoque eſſe litteras $\overset{O}{\Pi T}$ apud Vaillantium, legendi initio facto ab inferiori verſu. Quod enim ille ad Ὀπώνην, Aethiopiæ emporium, recurrit, haud ſcio, an probare cuiquam poſſit: cum ita alterum Π ex duplici, quod agnoſcit, abundet, & ex dubia numi interpretatione Ptolemæum corrigere nullo modo liceat. Idem ſentit, quod ſcriptis his demum animaduerti, celeberrimus Harduinus, cuius verba de eo numo Vaillantii audire operæ pretium fuerit: „ Caput diadematum,][Aquila cum palma. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΒΑΣΙ„ ΛΕΩΣ ΦΙΛΟΜΗΤΟΡΟΣ ΘΕΟΥ $\overset{O}{\Pi T}$. Ptolemaide Aegypti. In„ fra. ΙΔꓕ h. e. anno XIV. Inuerſæ quippe ibi litteræ ſunt pro „ L. ΙΔ. Eſt argenteus apud D. Vaillant. p. 103. qui Ὀπτωναίυς „ ibi,

Beg. l. c. T. I. p. 263. Vaill. l. c. p. 25. Suid. voce Λάγος.
L. c. p. 7.
L. c. p. 103. ſq.
L. c.
L. c.
v. Ptolem. Lib. IV. c. 7. p. 112.
Chron. V. T. Opp. Sell. p. 578.

„ ibi, nescio quos, ex Aethiopia accitos, pro Ptolemaïtis legit". Litteras autem *N* h. e. Αἰγύπτυ adiectas arbitror, ne Ptolemais hæc cum aliis eiusdem nominis vrbibus confunderetur. Monogramma *H*, quo litteræ ΗΡΑ delitescunt, ad sculptorem forte pertinet, quorum monogrammata & Cl. Vaillantius agnoscit, nomenque ΗΡΑκλείδυ designat.

L. c. p. 76.

§. XXII.

De numo Ptolemai III. cum cognomine ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ.

Quanquam negat Cl. Harduinus, plus vnum Euergeten inter Ptolemæos, reges Aegypti, extitisse, eo potissimum argumento vsus, quod Siracides eum, quem alterum fuisse constat, Ευεργέτην simpliciter, nulla distinguendi nota addita, qua a priori discerni posset, appellat, duos tamen, & tertium & septimum, id cognominis gessisse scriptores fidei minime dubiæ, vtcunque secus de iis sentiat vir celeberrimus, confirmant. Priori numum æreum assignat Cl. Vaillantius, in quo hinc caput Iouis barbati fascia redimitum, illinc aquila fulmini insistens cum epigraphe: ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΤΟΛΕΜΑΟΥ, vel potius: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. In area ΘΕ. Causa eius rei non hæc est, quod alter ΕΥΕΡΓΕΤΗΣ, ex Ptolemæis VII., eo cognomine non vtitur; in numo argenteo, quem ei non sine ratione tribuit idem vir rei numariæ peritia nemini secundus. Nihil enim impedit, quo minus idem rex cognomine modo vti, modo abstinere potuerit. Certe ita factum a Ptolemæo I. esse, numi eius apud Vaillantium, qui ΣΩΤΗΡΟΣ cognomen nunc præferunt, nunc omittunt, satis testantur. Neque id virum clarissimum mouit, quod tertio quidem, non item septimo Ptolemæo id cognominis tribuant Polybius, Clemens Alexandrinus, & Iustinus. Neque enim alii desunt, quibus posterior, æque ac prior, Euergetes appellatur, scriptores Iosepho Scaligero & Ill. Spanhemio laudati. Athenæus de eo: Τοιῦτος ἐγεγόνει καὶ Πτολεμαῖος ὁ ἕβδομος Αἰγύπτυ βασιλεύσας ὁ αὑτὸν μὲν Εὐεργέτην ἀνακηρύττων, ὑπὸ δὲ Ἀλεξανδρέων Κακεργέτης ὀνομαζόμενος. h. e. „ *Talis & fuit Ptolemæus Aegypti rex septimus, qui Euergeten* „ *se prædicauit, cum ab Alexandrinis Cacergetes appellaretur*". Nisi omnia me fallunt, adduxit eum potissimum similitudo, quæ huic numo intercedit cum primo Ptolemæi Philopatoris, filii Euergetæ, cognomine ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ insigni, quem is parentis exemplo videtur cudisse. Vt vt res habeat, similem, sed haud paulo maiorem suppeditat gaza nostra, quem delineatum haud inuitis, vt spero, oculis harum rerum studiosi spectabunt.

Chronol. V. T. Opp. Sell. p. 579.
Prolog.
L. c. p. 50.
Lib. II. p. 155.
Strom. Lib. I. p. 396. Edit. Potter.
Lib. XXXIIX. c. 8.
Ad Euseb. p. 143.
T. I. p. 440.
Lib. XII. p. 549. conf. Lib. V p. 184.



Aduerſa in parte Iouis caput faſcia ornatum barba & cornubus inſigne; in auerſa aquila fulmini inſiſtens cum epigraphe anteriori ex parte detrita, ... ΜΑΙΟΥ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. In area Δ, quod interpretor Διοσπολίτων. Celeb. Harduinus numum Vaillantii deſcripturus: „ Caput Iouis, inquit, ſenile & diadematum, vt quidem ait D. Vaillant, qui ſuum hunc eſſe numum ex ære dicit: cum prorſus præter morem ſit regum Aegypti, vt alium in numis vultum quam ſuum exhibeant". Sed quot iam ſenes ac barbatos, regibus Aegypti toto cœlo diſſimiles, inter Ptolemæos numerare oportebit, ſi capita in æreis huiusmodi numis expreſſa eorum potius ſunt, quam quod adhuc viri docti ſibi perſuaſerunt, Iouis. Neque enim vni duobusue regibus tribuet, puto, vir celeberrimus, quos longe plurimos, ac multum diuerſos inter ſe, muſea ſeruant.

h. e. Ptolemai Euergetæ. L. c. p. 579.

§. XXIII.

De numo Ptolemæi V.

Vt Ptolemæo V. cui Epiphanis cognomen, tribuam ſequentem numum, vultus iuuenilis ratio, cum anno regni XXIV. qui in eo notatus cernitur, comparata, ne de ſimilitudine nunc loquar, quæ ei cum numis ab Vaillantio huic Ptolemæo aſſignatis intercedit, ſuadet.



De capite diademate reuincto, quod florentis ætatis manifeſta indicia præ ſe fert, aut perpetuo illo numorum, quos Ptolemæi ſignarunt, ſymbolo aduerſæ partis, aquila fulmini inſiſtente, cui addita inſcriptio: ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ, *Ptolemæi regis*, lubens taceo, vt litterarum, quæ in area conſpiciuntur, rationem reddere liceat. Priores LKΔ numerum notant, annum nempe vigeſimum quartum regni a Ptolemæo noſtro ſuſcepti, illum ipſum nempe, quo veneno a ſuis ſublatus in ipſo ætatis flore, cum duodetrigeſimum annum ageret, e viuis exceſſit. Cauſam necis ex Porphyrio refert Hieronymus his verbis:

bis: „ Cum vnus ab illo quæreret, tantas res moliens, (nempe Se„ leucum IV. Syriæ regem infeſtis armis aggredi parabat) vbi haberet „ pecuniam? reſpondit, ſibi amicos eſſe diuitias. Quod cum diuulga„ tum eſſet, timuerunt duces, ne eorum auferret ſubſtantiam, & id„ circo eum maleficis artibus occiderunt". [In Daniel. c. XI. T. III. p 112. & Edit. Io. Martian.] Poſteriores litteras KI in aliis etiam Ptolemæorum numis obuias Vaillantius interpretatur KITIEΩN, *Citienſium* in Cypro, [L. c. p. 38. atque alibi.] quem ſequitur hac ex parte, qui ceteroqui hiſtoriam Ptolemæorum longe diuerſam concinnauit, vir ingenii doctrinæque fama celebratiſſimus Io. Harduinus, qui præterea omnes eos numos, qui vrbium Cypri adſcripta habent nomina, duobus exceptis, [Chronol. V. T. Opp. Sell. p. 578.] in quibus epocha ΛΘ h. e. anno XXXIX. & LMΘ h. e. anno XLIX. Ptolemæo Philometori aſſignat. Quo iure id faciat, non excutiam magis nunc, quam quod Ptolemæum Epiphanem, fratrem aliquem Philometoris, qui neque rex ipſe fuerit, & ante Philometorem obierit, comminiſcitur. Id miror, vnde tam confidenter Cypro aſſignent viri [p. 579.] docti numos, in quibus litteræ KI. ΠA. ΣA. qui artificio & ſculptura nihil ab iis differunt, quos ipſi illi in Aegypto affirmant cuſos fuiſſe. Cur ſodes, qui litteris ΠA notati ſunt, potius Paphiis tribuendi, quam vel Panopolitanis, vel Parætoniis, vt quoſdam ſtatuiſſe docet Vaillantius? *Quidam*, inquit, *omnes numos, vbi occurrunt litteræ* ΠA, [p. 116.] *non Paphi in Cypro, ſed* Παραιτονίȣ, *in vrbe Parætonio, Alexandriæ proxima, vbi monetarum Aegypti erant officinæ, cuſos eſſe exiſtimant. In re dubia cum iis contendere non ſtatuimus.* Cur ΣA. Σαλαμινίȣ potius, quam Σαΐτας deſignat? Nempe, ita vt ſibi perſuaderent viri docti, moti ſunt litteris KI, a quibus nulla vrbs Aegypti celebrior incipit. At niſi omnia me fallunt, præſtabat ἐπέχειν, quam de Citio, quod πολίσμα Κύπρȣ, *oppidulum Cypri* appellat Laërtius, [In vit. Zen. Lib. VII. Segm. I. p. 366.] cuius nulli cuſi proſtant numi, accipere, quæ interpretatio inanis ſubterfugii notam vix effugerit. Crediderim ego, numos hos Alexandriæ eſſe ſignatos in ea parte vrbis, quæ Κιβωτȣ̃ nomine dicta eſt, de qua Strabo, [Lib. XVII. p. 795.] atque eo ſpectare litteras KI. Eam enim vrbem nullæ alias initiales litteræ in numis Ptolemæorum deſignant, & eſt tamen veriſimile, eam non minus atque alias Aegypti vrbes, quas in his numis agnoſcunt viri docti, officinam monetariam habuiſſe. Sed ea de re peritiores viderint; neque enim tantum ego coniecturæ huic ipſe tribuo, vt non rectiora docentes audire malim.

§. XXIV.

[*De numo Ptolemæi VII. vulgo Phyſconis.*]

Ptolemæo VII, ioculari Phyſconis cognomine propter corporis craſſitiem vulgo noto, numum tribuit Cl. Vaillantius, in quo caput ſenile, & in auerſa parte epocha LIς h. e. anno XVI. vberiorisque confirmationis cauſa, [p. 121.] „ hic numus, inquit, ad Ptolemæum Euergetam II. ſine dubio ſpectat, ſolus enim ex Aegypti regibus, qui „ nobis a Philometore ſuperſunt, ſenex eſt: nam quatuor ad quinque „ annos natus erat, cum pater Epiphanes mortuus eſt: Philometor, „ eius frater, regnauit annos 35. & numus cum anno regni 16. ex„ hibet; itaque 55. tunc, quando percuſſus eſt, agebat; filii autem „ & nepotes illius omnes in iuuenili ætate imperium occuparunt,

 „ vnde

„ vnde ex diuersis eorum numis superstitibus illorum vultus & effigies „ facile cognoscitur". Eadem de causa numum hunc, qui cum epocha LE h. e. anni sexti vultum prouectæ admodum ætatis exhibet, tribuo eidem Ptolemæo.



Qui eum cum numo, quem Vaillantius protulit, contendet, facile geminum esse fatebitur, adeo omnia conspirant, si vultum regis spectes, vtcunque ille hic decennio iunior compareat. Vtrobique haud obscure Lib. XXXVIII. c. 9. agnoscas, quod Iustinus tradit, vultu deformem fuisse Ptolemæum Physconem. Aduersa tamen in parte aquila fulmini insistens palma caret. Inscriptioni ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ addita est, vt dixi, epocha LE, h. e. anno sexto, & litteræ nomen vrbis designantes ΣΑ, quod interpretor ΣΑιτῶν potius, quam vt vulgo ΣΑλαμινίων. In cata- L. c. p. 578. logo, quem Cl. Harduinus contexuit, numorum, qui, quod ille vna cum aliis viris doctis existimat, vrbium Cypriarum nomina præferunt, duo tantum percensentur cum litteris ΣΑ, iique ex Vaillantio depromti. Quibus addet, si ita ei videbitur, sequentem vir celeberrimus, idque tanto potiori iure, quod nullum cum æra LE ibidem protulit. Expunget autem ibidem, quod ait, Vaillantium duos numos, quorum in altero: LA. ΠΑ, & in altero: LI. ΠΑ, modo Ptolemæo VIII, modo IX, alium vero, in quo Αϛ, modo Philadelpho, modo Euergetæ tribuere. Quod enim ad priores duos attinet, quamcunque eorum partem spectes, alium illi profecto typum sub Ptolemæo VIII. Vaill. l. c. p. 115. præferunt, alium sub Ptolemæo IX. Vultus vtrobique prorsus diuersi; L. c. p. 123. sq. & aquila auersæ partis in Ptolemæi VIII. numis palmam sibi adiunctam habet, in Ptolemæi IX. numis non item. Neque vero eosdem facit idem regni annus, eadem vrbs expressa; quod qui dixerit, is neget, oportet, diuersos reges eodem regni anno eadem in vrbe numos cudere potuisse. Quod vero ad posteriorem attinet numum, verum sane, eundem ectypum numi Ptolemæo Philadelpho & Euer- L. c. p. 39. 52. getæ I. tribui in Cl. Vaillantii opere, sed errorem eum non ipsi Vaillantio deberi, sed operis festinantibus, celeberrimus vir intelligere poterat ex descriptione duplici, vni eidemque ectypo sub Ptolemæo Philadelpho & Euergetæ subiuncta, quam eum legere par erat ante, quam oscitantiam tantam viro diligentissimo exprobraret. Sub Ptole- L. c. p. 39. mæo Philadelpho numum, de quo agitur, recte ita describit: „ Caput regis diademate insigne: (insignis errore typographico legitur) „ Ex aduerso aquila, vnguibus fulmini insistens. In area a dextris „ LAC anno 36. a sinistris vero ΚΙτιέων, vt in superiori numo". At L. c. p. 52. sub Euergeta numo eidem hanc descriptionem subiicit: „ Caput regis diademate ornatum: ex aduersa parte aquila fulmini insistens „ cum inscriptione: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. In area a dextris:

„ LIΘ,

„ LIΘ, anno 19. a ſiniſtris: ΠΑ, id eſt ΠΑφίων". Inde enim patet, diuerſos prorſus afferre numos Vaillantium voluiſſe, ſed poſteriori in loco operas nouum ac genuinum cum antea iam allato ac ſpurio proinde perperam commutaſſe. In æra huius numi notanda figura τȣ̃ ἐπισήμȣ Βαῦ Ƨ. quæ & in aliis apud Vaillantium numis occurrit. Eam, L. c. p. 139. perinde atque alteram ϛ fruſtra apud Cl. Montfauconium quæras, Palæogr. p. 336. tametſi is obſeruat, per C id non nunquam in inſcriptionibus effingi, ſecutus Scaligerum, qui docet, in veteri columna hortorum Carpenſium Romæ C poni pro ϛ· ΕΙΣ ΤΟ ΚC ΚΑΙ ΚΖ; quod vertit: in *Luſtrum XXVI. & XXVII.* In Euſeb. p. 112. Scaligerum vero errare vir doctus, qui diſſertationem de priſcis Græcorum & Latinorum litteris Montfauconii Operi ſubiecit, contendit, ratus, nunquam C litteram pro numeri VI. nota fuiſſe vſurpatam; in ſaxo ſculptum fuiſſe ΚϚ vel Κϛ, id exſcriptorem in ΚC facile mutaſſe. L. c. p. 586. Sed ſi minus C, ſaltem Ƨ huius numeri notam fuiſſe hi numi, teſtes haud inficiandi, vt puto, euincunt, tametſi ceteroqui conſtat, eadem figura Ƨ perinde ac altera ſinuata C numerum ducenarium poſtea veteres deſignaſſe. Spanh. T. I. p. 102. ſq.

§. XXV.

Τὸ Βερενίκιον νόμισμα, h. e. *Numiſma Berenicum* commemorat equidem Pollux, ſed inter ea numerat, quorum ἐπώνυμοι h. e. *auctores, a quibus nomen accepere*, vulgo noti. De numo Berenices. Lib. IX. c. 6. §. 88. p. m. 1066. ſq. Quanquam vero id conſtat, numum aureum argenteumque illum, qui cum inſcriptione: ΒΕΡΕΝΙΚΗΣ ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ in muſeis beatiorum hominum reperitur, Berenices eſſe, Aegyptiæ cuiusdam reginæ, cum tamen plures id nominis geſſerint, cuinam ex illis ſit tribuendus, non æque patet. Quam ob cauſam multum Polluci deberent antiquarii, ſi lucem iis in hac incerta re prætuliſſet. Patinus quidem aureum, quem produxit, ad Berenicen, quartam Ptolemæi Lagidæ vxorem, matrem Ptolemæi Philadelphi, ſine hæſitatione refert. Ad Suet. Tit. p. 409. Sed circumſpectior ea in re Vaillantius obſeruat, tres in Ptolemæorum hiſtoria occurrere reginas nomine Berenices, primam Ptolemæi I. coniugem, alteram Ptolemæi Soteris II. filiam, L. c. p. 130. quæ ſola imperium ſex menſes adminiſtrauit, tertiam Ptolemæo Aulete natam, quæ patre ab Alexandrinis expulſo, primum cum Tryphæna vel Cleopatra, maiore ſorore, poſt, mortua ea, modo ſola, modo cum maritis, Seleuco Cybioſacte, & Archelao, Aegypto præfuit. Primæ Berenices, quod Patino viſum, numum eſſe non poſſe demonſtrat cum inde, quod moris non eſſet primis Lagidarum imperii temporibus, reginas in numis ſignari, præſertim cum epigraphe vnius nominis reginæ, tum ex diſſimilitudine vultus, quo Berenice illa in numis cum inſcriptione ΘΕΩΝ ΑΔΕΛΦΩΝ efficta cernitur. Nec vero magis ad tertiam Berenicen numum pertinere arbitratur, propterea quod ſola haud regnarit, ſed vel cum ſorore vel cum maritis, nec tantam poteſtatem adepta videatur, parente abſente tantum, & in regnum etiam poſtea a Romanis reſtituto. Vnde colligit a Ptolemæi Soteris II. filia cuſum eum eſſe, quæ ſine ſocio regnauit ſemeſtri ſpatio, ratus in capite filiæ Parentis vultum agnoſci. Sed mirum, diligentiſſimum hiſtoriæ Ptolemæorum conditorem, dum reginas

ginas Aegypti Berenices nomine vſas recenſet, ſicco pede tranſilire Ptolemæi III. Euergetæ coniugem, cuius coma, ex Cononis mathematici ſententia, inter ſidera relata, fœcundam Callimacho & Catullo, qui Callimachi carmen Latine ſeruauit, canendi materiem ſuppeditauit. Præterea vero an rationes, quibus motus numum ſuum Ptolemæi Auletis filiæ abiudicat, eius ſint ponderis, vt acquieſcere iis tuto liceat, non ſine ratione dubitari poſſit, cum ipſa Ptolemæi Auletis hiſtoria, quam nobis condidit vir celeberrimus, tela, quibus oppugnari poſſit, haud vna ſuppeditet. Qui Arſinoes numum aureum contulerit cum huius reginæ numis, ei procliue erit ſuſpicari, Ptolemæum, fortaſſe Euergetam, exemplo parentis numos hos ſui in Berenicem coniugem amoris teſtes extare voluiſſe. Vulgatis adhuc ſequentem æreum e gaza noſtra adiicias, licet.



L. c. p. 580. Celeb. Harduinus æreum iam tum ab Cl. Vaillantio iuris publici
L. c. p. 130. factum tradit. Sed argenteum eum eſſe & ipſe Vaillantius addito indicio Æ pronuntiauit, & nota E, vrbis Ερμοπολιτῶν, vt arbitratur idem vir doctus, littera initialis, qualis in argenteis Ptolemæorum occurrit, facile perſuadet.

§. XXVI.

De numo Aretæ regis Arabiæ. II. Maccab. ℣. 8. II. Cor. XI. 32. Specim. p. 227. tab. XXIII.

Vicinæ iam Arabiæ reges nos ad ſe vocant, quos inter ſacris quoque litteris celebrati Aretæ. Cl. Morellius numum cum inſcriptione: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΡΕΤΟΥ ΦΙΕΛΛΗΝΟΣ ex regio Gallorum theſauro, quo eum ex muſeo Feſchiano transiiſſe teſtatur, exhibet, atque Aretæ, cognomine Obodæ, quem ſecundum illius nominis ſtatuit, tribuendum putat. Qui quidem numus an reperiatur in Gallorum regis cimeliis, aut eo ſaltem tempore ibidem extiterit, quo hæc litteris prodidit Morellius, haud immerito dubitari poſſit. Edito enim Specimine anno ſuperioris ſeculi nonageſimo quinto, anno poſt fama ſibi in his ſtudiis parta florentiſſimus vir, Dronius abbas, in litteris ad eum datis, „ Fui, inquit, his diebus in conuentu amicorum, qui in numum regis Aretæ a te vulgatum cenſuram ſibi arrogantes contendebant, legendum eſſe: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΡΕΤΑ, non ΑΡΕΤΟΥ; caput eſſe barbatum, hominis LV. vel LX. annorum, facile hæc omnia probari poſſe numi, quem regia gaza ſeruat, teſtimonio: Agrippæ nomen perinde flecti, neque enim vſpiam occurrere: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΓΡΙΠΠΟΥ". Et ſane Cl. Harduinus numum regiæ gazæ poſtea luculenter deſcripſit: „ Ad hæc tempora, inquit, pertinet numus „ Aretæ,

Chronol. V. T. p. 599. Opp. Sell.

„ Aretæ, regis Arabum, qui numus ex ære mediocri perrarus ac ſin-
„ gularis in theſauro regio aſſeruatur: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΡΕΤΑ ΦΙΛΕΛ-
„ ΛΗΝΟΣ, *Regis Aretæ, amici Græcorum.* Dea turrita ſedens, dex-
„ tra ſpicas oſtentat, læua tenet haſtam, ad pedes vir emergere ex
„ amne cernitur, ſymbolum appoſitæ amni ciuitatis. Pars altera ca-
„ put ſenile exhibet annorum amplius LX. regis Aretæ diadematum". Quæ quidem deſcriptio in Morellianum ectypum parum quadrat, ita, vt, ſi ille ex regio numo corrigendus eſſet, haud vna vtique, præter flexionem illam vocis ΑΡΕΤΟΥ, mutanda forent, vnde fides ac ſolertia Morellii noſtri, ceteroqui nemini non probata, in ſuſpicionem iniquam adduceretur. Sed abſoluit virum præſtantiſſimum numus cimelii Foucaultiani, quem idem vulgauit Harduinus. „ Nu-
„ mus, inquit, ex ære mediocri capite diademato, annorum fere L. c. p. 587.
„ XXX. || ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΡΕΤΟΥ ΦΙΛΕΛΛΗΝΟΣ, *Regis Aretæ,*
„ *amici Græcorum.* Victoria turrito capite, dextra coronam, læua
„ palmam gerit". Vnde patet, nomen ΑΡΕΤΑΣ gignendi caſu & ΑΡΕΤΑ & ΑΡΕΤΟΥ pronuntiari, cuius rei rationem reddere conatur idem, quem paulo ante laudaui, vir eruditiſſimus, cui ea de re diſputata in medio nunc relinquo.

§. XXVII.

Ne tamen fides optimi Morellii noſtri, cui theſaurus noſter tantum non omnia debet, vlla ex parte laboret, eundem numum, poſt editum Morellii Specimen Arnſtadienſi gazæ, quæ noſtra nunc eſt, illatum, iterata vice produco. *De eodem plura.*



Cernitur hinc caput imberbe diademate ornatum hominis florenti ætate, illinc figura ſcopulis inſidens, dextra ſpicas, vt videtur, tenens, ſiniſtra cornucopiæ; ad pedes eius fluuius emergit. Inſcriptio: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΡΕΤΟΥ ΦΙΛΕΛΛΗΝΟΣ, h. e. *regis Aretæ, amici Græcorum.* Ad marginem ΑΡ. Ad numum hunc Morellius: „ Tres reperio Are- Specim. p. 227.
„ tas in ſerie Regum illorum: Primus incidit in Antiochi Epiphanis
„ tempora, eiusque fit mentio II. Maccab. V. 8. Alter, cognomine
„ Obodas, bella geſſit contra Alexandrum Ianneum, Regem Iudæ-
„ orum: & Antiocho Dionyſio in prælio occiſo Cœleſyriam occupa-
„ uit. Tertius, cognomento Aeneas, Auguſti animum alienatum ex-
„ pertus eſt, quod inconſulto eo regnum capeſſiuiſſet. Numum credo
„ pertinere ad ſecundum Aretam; nec dubitandum, Damaſci eum
„ fuiſſe percuſſum; typus enim ille mulieris ſedentis & turritæ ſæpius
„ in Δαμασκηνῶν numis reperitur". Hic verum ſane, tres ex hiſtoria antiqua Aretas, Arabiæ reges, commemorari ſcriptoribus. Sed per-

peram alterum, contra quem notæ M. Scauri & Pompeii expeditiones, cognomine Obodam appellat. Obodas enim non cognomen regis Arabum, ſed nomen, quod alter ex ſucceſſoribus Aretæ huius geſſit. Poſt Aretam enim Malchus, & poſt hunc Obodas demum regnauit, quem quam ob rem cum Areta confundat Morellius, non intelligo. Ceteroqui idem alteri ex tribus Aretæ admodum veroſimili ratione numum præſentem adſignat. Cum enim cuſus videatur Damaſci, ad quemnam ille Aretam maiori veri ſpecie referatur, quam qui a Damaſcenis vocatus Cœleſyriæ regnum obtinuit. Sed obſtant huic ſententiæ litteræ ΑΡ annum CXXX, vt videtur, deſignantes, de quibus Morellius: „ Apparent in numo etiam litterarum veſtigia, „ quæ epocham forſan continent, ſed dignoſci nequeunt". Dignoſci eas non potuiſſe in numi huius diuerſo exemplo, facile mihi patior perſuaderi, ſed in præſenti clariſſime expreſſæ cernuntur, quæ ſi epocham Seleucidarum, qua vſi Damaſceni, deſignant, vix poterit alius hic Aretas quam primus agnoſci, quem Antiochi IV. tempore vixiſſe ſcriptor rerum a Maccabæis geſtarum teſtatur. Eum cum iuuenem admodum numus exhibeat, optime is quadrat in annum CXXX. quo Seleucus IV. frater Antiochi, rerum ſummæ adhuc in Syria præfuit. An vero Damaſcus eo tempore Arabiæ regibus paruerit, dubitandum non magnopere videtur. Ad Arabiam certe iam olim pertinuiſſe eam vrbem, docet Iuſtinus Martyr, qui ὅτι δὲ, inquit, Δαμασκὸς τῆς Ἀραβικῆς γῆς ἦν καὶ ἔστιν, εἰ καὶ νῦν προσνενέμηται τῇ Συροφοινίκῃ λεγομένῃ, οὐδ' ὑμῶν τινὲς ἀρνήσασθαι δύνανται. h. e. *Quod vero Damaſcus Arabiæ terræ fuerit & ſit, quamuis nunc ei, quæ Syro-Phœnice dicitur, accenſeatur, nec veſtrum aliqui inficiari poſſunt.* Vnde & Tertullianus: „ Damaſcus Arabiæ retro „ deputabatur, antequam tranſcripta eſſet, in Syro-Phœnicen ex diſtin„ ctione Syriarum". Ceterum ad eundem Aretam referendum arbitror numum Cl. Hauercampii, in præclara Ioſephi, quam adornauit nuperrime, editione vulgatum, qui hinc caput regis diademate cinctum, illinc figuram muliebrem ſtantem exhibet, cuius in dextra pateram, in ſiniſtra haſtam expreſſam cernas, cum inſcriptione: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΡΕΤΟΥ. Quo iure enim vir doctiſſimus affirmet, Aretæ regis faciem in tanta Antiquitatis felicitate neminem ante ſe exhibuiſſe, ex ſuperioribus abunde liquet.

Ioſeph. Antiqu. Lib. XIV. c. 4. 9. Dio Lib. XXXVII. p. 36. V. Noriſ. Cenotaph. Piſan. p. 232. ſq. Ioſeph. l. c. Lib. XIII. c. 23. conf. de bello Iudaic. Lib. I. c. 4. L. c. p. 228. Dialog. ad Tryphon. p. m. 305. Adu. Marcion. Lib. III. p. m. 488. Tom. I. poſt Præf. Tab. I. n. 12. p. 19.

§. XXVIII.

De numo Arſacis, regis Parthorum. Specim. Lib. XXIII. p. 229.

Neque vero Arſacidæ, Parthorum reges, prorſus hoc loco prætereundi, quibus gaza noſtra numum acceptum fert, a Morellio quidem iuris publici iam pridem factum, ſed nihilominus, qui denuo hic ſpectetur, dignum.



In aduerſa, quæ caput Arſacidæ ſiſtit, parte notanda in primis coma adſcititia, quam delineatio Morelliana non ſatis reddit. Eam a Medis Parthorum reges mutuatos docet Xenophon, qui κόμας προσθέτους, refert inter τὰ νόμιμα ἐν Μήδοις, h. e. *ea, quæ apud Medos recepta.* In auerſa præter typum muliebris figuræ dextra palmam offerentis Arſacidæ ſedenti, ſiniſtra cornucopiæ tenentis, & inſcriptionem: ΒΑΣΙλέως ΒΑΣΙΛΕΩΝ ΑΡΣΑΚΟΥ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ ΔΙΚΑΙΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ ΦΙΛΕΛΛΗΝΟΣ, h. e. *Regis Regum Arſaces Benefici Illuſtris, Græcorum amici*, notandæ litteræ ΑΝ, pro quibus in delineatione ſua Morellius inuerſo ordine exhibuit Ηλ, qui in explicatione numi ſubiecta tamen affirmat, „ ſupereſſe quidem veſtigia quædam litterarum ſub „ titulo ΔΙΚΑΙΟΥ, at legi non poſſe". Sed veniam dabunt manes optimi viri, ſi dixero, quod αὐτοψία docet, non tantum veſtigia, ſed ipſas litteras, non equidem Ηλ, ſed ΑΝ clariſſime expreſſas cerni. Cum illæ epocham Parthicam denotare videantur, eius autem initium Cl. Vaillantius, cuius Regum Parthorum hiſtoria ad fidem numiſmatum accommodata bonis auibus lucem adſpexit, ad annum LVII. Seleucidarum reuocet, iunctis ei annis LI. efficitur CVII. quo Arſaces III. cui nomen Artabano, Parthici regni gubernacula tenuit. At vero ſi Arſacidæ Artabano hunc numum æra vindicat, eidem abiudicat typus, qui ſuadet, eum eſſe ad Arſacem Tiridatem potius, quam Artabanum reuocandum. Quos enim Tiridati tribuit numos Vaillantius nihil omnino, ſi partem aduerſam ſpectes, parum ab eo differunt, ſi auerſam. In illa vultus Arſacidæ prorſus idem, naſo grypo, barba prolixa, capillo adſcititio inſignis; in hac idem Arſacidæ ſedentis habitus, eadem figuræ, quæ palmam offert, effigies, niſi quod modium capite geſtat, qui in Vaillantii icone non comparet. Viderint igitur, quibus hæc vberius excutiendi facultas obtigerit, quid ea de re ſit ſtatuendum. Aut enim Vaillantius in aſſignandis Arſaci II. numis aberrauit, aut æra non cenſenda eſt, quam numus præſens complecti videtur. Aeram ſane in eo, tametſi longe recentiorem, agnouit Ill. Spanhemius, qui litteras ΗΥ, vt in ectypo Morelliano, (vbi tamen poſterior littera inuerſa hoc modo λ ſculpta eſt,) reperiuntur, interpretatur de anno CCCCVIII. Parthicæ epochæ, qui in poſtremos Antonini Pii annos aut primos M. Aurelii ac L. Veri incideret, qua tempeſtate Arſaces Vologeſes II. Parthorum imperium tenuit. Nulla vero illa ſtatuenda eſt, ſi audiamus Cl. Harduinum, qui negat, vllam in his numis æram Græcorum aliamue reperiri, excepto Vologeſis numo. At ipſe alibi numum ex Spanhemio laudat cum æra ΓΚΥ, h. e. anno CCCCXXIII. vt taceam Baudelotianum numum cum epocha ΔΟΡ, h. e. anno CLXIV.

Cyrop. Lib. I. c. 3.

Hiſtor. Arſac. p. 3.

L. c. p. 16. ſqq.

L. c. p. 463.

Chronol. V. T. p. 610. Opp. Sell.

Num. Vrb. & pop. p. 131.

CLXIV. quem in priori libri de Chronologia V. T. editione laudauit. Nam eius in posteriori non meminit vir celeberrimus, in qua
L. c. p. 462. sq. & alia plura, quæ notauerat Ill. Spanhemius, resecanda duxit.

§. XXIX.

De numo Tigranis, regis Armeniæ. Lib. XL. c. 1. Syr. p. 118. Tigranis, Armeniorum regis, „ qui, tradente Iustino, accitus „ in regnum Syriæ, per XVIII. annos (quatuordecim rectius numerat Appianus) tranquillissimo regno potitus est, ac neque bello „ alium lacessere, neque lacessitus inferre alii bellum necesse habuit". Hist. Seleuc. p. 399. sq. numos duos exhibuit Cl. Vaillantius, argenteum alterum, alterum æreum. Sed in vtroque haud dubie vitio sculptoris pro ΤΙΓΡΑΝΟΥ Chronol. V. T. p. 612. Opp. Sell. p. 400. legitur ΤΙΓΡΑΝΟΥΣ. Ad posteriorem hæc notat Cl. Harduinus: „ Affertur in historia Regum Syriæ numus inscriptus ΒΑΣΙΛΕΩΝ „ ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΤΙΓΡΑΝΟΥΣ: sed in quo vocem priorem recens adiectam fuisse, nemo non affirmet, qui sit Græce peritus, „ numosque veteres vsurparit: siquidem est ea loco præpostero: nam „ ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΒΑΣΙΛΕΩΝ ars dici poscit, non e diuerso: præterquam „ quod & ΤΙΓΡΑΝΟΥΣ ibi cum solœco ponitur pro ΤΙΓΡΑΝΟΥ: „ & numi Tigranis alii omnes habent ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΤΙΓΡΑΝΟΥ: „ nec vllo potuit ille iure dici ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΒΑΣΙΛΕΩΝ, tametsi id „ quidam scriptores affirment". Recte hæc omnino, id quod æqui rerum iudices non inficiabuntur, modo Tigrani titulum Regis Regum, Syr. p. 118. Lucull. p. 500. 505. quem eum affectasse scriptores grauissimi, Appianus ac Plutarchus, docent, relinqueret vir doctissimus, quem in numis non reperiri, qui quidem editi in vulgus fraudis suspicione carent, facile largiri licet. Sed ita fert mos viri ingenio atque eruditione nulli hodie secundi, ea fere omnia vocare in dubium, quæ a scriptoribus tradita numorum L. c. p. 465. testimonio confirmari illico non posse intellexerit. Id miror, Ill. Spanhemium sine præuio examine vtriusque numi ectypum ex Vaillantio transsumtum nouissime operi suo intexuisse, qui tamen priorem p. 455. ex iis in editione veteri Amstelodamensi cum inscriptione: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΤΙΓΡΑΝΟΥ, non ΤΙΓΡΑΝΟΥΣ, recte exhibuerat. Posteriori æreo, quem νοθείας insimulat Cl. Harduinus, non desunt alii, qui substitui possunt. Huc enim spectat, quem ex supellectile numaria L. c. p. 103. nobilissimi Sadleri profert Cl. Haymius, cuius auersa in parte Victoria cum inscriptione: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΤΙΓΡΑΝΟΥ, & infra ΠΑΡ. Huc & pertinet, quem ex cimelio Foucaltino Cl. Harduinus describit L. c. his verbis: „ Numus ex ære mediocri: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΤΙΓΡΑΝΟΥ. „ Genius vrbis rupi excelsæ insidet, læua cornucopiæ tenet. Plinius „ libro VI. p. 664. In excelso Tigranocerta in Armenia minore". Gemini numi, quem gaza nostra seruat, ectypum hoc loco subiungo.



Genium vrbis, qui auerſa in parte huius numi non tantum læua cornucopiæ, ſed & dextra lauream, vt videtur, tenet, ad Tigranocertam refert celeb. Harduinus. Sed nihil obſtat, quo minus Antiochia ad Orontem intelligi poſſit, quæ & in argenteo Tigranis numo vna cum fluuio Oronte, ex Vaillantii ſententia, expreſſa cernitur. Ibi Tigranes Appium Clodium, legatum Romanorum audiuit, miſſum a Lucullo, vt aut abduceret Mithridatem, ſocerum eius, Luculli triumphis debitum, aut Tigrani bellum indiceret. Litteris Luculli, quas attulerat Appius, regem ſe tantum, non regem regum appellatum ægre tulit Tigranes, ac viciſſim in reſponſo ad Lucullum imperatoris appellatione abſtinuit. De notis ad marginem expreſſis, quarum veſtigia tantum ſuperſunt, viderint, quibus exemplum huius numi minus exeſum fortuna propitia obtulerit.

Hiſtor. Seleuc. p. 399.

V. Plut. Lucull. p. 505.

§. XXX.

Pergo ad reges Ponti, quos inter rerum geſtarum gloria eminet Mithridates, Eupator, itemque Dionyſus dictus, ſcriptoribus rerum Romanarum propter ingentia, quæ cum Romanis per quadraginta annos geſſit, bella decantatiſſimus. Numos eius exhibent Goltzius, Begerus, Spanhemius, Haymius, & cuius regum Ponti hiſtoria ſuperiori demum anno lucem aſpexit, Vaillantius, vt Harduinum taceam, qui eorum aliquot deſcriptos dedit. His accedit ex theſauro noſtro ſequens.

De numo Mithridatis Eupatoris.

Tab. IV. inſ. Aſiæ. p. 314. Theſ. Palat. 152. L. c. T. I. p. 483. Theſ. Brit. Vol. II. p. 50. Reg. Ponti, Boſpor. & Bithyn. Hiſtor. p. 181. ſqq. Chron. V. T. p. 611. ſqq.



Nihil ille ab editis ex parte capitis magnopere differt, niſi quod vultum minus plenum, quam eſt in ceteris, ſiſtere videtur. In auerſa etiam parte communis illi cum reliquis omnibus hederacea corona, qua ad cognomen Dionyſi, quod Mithridates hic geſſit, haud obſcure alluditur, communis cum primo, quem ex gaza regia Gallorum Ill. Spanhemius profert, quemque & Vaillantius edidit, equus alatus paſ-

L. c.

L. c.

 cens,

cens, communia pariter cum omnibus ſymbola Solis & Lunæ, communis denique inſcriptio : ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΜΙΘΡΑΔΑΤΟΥ ΕΥΠΑΤΟΡΟΣ, h. e. *Regis Mithridatis Eupatoris*, quibus proinde haud immoror. Peculiaris vero huic numo æra, litteræ ΘΣ, quæ annum epochæ Ponticæ CCIX. deſignant, in Mithridatis Eupatoris numo adhuc nullo obſeruatum, ab aureo illo ſi diſcedas, quem Cl. Hauercampius nuperrime ad Ioſephum e ſupellectile nobiliſſimi H. A. Marckii produxit. Quod ſi igitur omnes, qui quidem adhuc vulgati lucem adſpexerunt, conferamus, ſequentes annos illius æræ in iis expreſſi reperientur:

Tom. I. poſt Præf. p. 26.

ΘΣ, h. e. CCIX. e numophylacio Sereniſſimi Ducis Saxo-Gothani & muſeo Marckiano.

ΒΙΣ, h. e. CCXII. inter cimelia regis Gallorum

ΘΙΣ, h. e. CCXIX. non CCIX. vt eſt apud Ill. Spanhemium, e gaza Foucaultina, nunc Parmenſi, & Sereniſſimi Ducis Gothani. — L. c.

Fatendum eſt tamen, noſtrum videri ab artifice Italo profectum, cuius numum omni ex parte ſimilem ex muſeo Diuæ Genofeuæ exhibuit Cl. Molinetus. — Cabin. de S. Genevieue Tab. VI. p. 113.

ΑΚΣ, h. e. CCXXI. ex theſauro Palatino olim, poſt Brandenburgico.

ΒΚΣ, h. e. CCXXII. e regio Gallorum, Palatinoque, poſtea Brandenburgico, itemque e muſeo Vaillantii & Gothano theſauro.

ΓΚΣ, h. e. CCXXIII. e gaza Palatina, poſtea Brandenburgica, vt & Deuonienſi, vnde vulgauit Cl. Haymius. — T. II. p. 30.

Inter omnes hos numos primum, vt patet, ſibi locum depoſcit, quem e gaza Fridericiana exhibui. Aeræ vero huius initium, quem ſupra laudaui, Cl. Vaillantius adſignat anno tertio Olympiadis CXVIII. V. C. CCCCXLVIII. quo, permiſſu Antigoni, Mithridates II. Ariobarzanis filius, paternum regnum recuperauerat, Κτίστης, *conditor* propterea Straboni dictus. Annus igitur CCIX, qui in numiſmate præſenti expreſſus deprehenditur, reſpondet anno vrbis DCLVI. fuitque imperii eius, cuius initium idem Vaillantius a. v. DCXXXI. adſignat, vigeſimus ſextus. Eadem æra Pontica vſus quoque Pharnaces, Mithridatis Eupatoris filius, rex Boſpori, quam ceteroqui ab æra Boſporana, vtramque vero, & Ponticam & Boſporanam, a Sauromatum regum æra diuerſam eſſe Cl. Vaillantius demonſtrat. Alia de initio æræ Ponticæ in numis Mithridatis Eupatoris ſignatæ eſt ſententia celeberrimi viri Io. Harduini, vnam eandemque eam ſtatuentis cum epocha Seleucidarum; ſed quam abunde confutant obſeruata ea de re Ill. Spanhemio, cui ſi Vaillantii de Ponti, Boſpori, Bithyniæque regibus lucubrationem, e qua excerpta tantum nonnulla viderat, licuiſſet euoluere, dubitari non poteſt, quin de hoc ipſo argumento firmiora ac luculentiora litteris prodidiſſet.

L. c. p. 33. — Lib. XII. p. 564. — L. c. p. 262. 276. ſqq. — L. c. — T. I. p. 484. ſq.

§. XXXI. Per-

§. XXXI.

Pergamenorum regni conditoris Philetæri, numos duos ſubiungo, tametſi priorem Patinus & Begerus pridem, poſteriorem vero æque ac priorem Cl. Spanhemius iuris publici fecerunt. *De numis Philetæri, Pergamenorum regis.* Theſaur. p. 28. Theſ. Palat. p. 149.



Prioris delineationem accuratam dedit Begerus, quippe a qua ſiue caput Philetæri laurea cinctum, ſiue ſedentem auerſa in parte Palladem, ſiue iuxta inſcriptionem: ΦΙΛΕΤΑΙΡΟΥ, litteras ΑΣΚ ſpectes, præſens nihil differt. Vnde repetere eam hoc loco nihil fuiſſet neceſſe, niſi peculiaris eam exhibendi hoc loco mihi ratio fuiſſet, aquila aurea pone ceruicem capitis Philetæri impreſſa. Quid enim aliud illa ſignificet, niſi numum hunc ornaſſe theſaurum præſtantiſſimum, quem ſibi collegere quondam Sereniſſimi duces Mantuani, qui vt aureis ſuis numis, quod ſupra vidimus, argenteam, ita argenteis auream, vt videtur, aquilam, pro nota, qua iſta theſauri illius portio agnoſci poſſet, inſculpi iuſſere. Extat tamen, quod fateor, in eadem gaza noſtra argenteus, de quo infra, numus ΗΡΑΚΛΗΙΩΝ, in quo aquila hæc non æque inaurata cernitur. Poſteriori ſimilem ex gaza Pembrocenſi protulit Ill. Spanhemius, ſed caput Philetæri diademate ibi, non laurea, cinctum, vt in præſenti & auerſæ partis figura ſedens ibi fere nuda, hic veſtita comparet. Inſcriptio præterea diuerſa: In Pembrocenſi: ΦΙΛΕΤΑΙΡΟΥ, in præſenti ΦΙΛΕΤΑΙΡΥ ΑΣR legitur. De illo a me non viſo iudicium interponere non audeo, præſertim cum in tam præclara gaza, in qua nihil credibile eſt aſſeruari, niſi quod eximium ſit, & ab omni ſuſpicione νοθείας alienum, locum ſibi vindicet. Tametſi enim idem cum noſtro cenſeri poſſit, cui magnitudine non tantum reſpondet, ſed & ordine ac figura litterarum, quando Α in vtroque numo figuram τȣ Λ obtinet, ita, vt, quæ diuerſa ſunt, ab ſculptore ſiue in melius ſiue in deterius mutata eſſe videantur, nolim tamen, vt dixi, pretio eius, quantumcunque illud ſit, mea culpa aliquid fortaſſe decedere. Quod ad noſtrum attinet, quis ferat litteram R loco Κ? Tametſi enim τὸ Ρ Græcorum hac forma occurrit in Farneſiana columna apud Montfauconium, manifeſtum tamen eſt, impoſtorem pro Κ imperite exhibuiſſe Litteram latinam R, cui nullus hic locus

Theſ. Palat. p. 149. — Cap. II. §. VII. — Cap. V. §. XX. — L. c. — Palæogr. Græc. p. 337.

locus erat. Quis ferat porro ſcriptum eſſe ΦΙΛΕΤΑΙΡΥ pro ΦΙΛΕΤΑΙΡΟΥ? Quod ſi ex terminatione ΟΥ alterutrius litteræ iactura facienda erat, ſcribi quidem poterat antiquo more ΦΙΛΕΤΑΙΡΟ, qua de re videndus Ill. Spanhemius, non æque ΦΙΛΕΤΑΙΡΥ. Sed hæc de poſteriori numo; in priori nullæ probi numiſmatis notæ deſiderantur. De Philetæro ceteroqui hoc, eunucho, qui theſauros Lyſimachi, Pergami conditos, ſuæque cuſtodiæ mandatos, ſibi vindicauit, vnde vero non abſimile eſt, eum hos numos cudiſſe, cuiusque ex fratribus reges deinde Pergamenorum prodiere, quo titulo Philetærus abſtinuit, plura apud Strabonem & Pauſaniam legas.

L. c. T. I. p. 116.

Lib. XIII. p. 623. Att. p. 9.

§. XXXII.

De numo Pruſiæ regis Bithyniæ.

Bithyniæ regum hiſtoriam a Cl. Vaillantio contextam equidem vna cum Arſacidarum & Ponti Boſporique regum geſtis Gallia nobis ſuperiori anno excudit, ſed vtinam æque numeris ſuis abſolutam. Nam conſtituerat haud dubie celeberrimus vir, eandem perinde ac ceteras, quod & pollicetur titulus, dare ad fidem numiſmatum accommodatam, atque adeo ex hac numariæ rei penu, quicquid illuſtrandæ ei inſeruire poteſt, conquirere, atque in lucem proferre. At ibi nulla omnino numiſmata, nullæ eorum reperiuntur explicationes, regum tantum vultus ex numis hiſtoriæ præmittuntur, numorum in ipſo opere, niſi qui ad Bithyniam Romanorum prouinciam ſpectant, vix vlla facta mentione. In ipſis etiam vultibus loco ſuo aſſignandis editor, quod mirum eſt, non eam, quam par erat, curam adhibuit, imagine Nicomedis II. cui cognomen Epiphani, ad Nicomedem I. Zipœtis filium reuocata, quæ deinceps ſub ipſo illo Nicomede Epiphane nulla reperitur. Ipſa tamen hiſtoria hac etiam luce numorum deſtituta magni nihilominus facienda eſt, quæ Bithyniæ reges concinno ordine deſcriptos exhibet, quorum ſeriem haud paulo diuerſam alii tradidere. Eam ſi ſequamur, non tres Pruſiæ ſtatuendi, quot agnoſcit Ill. Spanhemius, ſed duo, alter Zelæ filius, Χωλὸς, *Claudus* cognomine, alter, huius ipſius filius, Κυνηγὸς, *Uenator* dictus. Numos, qui, ſine regis depicta in iis effigie, eius loco Bacchum vel Mercurium, conſueta locorum illorum numina, aut Herculem etiam exhibent, primo ex tribus huius nominis regibus aſſignat vir ſummus paulo ante laudatus. Proinde ſi non primo ex tribus, ſaltem priori ex duobus tribuendi non tantum omnes illi, quos Cl. Haymius affert, ſed etiam ſequens gazæ noſtræ.

Hiſt. Bithyn. p. 304. Ibid. p. 340.

L. c. T. I. p. 513.

L. c. T. II. p. 45.



Aduerſa pars caput Apollinis laureatum ſiſtit, auerſa lyram cum inſcriptione: ΠΡΟΥΣΙΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ, *Pruſiæ regis.* Alium huic non abſimilem

absimilem e museo equitis aurati Trombal affert Ill. Spanhemius; sed in eo caput diademate revinctum Prusiæ regis, non laureatum Apollinis, prætereaque lyra a præsenti haud parum diuersa, quam *singularem velut citharam* appellat vir summus. Fieri potest, vt numus, non omni ex parte integer, delineationem minus accuratam pepererit. Atque ita rem habere, his iam scriptis, ex addendis, quæ Ill. Spanhemius Præfationi nouæ subiecit, intellexi, vbi tamen idem affirmat, in numo ipso, postea a se inspecto, vrnam etiam, nescio quam, seu vas peculiare effictum videri. Idem suspicari possis de numo ex gaza Medicea depromto cum capite Bacchi hedera cincto, cuius auersa in parte Centaurus comparet. Similem enim ex supellectile numaria Christophori Wren exhibet Cl. Haymius, cuius anteriori paginæ caput Apollinis, posteriori Centaurus lyram tenens cum eadem inscriptione: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΡΟΥΣΙΟΥ insculptus cernitur. Numos vero hos Prusiæ prioris potius quam posterioris esse, verosimile etiam hinc fit, quod typus haud parcum Apollinis cultorem arguit, cuiusmodi posterior Prusias non fuit, qui eius circa Temnum delubrum non spoliauit solum, sed etiam facibus iniectis deleuit.

L. c. p. 514.

L. c. p. 45.

V. Valesii Excerpt. Polyb. Lib. p. 171.

§. XXXIII.

Reperiuntur in eadem gaza nostra Prusiæ argentei numi ab editis, si monogrammata spectes, diuersi, & caput regis diademate alato ornatum exhibentes, quos ad eundem Prusiam I. reuocat Ill. Spanhemius, quod, „ rebus gestis inclytum, vt ille ait, ac δραστήριον, seu „ in agendo celerem & efficacem magis vtique decere videretur tale „ capitis ornamentum, quam prauum & degenerem, qualis exstitit „ Prusias II". Sed cum iidem vultum diuersum exhibeant, fieri omnino potest, vt vterque Prusias, ac filius fortasse parentis exemplo, numos eodem insignes typo cuderint. Posteriori certe similem numum tribuit Cl. Begerus, qui & diadematis alati interpretationes ab Spanhemiana diuersas affert. Verum ad Nicomedem III. pergo, cuius hunc numum thesaurus noster seruat.

De numo Nicomedis III.

L. c. T. I. p. 269. sq.



Similes exhibent, Goltzius, Begerus, Spanhemius & Haymius, in quibus omnibus hinc caput diademate reuinctum, illinc Iupiter lauream dextra porrigens, sinistra hastam tenens cernitur, ante quem aquila fulmini insistit, cum inscriptione: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ ΝΙΚΟΜΗΔΟΥ, h. e. *Regis Epiphanis Nicomedis.* Sed de monogrammate ΝΡ vt taceam, epocha hic diuersa: Est enim non ΕΣ, vt apud Begerum & Haymium, sed ϚΣ, quod videtur significare annum CCVI. De figura enim Ϛ nota τοῦ ἐπισήμου βαῦ, adeoque numeri senarii, iam supra dictum.

Asia Tab. V. 3.
Thes. Palatin. p. 151.
L. c. T. I. p. 515.
L. c. T. II. p. 46.
§. XXIV.

T. II. p. 208. dictum. Aeræ huius initium Cl. Vaillantius in præclaro opere de Familiis Romanis repetit ab anno Vrbis CCCCLXXVI. non CCCCLXVI. vt male operæ typographicæ exhibent, quo anno Nicomedes, Zipœtis filius natu maximus, Gallorum auxilio vſus, Zipœtem fratrem ea, Epiſt. ad Perizon. ſubi. diſſ. de ære grau. p. 201. quam tenebat, Bithyniæ parte exuit. Ὁμόψηφον ea ex parte habet Morellium noſtrum, qui confirmaturus hoc epochæ Bithynicæ initium ad numos ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ cum æra ΒΛΣ prouocat, in quibus tamen Cap. VI. §. XXI. ΕΛΣ legi, ſuo loco oſtendam, vnde illi æræ huic indagandæ non equidem magnopere inſeruiunt. Verum altius quærendum eiusdem caput eſſe, Bithyniæ regum numi, inprimis Nicomedis III. docent, in quibus ΕΣ & ΓΣ, h. e. CCV. & CCVI. qui additi anno CCCCLXXVI. annum DCLXXX & DCLXXXI. efficiunt. At anno Vrbis DCLXXIX. iam deceſſit Nicomedes tertius, hærede populo Romano ſcripto; vnde ſequentibus annis nulli ei numi cudi potuerunt. Inde in ſua Bi- p. 302. thyniæ regum hiſtoria ab Zipœte, Nicomedis I. patre, epocham dinumeraſſe ſucceſſores ſtatuit, eaque de re ſe infra acturum pollicetur. Quod vero factum ab eo non eſſe in opere, cui ſupremam manum limamque adhibere non potuit, vtique dolendum eſt, maxime cum non pateat, quo pacto æræ illius caput vsque ad Zipœtem eum protrahi poſſit. In ſubjecta quidem Bithyniæ regum hiſtoriæ Bithynia Ro- p. 363. manorum prouincia, idem vir doctus Nicæenſium æram, quæ ab hac non diuerſa, a primo Nicomedis, Zipœtis filii, regni anno, qui incidit in annum Vrbis CCCCLXXIII. arceſſit, adeoque æram ΒΚΣ, h. e. annum CCXXII. ad annum Vrbis DCXCV. refert, quam antea anno Vrbis Fam. Rom. T. II. p. 208. DCXCIX. reſpondere ſibi perſuaſerat. Idem fere æræ Bithynicæ initium adſignat Cl. Haymius, niſi quod vno id anno recentius ſtatuit, ratus, id ab anno vrbis CCCCLXXIV. eſſe repetendum. Quodſi ex duabus his ſententiis alterutra ſeligenda ſit, certius huius æræ principium ſuppeditat, ut arbitror, annus primus regni Nicomedis I. quo aſſumto expreſſa in Nicomedis II. & III. numis æra, qua nititur vir clariſſimus, L. c. æque commode explicatur. Ill. Spanhemius eandem æram altius repetit ab anno CCCCLXVI. ſed cui conciliari non poteſt numus C. V. Cap. VI. §. XXI. Vibii Panſæ cum capite Julii Cæſaris & anno ΕΛΣ, h. e. CCXXXV. qui incideret in annum vrbis DCC, quo Julio Cæſari numos cuſos eſſe nemo dixerit. Minus adhuc reſponderet numus, ſi in eo legeretur ΒΛΣ, h. e. CCXXXII. vt Morellius contendit, qui quidem annus idem eſſet cum DCXCVII. ſtatuendus. Quodſi igitur cum Vaillantio anno Vrbis CCCCLXXIII. æræ huius initium aſſignemus, annus CCVI. in numo noſtro expreſſus ob oculos ponet annum vrbis DCLXXVIII. penultimum regni Nicomedis III, quem anno inſequenti deceſſiſſe conſtat.

§. XXXIV.

De numo Herodis magni, regis Jud. Cabinet de Sainte Geneueue Tab. 22. p. 91. Progrediendum nobis eſt ad Judæorum principes, ex quibus Herodis magni numum, poſt Claudii Molineti, Ill. Spanhemii & celeb. Harduini exhibitam eius delineationem, denuo ære expreſſum ſiſtere non abs re fuerit.

L. c. p. 501, De num. Herod. p. 328. Opp. Sell.

Primo



Primo hic intuitu patet Harduini ectypum, quod ad ſymbola numo impreſſa attinet, longe accuratiorem eſſe Molinetiano & Spanhemiano. Inſcriptionem vero haud ſcio, vtrum Harduinus, an Molinetus & Spanhemius prototypo propiorem attulerit. In noſtro enim neque ΗΡΩΔΟΥ ΕΘΝΑΡΧȣ, vt eſt apud Harduinum, neque ΗΡΩΔΟΥ ΕΘΝΑΡ, prout Molinetus refert, neque ΗΡωΔΟΥ ΕΘΝΑΡΧΟΥ, quemadmodum Spanhemius eam exhibet, ſed clariſſime ΗΡΩδης ΕΘΝΑΡΧΟϹ. Juxta inſcriptionem ſub littera C. cernitur nota ȣ, quam celeberrimus Harduinus pro compendio litterarum ΟΥ agnouit, ſed minus ex vero. Neque enim alias inverſa illa, idque ſeorſim, infra litteras ΕΘΝΑΡΧΟϹ, vt in ectypo Molineti, compareret; & occurrit idem fere ſignum in numo altero ſimili apud Ill. Spanhemium, vbi compendii illius nulla L. c. ſuſpicio relinquitur. ΕΘΝΑΡΧΟϹ autem dicitur Herodes eadem ratione, vt ΦΥΛΑΡΧΟϹ, tametſi vſus apud ſcriptores fert, vt ΕΘΝΑΡΧΗϹ, vnde & Latinorum Ethnarcha fluxit, appelletur. Patet autem hinc, iure & inutilem appellari obſeruationem, & redargui ab Ill. Spanhemio, L. c. p. 527. qua notat Celeb. Harduinus, Herodem priorem vſum eſſe gignendi L. c. Opp. ſell. p. 350. caſu: ΗΡΩΔΟΥ ΕΘΝΑΡΧΟΥ, Herodem alterum recto ΗΡΩΔΗϹ ΤΕΤΡΑΡΧΗϹ. Sed ad ſymbola numi redeo, ubi de vua, quæ aduerſa in parte expreſſa comparet, nulla equidem controuerſia; de ſymbolo auerſæ partis non æque conuenit inter doctos viros. Quæ enim vulgo galea cauda equina ornata creditur, eam lilium Phaſelidis, lilium *conuallium*, de quo diuinus Scriptor, interpretatur celeberrimus Cant. II. 1. Harduinus. Venit eius in mentem viro doctiſſimo, cum legeret apud Plinium: „ Eſt & rubens lilium, quod Græci crinon vocant. Alii Lib. XXI. c. 5. ſect. XI. T. II. p. 237. „ florem eius cynorrhodon. Laudatiſſimum in Antiochia & Laodicea „ Syriæ, mox in Phaſelide. Quartum locum obtinet in Italia naſcens". Sed iure hic mireris primo, cur Phaſelidem hanc illico in Judæa quærat vir doctiſſimus. Quid enim prohibet, quominus Phaſelis Lyciæ, quam alii Pamphyliæ tribuunt, quamque & Plinius ſuo loco attingit, L. II. ſect. 110. T. I. p. 122. intelligi poſſit. Florum namque culturæ eius oppidi incolas operam dediſſe, vel inde patet, quod roſas eius loci Nicander & confectum inde nobiliſſimum vnguentum Appollonius Herophilius celebrat apud Lib. XV. p. 683. & 688. Athenæum. Quæ cum ita ſint, nihil impedit, vt puto, quo minus apud eos prouenire potuerint, quæ laudat Plinius, rubentia lilia optimæ notæ, & digna, quorum poſtea, quæ Antiochiæ & Laodiceæ noſcebantur, mentionem faceret. Taceo Phaſaëlidem quidem, non item Phaſelidem in Judæa ſcriptoribus memorari, ſi vnum Plinium excipias, Lib. X. c. 4. ſect. 9. T. I. p. 685. apud quem tamen litteram *a* in voce hac excidiſſe non ſine ratione ſuſpicatur Cellarius. Geogr. Antiq. Lib. III. c. I. p. 551. Fac tamen, & hoc loco intelligendam eſſe conuallem Judææ, vnde iam porro rubens illius lilium in numo hoc agnoſcere licebit? Neque enim Plinius illud deſcriptum dedit, ſed lilium

 candidum,

candidum, cuius verba non ſatis bona fide ad alterum celeberrimus Harduinus transfert. [L. c.] Ita enim ille: „ Numi aream occupat, non galea, vt quibusdam viſum eſt; ſed flos rubentis lilii, qualis a Plinio „ deſcribitur libro XXI. ſect. XI. *Foris ſtriati & ab anguſtiis in* „ *latitudinem paulatim ſeſe laxantis effigie calathi, reliqua*". At hæc & reliqua de lilio vulgari narrat Plinius. „ Candor eius, inquit, eximius, foris ſtriati, & ab anguſtiis in latitudinem paulatim ſeſe „ laxantis effigie calathi, reſupinis per ambitum labris, tenuique filo „ & ſemine, ſtantibus in medio crocis". Veruntamen hanc deſcriptionem etiam in rubens lilium quadrare inquiet vir eruditiſſimus. Ponamus quadrare vel maxime, quæ vero conuenientia illi & figuræ in numo expreſſæ? Cernitur ſane quiddam in medio numo, ſpecie calathi ab anguſtiis in latitudinem paulatim ſeſe laxantis; ſed quo pertinere vir clariſſimus dicet duos apices prominentes, quos certe ſtamina cum ſeminibus, quæ in liliis folia vix ſupergrediuntur, interpretari non licet, quo ſtrias, quas inter media illa figura lilii collocata eſt? Longe igitur veroſimilius, galeam eſſe expreſſam, quales in Macedoniæ regum numis occurrunt, cuiusmodi e penu ſua vulgauit Cl. Wilde. [Sel. Numiſ. Tab. III. Conf. p. 26. ſq.]

§. XXXV.

De numis Iudææ cum Imperatorum Romanorum nominibus.

Herodi magno in Iudæa ſucceſſit Archelaus, filius, quo in exilium miſſo, & Iudæa in prouinciæ Romanæ formam redacta, Imperatorum Romanorum nomen duntaxat Iudæorum numis inſculpi cœpit, cuius generis eſt ille, quem ex theſauro Mauroceni laudat Cl. Harduinus [L. c. p. 332.] atque ita ad annum LVIII. æræ Chriſtianæ deſcribit: „ ΝΕΡΩΝΟΣ „ in corona.][ΚΑΙΣΑΡΟΣ L. E. Annus quintus Neronis. Spica „ Iudææ ſymbolum". Eum ipſum cum theſaurus noſter ſeruet, liceat delineationem eius oculis ſubiicere.



Vox ΝΕΡΩΝΟΣ tribus verſibus ſcripta eſt hoc modo: ΝΕΡ ΩΝΟ C littera vltima c nempe iacente, quo ſitu & in epigraphe alterius partis comparet, vbi legitur ΚΑΙϹΑΡΟϹ L. E. Patet autem ex eadem delineatione, palmæ ramum potius, quam ſpicam eſſe figuram in altera numi parte expreſſam. Similis & in Herodis tetrarchæ numis occurrit, & Iudæam, ceu proprium eius ſymbolum, de quo fuſe Ill. Spanhemius [L. c. T. I. p. 350.] denotat. Frequentes tamen & ſpicæ in his Iudæorum numis, vt & in ſequenti, qui ad eandem fortaſſe claſſem cum ſuperiori illo pertinet, ac, niſi omnia me fallunt, adhuc antiquariorum diligentiam fugit.

Minus



Minus integrum eum dare licet, vtpote quem temporis iniuria haud parum corrupit. Clare tamen extant tres ſpicæ, cum litteris . . . CAP. quod eſt fortaſſe: ΚΑΙCΑΡΕΩΝ h. e. *Cæſarienſium in Palæſtina*, quorum numum Neroni cuſum faſciculum quatuor ariſtarum præferre Cl. Vaillantius docet. Sed quid auerſa in pagina expreſſum ſit, nemo facile diuinando aſſequatur. Nonnihil equidem ſimilitudinis illi intercedit cum Spanhemiano numo Herodis, Chalcidenſium, vt ille putat, regis, in quo ex ſententia quorundam apex Pontificalis expreſſus cernitur. Sed nec viro illuſtri opinio hæc ſeſe probat ſatis, nec, etiamſi minus dubia ſit, transferri ad typum figuræ præſentis, multum vtique diuerſæ, poteſt. Alio igitur & minus detrito huius numi exemplo opus eſt, aut certe feliciori coniectore, vt in primis pars hæc eius auerſa recte explicetur, cuius ceteroqui inſcriptio non magis integra: . . . . ΚΑΙCΑΡΟC I. Græc. Num. p. 16. L. c. p. 522.

§. XXXVI.

His ſubiungo Agrippæ iunioris numum, notum illum quidem antiquariis, ſed cuius tamen delineatio, quod ſciam, adhuc extat nulla, qua integer omni ex parte reddatur. *De numo Agrippæ iunioris.*



Eundem ære expreſſum dedere præter Carol. Bouterouium, Spanhemius, Molinetus, Wildius, & nouiſſime Cl. Piouenius. Sed Spanhemius in iteratis licet aliquoties ectypis illius æram omiſit, tametſi eius veſtigia in primo eorum, ex reginæ Chriſtianæ theſauro depromto, exhibet nouiſſima editio Londinenſis, quæ nulla omnino deprehenduntur in præcedenti Amſtelodamenſi. Molinetus exhibuit eandem, ſed ita deformatam, vt nec ipſe nec alii ſatis agnoſcere potuerint, quanquam & agnita parum fortaſſe profuiſſet viro bono; qui in alio eiusdem Agrippæ numo, cuius in auerſa duplex cornucopiæ cum inſcriptione: ΒΑ. ΑΓΡΙΠΠΑ ΕΤΟ. ΚΖ. eandem, quantumvis clariſſime expreſſam, in explicatione ſubiuncta ne verbo quidem commemorat. In Wildii delineatione iuxta cum æra vox ΒΑΣΙΛΕΩΣ deſideratur. Recherche des Monn. de France. p. 30. L. c. T. I. p. 528. 530. L. c. Tab. 22. p. 91. Sell. Numiſm. p. 42. Muſeo Farneſ. T. IX. Tab. 6. n. 18. p. 186. Tab. 7. n. 1. p. 195. L. c. p. 92.

ratur. Cl. Piouenius æram exhibuit, ſed notam L ex oppoſita parte prætermiſit, quam tamen gemini apud eundem numi delineatio repræſentat. In Agrippæ huius numis duplex æra occurrit, altera plurium fere annorum hoc modo expreſſa: ETO. ΚΔ. Κϛ. ΚΖ, altera pauciorum hoc modo: LE. Lϛ. LΘ. cuiusmodi in præſenti numo. Priori imperium eius militare in Palæſtina, poſteriori idem in Iudæa
L. c. p. 333. denotari contendit celeberrimus Harduinus. Ita enim ille ad numum ſimilem cum epocha LE. „ Annus quintus, ex quo imperium rei „ militaris in Iudæa gerit (Agrippa) quale iam in Palæſtina gerebat". Mirum igitur Cl. Piouenium, qui ceteroqui Harduini hac ex parte
L. c. p. 186. ſententiam preſſo pede ſequitur, in alia hic omnia abire, ac ſtatuere, annos Domitiani hac epocha notari. Ac certe ſi alterutra ex his ſententia amplectenda ſit, tametſi tutius forte neutri ſubſcribere, priorem poſteriori ducerem longe potiorem. Quis enim perſuaderi ſibi patiatur, æram auerſa in parte ſignatam alterius eſſe, quam cuius nomen in aduerſa legitur? Nec vero ita diſſident celeberrimus Harduinus & Piouenius, vt conciliari nulla ratione inter ſe poſſint. Cum enim imperium illud rei militaris Agrippæ in Iudæa a primo imperii a Domitiano ſuſcepti anno repetat Harduinus, ſi rem ipſam ſpectes, tantundem eſt, ſiue dixeris annos imperii militaris Agrippæ in Iudæa æra illa deſignari, ſiue annos imperii Domitiani. Quod ad ſymbola numi attinet, iis duo celeberrima Iudæorum feſta, *tabernaculorum* nempe & *Pentecoſtes* deſignari, præeunte ex parte Sam. Bocharto,
L. c. Ill. Spanhemius contendit, quem ſequitur Molinetus & Wildius. Sed
L. c. L. c. p. 333. p. 350. puerilem hanc ſententiam appellat celeberrimus Harduinus, ratus, ſpicas eſſe vbertatis Iudaicæ ſymbolum, tabernaculum vel tentorium potius eo pertinere, „ vt ſignificetur, Iudæam ab Agrippa rege non regio „ iure, aut poteſtate adminiſtratam, ſed tantum Rectoris ſiue Im„ peratoris titulo, h. e. ducis copiarum Romanarum in illo imperii „ limite conſtitutarum: Eſſe enim Imperatoris, adſignare, vbi „ tentoria ponenda, caſtra locanda, quoue transferenda ſint: Hinc „ vnam eandemque aream regis nomen exhibere & tentorium". Re-
L. c. p. 530. ſq. ſpondit his Spanhemius, ſuamque ſententiam, quod ad partem eius priorem de tabernaculorum feſto attinet, nouis rationibus muniuit. Neutra forte ſententia difficultate ſua deſtituitur; de feſtis tamen his Iudæorum, deque propenſo Agrippæ animo in cultum Iudaicum cum ſatis aliunde conſtet, de imperio autem eius militari non item, Harduini ſaltem ſententia Spanhemianam longe veriſimiliorem, ſaluis tamen aliorum ſententiis, vtique crediderim.

§. XXXVII.

De numo Simonis litteris Samaritanis inſcripto. Eſſet hic fortaſſe locus de antiquioribus, qui venditantur, Iudæorum numis promendi quædam, quando & illorum haud paucos theſaurus noſter complectitur. Eius generis ſunt, quos ex Talmudi-
L. c. p. 10. cis, aliisque Recutitorum magiſtris Ill. Spanhemius, hinc cum Abra-
V. Fabric. Cod. Pſeudop. V. T. p. 414. hamo & Sara, ſeu ſenis & vetulæ effigie, illinc cum Iſaaco & Rebecca ſub forma iuuenis & adoleſcentulæ ſignatos deſcribit, in quibus tamen, vt notum, effigies nulla occurrit, ſed litteræ initiales א & ש, Abrahami

Abrahami & Saræ; י & ר Iſaaci & Rebeccæ, quorum illi זקן וזקנה h. e. *ſenex & vetula*, hi בחור ובתולה h. e. *iuuenis & adoleſcentula* appellantur. Non diſſimiles, qui altera ex parte iuncta Dauidis & Salomonis nomina, & ex altera *templi porticum*, ſeu, vt alii contendunt, *portam piſcatoriam* præferunt, quibus accedit egregius ille ſcilicet Salomonis cum radiato capite, a M. Antonii, id quod Vilalpandus iam monuit, vultu haud alieno, cuius auerſa pars regiam Salomonis oſtentat. Huc ſpectant & ſicli argentei, hinc virgam Aaronis ramumue oleæ, illinc vrnam cum Manna, ſeu thuribulum cum inſcriptione: *Sekel Iſchrael & Hieruſchalaim hakkedoſcha* exhibentes, & tam Samaritanis, quam Aſſyriacis litteris ſignati, quorum haud vnos reperient apud nos, qui illuſtrem de antiquitate litterarum, quibus ſcriptus eſt ſacer codex, controuerſiam, exemplo magnorum virorum, ex his monimentis dirimi poſſe ſibi perſuaſerint. Sed quando omnia hæc, ſi fatendum quod res eſt, fraudis manifeſtæ notas præ ſe ferunt, vitio nemo vertet, ſi chartam tempusque maioris, quam vt vberiori eorum deſcriptione perdatur, pretii duxerim. Longe iis præferendi numi ex ære cum Samaritanis litteris, ſive minimi illi cum vitis folio & calice indicioque anni liberationis, ſiue maiores paulo, quibus Simon, Ionathæ frater, conceſſo ſibi ab Antiocho VII. qui Sidetes vulgo appellatur, iure propria nota monetam cudendi vſus nomen inſcripſit. Dudum vulgatis ſequentem addas licet.

Id. Fabr. 4. c.

Maccab. XV. 6.



Symbola, quæ pagina ſiue aduerſa ſiue auerſa complectitur, dudum in ſimili numo eruditiſſime explicauit Ill. Spanhemius. Cernitur nempe in altera Palma eaque Caryota, vnde fructus, perrari illi, & niſi ingenti pretio non venales gentilibus apud Iudæos, Caryotides, Nucales, & Nicolai dictæ, fruſtra hos Iſiodoro diuerſos ſtatuente, dependent: In altera, eodem Spanhemio iudice, planta Balſami, qua, æque ac palmis, Iudæa ſcriptoribus celebratur. „ Omnibus „ odoribus, inquit, Plinius ex Theophraſto, præfertur balſamum „ vni terrarum Iudææ conceſſum, quondam in duobus tantum hor„ tis, vtroque regio, altero iugerum XX. non amplius, altero pau„ ciorum". Fateor tamen, ſi quis hic vitis folium perinde atque in minoribus illis numis ſub eodem Simone cuſis, quocum ectypos ex gaza Pembrocienſi affert Ill. Spanhemius, quam balſamum, cuius folium, Plinio teſte, proximum rutæ, agnoſcere malit, me ei magnopere haud repugnaturum. Sed ad inſcriptionem pergo, de qua in ſuo, forte minus integro, hac ex parte ne γρῦ quidem vir ſummus toties laudatus. In præſenti iuxta plantam Balſami aut folium vitis litteræ ſequentes manifeſte expreſſæ cernuntur: W↓‡qɘ Wqɘ, & circa palmam:

L. c. p. 354. ſeq.

Orig. lib. XVII. c. 7.

Lib. XII. c. 25. ſect. 54. T. I. p. 672.

p. 67.

L. c.

palmam: ϛ+Oɰ ɯ. Poſteriori in voce nomen τȣ̃ שמעון h. e. *Simonis* ſponte ſe prodit. Sed quo pacto priora illa legenda ſint, non æque expeditum. Tres equidem priores litteræ Hebraicæ voci חרש, quod ſignificat *inſculpſit, impreſſit*, haud dubie reſpondent. Sed quænam ſequens littera ʒ? An quinta alphabeti, quæ vulgo ita expreſſa cernitur: ʒ, ſuperiori lineola mulctata? cuius tamen figuræ exemplum in alphabeto Samaritanorum & Phœnicum apud Ill. Spanhemium deſideratur. Si ita res habeat, vt habere eam crediderim, non alia vox efficietur, niſi הראוש poſita pro נשיא, ſenſusque inſcriptionis ex vtraque numi parte coniunctim erit: *Impreſſit, inſculpſit princeps ille caputque populi ſui Simeon.*

§. XXXVIII.

De eodem numo plura.

Sed huic interpretationi, vtcunque litterarum Samaritanarum, quas numus exhibet, figuris ita conſonæ, vt vix alia ex iis ſententia extundi poſſit, haud vna obſtant, quo minus admitti vndiquaque poſſe videatur. Primo enim quæras, quid vox חרש ſibi velit, vtpote & ab his monumentis aliena, & ſuperflua, cum ipſum Simonis nomen ſatis declaret, auſpiciis eius numum hunc eſſe ſculptum. Deinde in aliis Samaritanorum numis Simon נשיא fere appellatur, non item ראש, vt, admiſſa hac interpretatione, in præſenti. Poſtremo littera ו, quæ vocalis partes gerit in voce הראש, litteræ א, cui præmittenda erat, contra quam vſus hodie fert, poſtponitur. Qua de re cum ſumme Reuerendum CHRISTIANVM FRIDERICVM BOERNERVM, Theologiæ Doctorem Profeſſoremque primarium Academiæ Lipſienſis, virum vt omnis doctrinæ, ita & litterarum, quibus ab oriente nomen eſt, laude florentiſſimum, conſulerem, in hanc ille mihi ſententiam pro ſumma, quæ propria ei ac perpetua eſt, humanitate reſpondit: „ Accepi literas tuas amiciſſimas, quibus „ meam de numo quodam, Samaritanis literis inſcripto, qui in Sereniſſimi Saxonum Ducis, FRIDERICI, gaza aſſeruatur, ſententiam rogas. Vellem ego, harum literarum ita eſſem peritus, vt „ expectationi tuæ prorſus ſatisfacere poſſem. Equidem transmiſſum „ ectypum diligenter inſpexi, & literarum figuras cum characteribus, „ qui in Hebræorum numis conſpiciuntur, Samaritanis comparaui, „ itemque in conſilium adhibui ſcriptores, qui huius generis numos „ enarrare inſtituerunt, omni tamen adhibita diligentia, non melius, quam abs te factum eſt, numum illum explicari, imo nec „ aliter inſcriptionem eius legi atque intelligi poſſe, animaduerti. Quapropter etiam ea, quæ ſcrupulum tibi iniecerunt, tanti non eſſe „ arbitror, vt explanationem tuam labefactare queant. Nam quod „ ad primum attinet, vocabulum חרש, quamuis inſolita illud in veterum numis ratione adhibitum pariter, atque ſuperuacaneum eſſe „ videatur, ſufficit tamen, id ipſum in rariſſimo hoc legi numo, „ nec ſine cauſa additum exiſtimauerim, ſiquidem monetæ cudendæ ius Simoni peculiari modo datum confirmatumque fuiſſe conſtat. Vocem ראש συνωνυμικῶς ἀντὶ τȣ̃ נשיא ſæpe multumque vſurpari, certum eſt, neque adeo dubitandum, quin hic etiam הראש

„ eandem

„ eandem habeat ſignificationem, niſi forte ſubaudiendum ſit הַכֹּהֵן,
„ quod τῷ הראש præmiſſum legitur II. Paralip. XXXI. 10, quæ
„ tamen ſententia minus eſt probabilis. Quod autem in illa ipſa
„ voce, littera ו, vocalis vicem ſuſtinens, alieno loco, poſt literam
„ videlicet א, cui præmittenda fuerat, poſita exhibetur, id quidem
„ ſculptoris vel inſcitiæ, vel negligentiæ eſt tribuendum. Habes meum
„ ad quæſita reſponſum. Id boni, velim conſulas, meque amare per-
„ gas. Vale. Dab. Lipſiæ. d. IX. Cal. Mart. CIↃIↃCCXXVII.

§. XXXIX.

Neque vero reges iam Numidiæ Mauritaniæque prorſus tacendi nobis, ex quibus Iubæ iunioris numum, a Patino ad Suetonium delineatum, vbi in auerſa parte Victoria cum corona, pede calcans caput elephantis, & P. XXXII. recte quidem corrigit Cl. Harduinus, quod ad litteram P attinet, cum ſit omnino R, vt numi eius exemplum, quod e gazæ noſtræ prototypo expreſſum ſubiicio, luculenter docet. *De numo Iubæ iunioris, regis Mauritaniæ.* p. 220. De num. vrb. & pop. p. 103.



Sed quod numeri notis XXXII. ſubſtituendos alios coniectat, nempe XXXX, vel XXXXV, vel XXXVI. in eo ingenio plus vtique, quam pareſt, indulget. p. 112. Quocunque enim illæ tandem pertineant, ſiue ad annos regni indicandos, id quod in priori præclari operis editione ſtatuerat vir doctus, ſiue prout in poſteriori eiusdem libri editione lectoribus perſuadere conatur, ad vectigal mercatoribus Narbonenſibus remiſſum, certum eſt, legi R XXXII. ita, vt Patini delineatio habet; adeo, vt ſuperſedere potuiſſet vir celeberrimus correctione, qua ſcripturam numi perperam omnino interpolat. Ceterum ſi ex duabus his ſententiis de numero in his numis expreſſo, alterutra ſeligenda ſit, priorem poſteriori, tametſi alias δευτέραι φροντίδες σοφώτεραι, omnio anteferrem. Annos enim regni ab his regibus ſignari tanto mihi veroſimilius fit, quod id aliis in numis ſolenne, cum illa de remiſſis mercatorum, eorumque Narbonenſium vectigalibus opinio vno viri celeberrimi ingenio, in comminiſcendis paradoxis admodum fœcundo, nitatur. Monuit equidem Ill. Spanhemius quo minus anni regni intelligi poſſint hoc numero, obſtare Iubæ ſenioris numos L. c. p. 542. cum litteris: XX, XXX, imo & XXXX. At a dato huic Iubæ a Pompeio, a cuius partibus contra Cæſarem ſtabat, regis titulo, ad interitum eius octo demum annos effluxiſſe; eamque ob cauſam & Begero hanc explicationem annis regni Iubæ ſuſpectam eſſe viſam. Sed de Begero quod affirmat, id quo iure affirmet, non intelligo: nam T. I. p. 304.

fingit ille quidem Archæophilum ſuum varios de ea ſententia ſcrupulos ſerentem, ſed quibus ipſe, perſona Dulodori pro more asſumta, ita occurrit, vt prorſus ei ſubſcribere videatur. Quod porro ad numos Iubæ ſenioris cum numero: XX, XXX, imo & XXXX prouocat, mirum eſt, tales commemorare virum illuſtrem, vbi ei de Iubæ iunioris numis ſermo, ac mentionem eorum, vbi ex inſtituto de iis agit, nullam facere. Neque in delineationibus numorum eius, quos exhibet vir illuſtris, veſtigia vlla numerorum deprehendas. Duo nempe adhuc noti, quos & recenſet Cl. Harduinus, alter cum equo auerſa in parte, ſed absque inſcriptione, alter cum templo & litteris Punicis, quibus numeros adiectos eſſe, ex Spanhemii non magis quam ex Patini & Sponii icone illius ſuſpicere. Fatendum eſt tamen, in ipſo numo, prout in gaza noſtra reperitur, atque a Begero vulgatus proſtat, ductus litterarum, qui ad numerum XX. proxime accedunt, vna cum figura Я, quæ R inuerſum videri poſſit, expreſſos cerni; ſed in Punica numi inſcriptione numeros Latinos locum tenere, nemo facile patietur, vt puto, ſibi perſuaderi.

De num. Urb. & pop. Opp. ſell. p. 102.

Ad Suet. Calig 26. p. 220. Miſcell. p. 146.

§. XL.

De numo Ptolemæi, Iubæ iun. filii.

Ad Ptolemæum pergo, Iubæ iunioris filium, cuius numum ſequentem nemo, quod ſciam, adhuc vulgauit.



Auerſa pars caput Ptolemæi diademate cinctum exhibet, cum litteris REX PTOLEMAEVS. Auerſa pars eadem ferme eſt, quæ in Iubæ parentis numo occurrit. In ea enim capricornus temonem dextro pede tenens: in dorſo cornucopiæ Inſcriptio: RAX. Capricornum in honorem Augusti, a patre Iuba, illius cliente, & multis ei nominibus deuincto, ſignatum Ill. Spanhemius obſeruat. Parentis exemplo, mortuo quantumuis Augusto, ſymbolo eodem vtitur filius Ptolemæus. Equidem non ignoro, a Cl. Harduino, qui capricornum ſymbolum vbertatis annonæ terra marique procuratæ ſtatuit, hanc interpretationem rurſus appellari puerilem. Sed, quod pace eius dixerim, nihil tanto viro puerile excidit, cuius ingenii monumenta, quæ doctiſſimi quique & legunt & magni faciunt, nihil immaturi, & quod tam ſeueram mereatur cenſuram, complectuntur. Neque vero locus hic eſt denuo de capricorno eiusue ſignificatu multa afferendi, de quo ſupra pluribus egiſſe me lectores recordabuntur. Infra capricornum eſt: RAX. vbi littera A non caret transuerſa lineola, prout Cl. Harduinus contendit, qui litteram hic agnoſcit Græcam Λ, eaque numerum XXX. expreſſum ſtatuit. Vnde & idem dicam ſcribit Ill. Span-

L. c. p. 542.

Num. Vrb. & pop. p. 103.

C. III. §. 5. 6.

Spanhemio, qui in Ptolemæi numo e theſauro regio Gallorum depromto ediderit RAI pro RAI, imo Torrentium in Suetonium erroris craſſi- L. c. p. 541. oris accuſat, legentem RAX. Non equidem mirum, in bonum præſulem paulo vehementius inuehi virum clariſſimum, quando eius lectio omnem illius coniecturam ſubruit. Nam RAI ex Harduini ſententia eſt: *Remiſſa triceſimæ indictio*; at ſi pro I legas X, actum eſt de indictione triceſimæ, quam remiſſam ex hoc numo ſtatuit vir celeberrimus. Sed vero iniuriam Torrentio fieri, neque Λ in his numis, ſed A quærendum eſſe, numus præſens clariſſime docet, in quo manifeſte RAX. Eas litteras in alio huius Ptolemæi numo Ill. Spanhemius ſine L. c. p. 543. hæſitatione interpretatur: *Regni Anno* X. h. e. decimo, qui tamen, vt ſupra vidimus, numis Iubæ ſenioris adductus, an numeri in his regum Mauritaniæ numis annos regni deſignent, paulo ante dubitarat.

§. XLI.

Vicini iam Siciliæ de vetuſtiſſimo rege, Gelone, pauca vberioris *De numis Gelonis, regis Siciliæ.* illuſtrationis cauſa afferre liceat. Singulares huius regis numos extare, affirmat Ill. Spanhemius, quibus, regis loco, *Syracuſius* tantum, L. c. p. 548. quod nempe tum in ea vrbe regnaret, inſcribatur: ΣΥΡΑΚΟΣΙΟΥ ΓΕΛΩΝΟΣ. Ad quorum dilucidationem poſtquam titulum currus ærei, ab Gelone inter monimenta Hieronicarum Olympica dedicati, ex Pauſania commemoraſſet, quo is *Gelous* dicitur, addit: „ Illud „ haud ita forte liquidum, cur in celebranda id genus curuli in „ Olympiis huius Gelonis victoria, in dono Olympiam eam in rem „ miſſo *Gelous*, quæ naturalis erat eius patria; in numis vero ſimilis „ victoriæ indicibus Syracuſanus ille ſit inſcriptus. Id vero inde fa- „ ctum mihi videtur, quod numi ſupra adducti cum inſcriptione: „ ΓΕΛΩΝΟΣ ΣΥΡΑΚΟΣΙΟΥ, *Gelonis Syracuſani*, ſint Syracuſis & „ ab ipſis Syracuſanis percuſſi; currus vero ille æreus, in quo idem „ Gelo, non ΣΥΡΑΚΟΣΙΟΣ, vbi tum regnabat, ſed ΓΕΛΩΟΣ, *Ge-* „ *lous*, a naturali eius patria inſcribitur, qui extra Siciliam, & qui- „ dem in Elidem, ibi nempe conſecrandus, mitteretur, ad memori- „ am relatæ ab eo in Olympiacis ludis victoriæ". Sed aut vehementer ego fallor, aut fruſtra laborat vir ſummus in explicando cognomine *Syracuſii* Geloni, vt arbitratur, dato. Nam tametſi & Cl. Hardui- L. c. p. 153. nus inſcriptiones horum numorum easdem tradit: ΓΕΛΩΝΟΣ ΣΥΡΑ- ΚΟΣΙΟΥ, & ΣΥΡΑΚΟΣΙΟΥ ΓΕΛΩΝΟΣ, vitioſas nempe ea ex par- Sicil. Tab. XIII. te Goltzii & Parutæ delineationes, perinde vt Spanhemius, ſecutus, Sicil. Tab. XC. ita tamen re ipſa non legi, ſed ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ ΓΕΛΩΝΟΣ & ΓΕΛΩ- ΝΟΣ ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ, eiusdem Parutæ commentarii numis adiecti p. 66. ſq. luculenter docent. Conficiunt rem numi duo gazæ noſtræ, quorum hic delineationes adiicimus, vt vitium earum, quas Paruta dedit, clarius appareat.



Cernitur hinc caput Gelonis diademate cinctum, illinc in altero numo Victoria, in quadrigis, cum litteris clarissime extantibus: ΣΥΡΑΚΟΣΙΟΙ ΑΦ, ad latus ΒΑ, & infra ΓΕΛΩΝΟΣ, in altero aquila fulmini insistens, cum inscriptione simili: ΣΥΡΑΚΟΣΙΟΙ ΓΕΛΩΝΟΣ, & circa aquilam Α, littera Β forte ad latus sinistrum detrita, quod interpretor: *Syracusani Gelone rege*, quo pacto inane iam sit, quærere, quî nomen *Syracusani* in Gelonem quadret, quod numi ei haud quaquam tribuunt. Non ignoro, hos ipsos numos, ob concessum Geloni regis titu- L. c. p. 154. lum, crucem figere Cl. Harduino; sed cum probatissimæ sint notæ, quos gaza nostra seruat, cauebunt sibi, tanti viri exemplo, harum litterarum studiosi, ne νοθείας huius generis monumenta temere insimulent, sibiue excidere patiantur generalia nimis effata, quæ singularibus exemplis non vnis postea oppugnari possint.



CAPVT



CAPVT V.

DE NVMIS POPVLORVM ET VRBIVM.

§. I. *De numis populorum & vrbium in genere.*

§. II. *Index numorum huius classis.*

§. III. *De numo cum inscr.* ACINIPO.

§. IV. *De numo* ΑΊΤΝΑΙΩΝ.

§. V. *De numo* ΑΙΤΩΛΩΝ.

§. VI. *De numo Amisenorum cum capite Jouis Sinopensis.*

§. VII. *De numo incolarum* ΑΜΦΑΞΙτιδ☉.

§. VIII. *De numis duobus* ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΕΝ ΠΤΟΛΕΜΑΙΔΙ. *Quinam Antiocheni in Ptolemaide sint, disquiritur.*

§. IX. *Eiusdem argumenti continuatio.*

§. X. *De numo* ΑΝΤΙΣσαίων *cum capite Sapphus.*

§. XI. *De numo* FΑΞΙΩΝ.

§. XII. *De numo* ΑΡΑΔΙΩΝ *cum litteris :* ΙΕ ΕΑ.

§. XIII. *De numo Hispanicæ* AVSAE.

§. XIV. *De numo* ΒΗΤΗΡΡΑτων.

§. XV. *De numo Berytensium cum æra* LKΓN.

§. XVI. *De numis Carbulæ & Cordubæ.*

§. XVII. *De numo* ΕΛΕΥΘΕΡΝΑΙΩΝ, *quem Thernæis tribuit Nonnius.*

§. XVIII. *De numis cum litteris* ΕΡΥ. *clauam Herculis & pharetram exhibentibus.*

§. XIX. *Iidem ad Erycinos Siciliæ reuocantur. Eryx & Eryce distinctæ vrbes a*

§. I.

De numis populorum & vrbium in genere.

PEruentum iam ad eam classem numorum est, quæ varietate sua & copia animos monimentorum veteris æui studiosos cumprimis trahit, & voluptate prorsus incredibili perfundit. Tot enim populos, tot regiones atque vrbes ex tribus orbis partibus, quæ olim notæ, Europa, Asia, atque Africa, hodie partim deletas prorsus, partim mutatas antiquorum numorum ope velut rediuiuas atque etiamnum superstites spectare, earumque vera nomina, situm, origines, dignitatem, iura, religionem, ritus, magistratus, atque alia vno velut obtutu nosse, penitiusque adeo, quam egregie, quæ scriptores de iis tradidere, modo confirmentur, modo suppleantur, intelligere, non mediocrem profecto pariat oblectationem necesse est. De nostra quidem supellectile quid polliceri sibi possint, qui simili spectaculo ducuntur, non iactabo multis; si quis tamen peregrinari domi &, hoc, numorum, indicio præeunte, noti quondam orbis terrarum partes obire animo & cogitatione voluerit, ei latissimus sese hic aperiet

aperiet campus excurrendi quoquouerſus, mentemque voluptate haud inani paſcendi. Poterit is Roma, digna ſane vrbe, præſertim ſi ex veteri ſua magnitudine & flore ſpectetur, vnde peregrinationis huius initium faciamus, Latioque luſtrato, transire in magnam Græciam, atque inde in Siciliam transmittere, tum iter pergere in Græciam vicinasque regiones, Macedoniam, Thraciam, Daciam, Pannoniam, Illyriam, inſulisque Græciæ in transcurſu ſalutatis, Aſiam petere, perque Syriæ & Judææ terras contendere in Ægyptum, totaque inde ora Africæ luſtrata redire in Europam, Hiſpaniam Galliamque ut ſpectet, quo facto per ſuperiores Italiæ partes, Romam denuo delatus vrbem hanc, cum ceteris, quas perluſtrauit, contendere poterit, atque hinc demum intelligere, quam vere ea caput orbis terrarum appelletur. Tam longinqui, tametſi iucundiſſimi, itineris vel ducem vel comitem me præbere nec libet, nec ſi libeat, niſi inſtituti huius, quod brevitatem imperat, immemor, poſſim. Satis erit nunc qualiscunque excurſio in eas potiſſimum vrbes populosue, quibus nouam ex gazæ noſtræ cimeliis lucem videbor poſſe mutuari.

§. II.

Præmittendus vero eſt index populorum atque vrbium, quarum nummi, modo plures modo pauciores, in loculis noſtris asſeruantur, in quibus, vt non vna adhuc deſint, poſthac opportunitate data ſupplenda, nihilominus plura notatu admodum digna & perrara inueniuntur. *Index Numorum.*

Αδριανοϖολιτων.
Acinipo.
Aegyptus.
Aelia Capitolina.
Africa.
Αθηναιων.
Αιγαιεων.
Αιγιεων.
Αιζανιτων.
Αιτναιων.
Ακαρνανων.
Ακραγαντινων.
Alamannia.
Alexandria.
Αμαϛριανων
Αμισȣ.
Αμφαξιτων.
Αμφιϖολιτων.
Αναφλυϛιων.
Ανεμȣριεων.
Ανκυρας.
Αντιοχεων Μητρ.
Αντιοχεων εν Πτολεμαϊδι.
Antium.
Αγχιαλεων.
Αξιων.
Αϖαμεων.
Αϖειρωταν.
Απολλωνιατων Epiri.
Arabia.
Αραδιων.
Αργειων.
Armenia.
Aſia.
Ασκαλωνιτων.
Auſa.
Αχαιων.
Βηρυτιων.
Βηταρρατων.
Biate.
Βιζυηνων.
Bilbilis.
Bithynia.
Βρετιων.
Britannia.
Βυζαντιων.
Cabellio.
Cæſar Auguſta.

Cæſarea

Cæſarea Palæſtinæ.
Calaguris.
Caleno.
Cappadocia.
Carbula.
Caſcantum.
Carthago.
Carthago noua.
Clunia.
Copia.
Corduba.
Corinthus.
Dacia.
Dalmatia.
Δαμασκηνων.
Δυρραχηνων.
Εγεϛαιων.
Εδεσσαιων vel Εδεσσηνων.
Ελευθερναιων.
Ελαιȣσιων.
Emerita.
Emporiæ.
Ερετριεων.
Ερυκινων.
Ευβοιεων.
Εφεσιων.
Fαλειων.
Fαξιων.
Γαζα.
Gallia.
Γελας.
Germania.
Γορτυνιων.
Ζευγματεων.
Ζακυνθȣ.
Ηρακληϊων.
Ηρακλειας εν Ποντω.
Ηρακλεα Trachin.
Hiſpania.
Θασιων.
Θεσπιεων.
Θεσσαλονικεων.
Θηβαιων.
Θȣριων.
Θυατειρηνων.
Ιαιτινων.
Ιεραπυτνιων.
Ιȣλιεων των και Λαοδικ.
Ιϛιαιων.
Ιϛριηνων.
Italica.
Ιτανιων.
Iudæa.
Καισαρειας Γερμανικης.
Καπιτωλιεων.
Καρρηνων.
Karthago vel Carthago.
Καταναιων.
Καυλωνιαταν.
Κεντοριπινων.
Κεφαλλήνων.
Κεφαλοιδισιων.
Κιανων.
Κιλικων.
Κλαρος.
Κνιδιων.
Κνωσιων.
Κορκυραιων.
Κοσων.
Κρανιων.
Κρητων.
Κρητιεων Φλαȣιοπ.
Κροτωνιαταν.
Κυδαιων.
Κυδωνιαταν.
Κυζικηνων.
Κυμαιων.
Κυπριων.
Κυραναιων.
Κωιων.
Lælia Bæticæ.
Λακεδαιμονιων.
Λαοδικεων.
Λαπιθων.
Λαρισαιων.
Λεοντινων.
Λεσβιων.
Λευκαδιων.
Λημνιων.
Λοκρων Οζολων.
- - - Επικνεμιδιων.
Lugdunum.
Λυττιων.
Μαγνητων ad Mæandr.
- - - ad Sipylum.
Μακεδονων.
Μακροκεφαλεων.
Μαμερτινων.
Μαρκιανοπολιτων.

Μαρωνιτων.
Μασσαλιητων.
Mauretania.
Μελιταιων.
Μενανινων.
Μεσαμβριανων.
Meſopotamia.
Μεσσανων.
Μεταποντιων.
Μηλιων.
Μητροπολιτων Phryg.
Μηθυμναιων.
Ναξιων.
Neapolis Italiæ.
Neapolis Samariæ.
Nemauſus.
Νικαιεων.
Νικομηδεων.
Νικοπολιτων προς Ιστρον.
Νουκεριων.
Νυσαεων Cariæ.
- - - των και Σκυθοπολιτων.
Obulco.
Οινιαδαν.
Ολοντιων.
Oſca.
Oſtia.
Οποντιων.
Pannonia.
Πανορμιταν.
Παριων.
Patræ.
Patricia Col.
Παυταλιωτων.
Πελλα.
Περγαμηνων.
Περινθιων.
Πολυρηνιων.
Πομπηιωπολιτων.
Πραισιων.
Πριαπεων.
Πριηνεων.
Πτολεμαις Pamphyl.
- - - - Phœnic.
Rauenna.
Ρηγινων.
Ρησαινησιων.
Ροδιων.
Roma.
Σαμιων.
Σαρδιανων,
Σεβαστηνων.
Segobriga.
Σελευκεων Πιεριας.
Σελινοντιων.
Σερδων.
Σεριφιων.
Sicilia.
Σιδητων.
Σιδωνιων.
Σκυθοπολιτων, *vide* Νυσαεων.
Σμυρναιων.
Stobenſium.
Στυμφαλιων.
Sueſſano.
Συβαριτων.
Συνναδεων.
Συρακοσιων.
Ταραντινων.
Ταρσου.
Ταυρομενιταν.
Tiano, Teanum.
Τενεδιων.
Τεντηριτων.
Τεριναιων.
Τηιων.
Τημενοθυρεων.
Τηνιων.
Τοπυρου.
Τομεως.
Τριπολιτων.
Troas.
Turiaſo.
Τυρανων.
Τυριων.
Valentia.
Viminacium.
Veliæ.
Vrſone.
Vtica.
Υδιναιων.
Υελητων.
Φαλανναιων.
Φεραιων.
Φιλαδελφεων Lydiæ.
Φιλιπποπολιτων.
Φωκεων.
Χαονιας.
Χαλκιδεων.
Χιων.

§. III.

De numo vrbis Hispanicæ. ACINIPO.

Præmiſſo hoc generali numorum, quibus vrbes populique veteres ſignati in theſauro Fridericiano reperiuntur, indicio, ad ſingularia iam eorum exempla ordine alphabetico promenda atque illuſtranda, pro operis huius inſtituto, pergo. In quibus ſeligendis neque omnino nullam, nec anxiam nimis operam ponendam duxi. Vnde ſi minus omnia aut pleraque ad palatum lectoris fuerint, ſaltim non vna hic reperturos confido æquos harum rerum æſtimatores, quibus ſpectandis expendendisque otii ſui quantulamcunque partem tribuendam putent. Ordior ab numo Hiſpanicæ vrbis antiquis Geographis, ſi ab vno alteroue diſcedas, vix ſatis notæ.



Lib. I. c. 57. p. 180. Num. Vrb. & Pop. p. 6. Opp. Sell. — Lib. II. c. 4. p. 36. Lib. III. Sect. III. c. 1. T. I. p. 139. — L. c. T. I. p. 250.

In altera eius parte vua, in altera duæ ſpicæ, cum inſcriptione ACINIPO. Eiusdem vrbis numum ex Roderici Cari Antiquitatibus Hiſpalenſibus commemorat Cl. Harduinus, ſed quæ ſymbola illius fuerint, tacet. Præfert autem ille hinc caput, Auguſti forte, cum inſcriptione ACINIPO, illinc folium ficus, vt Carus interpretatur. Ptolemæus & Plinius huius vrbis faciunt mentionem: illi ΑΚΕΝΙΠΠΩ, huic ACENIPPO appellatur; neutri ex vero, vt numus hic docet, in quo ACINIPO, vnde & in concilio Illiberitano presbyter eius vrbis *Leo ab* ACINIPO ſubſcripſit, prout obſeruat Carus, tametſi in Collectione Harduiniana Conciliorum *Leo Accinipi* legitur. Sita fuit in Bæturia Celtica, quam generali *Turdetaniæ* nomine comprehendit Strabo. Inſcriptionem Latinam in numo eius, perinde ac vicinarum vrbium, quales Corduba, Lælia, Obulco, Vrſone, ne miremur facit Strabo, qui docet, Turditanos, maxime qui ad Bætin ſunt, plerosque Romanos mores aſſumſiſſe, ac, ne ſermonis quidem vernaculi memores, plerosque factos eſſe Latinos, & colonos accepiſſe Romanos; ita vt parum abſit, quin omnes ſint Romani. Idem alibi Turdetaniam παμφόρον & πολυφόρον, h. e. *omnis generis rerum longe feraciſſimam* appellat, traditque plurimum frumenti & vini inde exportari. Ita vt obſcurum non ſit, quo vua & ſpicæ, quæ in numo noſtro ſculptæ cernuntur, ſpectent. Vua ſimilis occurrit in numis Iuliæ Traductæ, quam Iuliam Ioſam appellat Strabo, de qua earundem partium vrbe poſt alios videndi Noriſius & Vaillantius.

Lib. III. p. 151. — L. c. p. 142. — L. c. p. 140. — Cenotaph. Piſ. diſſ. II. p. 86. ſqq. Numiſm. Colon. T. I. p. 46. 58. ſq.

§. IV.

De numo Aetnaeorum Sicil. Tab. LXXXVI.

Numorum, quos Aetnæi cuderunt, præter vnum Parutam, & ex illo, vt

vt videtur, Holſtenium, nemo fecit mentionem. Nobis totidem, quot ille exhibet, nempe duos, fortuna indulſit, alterum quidem hinc cum Apollinis capite radiante, illinc cum milite armato, cui geminum Paruta attulit, alterum vero illi indictum, cuius hanc addo delineationem. Ad Stephan. p. 18.



Aduerſa pars caput Martis galeatum ſiſtit, auerſa figuram muliebrem dextra haſtam, ſiniſtra cornucopiæ tenentem, cuius a tergo litteræ ΑΙΤΝΑΙΩΝ, *Aetnæorum*, & ante ΕΜ. Stephanus: Ἄιτνα πόλις Σικελίας, ἀπὸ Κατάνης, Ἱέρωνος κτίσμα. Ὁ οἰκήτωρ Αιτναῖος. Ἐκαλεῖτο δὲ πρῶτον Ἴνησον, h. e. *Aetna, vrbs Siciliæ, a Catana Hieronis opus. Incola Aetnæus. Appellabatur prius Ineſſum.* In verbis ἀπὸ Κατάνης quin vel mendum lateat, vel deſit aliquid, vix dubitari poteſt, vnde & ὑπὲρ Κατάνην ſubſtituit Salmaſius, quemadmodum Holſtenius obſeruat. Quod vero Ἱέρωνος κτίσμα Aetnam appellat Stephanus, confirmat cum auctor vitæ Pindari, qui de Hierone: Κτίστης Ἄιτνης ἐγένετο πόλεως, ἀπὸ τοῦ ὄρους αὐτὴν οὕτως ὀνομάσας. h. e. *conditor vrbis Aetnæ fuit a monte eam ita appellando*, tum ipſe Pindarus, qui oden primam Pythiorum Ἱέρωνι Αἰτναίῳ Συρακουσίῳ, inſcribit, ad quæ verba Scholiaſtes: Ὁ Ἱέρων ἄνωθεν Συρακούσιος ἐστί. Τὴν δὲ Κατάνην ἀνακτίσας, ὁμωνύμως τῷ παρακειμένῳ ὄρει Αἴτναν προσηγόρευσε, καὶ Αἰτναῖον ἑαυτὸν κατὰ τοὺς ἀγῶνας νικῶν ἀνεκήρυξεν, h. e. *Hiero ratione maiorum Syracuſanus eſt, Catanam vero nouis colonis replens, eodem nomine cum adiacente monte Aetnam appellauit, & Aetnæum ſe in certaminibus victor renuntiari iuſſit.* Atque inde & idem Hiero Pindaro, eodem in carmine, Αἰτναῖος ξένος, *Aetnæus hoſpes*, alibi autem vrbs νεόκτιστος *recens condita* dicitur, vnde oriundum Chromium plus ſemel idem Lyricorum princeps canit. Fata Aetnæorum vberius explicant Strabo & Diodorus Siculus, docentes, partim e Peloponeſo, partim Syracuſis oriundos, Hieronis auſpiciis, Catanam primo, antiquis incolis orbatam, nouoque Aetnæ nomine appellatam habitaſſe, poſt, Hierone extincto, a veteribus incolis vrbem nomenque antiquum poſtliminio ſibi vindicantibus, expulſos, Ineſſam (Ineſſum vocat Stephanus, Eneſiam Diodorus) petiiſſe, ibique conſediſſe, oppido rurſus Aetnæ nomen imponentes, conditoremque eius iactantes Hieronem. Munitum fuerit oportet, propterea quod Φρούριον, *caſtellum* id alibi appellat Diodorus, qui narrat Syracuſanorum partem ſub initium tyrannidis a Dionyſio arreptæ eo ſe recepiſſe, quos vero oppreſſæ inde patriæ opem ferentes, tyrannique imperium detrectantes, cum nequicquam inuitati domum redire nollent, Dionyſium aggresſum caſtellum ſuæ poteſtati ſubieciſſe, & Campanis, qui Catanam tum habitandam acceperant, perſuaſiſſe, vt eo ſedes ſuas transferrent, διὰ τὸ λίαν εἶναι τὸ Φρούριον ὀχυρὸν, *quod caſtellum eſſet admodum firmum.* Plane vero cœcutiit ad hunc Diodori locum Thomas de Pinedo, qui Dionyſio de Aetnæis tribuere Diodorum, quod Hieroni Strabo, affirmat,

Marginal notes: Voce Αἴτνα. — L. c. — P. 165. Edit. Oxon. — ℣. 123. — Nem. IX. v. 4. — Lib. VI. p. 268. Bibl. Lib. XI. p. 281. — II. c. p. 389. ſq.

mat, cum, quod ad prima Aetnæorum initia attinet, pulchre, vt ex locis ſupra adductis patet, iidem ſcriptores conſpirent, Diodorus autem hic de Aetnæis Ineſſi incolis loquatur, quorum vrbem expugnatam a ſe Dionyſius Campanis Catanæ incolis habitandam conceſſit. Ex his cum pateat, Aetnenſes laudis bellicæ ſtudioſos fuiſſe, mirum non eſt, Martis caput eos in numo ſuo exhibuiſſe. Figura muliebris cum cornucopiæ omnium rerum abundantiam deſignat, qua Aetnæi ob viciniam montis Aetnæ florebant. Docet enim, quem ſupra lau-
L. c. p. 369. daui, Strabo, cinerem Aetnæum, tametſi moleſtum aliquandiu, regioni circumiacenti admodum benigne facere, vtpote ἐυάμπελον καὶ χρηστόκαρπον, hoc eſt, *vini frugumque feracem* reddendo. Quo litteræ EM ſpectent, alii, quibus coniectandi facultas vberior, ſi placet, indagabunt.

§. V.

De numo Aetolorum. Succedit Aetolorum numus, cui ſimilem vulgauit Cl. Wildius,
Select. Num. Tab. IX. p. 8. ſqq. tametſi ille noſtrum magnitudine ſuperat.



Aduerſa in parte caput Palladis galeatum, in auerſa Hercules ſtans dextra clauam, ſiniſtra ſpolia leonis tenens cum epigraphe: ΑΙΤΩΛΩΝ, h. e. *Aetolorum.* Pallas & Hercules vulgaria in numis ſymbola. De iis admodum copioſe, more nempe ſuo, diſſerit ad numum hunc Cl. Wildius, Palladem que perpetuam fuiſſe Græcorum fautricem, ſeptem illuſtribus exemplis in medium allatis, docet. De Hercule etiam plura coaceruat ſolliciteque monet, neque Aegyptium neque Libycum, neque Creticum, neque Romanum, neque Germanum eſſe intelligendum, ſed Thebanum, deque ſingulis, quinam fontes adeundi ſint,
Biblioth. num. p. 115. Edit. Hamb. indicat. Quæ qui legerit, facile aſſentietur Cl. Bandurio cenſenti, *notas omnes ſuas ita eum ſcripſiſſe, vt timuiſſe videatur, ne ſcrinia non ſatis cito exhauriret.* De capite tamen galeato addas licet, id poſſe & ipſius Aetoliæ videri, quemadmodum caput ROMAE galeatum ſæpe in numis Romanorum expreſſum occurrit. Aetoli enim regionem
Phoen. p. 334. ſuam figura mulieris armatæ adumbrarunt, quod docet Pauſanias. Πεποίητο δὲ, inquit, ἀπὸ τῶν Αἰτωλῶν τρόπαιόν τε καὶ γυναικὸς ἄγαλμα ὡπλισμένης, ἡ Αἰτωλία δῆθεν, quod vertit interpres: *Dedicarunt Aetoli tropæum & armatæ mulieris* (Aetolia ſcilicet ea eſt) *ſimulacrum.* De Hercule recte meminit Cl. Wildius certaminis cum Acheloo, Aetoliæ amne, qui eam ab Acarnania ſeparat. At nec tacendum erat facinus illuſtre, ad Euenum, alterum Aetoliæ fluuium, qui Aetoliam veterem & Epictetum ſeparat. Nam ὁ Νέσσος ἐνταῦθα λέγεται πορθμεὺς ἀποδεδειγμένος, ὑφ' Ἡρακλέους ἀποθανεῖν ἐπειδὴ πορθμεύων τὴν Δηϊάνειραν ἐπεχείρει βιάσασθαι. h. e. *ibi*

Neſſus

Nessus portitor loci fuisse occisus fertur, cum in transuehendo violare Deianiram esset conatus. De Aetolis, florentissima liberæ quondam Græciæ gente, plura congessit Nonius; quo pacto libertatem suam amiserint, & quam ægre iacturam eius tulerint, Iustinus memoriæ prodidit. Ad Goltz. Græc. p. 27. sq.
„ Aetoli, inquit, qui Antiochum in bella Romana impulerant, victo Lib. XXXII. c. 1.
„ eodem, soli aduersus Romanos & viribus impares & omni auxilio de-
„ stituti remanserunt: nec multo post victi, libertatem, quam illiba-
„ tam aduersus dominationem Atheniensium & Spartanorum, inter tot
„ Græciæ ciuitates soli retinuerant, amiserunt. Quæ conditio tanto
„ amarior illis, quanto serior fuit, reputantibus tempora illa, quibus
„ tantis Persarum opibus, domesticis viribus restiterant; quibus Gal-
„ lorum violentiam, Asiæ, Italiæque terribilem fregerant. Quæ glo-
„ riosa recordatio maius desiderium libertatis augebat.

§. VI.

Amisum Galatiæ tribuunt Wildius & Vaillantius, Ptolemæum secuti, qui Galatiæ fines iusto latius profert. Ceteroqui rectius id Ponto assignatur, vnde Stephanus: Ἄμισος, πόλις ἀξιόλογος διέχουσα Σινώπης σταδίους ἐνακοσίους. Ἔστι δ' ἐν τῷ Πόντῳ. h. e. *Amisus vrbs memoratu digna, distans Sinope nonginta stadia. Est vero in Ponto.* Eius vrbis numos varii varios publici iuris fecere, quibus sequentem e thesauro nostro addas licet. De numo Amisi. L. c. p. 59. Num. Græc. Imp. p. 215. Lib. V. c. 3. Voce Ἄμισος.



In priori eius parte caput Iouis barbatum laureaque cinctum, in posteriori aquila, eius ales, cum fulmine, habitu eo expressa, vt Manilii verbis vtar, quo Lib. I. v. 344.

Gestat fulmina mundi;
Digna Ioue & cælo, quod sacris instruit armis.

Adscripta est infra vox ΑΜΙΣΟΥ; ad latus autem monogramma ☧. Idem typus vtriusque partis occurrit in numo Sinopensium apud Goltzium, alioque item Pharnacis apud Begerum, quem is suffragante Ill. Spanhemio, alterum huius nominis regem Ponti, qui Sinopen, teste Strabone, cepit, interpretatur. In vtroque eo numo proinde idem ille caput Iouis Sinopensis & cultus, quo eum prosequebantur Sinopenses, indicium agnoscit. Commune hoc numen Amisenis fuisse, & vicinia persuadet facile, & numus hic eorum luculenter docet. Templum enim illud vetere inter accolas fama Iouis Ditis, prout appellat Tacitus, non intra ipsam Sinopen, sed non procul situm fuisse, quæsitis, qui in Pontum meassent, comperit Timotheus ille Atheniensis, cuius consilio vsus Ptolemæus Lagi Iouem illum, Sarapidem deinceps dictum, Tab. III. Asiæ. L. c. T. I. p. 271. sq. L. c. T. I. p. 480. Lib. XII. p. 346. Hist. Lib. IV. c. 83. sq.

dictum, in Ægyptum adduxit, suisque colendum proposuit. Eius simulacrum hoc pacto ablatum non obstitit, quo minus Ponti incolæ, Sinopenses inprimis Amisenique, procedente tempore, honorem ei suum sartum tectum seruarent. Nempe ita & Epidaurii Aesculapii sui, licet Romam auecti, cultum religiose tuebantur, vt recte Begerus obseruat. „ Et augustior, vt idem addit, eo facto Dei gloria extitit, „ quod cultum non vna in vrbe (vel regione) pateretur includi, sed „ per tanta marium spatia, in alio velut orbe, propagatum vellet". In alio Amisenorum numo, quem ex supellectile Guil. Crossii edidit, Cl. Haymius Herculis effigiem agnoscit. Sed erunt fortasse, qui figuram illam stantem ibidem Iouem, & id, quod dextra tenet, quiduis potius, quam clauam interpretari malent. Eorundem Amisenorum numi sub Imperatoribus cusi, splendido illo elogio ἐλευθερίας, h. e. *libertatis*, superbiunt; quibus geminus infra occurret.


T. II. Tab. V. I. p. 141.

Cap. VIII. §. ...

§. VII.

De numo cum inscr. Αμφαξι...

Αμφαξίτιδος, regionis Macedoniæ, incolarum numus sequitur, nescio an visus cuiquam adhuc, certe a nemine, quod constat, vulgatus aut explicatus.



In aduersa parte caput Herculis pelle leonina tectum, in auersa claua eius cernitur, addita inscriptione: ΑΜΦΑΞΙ..... Ipsa iam symbola loquuntur, genti Macedoniæ, in qua cultus Herculis florebat, hunc numum deberi. Quænam illa sit, multa inuestigatione haud eget. Αμφαξίτιδος enim regionis Ptolemæus, Strabo & Polybius mentionem faciunt. Nomen illi a flumine Axio, cuius iam Homerus meminit his versibus, quorum postremum Strabo emendat:

Geogr. Lib. III. c. 13. p. 81. Excerpt. Lib. VII. p. 330. Lib. V. c. 97. p. 436. Il. β. p. 848. L. c.

Αὐτὰρ Πυραίχμης ἄγε Παίονας ἀγκυλοτόξους
Τηλόθεν ἐξ Ἀμυδῶνος ἀπ' Ἀξίου εὐρὺ ῥέοντος,
Ἀξίου, ᾧ κάλλιστον ὕδωρ ἐπικίδναται Αἴης.

Sed Pyræchmes duxit Pæono incuruis arcubus vtentes
Procul Amydone, ab Axio late fluente,
Axio, cui optima aqua affunditur fontis Aeæ.

Ita enim vocem Αἴας cum veteribus Criticis, docente id Eustathio, accipit Strabo, propterea quod ceteroqui Axio, qui multis fluuiis auctus θολερὸς, hoc est *turbulentus* fluat, optima aqua tribui non posse videatur. Regionem tametsi sine nomine, vrbesque eius aliquot vna cum

fluuio

fluuio commemorat Herodotus, vbi de claſſe Xerxis: Πλέων δὲ ἀπίκετο ἔς τε τὴν προειρημένην Θέρμην, καὶ Σινδόν τε πόλιν καὶ Χαλέστρην, ἐπὶ τὸν Ἄξιον ποταμὸν, ὃς οὐρίζει χώρην τὴν Μυγδονίην τε καὶ Βοττιαΐδα. Et paulo poſt: Ὁ μὲν δὴ ναυτικὸς στρατὸς αὐτοῦ περὶ Ἄξιον πόταμον, καὶ πόλιν Θέρμην, καὶ τὰς μεταξὺ πόλεις τουτέων, περιμένων βασιλῆα ἐστρατοπεδεύετο. h. e. *Nauigans autem peruenit ad prædictam vrbem Thermam & Syndum & Chaleſtram, ad fluuium Axium, qui diſterminat regionem Mygdoniam & Bottiæidem . . . . Nauales autem copiæ ibi circa Axium flumen ad Thermam atque inter medias vrbes, dum regem expectarent, ſtatiua habebant.* Ab regione vero, de qua eiusque præcipuis vrbibus, ex quibus Therma, dein Theſſalonica dicta, videndi Geographi, atque ex recentioribus Cellarius noſter, nomen gentile Ἀμφαξίτης, ſi Stephano fides habenda eſt ad librum VII. Strabonis prouocanti, cuius in excerptis tamen, nam integer ad nos haud peruenit, præter regionis nomen nihil inuenias, vnde ſuſpiceris haud immerito, idem illud apud Stephanum librariorum incuria in gentile nomen, & litteris & ſono prope idem, tranſiiſſe. Ceteroqui analogiæ rationes vtique id ferunt, vt ab regione, Ἀμφαξῖτις gentile ſit Ἀμφαξίτης, quemadmodum, eodem Stephano auctore, ab regione Nabathæorum, Αἰανῖτις gentile Αἰανίτης prodit. In noſtro tamen numo poſt ΑΜΦΑΞΙ litteræ Α ſatis manifeſta veſtigia ſuperſunt, ita vt videatur fuiſſe ΑΜΦΑΞΙΑτων ab ΑΜΦΑΞΙΑΤΗΣ. Sed ea de re viderint, quibus idem ſe numus paulo integrior obtulerit. Mihi enim ad alia nunc pergendum eſt.

Lib. VII. p. 418. Edit. Gronou.

Lib. II. c. 13. p. 1044. Voc. Ἀμφαξίτιον.


§. VIII.

Recte Vaillantium notat Ill. Spanhemius, affirmantem, Stephano ex ſedecim vrbibus, quæ Antiochiæ nomen, teſte Appiano, tulerunt, decem tantum enumerari. Nempe decepit virum optimum, quod Stephanus ad vocem ΑΝΤΙΟΧΕΙΑ ſub initium ait: Ἀντιόχεια δέκα πόλεις ἀναγράφονται, h. e. *Antiochiæ nomine decem vrbes commemorantur*, vbi rectiſſime Holſtenius vberioris explicationis cauſa addit; „ ſcilicet per „ veterem aliquem auctorem, qui de vrbibus ſcripſit; & mirum ni „ is ſit Philo, quem alibi citat περὶ πόλεων, alibi ſimpliciter non addito libro". At ſi vel obiter, quæ proxime ſequuntur, inſpexiſſet, vidiſſet, plures Antiochias vrbium ſcriptori recenſeri. Subiicit enim: Εἰσὶ δὲ πλείους. Recte igitur, vt dixi, hac ex parte Vaillantium παροράματος incuſat Ill. Spanhemius, ſed quando vrbes huius nominis quatuordecim enumerare Stephanum contendit, contrario ſane errore plures ab eo ſcriptore Antiochias commemorari affirmat vir ſummus, quam reapſe ei percenſentur. Vltimam enim, τρισκαιδεκάτην appellat, vnde apparet, tredecim tantum ab eo adduci. Inter eas fruſtra quæras Antiochiam in Ptolemaide, cuius duos hos numos gaza noſtra ſeruat.

De numis Antiochiæ in Ptolemaide. T. I. p. 664. Hiſt. Sel. p. 200. Syr. p. 124.

Ad Steph. p. 37.

Aduerſa



Aduerſa in parte capita Caſtoris & Pollucis iugata cum laureis & ſtellis; in auerſa cornucopiæ, cum inſcriptione: ANTIOXE . . . . ΤΩΝ ΕΝ ΠΤΟΛΕΜ . . . . . h. e. *Antiochenſium in Ptolemaide*, & ANTIOXEΩΝ ΕΝ ΠΤΟΛΕΜΑ . . . . ΙΕΡΑΣ ΑΣΥΛΟΥ. h. e. *Antiochenſium in Ptolemaide ſacræ, inuiolabilis.* In area ΛΙΡ. h. e. *anno CX.* Similem

L. c. p. 663. Chron. V. T. Opp. Sell. p. 610. ex gaza regia Gallorum citant Ill. Spanhemius & Cl. Harduinus, ſed cum æra ΘΠΡ. h. e. anno CLXXXIX, non, vt errore typothetarum ap. Ill. Spanhemium exſcriptum eſt, CLXXIX. Capita Caſtoris & Pollucis, quæ & in numo Tripolitarum apud Noriſium occurrunt, hos numos ad vrbem Phœniciæ maritimam reuocant; ſed quæ-

L. c. nam illa ſit, non æque conſtat. Vaillantius eam Antiochiam verſus Ptolemaidem appellat, creditque in Phœnicia verſus Palæſtinæ fines fuiſſe ſitam. Sed ea ſententia pridem exploſa eſt viro eruditiſſimo Io. Harduino. In prima enim de numis vrbium & populorum edi-

P. 414. ſq. tione hæc legas: „ANTIOXEΩΝ ΤΩΝ ΕΝ ΠΤΟΛΕΜΑΙΔΙ, *Antiochen-„ ſium, qui Ptolemaide agunt.* Numus Antiochi IV. regis Syriæ, e „ Muſeo noſtro: quem vt explanaret vir eruditus, Antiochiam in „ Ptolemaidis agro aliquam fuiſſe auguratur, ſcriptoribus adhuc in-„ compertam, fruſtra. Statuit vero, Ἀντιοχεῖς ἐν Πτολεμαΐδι eſſe An-„ tiochenos ipſos, e Syriæ metropoli ad Orontem, Ptolemaide ne-„ gotiantes; fuiſſe enim, vti etiamnum hodie, in maioribus oppi-„ dis, emporiisque celebrioribus, diuerſarum gentium mercatores, ſuis „ quosque fere diſcretos regionibus; hos ſueuiſſe vel numos cudere „ vel ſimilia edere monumenta in gratiam virorum principum & Im-„ peratorum, quos demereri vellent".

§. IX.

De iisdem plura. L. c. Ei ſententiæ equidem Ill. Spanhemius opponit inſcriptionem alterius numi: ANTIOXEΩΝ ΕΝ ΠΤΟΛΕΜΑΙΔΙ ΙΕΡΑΣ ΑΣΥΛΟΥ, qua non certo cuidam hominum in vrbe Ptolemaide ordini, ſed ipſi vrbi receptum illud *ſacræ & Aſyli* priuilegium, videatur tribui, prouocatque pro tuenda Vaillantii ſententia ad numos cum epigraphe: ΑΠΟΛΛΩΝΙΕΩΝ ΕΝ ΙΩΝΙΑ, ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΤΩΝ ΤΩΝ ΕΝ ΙΩΝΙΑ, ΗΡΑΚΛΕΙΑΣ ΕΝ ΠΟΝΤΩ, nihilo ſecius tamen, re accuratius expenſa,

L. c. T. III. p. 26. tandem Cl. Harduino aſſentitur, prout & factum a Laurentio Begero. Quorum virorum ſuffragio munitus nemo fortaſſe alius ſententiam teme-

re

re mutaſſet: Mutauit tamen vir celeberrimus, quod vt faceret, non leue momentum attulit, vt puto, Iacobus Sponius, qui ad inſcriptionem Deliam: „ *Populus*, inquit *Athenienſium*, qui hic memoratur, „ non eſt Athenarum Atticarum, ſed oppidi in Delo, cui *Athenæ* „ *nouæ* nomen erat: quod incognitum fuiſſe miror Io. Harduino, nu- „ pero ſcriptori libri, cui titulus: Numi Populorum & vrbium illu- „ ſtrati. Ibi enim ad numum: ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΤΩΝ ΕΝ ΠΤΟΛΕ- „ ΜΑΙΔΙ p. 414. eruditum Antiquarium (Vaillantius is eſt, vt ex ſu- „ pra dictis conſtat) reprehendit, qui ex eo numo Antiochiam ali- „ quam in Ptolemaidis agro fuiſſe auguratus eſt: additque: *Denique*, „ *qui Antiochiam in Ptolemaidis agro quærit, idem etiam Athenas in inſu-* „ *la Delo inueſtiget, quoniam apud Gruterum in vetuſta inſcriptione legitur* „ *non ſemel p. CCCCV.* ΑΘΗΝΑΙΩΝ ΤΩΝ ΕΝ ΔΗΛΩΙ, & ΑΘΗ- „ ΝΑΙΟΙΣ ΤΟΙΣ ΕΝ ΔΗΛΩΙ. Addidiſſet & hanc, ſi vidiſſet, ΔΗΜΟΣ „ ΑΘΗΝΑΙΩΝ. Imo vero, o vir erudite, Athenæ erant in inſula „ Delo. Teſtis, præter lapides, Stephanus Byzantius: ΟΛΥΜΠΙΕΙΟΝ, „ inquit, τόπος ἐν Δήλῳ, ὃν κτίσαντες Ἀθηναῖοι χρήμασιν Ἀδριανοῦ, Νέας Ἀθήνας „ Ἀδριανὰς ἐκάλεσαν ὡς Φλέγων ἐν Ὀλυμπιάδι πεντεκαιδεκάτῳ. Id eſt, OLYM- „ PIEVM, *locus in Delo, quem Athenienſes, qui eum condiderunt ex* „ *Hadriani pecunia, vocauere Nouas Athenas Hadrianas, vt tradit Ple-* „ *gon Olympiadum decimo quinto*". Tametſi enim ſe hæc legiſſe in noua eiusdem libri editione diſſimulat Cl. Harduinus, re ipſa tamen oſtendit, ſe ex iisdem profeciſſe. Neque enim, vt ante, negat amplius Athenas in Delo, ſed ſcribit tantum, eo ſenſu, quo ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΕΝ ΠΤΟΛΕΜΑΙΔΙ numi faciunt mentionem, *pariter fortaſſe* apud Gruterum ΑΘΗΝΑΙΟΥΣ ΕΝ ΔΗΛΩ appellari. Neque nihil vir celeberrimus ea ex parte debet Ill. Spanhemio, qui locum ex Machabæorum libris ad illuſtrandam viri clariſſimi ſententiam protulerat, oſtenderatque, lucem ei affundi vtcunque poſſe ſingulari illo apud Machabæorum ſcriptorem exemplo; „ quo (verba eius ſubiicio) Iaſon, „ Iudæorum Pontifex, ab Antiocho Epiphane pretio conſecutus di- „ citur, vt Gymnaſium Græcorum more conſtruere ſibi liceret, & „ vt, qui Hieroſolymis habitarent Antiochenſes, in collegium Ephe- „ borum, ſeu eorum, qui in Gymnaſio illo ſe exercerent, adſcriberen- „ tur". Eum locum cum penitius expenderet Cl. Harduinus, vidit, inde longe aliam veriſimilioremque numorum ſuperiorum interpretationem peti poſſe. Verba ſunt: Πρὸς δὲ τούτοις ὑπισχνεῖτο καὶ ἕτερα διαγράψαι πεντήκοντα πρὸς τοῖς ἑκατὸν, ἐὰν ἐπιχωρηθῇ διὰ τῆς ἐξουσίας αὐτοῦ γυμνάσιον, καὶ ἐφηβίαν αὐτῷ συστήσασθαι, καὶ ΤΟΥΣ ΕΝ ΙΕΡΟΣΟΛΥΜΟΙΣ ΑΝΤΙΟΧΕΙΣ ΑΝΑΓΡΑΨΑΙ, quæ vulgatus interpres ita vertit: *Super hæc promittebat & alia centum quinquaginta* (talenta) *ſi poteſtati eius concederetur Gymnaſium ſibi & ephebium conſtituere, &* EOS, QVI IN HIEROSOLYMIS ERANT, ANTIOCHENOS SCRIBERE. Vbi vtique neceſſe non eſt, poſtrema verba cum Spanhemio interpretari de Antiochenis, qui Hieroſolymis morarentur, Gymnaſio adſcribendis, quæ magnus Grotius rectius de iure ciuitatis Antiochenæ Hieroſolymitanis dando interpretatur. Non male igitur ex hoc loco elicit Cl. Harduinus, ΑΝΤΙΟΧΕΙΣ ΕΝ ΠΤΟΛΕΜΑΙΔΙ non eſſe, niſi Ptolemaidenſes ipſos, qui iure Antiochenæ ciuitatis gaudebant. Nam hoc pacto ſcri-

Miſc. Erudit. Antiquit. p. 345.

Opp. Sel. p. 143.

L. c. p. 664.

II. Maccab. c. IV. ℣. 9.

 buntur

buntur illi Antiocheni, quod beneficium vt Hierosolymitanis suis procuraret, Iason operam dabat. In posteriori horum numorum, præ-
L. c. p. 659. ter titulos ΙΕΡΑΣ ΑΣΥΛΟΥ, Ill. Spanhemio satis explicatos, non prætereunda est æra LIP. quæ annum centesimum decimum epochæ Seleucidarum notat, quo tempore Antiochus magnus Syriæ regnum moderabatur.

§. X.

De numo vrbis Antissæ. Antissa, vrbs Lesbi, nota est ex antiquis scriptoribus. Stephanus: Ἄντισσα, πόλις Λέσβου, ἐφεξῆς τῷ Σιγρίῳ . . . . ἀπὸ Ἀντίσσης, τῆς Μάκαρος θυγατρός. h. e. *Antissa, vrbs Lesbi, post Sigrium . . . ab Antissa, Ma-*
Lib. XIII. p. 617. *caris filia.* Idem apud Strabonem legas, qui portum eam habuisse testatur, vnde haud ignobilem fuisse colligas. Methymnæos aduer-
Lib. III. c. 2. sus eandem copias eduxisse auctor est Thucydides. Romani, deuicto
Lib. XLV. c. 31. Perseo, vltimo Macedoniæ rege, teste Liuio, *ad Antissam in Lesbo insula diruendam, traducendosque Methymnam Antissæos, Labeonem miserunt, quod Antenorem, regium præfectum, quo tempore cum lembis circa Lesbum erat vagatus, portu receptum commeatibus iuuisset.* Vnde suo
Lib. V. c. 31. Sect. 39. T. I. p. 288. tempore Plinius: *Antissam Methymna traxit in se ipsam.* Huic vrbi tribuo numum sequentem.




Auersa in parte non caput hominis cuiuscunque, sed laruam comicam agnosco. Id mihi facile mentum persuadet, longius quam pro modulo vultus humani protensum. Inscriptio: ΑΝΤΙΣσαίων, h. e. *Antissæorum.* In area stella. Aduersa pars caput muliebre sistit sine inscriptione. Id Sapphus esse nemo dubitauerit, opinor, quicunque e-
Gronou. Antiq. Gr. T. II. ditas adhuc imagines nobilissimæ huius Poëtriæ cum numo hoc contulerit. Neque enim, dum Mitylenæos illustrem hanc fœminam nu-
Lib. IX. c. 6. p. 1064. mis insculpsisse testatur Pollux, id ceteras Lesbi vrbes fecisse negat. Illorum nempe numos potissimum nominat, quod ii notiores essent, maiorique longe, quam ceterarum Lesbi vrbium, numero prostarent. Larua altera ex parte Alcæi, non Lyrici, cuius caput in alio Mitylenæorum numo comparet, sed comici Poëtæ memoriam fortasse re-
Voce. Ἀλκαῖος. nouat. De eo Suidas: Ἀλκαῖος Μιτυληναῖος εἶτα Ἀθηναῖος, Κωμικὸς τῆς ἀρχαίας Κωμῳδίας πέμπτος· υἱὸς δὲ Μίκκου, ἔγραψε δράματα δέκα. *Alcæus Mitylenæus, deinde Atheniensis, Comicus antiquæ Comœdiæ quintus, Micci filius, scripsit fabulas decem.* Quinque earum ex Athenæo, duasque
Animadu. in Athen. Lib. III. c. 25. alias ex Polluce commemorat Casaubonus. Fabula, Pasiphaë dicta, cum Aristophane, Plutum suum docente, certasse eum, ex veteribus Criticis idem vir magnus docet, vt proinde mirum videri non possit, dignum eum habitum, cuius memoria hoc monumento ad posteros trans-

transmitteretur. Eundem numum, ſed e diuerſis prototypis publici iuris fecit Cl. Haymius, qui, vrbis Antiſſæ nulla ratione habita, [T. I. p. 128.] litteras ANTIΣ interpretatur: ANTIΣθένης, h. e. *Antiſthenes*, caput huius Philoſophi, quem ſectæ ſuæ parentem Cynici venerantur; ſub larua, quæ his litteris adiecta eſt, latere perſuaſus. Sed vt taceam vix eſſe, vt credamus, Antiſthenis vultum vllo vnquam numiſmate expreſſum fuiſſe, ſi caput eius conferamus in gemma expreſſum, primo aſpectu longe illud aliud deprehendemus, quam vt vel cogitari de eo in numis his expreſſo poſſit. [Theſ. Gr. Antiq. T. II. 87.]

§. XI.

Pergo ad numum; quem gnari his priſcorum temporum reliquiis pretium ſuum ſtatuere fugitiuis, vt ſpero, oculis haudquaquam ſpectabunt. [De numo FAΞIΩN.]



Aduerſa in parte caput Apollinis laureatum cernitur, in auerſa tripos cum inſcriptione: FAΞIΩN. Digamma Aeolicum voci eſt præpoſitum, quale illud in aliis numis occurrit, quod in tanta luce litterarum [Goltz. Magn. Græc. T. XXXV. ſq.] hodie nemini adeo ignotum eſſe poteſt, vt verendum ſit, ne quis de inſcriptione numi noſtri FAΞIΩN idem, quod de epigraphe numi [Græc. Tab. XVII.] FAΣT. Nonnius, ſentiat, nempe *id nomen nullo modo Græcanicum eſſe, littera* F *Græcis prorſus ignota.* [Conf. Spanh. T. I. p. 107. ſq.] Non enim eſt digamma illud niſi nota accentus, eiusque lenis hoc loco, cuius æque atque aſperi officium præſtat, prout viri docti dudum obſeruarunt. [Ad Goltz. Græc. p. 97.] Remota igitur nota illa, cui ſimiles H & F in numis HIMEPAIΩN, & FHPAKΛHIΩN, [Montf. Palæogr. Græc. p. 178.] habemus AΞIΩN; perinde vt FAΣT, quibus litteris Bœotiæ vrbem aliquam deſignari, viris doctis ex ſymbolis clypei Thebani & Canthari dudum eſt perſuaſum, interpretari poſſis AΣΤυρηνῶν. Ἀ'ςυρὶς enim, ſiue Aſtyris, ſecundum Stephanum, vrbs Bœotiæ, vnde gentile Ἀ'ςυρηνὸς, & cum præpoſito digammate FAΣΤυρηνός. Iisdem ſane Aſtyrenis hunc numum, quod ſcriptis his demum vidi, tribuit Begerus noſter, vbi Phidonis numiſma, in quo eadem ſymbola, vberiori luce perfundit. [Theſ. Brand. T. I. p. 288.] Ἄξιος vero vnde AΞIΩN, & cum digammate FAΞIΩN, gentile vrbis Ἄξου, quam Stephanus commemorat. Ἄξος, inquit, πόλις Κρήτης, ὡς Ἡρόδοτος ἐν τετάρτῃ. Τὸ ἐθνικὸν Ἄξιος, h. e. *Axus, vrbs Cretæ, vt Herodotus in quarto libro. Gentile Axius.* Ad Herodotum prouocat Stephanus, ſed ille non Axi, ſed Oaxi vrbis Cretenſis meminit, [Lib. IV. c. 154. p. 271. Edit. Gron.] quam & ſuo loco recenſet vrbium ſcriptor, ita tamen, vt vnam fuiſſe eandemque haud obſcure liceat colligere. Ait enim, quosdam Oaxum ita dictam arbitrari, quod locus confragoſus ac præruptus ſit; [voce Ὀαξος.]

 huius-

huiusmodi enim loca ἄξȣς velut ἀγμȣ̀ς, h. e. *prærupta* appellari. Ne-
que adeo diuerſam ab Axo noſtra vrbem deſignat numus eruditiſſimi
T. II. p. 147. Io. Maſſonii apud Cl. Haymium, cum inſcriptione: ΟΑΞΙΩΝ, in
quo & typus auerſæ partis idem, nempe tripos, tametſi dictu non
æque facile, cur in gemino Deuonienſis gazæ, quem Cl. Haymius
eodem loco exhibet, numo legatur ΕΑΞΙΩΝ, niſi forte τὸ Ε perinde
atque in noſtro F, Digamma Aeolicum deſignat. Certe Ε illud pro
nota τȣ̃ ἐπισήμȣ βαῦ ita occurrere in numis, vt ſenarium numerum de-
Cap. IV. §. 24. ſignet, alio iam loco ſatis, vt arbitror, oſtenſum eſt. Ceterum A-
pollo eiusque tripos expreſſus in hoc numo cernitur, quod & Creten-
De Nat. deor. III. 23. ſes eum apud ſe natum ferebant. Cicero: „ Apollinum antiquiſſi-
„ mus is, quem paulo ante ex Vulcano natum eſſe dixi, cuſtodem
„ Athenarum: alter Corybantis filius, natus in Creta, cuius de illa
„ inſula certamen cum ipſo Ioue fuiſſe traditur". Inde & idem Ap-
Inſ. Græc. Tab. IV. V. VI. pollo in numo ΛΑΠΠΑΙΩΝ occurrit apud Goltzium, eodemque lau-
rum, qui in numis ΚΥΔΑΙΩΝ iuxta Iouis caput ſculptum cernitur,
Goltz. l. c. Num. Vrb. & Pop. voce Κυδωαιων p. 86. Opp. Sell. refert Cl. Harduinus.

§. XII.

De numo Aradi. Arado, Phœniciæ inſulæ, numum tribuo ſequentem, quem alibi
adhuc commemoratum non memini.



Auerſa in parte ſtella, Aradiorum ſymbolum, prout in præclaro de
p. 64. regum Syriæ numis opere obſeruat Cl. Vaillantius. Adſcriptæ ſunt
litteræ: ΑΡάδȣ, h. e. *Aradi*. In aduerſa palma, cum litteris ΙΕΕΑ,
quod interpretor ΙΕρᾶς Ελευθέρας Ασύλȣ, h. e. *Sanctæ, liberæ, inuiolatæ.*
Infra ꟽ M. Prærogatiuam Ιερας, & Ασύλȣ, Aradus cum aliis Syriæ &
T. I. p. 665. Phœnices vrbibus, quas recenſet Ill. Spanhemius, habuit communem.
Lib. XVI. p. 754. Poſteriorem inprimis, prout Strabo memoriæ prodidit, a Seleuco II,
cui cognomen Callinici, impetrauit, a quo pacti ſunt Aradii, vt ad
ſe ex regno confugientes recipere liceret, nec tradere inuitos, ita
tamen, vt nec, inuito rege, alio enauigare poſſent. Iisdem titulis
L. c. p. 344. vtuntur illi in numo Antiochi VIII, quem vna cum aliis Cl. Vail-
lantius iis non ſine ratione vindicat; fruſtra, vt arbitror, intercedente
Chronol. V. T. p. 582. Opp. Sell. Cl. Harduino, qui affirmat, nullum in Aradiorum numis reperiri
aut nomen aut vultum regum Syriæ, ex quo ſe in libertatem aſſeruere.
Nam diu poſt partam eandem & Demetrii II. vultum iidem expreſſe-
Inſul. Græc. T. XXVII. runt in numo inſigni apud Goltzium, in quo hinc caput Demetrii
diademate cinctum, illinc aquila cum palma & inſcriptione: ΔΗΜΗ-
ΤΡΙΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ, & in area ΑΡΑΔΙΩΝ, qui quidem numus nihil
omnino differt ab eiusdem Demetrii numo, quem Tyri, prout ex mo-
nogram-

nogrammate clauæ Herculis adiecto patet, ſignatum Vaillantius iuris Hiſt. Reg.
publici fecit. Ἐλευθέρας vero elogium, quod præterea in numo noſtro Syr. p. 270.
fert ſingulare huic vrbi, quod vero ei in alio quoque, ex Ligorianis
ſchedis ab Holſtenio commemorato, cuius auerſa in parte Victoriæ ſi- Ad Stephan.
gnum cum nomine ΑΡΑΔΙΩΝ, & ante ΗΛΕΛΘΕΡ, quo pacto cor- p. 42.
rupte legitur pro ΕΛΕΥΘΕΡ, tribui obſeruat Ill. Spanhemius ; qui In litteris ad
tamen, vbi vrbes Ἐλευθέρας dictas in ſuo de Numorum Præſtantia & Beger. inſert.
Vtilitate opere recenſet, Aradi, quod mirum eſt, mentionem nullam Theſ. Brandenb. T. I.
iniecit. Vrbis huius epocham, cuius initium in annum vrbis conditæ 407.
CCCCXCV. incidit, indidem viri docti deriuant. Libertatis eius
exemplum Polybius refert, nempe Antiochum magnum, cum ad Lib. V. p.
eum Aradii veniſſent de ſocietate acturi, non ſolum ſocietatem iunxiſſe 411.
cum iis, ſed & controuerſiam inter inſulanos Aradios & eos, qui
continentem incolebant, obortam, ſedaſſe. Plura ea de re Noriſius, Epoch. Syro-
ex quibus & nonnulla Cl. Harduinus delibauit. Maced. diſſert. III. §. 3. p. 431. ſqq.

§. XIII.

Subiungo Hiſpanicæ vrbis numum, quem qui commemorarit adhuc, neminem inueni. *De numo Auſa.*



Hiſpanum artificem vel primus eius aſpectus declarat. Aduerſa pars caput muliebre ſiſtit in Luna creſcente, ante ramus palmæ, vt videtur. In auerſa itidem ramus lauri forte, cum inſcriptione veluti tabellæ impreſſa : AVSA. Auſa vrbs primaria Auſetanorum in prouincia Tarraconenſi fuit, vnde illi nomen traxerunt. Ptolemæus eos Αὐθητανοὺς appellat; littera θ cum σ permutata; Polybius, peius etiam corrupto nomine, Ἀνδοσίνους. Locus eſt: Καὶ διαβὰς τὸν Ἴβηρα ποταμὸν κατεστρέφετο τότε τῶν Ἰλεργητῶν ἔθνος καὶ Βαργουσίων, ἔτι δὲ τοὺς Αἰρηνοσίους καὶ τοὺς Ἀνδοσίνους μέχρι τῆς προσαγορευομένης Πυρήνης. h. e. *Et transgreſſus Iberum fluuium, ſubegit* (Hannibal) *gentem Ilergetum & Barguſiorum, prætereaque Aerenoſios & Andoſinos vsque ad dictum Pyrenæum montem.* Quibus verbis latere Auſetanos, nemo facile ſubodoraretur, niſi locum in hiſtoriam ſuam totidem prope verbis transtuliſſet Liuius, vbi ita legitur: „ Nonaginta „ millia peditum duodecim millia equitum Iberum traduxit: Ilergetes „ inde Barguſiosque & Auſetanos & Lacetaniam, quæ ſubiecta Py- „ renæis montibus eſt, ſubegit". Auſetani & Plinio memorantur, tametſi diuerſos hos ab Auſetanis Liuii arbitratur Cellarius noſter. De iis enim Plinius: „ Poſt eos, quo dicetur ordine, intus recedentes „ radice

Lib. II. c. 6. p. 44.
Lib. III. p. 189.
Lib. XXI. c. 23.
Lib. III. c. 3.
ſect. 4. T. I. p. 141.
Geogr. L. II. c. I. p. 146.

Lib. XXI. c. 61. „ radice Pyrenæi Auſetani, Lacetani". Liuius autem: „ Inde in Au-
„ ſetanos prope Iberum, ſocios & ipſos Pœnorum, procedit (Sci-
„ pio".) At vero κατὰ πλάτος hæc accipienda eſſe, vel inde patet,
Lib. cit. c. 23. quod eos ipſos Auſetanos mox finitimos Lacetanorum vocat Liuius, quodque loco paulo ante adducto, vbi gentes ab Annibale Iberum transgreſſo ſubactas commemorat, poſt Ilergetes Barguſiosque demum Auſetanos recenſet, iisque illico Lacetaniam, ſubiectam Pyrenæis montibus, ſubnectit, perinde vt Plinio Auſetani Lacetanique coniunguntur. Vrbis nomen, vnde Auſetani dicti, ſeruauit Ptolemæus, cui Αὖσα
L. c. dicitur. Ei omni ex parte reſpondet *Auſa*, vt præfert numus noſter. Sequiori æuo dicta *Auſona*, nunc vicus Auſonenſis. Eam diu fruſtra oppugnatam Cn. Cornelius Scipio vix tandem deditione cepit. Ea de
L. c. re Liuius: *Nec obſeſſos*, inquit, *alia vlla res, quam iniqua oppugnantibus hiems tutabatur. Triginta dies obſidio fuit . . . . Poſtremo quum Amuſitus, princeps eorum, ad Asdrubalem profugiſſet, viginti argenti talentis pacti deduntur.*

§. XIV.

De numo ΒΗΤΗΡΡΑΤΩΝ. Numum ΒΗΤΗΡΡΑΤΩΝ a Peireſcio ſibi miſſum laudat Holſtenius
p. 62. ad Stephanum. Eundem e theſauro Ill. Harlæi vberius deſcribit ſum-
De Vſ. &. præſt. num. Edit. 1671. p. 904. mus vir Ezech. Spanhemius, nempe in anteriori eius parte caput muliebre, in auerſa leonem expreſſum cerni cum inſcriptione: ΒΗΤΗΡΡΑΤΩΝ. Eundem loco ſuo commemorat Cl. Harduinus, ne-
Num. Vrb. & pop. p. 33. Opp. Sell. gatque, vel ad Bæterrenos terræ Palæſtinæ, vel ad Bæterras Galliæ Narbonenſis oppidum, quod viſum Holſtenio & Spanhemio, pertinere. Contendit enim, Græcis vocibus vſos earum regionum incolas, Maſſilienſibus, Phocæenſium colonis, & Antipolitis exceptis, veroſimile haud videri, cum Latine inſcripti in eo tractu numi occurrant, AVENIO, VOLCAE, NEMAVSVS, CABELLIO. Cenſet igitur, ad Betarronem potius, Phœniciæ vrbem maritimam, quam inter Dioſpolim & Cæſaream Stratonis collocat Antoninus, eum referri oportere. Mox tamen huic ipſi ſententiæ diffiſus, addit. „ Videndum, num ſpectet hic numus ad vrbem Palæſtinæ, de qua Euſebius Lib.
„ IV. Hiſtor. Eccl. Cap. VI. Ἀκμάσαντος δὲ τοῦ πολέμου ἔτους ὀκτωκαιδε-
„ κάτου τῆς ἡγεμονίας Ἀδριανοῦ κατὰ Βήθθηρα πόλιν, ἥτις ἦν ὀχυρωτάτη τῶν Ἱεροσολύ-
„ μων οὐ σφόδρα πόρρω διεστῶσα. h. e. *Anno demum octauo decimo imperii*
„ *Hadriani cum totius belli vis circa Bethera vrbem munitiſſimam, nec*
„ *procul Hieroſolymis disſitam, exarſiſſet* &c. Scripti Codices, teſte Va-
„ leſio, habent *apud Bethara oppidum*, reliqua". Vtraque ſententia re-
Ad Plin. Lib. III. Sect. V. T. I. p. 147. pudiata in noua Plinii, quam adornauit haud ita pridem, editione oppidum illud Syriæ ignoti ſitus eſſe affirmat. „ In Gaza regia, in-
„ quit, numus eſt inſcriptus: ΒΗΤΗΡΡΑΤΑΝ: at ex oppido Syriæ
„ aliquo, vt videtur, nunc ſitus ignoti: non ex Bæterris certe pro-
„ uinciæ Narbonenſis". Ad controuerſiam hanc dirimendam faciet haud parum ipſius numi conſpectus, vnde eum e theſauro noſtro delineatum ſubiicio.

Typus,



Typus, vt apparet, deſcriptioni Ill. Spanhemii ſatis conſentit. Caput muliebre arguit coma & Luna creſcens, cui, vt videtur, impoſita eſt. In poſteriori leo concitato curſu, capite deformi, & quod ad equinum propius accedat, cauda ſublata, prope quam littera K. Infra BHTHPPA . . . . Eo vero artificio ſculptus eſt numus, vt partium potius occidentis, Hiſpanicum nempe aut Gallicum, quam orientis, Phœnicium nempe aut Iudæum eum eſſe, facile appareat. Cumque & Peireſcianum eiusdem exemplum, de quo Holſtenius, prope Beterrenſum in Gallia ciuitatem, hodie *Beziers*, docente eodem viro docto, inuentum ſit, cur ignoti ſitus oppido in Syria, quæ ſententia Cl. Harduino tandem placuit, ille potius tribuatur, quam Beterris Septimanorum, prout appellat Plinius? *Bæterra* vocatur Melæ, [L. c. Lib. II. c. 5. conf. Not. Voſſ. ad h. l.] Βλιτέρα, pro Βαιτέρα, corrupte Straboni, [Lib. IV. p. 182.] Βαιτίρα, multitudinis numero, Ptolemæo, [Lib. II. c. 10. p. 51.] Stephano Βαίταῤῥα. Equidem Cl. Harduinus Stephano, [L. c.] inquit, Βαιταῤῥοῦς dicitur. Nempe apud Ethnicographum ita ſub voce ΒΑΤΑΡΡΟΥΣ legas: ΒΑΤΤΑΡΡΟΥΣ κώμη μεγάλη τρίτης Παλαιστίνης. Οἱ κατοικοῦντες Βαιταῤῥηνοί. Ἔστι καὶ πόλις Κελτική. h. e. *Baitarrhus, vicus magnus tertiæ Palæſtinæ. Incolæ Bætarrheni. Eſt etiam vrbs Celtica.* Sed vir celeberrimus, qui & Melæ lectionem corruptam, quam pridem emendatiorem e MSS. edidere viri docti, *Blitera* citat, non obſeruauit, quod pridem poſt Salmaſium docuere Holſtenius & Iſaacus Voſſius, [Ad Steph. p. 62. Ad Melæ Lib. II. c. 5.] male Βαίταῤῥα, de qua voce idem Stephanus in ſubſequentibus proxime: [ΒΑΙ'ΤΑ'Ρ'ΡΑ, ἧς ὁ πολίτης Βαιταῤῥίτης. Τῆς δὲ προτέρας Βαιταῤῥούσιος. Κλίνεται Βαιταῤῥοῦντος. h. e. *BAETARRHA, cuius ciuis Bætarrhites. Prioris vero, Bætarrhuſius. Declinatur vero Bætarrhûs, untis.*] diuelli a præcedentibus, legendumque eſſe vna ſerie: Βαιταῤῥοῦς κώμη τρίτης Παλαιστίνης, οἱ κατοικοῦντες Βαιταῤῥηνοί. Ἔστι καὶ πόλις Κελτικὴ Βαίταῤῥα, ἧς ὁ πολίτης Βαιταῤῥίτης κ. τ. λ. pro qua vltima voce ſcribendum eſſe Βαιταῤῥάτης, vel Βηταῤῥάτης numus noſter admonet. Eius inſcriptio Græca, tametſi alii in eo tractu numi Latine inſcripti occurrunt, quid obſtet, quo minus ille huic oppido Galliæ Narbonenſis tribuatur, non equidem intelligo, cum Maſſilienſium atque Antipolitanorum in iisdem partibus numi, quos laudat Cl. Harduinus, Græcas inſcriptiones complectantur.

§. XV.

Berytenſium numum affert Begerus, ſed ex prototypo, vt apparet, [De Numis Beryti. L. c. T. I. p. 512.] iniuria temporum admodum detrito. Namque & aduerſam eius partem,

tem, in qua caput fœmineum turritum, auiæ Saturni tribuit, vt ex Sanchoniathone Eusebius docet, BΗΡΟΥΘ dictæ, a qua nomen Beryti manasse coniectat, & auersam, in qua Aplustre, siue velum paruum conto erectum agnoscit, minus accurate delineatam explicatamque dedit. Gratiæ proinde Cl. Haymio debentur, qui numum eundem curatius expressum exhibuit, docuitque, in auersa inprimis parte tridentem cum Delphino pileisque Dioscurorum expressum cerni. Sed cum idem æram ei insculptam prætermiserit, numum eundem vna cum alio quodam e gaza nostra proferre non abs re fuerit.

Præpar. Euang. p. 36.

L. c. T. II. p. 101.



In priori hinc caput turritum, quo genius vrbis designatur, signo capitis bouini notatum; illinc tridens, diuersus paulisper ab eo, qui comparet in numo Illustrissimi Ducis Deuoniensis ab Cl. Haymio prolato, cum Delphino, Neptuni insigni, quæ ille in aliis Berytensium numis gestat. Ad vtrumque latus duo pilei Dioscurorum. Inscriptio: ΒΗΡΥΤΙΩΝ, h. e. *Berytensium*, & in media area ΛΚ, h. e. *anno vicesimo*. In posteriori hinc caput barbatum laurea cinctum, Saturni nempe, (κτίσμα enim Κρόνȣ, *Saturni opus* Stephano teste, Berytus,) illinc Neptunus in curru, cui quatuor equi marini iuncti, cum epigraphe: ΒΗΡΥΤΙων, & litteris ΛΓΝ, h. e. *anno quinquagesimo tertio*. De ea epocha nihil viri docti obseruarunt, quod in numos minus integros incidissent. Initium eius repetendum putem ab eo tempore, quo Phœniciam, quæ antea regibus Aegypti parebat, regno Syriæ adiecit Antiochus III. cognomine magnus, id quod anno CXV. æræ Seleucidarum tribuit Vaillantius. Hos calculos si sequamur, prior ex his numis ad annum decimum Seleuci IV. cognomine Philopatoris, posterior ad annum secundum Demetrii II. cognomine Nicatoris, primumque Antiochi VI. Alexandri Balæ filii, pertinebit. Tryphon tutor illius, qui, sublato pupillo, regiam sibi dignitatem asseruit, vrbem optimam, quod partium eius haud esset, deleuit, deletam Romani instaurauerunt colonia eo missa, cuius sub Romanis Imperatoribus plurimi numi cusi reperiuntur. Sed plura de vrbe, sequiori adhuc æuo florentissima, & Schola Iurisconsultorum celebri, viri celeberrimi, Cl. Vaillantius & Harduinus suppeditabant.

Voce. Berytus.

Hist. Seleucid. p. 110.

Strab. Lib. XVI. p. 755.

Col. T. I. p. 594. T. II. p. 602. de num. Vrb. & pop. Opp. Sell. p. 33. v. & Bayl. Dict. Histor. Artic. *Beryte*.

§. XVI. Car-

§. XVI.

Carbulam & Cordubam proxime coniungit Plinius: „ Dextra, „ inquit, CORDVBA, Patriciæ cognomine; inde primum naui- „ gabili Bæti. Oppida: CARBVLA, Decuma". Non ſine ratione igitur vtriusque numum, quem gaza noſtra ſeruat, iunctos lectori hoc loco ſiſtemus. *De numis Carbulæ & Cordubæ.* Lib. III. Sect. III. c. I. T. I. p. 138.



CARBVLAE, hinc enim, alphabetico ordine iubente, ordiendum, numum æreum e præſtantiſſimi Ludouici Ioberti Supellectile, quam fatis ſuis perfunctus vir doctiſſimus Collegio Claromontano legauit, citat Cl. Harduinus. Idemne cum præſenti ſit, cum eum vir cele- L. c. p. 43. berrimus, incertum quam ob cauſam, deſcribendum non duxerit, haud ſcio. Noſter quidem altera ex parte caput muliebre in laurea exhibet, ante quod Luna creſcens & pone X, ex altera caput monſtroſum, Iſidis fortaſſe, cum radiis deorſum flexis, quale caput illius occurrit in imagine apud Caſalium in libro de Aegyptiorum ritibus, Cap. XVII. quam erudite explicatam dedit Illuſtris Cuperus. Iſidem enim & O- p. 34. Harpocr. ſiridem præcipua harum regionum numina fuiſſe, me docuit nobi- p. 108. ſq. liſſimus vir Iacobus de Bary, e cuius ad me litteris præclaram de numo Obulconis obſeruationem infra, haud inuitis, vt ſpero, lectori- §. XXIX. bus, adſcribam. Inſcriptio: CARBVLA. Eundem numum, ſed admodum deformatum & inſcriptionis etiam litteras integras haud exhibentem, profert Rodericus Carus. CORDVBÆ numum, qui Lib. III. id nominis exhibeat, nemo adhuc vulgauit, quod ſciam. Tanto ma- Cap. XLIX. p. 168. ioris faciendus præſens, in quo priori ex parte caput fœmineum, cum inſcriptione admodum exeſa, litteris his, vt videtur, ... IV IVL ILF. in quibus fieri poteſt, vt nomen Liuiæ, quæ mortuo Auguſto IVLIA dicta eſt, lateat. Nam caput eius in his Turditanarum vrbium numis fere, expreſſum eſſe haud vana coniectura nixus ſtatuit paulo ante laudatus Iacobus de Bary. Poſterior pars exhibet figuram ſeminudam ſtantem, alatam, cum cornucopiæ; quam rurſus Iſidem ex imagine Caſalii apud eundem Cuperum interpretari poſ- Cap. XXIII. ſis. Inſcriptio: CORDVBA. Corduba Gadibus dignitate atque p. 42. L. c. p. 38.

 opibus


Lib. III. p. 141. opibus par, κτίσμα Μαρκέλλου, *opus Marcelli*, teste Strabone, sed cuius incertum. Ab colonia eo missa, quæ nobilibus & patriciis constitit, Patriciæ, vt verosimile est, nomen tulit, quo & in numo Augusti Vaill. Numism. Colon. T. I. p. 40. appellatur. Illustrem eam natalibus suis reddidere ambo Senecæ & Lucanus, de quibus Martialis: Lib. I. Epigr. 62. v. 78.

Duosque Senecas, vnicumque Lucanum
Facunda loquitur Corduba.

§. XVII.

De numo Ἐλευθερναίων. ΕΛΕΥΘΕΡΝΑΙΩΝ numum ex Ill. Spanhemio in opere præclaro de numis vrbium & populorum, ex regio Gallorum thesauro, alium in eruditis ad Plinium notis laudat sodalitii sui decus Cl. Harduinus. Poterat vel eosdem vel alios vberius describentem aduocare doctissimum Holstenium, cuius hæc sunt verba: „ In præclaro numo argenteo „ Serenissimi magni Ducis, in cuius vna parte caput Iouis, vel potius „ Curetæ, barba rasa, ab altera circum Apollinem stantem cum arcu „ legitur litteris inuersis: ΕΛΕΥΘΕΡΝΑΙΟΝ". Item paulo post. „ In „ numo Franc. Gottifredi circum Apollinem sedentem legitur ΕΛΕΥ- „ ΘΕΡΝΑΙΟΝ". Posterior est haud dubie Goltzianus, ad Thernæos Thraciæ perperam relatus, quod inscriptionis litteras priores temporis iniuria corrupisset. *Inter Thraciæ vrbes*, inquit Nonnius ad numum illum, *Thernam Stephanus Byzantius enumerat, apud ceteros scriptores altum de illa silentium.* Sed quanquam & Θερναίων numum e cimelio regio Gallorum, citat Cl. Harduinus, vix dubitari tamen potest, quin errore haud insolito bis eadem vrbs occurrat apud Stephanum, primo vero nomine Θέρμης, deinde corrupto Θέρνης. Descriptio enim vtriusque fere eadem. Vtraque vrbs Thraciæ, vtriusque gentile in αῖος. Sed quoquo pacto res de Stephano habeat, numum Goltzianum ab eo, quem ex museo Francisci Gottifredi citat Holstenius, haud diuersum, omninoque Ἐλευθερναίων esse, prout & suboluit Cl. Harduino, docebit eiusdem delineatio ad prototypum gazæ nostræ longe integerrimum expressa, quam subiungo.

(Margin: De Vsu & præst. Edit. Amstel. 4 p. 902. — Opp. Sell. p. 53. — Lib. IV. Sect. XX. c. 12. T. I. Edit. nouiss. p. 209. sq. — Ad Steph. p. III. — Græc. Tab. XXVII. — Comment. in Græc p. 155. — L. c. p. 69. — L. c. p. 55.)



Cernitur nempe eadem ratione atque apud Goltzium hinc caput Apollinis laureatum, inclusumque circulo radianti, illinc idem Apollo sedens, dextra porrecta globum tenens, sinistra innixus cortinæ, iuxta quam cithara, & ante stella. Inscriptio clarissime habet: ΕΛΕΥΘΕΡΝΑΙΩΝ vltima vocali longa, non breui, vt Holstenius eam binis vicibus sistit, tametsi ceteroqui ea permutatio litterarum istarum in numis antiqui-

antiquioribus, quod H & Ω diu Græci caruerunt, haud raro occurrit. Eleuthernæ, numero multitudinis, vt eſt apud Plinium, oppidum Cretæ, Græce ΕΛΕΥΘΕΡΝΑ, dictum alias ΕΛΕΥΘΕΡΑΙ; neque enim diuerſam eſſe crediderit hanc vrbem, qui, quam parum intercedat diſcriminis inter nomina hæc, in inſula non nimis magna, ſi diuerſas vrbes notarent, facile permiſcenda, expenderit, & obſeruarit præterea cum Cellario noſtro, Ptolemæum & Notitiarum auctores, qui Eleutheram vel Eleutheras nominant, non agnoſcere Eleuthernam, & viciſſim, qui hanc habent, Eleutherarum vel Eleutheræ nomine carere. Accedit, Stephanum, qui & Ἐλευθερὰς & Ἐλευθέρνην nominat, Cretæque adſcribit, ita vtramque commemorare vrbem, vt vnam eſſe facile appareat. Vtramque enim ab Curetum aliquo, quem ad vocem Ἐλευθεραὶ Ἐλευθῆρα appellat, id nominis tuliſſe docet. Ceterum Eleuthernæos hos viribus polluiſſe quondam, vel id ſatis arguit, quod Timarchum, ciuem ſuum, a Polemocle, claſſis Rhodiæ præfecto, vt Cnoſſiis gratificaretur, occiſum ſuſpicati primores a Rhodiis repetiere, deinde bellum iisdem intulerunt. Qua ratione vrbem eorum, propugnaculo turris, expugnatu difficillimæ, tutam, Metellus ceperit, narrat Dio, cui illa Ἐλευθέρα dicitur. Apollinem numis ſuis inſculpſerunt Eleuthernæi Γαξίων & Λαππαίων in Creta exemplo, cuius rei rationem nos, vt ſupra dictum eſt, Cicero docet, qui Apollinem Cretenſem Corybantis filium appellat. At viciſſim Corybantes, & quos alii eosdem ſtatuunt, Curetas Apollinis filios ſtatuunt mythologi. Tzetzes in Lycophronem: Οἱ μὲν Κούρητες, Δαναΐδος, Νύμφης Κρήσσης καὶ Ἀπόλλωνος παῖδες. οἱ δὲ Κορύβαντες, Θαλείας καὶ Ἀπόλλωνος. h. e. *Curetes, Danaidis, Nymphæ Cretenſis, & Apollinis filii. Corybantes Thaliæ & Apollinis.* Ab Curete autem aliquo Eleuthere, Eleuthernam dictam Stephanus tradit, vnde noua patet ratio, cur Apollinis, quo patre geniti Curetes, imago in numo eius vrbis expreſſa appareat.

v. Spanh. l. c. T. I. p. 95. 98.
L. c.
Geogr. L. II. c. 14. p. 1271.
voc. Ἐλευθεραὶ & Ἐλευθέρνα.
Polyb. L. IV. p. 319.
Lib XXXVI. p. 8.
§. XI.
De Nat. deor. Lib. III. c. 23.
Strab. Lib. X. p. 472. ſq.
Hygin. fab. CXXXIX. p. 207. Edit. Munkeri. cuius notas conſule.
conf. Spanh. ad Callim. p. 21.
Ad ℣. 78. p. 12.

§. XVIII.

Erythrarum in Bœotia numum deſcribit Cl. Harduinus argenteum & perpulchrum, apud D. Marchionem de MONTAVBAN a ſe viſum, parte anteriori vultum exhibentem Alexandri magni, tecto capite pelle leonina; in altera pagina, vt idem obſeruat,


De numis cum inſcript. ΕΡΥ.
L. c. p. 56.

„ ΕΡΥ cum auicula:
„ Claua Herculis.
„ ΔΙΟΠΕΙΘΗΣ.
„ Pharetra cum theca.

Addit vberius numum explicaturus: „ Erythras in Bœotia Plinius
„ commemorat Libro IV. ſect. XII. *Fuere Bœotiæ Thebæ*, inquit ille
„ ibidem, *duorum numinum, Liberi atque Herculis (vt volunt) patria.*
„ Claua Herculis; pharetra ſymbolum Liberi eſt. Thebis ab Alexan-
„ dro expugnatis, vt Plinius refert Lib. XXXIV. ſect. IX. videtur
„ moneta ab eodem tranſlata fuiſſe Erythras. Erythrenſis magiſtratus
„ nomen eſt Διοπειθής. Auiculam perdicem eſſe ex Plinio intelligimus:

„ quo

„ quo teſte Libro X. ſect. XLI. *Perdices non transuolant Bœotiæ fines* „ *in Atticam*". Hic ne quis ſingulari prorſus de numo agi credat, eiusdem commatis tres alios, duos ex argento, vnum ex ære, quos gaza noſtra complectitur, exhibendos duxi.



Aduerſas horum numorum partes, ſi conferamus inter ſe, patebit illico, quando tertius æreus caput barba inſigni notatum exhibet, Alexandri id non eſſe, ſed Herculis, quem Veteres modo imberbem, modo barbatum finxere. Auerſæ quidem paginæ argenteorum deſcriptioni Cl. Harduini vtique conſentiunt. Litteris ΕΡΥ impoſita eſt auicula; ſequitur claua Herculis cum nominibus eorum, qui magiſtratum geſſerunt, quorum alterum eſt ΑΠΕΛΛΑΣ, *Apellas*, alterum ΠΕΛΟΠΙΔΗΣ, *Pelopides*. Poſtremum eſt pharetra tæniola reuincta cum arcu, quam pharetram in theca cur appellet vir eruditiſſimus, non ſatis intelligo. In tertio æreo omiſſis his ſymbolis poſt litteras, ΕΡΥ, legitur: ΑΡΙΩΝ ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΥ, *Arion Apollonii*, quod hominis magiſtratu fungentis nomen eſt, perinde ac ΠΕΛΟΠΙΔΟΥ, quorum vtrumque in
L. c. p. 213. ſqq. Indice Cl. Harduini, qui nomina magiſtratuum, prætorum, Pontificum aliorumque in numis antiquis vrbium & populorum ſiſtit, fruſtra quæras. In explicatione vero ipſa viri doctiſſimi haud vna profecto ſunt, quæ velut certa ponit, cum incerta prorſus ſint, & alio longe veroſimilius trahi poſſint. Primo enim, vnde probabit nobis, litteris ΕΡΥ Erythras omnino deſignari, cum alia eas explicandi ratio non deſit? Vnde probabit Erythras Bœotiæ, quarum rudera tantum
Bœot. p. 283. ſuo tempore ſuperfuiſſe Pauſanias teſtatur? Addit idem ſcriptor de iisdem Erythris & Hyſiis iunctim, πόλεις ποτὲ τῶν Βοιωτῶν ἦσαν, h. e. *vrbes quondam Bœotorum erant.* Vnde qua veri ſpecie affirmari poteſt, Thebis ab Alexandro expugnatis videri monetam ab eodem fuiſſe translatam Erythras, cum probabile videatur, Erythræos fortuna non benigniori vſos, quam Thebanos, eodemque tempore ab Alexandro deletos. Neque enim id arguit caput Alexandri magni, quod & Herculis potius eſt, prout vultus barbatus in æreo numo noſtro, ne alia nunc afferam, ſatis declarat, &, ſi vel maxime Alexandri foret, alia quacunque de cauſa numo inprimi potuit. Quo autem iure porro partis auerſæ ſymbola, clauam & pharetram, ita interpretetur vir eruditiſſimus, vt illam Herculi, hanc Libero vindicet, ipſe viderit, cum vtramque Herculis eſſe ne dubitari quidem poſſit, qui *ſcytalo-ſagitti-*

pelliger

pelliger Tertulliano propterea dicitur, vnde & Commodus, *Herculis Romani* sumta persona, numo, in quo est inscriptio HERCVLI ROMANO, iuxta clauam, arcum & pharetram insculpi iussit. Nempe Hercules, vt Boethius de eo, de Pallio c. 5. ap. Trist. T. I. p. 728. Oisel. Tab. 44. n. 7. Conf. Philos. Lib. IV. 7.

Fixit & certis volucres sagittis,

Stymphalides nempe, & de Commodo, vt auctor est Dio, manabat rumor, in animo ei esse, sagittis quosdam conficere, vt Hercules Stymphalides. Pharetram autem ad Liberum patrem pertinere quis credat, cui longe diuersa in antiquis monumentis symbola tribuuntur. Quod denique sub auiculae effigie perdicem hic venatur vir celeberrimus, admodum vereor, vt operæ pretium ferat. Dabo ei, perdices, vt est apud Plinium, non transuolasse Bœotiæ fines in Attica, vel Atticam, vt vir doctissimus emendabat, quam emendationem tamen ex noua Plinii sui editione eiiciendam putauit, quia Bœotiæ ager Attico longe præstat. Bœotia enim, Strabone teste, cum magnitudine æquet Atticam, aut etiam superiorem agnoscat, soli tamen præstantia multo eam post se reliquit. Quando autem perdices transuolare alias etiam in partes ab Occidente, quam in Atticam, quæ ei versus Orientem adiacet, potuerunt, haud scio, quo pacto colligere hinc liceat, tantam fuisse earum copiam in Bœotia, vt ea se venditandi occasio Erythræis nasci potuerit. Taceo, si ita res haberet, haud dubie & aliarum Bœotiarum vrbium numos, quos Goltzius collegit, similem auiculam fuisse exhibituros, quæ vero nulla in iisdem reperitur. In Exempl. Xiphil. p. 827. Lib. X. sect. 41. c. 29. T. I. p. 560. Lib. IX. p. 400. Græc. T. XVI. sq.

§. XIX.

Rectius igitur hos numos ad Siciliæ oppidum, Erycem, cuius incolæ Erycini dicti, reuocabimus, præeunte inprimis viro summæ in his rebus auctoritatis, Ezechiele Spanhemio, qui postquam ex Athenæo atque Aeliano obseruasset, festum fuisse apud Erycinos, dictum Ἀναγώγια, *proficiscentis* nempe *Veneris*, quod nullæ tum essent columbæ, alioquin circa templum illius Deæ frequentes, alterumque item Καταγώγια, seu *reuertentis Deæ*, quo vnam columbam, eamque purpuream, e mari præuolantem rursus ad Deæ fanum secutæ sunt aliæ, eoque retulisset columbam in Erycinorum numis apud Parutam expressam, ita pergit: „ Quo spectare obseruo alium numum Erycinorum gazæ „ Mediceæ, in quo illinc caput virile ornatum spolio leonino, hinc „ pharetra, claua & columba conspiciuntur; quorum illa ad Hercu„ lem, Erycis in eo tractu victorem; hæc ad sacrum Veneri locum „ & festi ac columbæ huius memoriam sunt omnino referenda". Patet igitur iam, & quid Hercules sibi velit, cuius cum Eryce pugnam ad numos Erycinorum ipse Harduinus ex Hygino & Pomponio Sabino ad Virgilium narrat, & quid auicula, quam non perdicem, sed columbam esse, alii Erycinorum numi ita manifestum reddunt, vt dubitationi locus nulli superesse videatur. Est vero præterea, quod mirere, qui factum sit, vt Erycinos cum Erycæis confuderit vir toties nobis laudatus. Ita enim ille ad numos ΕΡΥΚΕΙΝΩΝ: „ Plinio Lib. III. De iisdem plura. T. I. p. 168. L. c. L. c.

 „ sect.

„ ſect. XIV. in Sicilia, Erycini Stephano: Ἐρύκη, Σικελικὴ πόλις . . . . „ τὸ ἐθνικὸν, Ἐρυκαῖος. Adde ϗ Ἐρύκειος vel Ἐρυκηνός". Atqui alia, quod recte obſeruat Holſtenius, vrbs fuit Eryce in Sicilia, vnde Erycæus, & alia Eryx, vnde Erycinus, quorum numos attulimus. Auctor Etymologici, ad quem idem prouocat: Ἔρυξ, πόλις Σικελίας ἀρσενικῶς. Τὸ ἐθνικὸν, Ἐρυκῖνος, τὸ θηλυκὸν Ἐρυκίνη. Ἔστι δὲ ϗ Ἐρύκη πόλις ϗ Ἐρυκαῖος· hoc eſt: *Eryx vrbs Siciliæ, in maſculino genere, gentile Erycinus, fæmininum Erycina. Eſt & Eryce vrbs, & Erycæus.* Simili ratione & Stephano poſt Erycen diſtincte memoratur Eryx vrbs, perinde ac mons vicinus, ab Eryce Veneris & Bytæ filio nomen ſortita, cuius gentile Ἐρυκῖνος, ita, vt idem illud cum gentili Ἐρυκαῖος, aut vrbem Veneris Erycinæ templo & cultu claram, cuius ſunt numi cum Parutæ tum præſentes, quam tamen ne nominat quidem vir eruditiſſimus, cum alia diuerſa permiſcere nullo modo liceat,

[Margin: Ad Steph. p. 115. — Voce Ἔρυξ.]


§. XX.

[Margin: De numo Ἡρακλητῶν. — Tab. IX. ſq. — Tab. 80. — De num. Vrb. & pop. Opp. Sell. p. 66. — Lib. IV. p. 160. — De Præſt. & Vſ. Numiſm. T. I. p. 573. — Lib. III. p. 92. — Lib. X. p. 428. — Lib. V. §. 50. 51. — Aſia Tab. IV.]

ΗΡΑΚΛΗΤΩΝ numos in Sicilia produxere Goltzius & Paruta, quos ad Heracleam Acarnaniæ Cl. Harduinus reuocat. Sed quod ΑΘΗΝΗ ΧΑΛΚΙΟΙΚΟΣ, *Minerua Chalciœcos*, Lacedæmoniorum tutelaris Dea, in iisdem expreſſa cernitur, ad Lacedæmoniorum coloniam, atque adeo ad Herculeam Siciliæ, quam a Dorieo Lacedæmonico conditam teſtatur Diodorus, referre mauult Ill. Spanhemius: „ Cum vero, inquit, „ alia eo nomine Heraclea, nempe quæ Trachin ſeu Trachiniæ, aut „ ab Oeta monte, ſub quo illa erat ſita, dicitur, conditores habu- „ erit, iuxta Thucydidem ac Strabonem, Lacedæmonios; hinc ad „ eandem Heracleam referri idem numus videretur: in quo nempe „ pro more, quem diximus, Coloniarum, Spartana Dea ibidem cul- „ ta ſignaretur. Quamquam obſtare continuo poſſit, quod Ἡρακλεῶται, „ non, vt in adducto illo numo, ΗΡΑΚΛΗΤΑΙ, dicantur illi *Hera-* „ *clienſes Trachinii* apud eundem Thucydidem aliosque, ac in numis „ inſuper ΗΡΑΚΛΕΩΤΑΝ ΤΡΑΧ. Vnde nihil obſtare videtur, vt Siculæ „ *Heracleæ*, cui a Goltzio & Paruta tribuuntur iidem illi *Heracleæ*, cum „ ſignata in iis *Minerua Chalciœco*, numi, natales ſeu origo ad Lace- „ dæmonios referantur; idque arguat omnino peculiaris illius Spar- „ tanorum Deæ, ΑΘΗΝΑΣ ΧΑΛΚΙΟΙΚΟΥ, ſignata in eo effigies ac „ nomen". Mirum vero, nec de vrbis huius Patronymico, nec de ſpiritus aſperi nota, quæ addita illi in his numis cernitur, virum ſummum vel verbum addidiſſe. Quod enim ad prius attinet, ſane ΗΡΑΚΛΗΤΩΝ in omnibus iis, quos Goltzius exhibet, numis legitur. Sed ab vrbe ΗΡΑΚΛΕΑ vel ΗΡΑΚΛΕΙΑ gentile ΗΡΑΚΛΗΤΗΣ inſolens prorſus & ſcriptoribus ignotum. Stephanus poſt recenſitas Heracleas viginti tres: Τὸ ἐθνικὸν, inquit Ἡρακλεὺς, ϗ Ἡρακλειώτης ϗ Ἡρακλεώτης ϗ Ἡράκλειον ϗ Ἡρακλεωτικὸν, h. e. *Gentile Heracleus & Heracleotes. Eſt & Heracleum & Heracleoticum*, vbi nulla prorſus mentio gentilis, ΗΡΑΚΛΗΤΩΝ. Vnde tametſi in numis haud vnis Goltzius, neque vno in loco, (nam & Heracleotarum in Ponto numos ſic inſcriptos exhibet) gentile id nobis obtrudit, de vera tamen vocis eius ſcriptura tanto maiori, vt arbitror, iure poteſt dubitari, quod Goltzianis alios ſubiungit Pa-

ruta,

ruta, in quibus ΗΡΑΚΛΕΙΩΝ legitur. Vnde quid procliuius, quam ſuſpicari, in Goltzianis illis numis non ΗΡΑΚΛΗΤΩΝ ſed ΗΡΑΚΛΗΙΩΝ fuiſſe. Ita enim vocem eam manifeſte exhibet numus theſauri Fridericiani, cuius iconem ſubiungo.



Sed hactenus de voce ipſa ΗΡΑΚΛΗΤΩΝ; de nota accentus aſperi porro videamus, quæ eſt ⊢. Quæ cum in ſingulis, quos protulit Goltzius, & quos vnos ob oculos habuit Ill. Spanhemius, numis expreſſa conſpiciatur, ſummopere profecto mirandum, impetrare a ſe potuiſſe virum ſtupendæ in omnibus iis, quæ ad hanc doctrinæ partem illuſtrandam ex numis antiquis peti poſſunt, diligentiæ, vt ſicco eam prorſus pede præteriret. Optima ſane de ea agendi occaſio ſe ei offerebat, cum de Η nota aſpirandi commentaretur, quam numi haud vni ſiſtunt. (T. I. p. 95.) Cum illam enim inter litteras Græcas, vna cum aliis tribus ΖΨΩ, Simonides Ceus retuliſſet, „ poſtea, vt notat Scaliger, „ vſus obtinuit, vt ſecta hac littera aſpirandi notam exhiberet, dextra „ ſui parte ſic ⊢, ſiniſtra autem, quæ contraria eſſet, contrariam quo„ que ſignaret ſic ⊣". (Plin. Lib. VII. c. 85. Sect. 57. T. I. p. 412. De Cauſſ. Lat. lingu. Lib. II. c. 54.) Quod vero addit, eaſdem notas non iam inter litteras occupaſſe locum, ſed tanquam apices litteris fuiſſe impoſitas, id antiquis ſaltem temporibus ſecus habuiſſe, vel teſtimonio huius numi conſtat, in quo nota ⊢ inſcriptioni horum numorum ita præfixa eſt, vt minus attentis & ipſa littera videri poſſit. Celeberrimus Montfauconius has ſpirituum notas ex littera Η duas in partes diuiſa formatas Ariſtophani Byzantio deberi contendit; quod alienum a vero eſſe, quocunque ille id auctore (nullum enim laudauit) tradat, numi hi, Ariſtophane Byzantio longe antiquiores, abunde docent. (Palæogr. Lib. I. c. 4. p. 33.)

§. XXI.

Iætiam, Siciliæ vrbem, commemorat Stephanus. Verba ſunt Ἰαιτία, πόλις Σικελίας. Φίλιστος Σικελικῶν δευτέρῳ. Τὸ ἐθνικὸν Ἰαιτῖνος. h. e. *Iætia, vrbs Siciliæ. Philiſtus Libro II. rerum Sicularum. Gentile Iætinus.* Ad eam ſpectat numus apud Parutam, in qua laurea cum verbis: ΙΑΙΤΙΝΩΝ, ſpectat & ſequens theſauri noſtri. (*De numo Ἰαιτίνων.* voce Ἰαιτία. Sicil. Tab. LXXXVII. p. 63.)



Pars aduerſa caput barbatum & pelle leonina cinctum Herculis, cum inſcriptione . . . ΑΙΤΙΝΩΝ & nota Ж, altera figuram triquetram Siliciæ exhibet. Cum & in Siciliam venerit Hercules, ſuique ibi memoriam, inprimis pugna cum Eryce, ad poſteros transmiſerit, qua de re videndus Diodorus, mirum non eſt, caput eius cum in aliis Siculorum numis, tum & in hoc cerni. Panormitanorum, vt de aliis taceam, geminum prorſus, ſiue aduerſam, ſiue auerſam eius partem conſideres, affert Paruta. Hic ΙΑΙΤΙΝΩΝ eſt, tametſi non legitur niſi . . ΑΙΤΙΝΩΝ, nota nempe illa, quam impreſſam numo dixi, litteram initialem Ι occultante. De vrbe hac parum conſtare fatetur vir doctus ad Stephanum. Ac certe niſi Ἰετίνους apud Diodorum Siculum, & Letinos apud Ciceronem, pro quibus Ietinos ſubſtituit Cluuerius, cum Letini omnino nulli in Sicilia, de cuius incolis illi ſermo eſt, inueniantur, Etinos item apud Plinium huc reuocemus, nullam facile mentionem apud veteres eorum præterea factam reperiemus. Miror vero, ſerio eundem affirmare, iuxta litterarum ordinem apud Stephanum ſcribendum eſſe ΙΑΙΘΙΑ. Nempe præceſſerat vox ΙΑΘΡΙΠΠΑ. An vero inde efficitur, debere in ſequenti quoque Θ eſſe? Neutiquam vero. Neque enim ordine Alphabetico, quem Stephanus obſeruauit, littera Τ vocis ΙΑΙΤΙΑ, quæ quarta eſt, componenda cum littera Θ tertia voce ΙΑΘΡΙΠΠΑ ſed eum ſequenti Ρ quam iure ſubſequitur, perinde vt præcedens Ι litteram Θ. Sed quid opus verbis eſt? Nemo, qui voces ΙΑΘΡΙΠΠΑ, ΙΑΙΤΙΑ, ΙΑΛΗΣΣΟΣ recte conſiderarit, vnquam credet, vel ſcribendas vel collocandas eas aliter fuiſſe. Subſequuntur hæ voces ſeſe inuicem, perinde, vt in littera Γ, apud eundem Stephanum, voces ΓΑΘΕΑΙ, ΓΑΙΤΟΥΛΟΙ & ΓΑΛΑΔΑ, vbi equidem, quod notior ſcilicet Gætulorum gens eſſet, non video, notari a viro docto, iuxta ordinem litterarum non ΓΑΙΤΟΥΛΟΙ, ſed ΓΑΙΘΟΥΛΟΙ ſcribendum eſſe. Non confundenda autem Ἰαιτία hæc cum Ἰεταῖς, tametſi eandem vrbem faciunt cum Ortelio, Paruta, Cellarius, Cl. Harduinus aliique. Nam Etinos, quos eosdem cum Iætinis arbitror, inter Entellinos & Enguinos; Ietenſes vero, Ietarum incolas inter Ichanenſes & Mutuſtratinos Plinius collocat, tametſi Holſtenius, qui & ipſe ceteroqui hæc oppida diuerſa ſtatuit, affirmat, hodie non conſtare, vbi ſita fuerit Iætia, adeoque ex ſitus diuerſitate dirimi hanc litem non poſſe. Præterea vero oppidum Ἰεταὶ non modo ſcribendi ratione differt haud parum, ſed & gentile longe aliter flectit, vnde omnino, cur diuerſa Ἰαιτία & Ἰεταὶ ſtatuenda ſint, ſatis cauſæ eſſe crediderim. De poſteriori ex eodem Philiſto, ſed tamen alio eius libro ita Stephanus: ΙΕΤΑΙ, Φρούριον Σικελίας θηλυκῶς. Φίλιστος ἕκτῃ. Τὸ ἐθνικὸν Ἰεταῖος καὶ Ἰεταῖα, h. e. *Ietæ, caſtellum Siciliæ. Philiſtus libro ſexto. Gentile Ietæus & Ietæa.* Eundem Stephani locum ad Plinium, vbi is

Lib. IV. p. 160. ſq. — Tab. II. n. 24. — p. 316. — Eclog. p. 878. — In Verr. III. c. 43. — Lib. III. c. 8. ſect. 14. T. I. p. 163. — Theſ. Geogr. Voce Ietas. — L. c. Geogr. — Lib. II. c. 12. T. I. p. 1011. — Harduin. ad Plin. l. c. — L. c. — Ad Steph. p. 141. — voce Ἰεταί.

is Ietenſes recenſet, laudat Cl. Harduinus; ſed, quod eosdem, vel ΙΑΙΤΙΝΩΝ apud Parutam numo, vel voce corrupta Ἰετίνων apud Diodorum deſignari ſtatuit, ex dictis, vt puto, ſatis refellitur. L. c.

§. XXII.

Numum ΙΤΑΝΙΩΝ ex Goltzii theſauro citat doctiſſimus Harduinus, apud Cl. Meneſtrier ſe vidiſſe Holſtenius affirmat. Per tranſennam ac feſtinanter admodum viderit vir eruditiſſimus neceſſe eſt, qui, contra quam alias plerumque mos eius fert, nulla prorſus ratione deſcriptum dedit. Tanto gratius me facturum ſpero harum rerum ſtudioſis, ſi prætermiſſam eius numi deſcriptionem, pro inſtituti huius ratione, ex theſauro noſtro ſuppleuero. Similisne ſit noſter, cuius duo exempla ſeruamus, Meneſtrieriano, equidem neſcio; ſed qualiscunque ſit, ita eum chalcographus expreſſit.

De numo Ἰτανίων. p. 217. L. c. 75. Ad Steph. p. 151.



Aduerſa eius in parte caput galea tectum, imberbe; in auerſa aquila, ad cuius latus monſtrum marinum. Inſcriptio ΙΤΑΝΙΩΝ. Ἰτάνιοι, quorum eſt numus, ciues vrbis Cretæ, Itani, cuius luculenta apud Herodotum mentio. Neque prætermiſit illam Ptolemæus, apud quem in auſtralis Cretenſium lateris deſcriptione vltimum locum occupat. De eadem Stephanus: ΙΤΑΝΟΣ, inquit, πόλις ἐν Κρήτῃ ἀπὸ Ἰτανοῦ, Φοίνικος, ἢ τῶν Κερήτων ἑνὸς μιγάδος. Οἱ πολίται Ἰτάνιοι. h. e. *Itanus, vrbs in Creta, ab Itano Phœnice vel ab vno Curetum conuena. Ciues Itanii.* Ex his ipſis manifeſtum eſt, quo ſpectet galeatum caput numo inſculptum. Eſt nempe Itani, conditoris, quem Φοίνικα, vel Κερήτων ἕνα μιγάδα appellat Stephanus. Curetem vero vel galea declarat; galeati enim armatique Curetes, quo pacto & in hac veterum numorum ſupellectile occurrunt, νέοι quippe, vt eſt apud Strabonem, ἐνόπλιον κίνησιν μετ᾽ ὀρχήσεως ἀποδιδόντες. h. e. *iuuenes*, vt paulo liberius vertit interpres, *in armis ſaltantes.* Aquila, Iouis ales, eiusdem cultum denotat, in Creta quippe, eiusque monte vel Dictæo vel Idæo (nam vter ſit, adhuc lis eſt ſub iudice) nati, atque inde nomina ΚΡΗΤΑΓΕΝΟΥΣ, & ΚΡΗΤΑΙΟΥ adepti. Poſterius fert in rariſſimo Aegienſium, quem noſtra in gaza reperias, numo, cuius aduerſa in parte caput Iouis barbatum ac laureatum, cum inſcriptione: ΑΙΓΙΕΩΝ. In auerſa idem Iupiter vultu iuuenili & imberbi, ſtans; dextra fulmen, ſiniſtra aquilam tenens cum epigraphe: ΘΕΟΞΙΟΣ ΚΡΗΤΑΙΟΣ. Eundem numum e cimeliarchio regio Gallorum produxit & explicauit Ill. Spanhemius. ΚΡΗΤΑΓΕΝΟΥΣ nomen Iouis tribuitur in Titi numo apud Triſtanum, in quo hinc caput eius Imperatoris cum inſcriptione maximam partem detrita: ΑΥΤΟ. ΤΙΤΟC, illinc Iupiter, dextra fulmen, ſiniſtra pluuiam

Lib. IV. c. 151. L. III. c. 17. p. 91. Lib. X. p. 468. Spanh. ad Callim. p. 5. Epiſt. II. ad Beger. ſubi. Obſeru. & coniect. in numiſm. antiqu. T. II. p. 250.

immittens, inter ſeptem ſtellas, addita epigraphe: ΖΕΥϹ ΚΡΗΤΑΓΕΝΗϹ, & in alio argenteo gazæ noſtræ, qui altera ex parte Auguſti, ex altera Iouis caput ſiſtit, cum inſcriptione ex parte mutila: ΙΕΡΑ . . . . . ΤΑΝ. ΚΡΗΤΑΓΕΝΗΣ, de quo quidem haud vulgari theſauri noſtri ornamento in poſtremo, ad quod pertinet, huius tractationis capite, vbi de numis maximi moduli, quos vulgo *medaglioni* appellant, pluribus agendum erit. Vt ad præſentem redeam, monſtrum marinum, quod in eo præterea expreſſum cernitur, potentiam maritimam deſignat. De antiquiſſimo eorum rege Minoë Thucydides: Μίνως παλαιότατος, ὧν ἀκοῇ ἴσμεν, ναυτικὸν ἐκτήσατο, καὶ τῆς νῦν Ἑλληνικῆς θαλάσσης ἐπὶ πλεῖστον ἐκράτησε· καὶ τῶν Κυκλάδων νήσων ἦρξέ τε, καὶ οἰκιστὴς πρῶτος τῶν πλείστων ἐγένετο, Κᾶρας ἐξελάσας, καὶ τοὺς ἑαυτοῦ παῖδας ἡγεμόνας ἐγκαταστήσας. Τό, τε ληστικὸν, ὡς εἰκὸς, καθῄρει ἐκ τῆς θαλάσσης ἐφόσον ἠδύνατο, τοῦ τὰς προσόδους μᾶλλον ἰέναι αὐτῷ. h. e. „ *Minos eorum, quos auditu cognouimus, antiquiſſimus, claſſem* „ *ſibi comparauit, maximamque partem maris, quod Græcum nunc vo-* „ *catur, in ſuam poteſtatem redegit: & Cycladum inſularum dominatum* „ *obtinuit, & in earum pleraſque primus colonias deduxit, Caribus inde* „ *pulſis, ſuisque filiis ibi in imperio conſtitutis. Præterea latrones, (vt* „ *eſt veriſimile) quoad potuit, e mari ſuſtulit, vt reditus ad ſe faci-* „ *lius tutiusque venirent*". *Hinc & Strabo*: Καὶ γὰρ ναυκρατεῖν πρότερον τὰς Κρῆτας, ὥστε καὶ παροιμιάζεσθαι πρὸς τοὺς προσποιουμένους μὴ εἰδέναι ἃ ἴσασιν. Ὁ Κρὴς ἀγνοεῖ τὴν θάλασσαν. h. e. „ *Etenim maris imperium tenuiſſe Cretas* „ (intellige Ephorus tradit) *ita & prouerbium inde vſurpari cœperit ad-* „ *uerſus eos, qui ſimulant neſcire, quæ ſciunt: CRETENSIS IGNO-* „ *RAT MARE*". Pertinent huc illa Senecæ:

Cap. XI. §. VII.

Lib. I. c. 4. p. 3.

Lib. X. p. 481.

Hippolyt. v. 84. ſqq.

O magna vaſti Creta dominatrix freti,
Cuius per omne littus innumeræ rates
Tenuere portum, quicquid Aſſyria tenus
Tellure Nereus peruium roſtris ſecat.

§. XXIII.

De numo cum inſcr. ΚΕ ΤΕΡ. Lib. IX. cap. 6. §. 84. Theſ. p. 218.

Cephallenios equi nota in numis ſuis vſos memoriæ prodidit Pollux. Sed ex iis nullus adhuc lucem adſpexit, tametſi inſcriptionem: ΚΕΦΑΛΛΗΝΙΩΝ ex numo Goltzius laudat. Videndum, an ſpectet ad eos numus ſequens gazæ noſtræ.



Aduerſa in parte caput Iouis barbatum & lauro cinctum; in auerſa equus dimidius cum fulmine. Adſcriptum eſt ſupra ΚΕ, quod interpretor ΚΕφαλλήνων· Infra ΤΕΡ, quod puto hominis nomen magiſtratu fungentis,

fungentis, forte ΤΕΡτύλλυ. Neque enim iunctæ illæ litteræ vocem efficiunt, quæ huc quadrare possit: Vnde cum separatim sint explicandæ, haud scio, an trahi alio maiori veri specie possint. De Cephallenia insula Thucydides: Κεῖται ἡ Κεφαλληνία κατὰ Ἀκαρνανίαν καὶ Λευκάδα, τετράπολις οὖσα, Παλλεῖς, Κράνιοι, Σαμαῖοι, Πρώναιοι. h. e. *Cephallenia sita est e regione Acarnaniæ & Leucadis, & in ea sunt quatuor eius ciuitates, Pallenses, Cranii, Samæi, Pronæi.* A Cephalo insulam Pausanias, ab eius filiis vrbes eius appellatas Stephanus tradit. Romanis insulam, domitis Aetolis, subiecit M. Fuluius, Samæis diu resistentibus, qui, capta post obsidionem quatuor mensium vrbe eorum, sub corona omnes venierunt, prout Liuius memoriæ prodidit. Eius vrbis vestigia, adhuc suo tempore superfuisse narrat Strabo, qui & docet, C. Antonium, M. Antonii patruum, aliam ibi vrbem exstruere coepisse, cum, post gestum cum Cicerone consulatum, in Cephallenia degeret, totique insulæ, tanquam possessioni suæ, imperaret, sed reuocatum in patriam cœptum opus haud absoluisse. Idem Strabo commemorat insulæ huius montem, Aenum, Iouis Aenesii fano inclytum, de quo & Scholiastes Apollonii, vnde locum Strabonis, antea corruptum, emendauit Xylander, Ἔστι, inquit, καὶ Αἶνος ὄρος τῆς Κεφαλληνίας, ὅπου Αἰνησίου Διὸς ἱερόν ἐστι, οὗ μνημονεύει Λέων ἐν Περίπλῳ, καὶ Δημοσθένης ἐν τοῖς λιμέσι. h. e. *Est & Aenus mons Cephalleniæ, vbi Aenesii Iouis fanum est, cuius meminit Leo in Periplo, & Demosthenes in Portubus.* Affert etiam locum Hesiodi, Iouis eiusdem mentionem facientis: Ἔνθ' ὅιγ' εὐχέσθην Αἰνηΐῳ ὑψιμέδοντι, vbi Αἰνησίῳ itidem legendum coniicit Xylander. Eius Iouis caput expressum forte in numo hoc, cuius altera pars, præter equum, fulmen exhibet, quod non tam Iouis, quam pernicitatis equorum Symbolum, quorum prouentu Cephallenii gloriabantur, hoc loco crediderim. Sed vero similiora de numo hoc alii fortasse proferent; mihi non licet explicationi eius longius immorari.

Lib. II. c. 30. — Attic. p. 36. — Voce Κράνιοι. — Lib. XXXVIII. c. 28. sq. — Lib. X. p. 455. — p. 456. — Ad Lib. II. v. 297.

§. XXIV.

Cyzicenorum sequitur numus, quem descriptum adhuc cuiquam reperire haud licuit. *De numo Cyzicenorum.*



Caput fœmineum aduersæ partis corona spicea ornatum non Cereris, sed Proserpinæ est, prout luculenter docent alii Cyzicenorum numi simili capite notati, cum addito elogio Deæ eius: ΚΟΡΗ, *Puella*, vel ΚΟΡΗ ΣΩΤΕΙΡΑ ΚΥΞΙΚΗΝΩΝ, h. e. *Puella Sospita Cyzicenorum.* Causam docet Appianus: Λέγεται ἡ πόλις ἐμπροίκιον ὑπὸ Διὸς τῇ Κόρῃ δοθῆναι. Καὶ σέβουσιν αὐτὴν οἱ Κυζικηνοὶ μάλιστα θεῶν. *Dicitur vrbs hæc dotis lo-* De bello Mithrid. p. 221.

co a Ioue data esse Puellæ (Proserpinæ nempe) *Et colunt eam Cyziceni præ omnibus Numinibus.* Auersam paginam laurea ornat, in qua claua Herculis, superiori ex parte caduceum, Mercurii insigne, reddens, cui Luna bicornis imposita est. Adscriptæ sunt litteræ ΚΥΞΙ, & monogramma ☧. Claua Herculis quid sibi velit, alius Cyzicenorum numus Cl. Harduino memoratus declarat, in quo Herculis effigies, & inscriptio: ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ ΤΟΝ ΚΤΙΣΤΗΝ; vnde patet, eos Herculem vel conditorem vel instauratorem vrbis suæ agnouisse. Herculis clauæ coniunctus est caduceus, qui pacem & otium coniunctamque illi felicitatem, qua fruebantur Cyziceni, designat. Strabo de Cyzico: Ἔστι ἐνάμιλλος ταῖς πρώταις τῶν κατὰ τὴν Ἀσίαν ἡ πόλις μεγέθει τε καὶ κάλλει καὶ εὐνομίᾳ πρός τε εἰρήνην καὶ πόλεμον. h. e. *Contendere vrbs hæc cum primariis Asiæ potest magnitudine & pulchritudine, & optimis institutis legibusque, quibus pacis bellique tempore vtitur.* Hæc vero accepta referebant Herculi conditori Sospitæque Puellæ, quam Luna bicornis designat. Περσεφόνη enim illa, quasi Φωσφόρος, auctore Plutarcho, eodemque sensu Φερσεφάασσα vel Φερσέφαττα dicta, vnde Φερεφάττια, festum eius, de cuius in obsidione Mithridatica celebratione mira referuntur. Eadem igitur Proserpina cum Diana lucifera, seu Hecate noctiluca, vnde & Apuleio modo Ceres, modo coelestis Venus, modo *Phœbi soror*, modo *Proserpina* appellatur. Inde & faces illi tribuuntur, haud diuersæ quippe ab Hecate, de qua Aristophanes:

L. c. p. 88. — Lib. XII. p. 575. — De facie in orbe Lunæ Opp. T. II. p. 942. — V. Spanh. ad Callim. p. 132. — Plutarch. Lucull. p. 197. — Metam. Lib. XI. sub. init. p. m. 357. sq. — Ran. v. 1406. sq.

Διπύρους ἀνέχουσα λαμπάδας
Ὀξυτάταιν χεροῖν. h. e.

Duplices tenens faces
Manibus perquam agilibus.

Alexand. v. 710. — Voce Δάειρα.

Vnde & ipsam Proserpinam Δάειραν, h. e. Δᾳδοῦχον, *tædiferam* nominat Lycophron, ad quam vocem Scholiastes: Περσεφόνη ἡ καὶ Ἴσις...... καὶ ἕτερα μύρια ὀνομάζεται. Δάειρα ἡ παρὰ τὴν δᾷδα, δᾳδοῦχος γὰρ ἡ Θεός. h. e. *Proserpina & Isis . . . . & infinitis aliis nominibus appellatur.* Δάειρα *autem a face. Tædifera enim Dea est.* Hinc & Auctor Etymologici magni: Δάειρα ἡ Περσεφόνη παρὰ Ἀθηναίοις, παρὰ τὴν δᾷδα, ἐπειδὴ μετὰ δᾴδων ἐπιτελεῖται αὐτῇ τὰ μυστήρια, ἢ ὅτι δᾷδα φορεῖ. h. e. Δάειρα *Proserpina apud Athenienses a tæda, quandoquidem cum facibus mysteria eius peraguntur, vel quod tædam gestat.* Quo pacto cum res habeat, nihil impedit, quo minus faces, quæ in Cyzicenorum numis serpentibus circumuolutæ reperiuntur, ad ipsam etiam Proserpinam referantur, vnde non incommode explicari videtur posse numus, in quo iuxta similes faces ædificium, vel turris, cui tres figuræ muliebres insistunt, quarum media binas faces gestat, reliquæ duæ vnam cum inscriptione: ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ ΝΕΟΚΟΡΩΝ. Figuras has ita interpretatur Cl. Haymius, vt media Cererem, reliquarum altera Proserpinam, altera Cybelem designari statuat. Sed vnam eandemque Proserpinam, vt videtur, triplex hæc figura designat. Proserpina enim non diuersa ab Hecate, vt vidimus; Hecatem autem tergeminam exhibent antiqua monumenta, cuiusmodi produxit celeberrimus

Vol. II. p. 6.

berrimus Montfauconius, qui & figuras tres, quas vulgo furias interpretantur, in numo Philippi apud Cl. Seguinum ad eandem refert. Hinc de Proſerpina Apuleius: „ Seu nocturnis vlulatibus horrenda „ Proſerpina, triformi facie laruales impetus comprimens, terræque „ clauſtra cohibens, lucos diuerſos inerrans, vario cultu propitiaris; „ iſta luce fœminea colluſtrans cuncta mœnia, & vdis ignibus nutriens „ læta ſemina, & ſolis ambagibus diſpenſans incerta lumina". Hæc lumina nocturna faces deſignant, quarum duæ illi tribuuntur, pleno orbe lucenti, ſingulæ, vbi lucis partem ſubtrahit. Vnde Cleomedes ex verſione Georgii Vallæ: „ Priſci, inquit, viri tres in Luna figuras eſſe protulerunt, ſurgentem in corona, diuiduam, plenam, „ vnde trinam faciem Triuiam Dianam facere ac dicere conſuetudo „ fuit.

Antiq. Explic. T. I Tab. XC. p. 152.
Select. numism. p. 180.
Metam. Lib. XI. p. 358.
De Mundo Lib. II. c. 6.

§. XXV.

Goltzii fidem admodum labare viris doctis dudum fuit perſuaſum, adeo vt, qui illi vni producuntur vel laudantur numi, non immerito in dubium vocari poſſe videantur. Operæ igitur pretium faciunt, qui huiusmodi monumenta rariora, ſi quæ in muſeis ſuperſunt, denuo publici faciunt iuris, vt viri optimi, & meritis in has litteras iure ſuo florentiſſimi fides, ab ſuſpicione hac magis magisque liberata, tuta in poſterum perſtare poſſit. Huc ſpectat numus Locrorum ſequens, a Goltzio inter numiſmata magnæ Græciæ relatus.

De numo Locrorum Goltziano.
Tab. XXVII. n. 2.



Iouis caput barbatum ab inferiori ſui parte veſtigia tantum litterarum ΛΕ . . . . . præfert, cum in Goltziano numo ſit ΛΕΩΚ. Ab altera parte figura muliebris ſtans laurum ſedenti & manu clypeum tenenti imponit. Abſumtæ ſunt fere litteræ: ΡΩΜΑ, ad dextram partem. Infra vox: ΛΟΚΡΩΝ, prorſus deſideratur in numo ea ex parte mutilata, ſed ad ſiniſtram extat clariſſime ΠΙΣΤΙΣ ΛΕ. De hoc numo ſatis erit Ill. Spanhemium, qui eundem exhibet, ſed paulo aliter, atque eſt noſter & Goltzianus ex editione Biæi, audiiſſe: „ Extat quoque, „ inquit, vt obſeruo, dignusque, qui penitius noſcatur, apud Goltzium numus, in quo hinc . . . . caput Iouis barbatum ſummi „ fidei fœderibus ſancitæ adſertoris ac vindicis, & quam inde in Ca„ pitolio vicinam Iouis optimi maximi eſſe voluerint, vt e Catone „ obſeruat in Officiis Cicero, veteres Romani"; (capiti huic Iouis in

T. I. p. 143. ſq.

Goltziano ΝΕΩΚ. in noſtro ΝΕ adſcriptum eſt) „ illinc vero Roma „ ſedens clypeo innixa, cum duobus iaculis" (ea exhibet Goltzius, ſed nulla apparent in noſtro numiſmate, ſed eorum potius loco gladius forte, aut parazonium) „ cuius autem capiti dextram vel coro- „ nam (coronam vtique, & in Goltziano & in noſtro numo) impo- „ nit mulier ſtans & ſemicincta" (ſemicinctam quodammodo Goltzianus numus exhibet, perinde ac noſter, ſed non ita, vt in Spanhemiana delineatione) „ circum ΡΩΜΗ (ΡΩΜΑ & in Goltziano & noſtro) ΠΙΣΤΙΣ, (Hanc vocem, omiſſam Goltzio ex prima forte illius editione, quam conferre mihi non licuit, hauſit Ill. Spanhemius; recte eam additam eſſe numus noſter comprobat) „ infra ΛΟΚΡΩΝ, „ in medio ΝΕ, *Roma fides Locrorum Neocororum.* Quem autem numum „ non ad *Locros* magnæ Græciæ *Epizephyrios* iuxta Goltzium, ſed Græ- „ cos potius ſpectare bene iam vidit vir eruditiſſimus, Harduinus; „ nempe, vt hoc addam, ad Græcos Ozolas (ſcrib. Locros Ozolas) „ Aetolis finitimos", Ceterum cum figuræ ſtanti in auerſa parte diſerte adiecta ſit vox ΠΙΣΤΙΣ, non licebit eam iam VIRTVTEM interpretari cum Cl. Harduino, quæ omnino FIDES eſt, quod luculenter docent litteræ adiectæ figuram proxime ſculptam, perinde ac vox ΡΩΜΑ ex oppoſita parte, haud dubie deſignantes. Et *Virtutis* alium vulgo habitum, alia inſignia eſſe conſtat, quam numi galeatam & armatam fere exhibent Sed hoc leue eſt; quid facias autem Marco Maiero, qui nihil moratus viros meritis in hanc veterum numorum ſupellectilem illuſtres, qui hunc numum, in quo Locri ΝΕΩΚΟΡΟΙ appellantur, ex cenſu numiſmatum magnæ Græciæ iure meritoque exturbarunt, eundem non modo loco eo, quo eum Goltzius olim repoſuit, reliquit, ſed & in explicatione, qua illuſtrare eum eſt aggreſſus, tam turpiter ſe dedit, vt tot pene errores, quot verba, poſſint numerari. Ita enim ille de numo hoc: „ Di Gioue ſi è piu volte „ parlato nell' altre Medaglie. Le lettere Greche forſe vogliono ad- „ ditare il nome del Regnante allora. La donna ſedente forſe dimo- „ ſtra Pallade, di cui ſopra: l'altra in piedi tall' ora la Vittoria che la „ corona, ò per dir meglio l'vna ſara Bellona, & l'altra Cerere. Le al- „ tre lettere Greche vorranno forſe ſignificare il Nome di colui ch' „ impronto detta medaglia". h. e. *De Ioue ſæpe dictum ad alios numos. Litteræ Græcæ fortaſſe eius, qui tum regnabat, nomen deſignant. Figura ſedens fortaſſe Palladem indicat, de qua ſupra, altera ſtans Victoriam, quæ eam coronat, niſi potius dicendum, alteram Bellonam eſſe, alteram Cererem. Reliquæ litteræ Græcæ ſignificabunt forte nomen eius, qui numum hunc cudit.* In quibus verbis, quæ viro bono excidere potuiſſe nemo facile credat, niſi qui ipſe ea legerit, vt cetera mittam, quis ferat ſtatuentem, litteris Græcis ΝΕΩΚ. imperantis nomen denotari.

In Libro cui titulus Il Regno di Napolie di Calabria deſcritto con medaglie. P. II. p. 12. Tab. V. n. 17.

§. XXVI.

De numo Magneſiæ ad Mæandrum Goltziano. Græc. Tab. XXI.

Licebitne autem ſequenti etiam numo a Goltzio itidem producto officium præſtare, quod præcedens haud immerito, vt puto, ſibi depoſcebat?

ΜΑΓ-



ΜΑΓΝΗΤΩΝ, *Magnetum*, is numus eſt, cuſus, cum ΕΡΑΣΙΠΠΟΣ ΑΡΙΣΤΕΟΥ, *Eraſippus Ariſtei* filius, magiſtratum gereret, quemadmodum ex inſcriptione patet. Cum vero Magneſia triplex ſcriptoribus celebretur, prima Theſſaliæ, altera ac tertia Aſiæ, alia nempe Sipyli, alia ad Mæandrum, primam quidem locum habere non poſſe, tametſi ita perſuaſum fuit Nonnio ad Goltzium, & ipſe aſpectus, & ſymbola mihi euincere videntur. p. 119. Aſpectus illico artificem vrbis celebrioris & ſimilitudinem cum numis vrbium Aſiæ manifeſtam prodit. Symbola vero haud paulo alia, quam in numis Magneſiæ Theſſalicæ, in quibus, teſte Ill. Spanhemio, Centaurus, vel nauis T. I. p. 280. Argo, vt Cl. Harduinus contendit: L. c. p. 98. Iam vero Magneſiæ Sipyli non magis numum hunc tribui poſſe, vel prætermiſſa montis huius mentio arguit. De Magneſia vero ad Mæandrum Ill. Spanhemius, p. 656. ſuffragio numorum, quos verſare ei aut deſcriptos ab antiquariis agnoſcere licuit, nixus, confirmat, eam vno ΜΑΓΝΗΤΩΝ nomine ſolere vt plurimum deſignari. Accedit idem prope in numiſmate noſtro nomen, ΕΡΑΣΙΠΠΟΣ nempe ΑΡΙΣΤΕΟΥ, reperiri, atque in numo Magneſiorum Aſiæ ad Mæandrum ſub M. Aurelio cuſo, in Num. Græc. quo, teſte Vaillantio, legitur: ΕΠ. ΓΡ. ΗΓΗΣΙΠΠΟΥ ΑΡΙϹΤΕΟΥ. p. 53. Inde & Cl. Harduinus, qui numum hunc in prima operis ſui de numis antiquis vrbium & populorum editione ad Magnetes Sipyli retulerat, in nouiſſima, Operibus Selectis præmiſſa, locum illum haud dubie, quod mutaſſet ſententiam, quodque eum paulo perturbatiorem, & Goltzii delineationibus minus conſentaneum poſterioribus curis deprehendiſſet, prorſus exulare iuſſit. Fruſtra igitur Begerus noſter, eodem L. c. T. I. fretus, numum cum inſcriptione: ΜΑΓΝ. ΔΙΟΠΕΙΔΗΣ, Magneſiæ 499. Sipyli tribuit, quem perinde ac præſens Magneſiæ potius ad Mæandrum eſſe, tanto minus dubitari poteſt, quod eum ipſum fluuium multiplices ac ſinuoſi illi & in orbem ducti flexus linearum, quibus taurus in area numi expreſſus circumſcribitur, quique & in auerſa numiſmatis noſtri parte comparent, manifeſte indicant. Mæander nempe, Lib. XII. teſte Strabone, fluuius σκολιὸς εἰς ὑπερβολὴν, ὥςτε ἐξ ἐκείνου τὰς σκολιότητας p. 577. ἁπάσας Μαιάνδρους καλεῖσθαι, h. e. *nimis quam obliquus, ita vt ab eodem, omnes obliquitates Mæandri appellentur.* Flexuoſos eiuſdem recurſus commemorat quoque Plinius, qui & ita vberius de eo: „ Amnis Mæan- Lib. V. Sect. XXX. ſq. T. I. p. 277. ſq. „ der ortus e lacu in monte Autocrene, plurimiſque affuſus oppidis, & „ repletus fluminibus crebris, ita ſinuoſus flexibus, vt ſæpe credatur „ reuerti". Hunc Mæandrum in his numis expreſſum quodammodo cerni pridem obſeruauit eruditiſſimus horum monumentorum interpres Antonius Auguſtinus, quem irrito prorſus conatu oppugnat Non- Dial. III. p. 108.
nius,

Ad Græc. Gotz. p. 120. nius, qui, ne nihil dixisse videatur, πάρεργον eos flexus statuit.

§. XXVII.

De eodem plura. Si igitur Magnetum ad Mæandrum hic numus, videndum iam porro erit, quid eo ipso expressum cernatur. Nonnius quidem ita eum describit: L. c. „ Diana est cum arcu & pharetra; auersa vero parte mu- „ lier nuda est". De capite Dianæ res dubio caret, sed Diana hæc non Leucophryne, quam constat Magnetes ad Mæandrum coluisse. Att. p. 24. Pausanias: Τῆς δὲ εἰκόνος πλησίον τῆς Ὀλυμπιοδώρου χαλκοῦν Ἀρτέμιδος ἄγαλμα ἕστηκεν, ἐπίκλησιν Λευκοφρύνης. Ἀνέθεσαν δὲ οἱ παῖδες οἱ Θεμιστοκλέους. Μάγνητες γὰρ, ὧν ἦρχε Θεμιστοκλῆς, λαβόντος παρὰ βασιλέως, Λευκοφρύνην Ἄρτεμιν ἐν τιμῇ ἔχουσιν. h. e. *Prope Olympiodori statuam æneam Dianæ simulacrum stat cognomine Leucophrynæ. Themistoclis liberi dedicarunt. Magnetes enim, quibus imperabat Themistocles, accepta ea potestate a rege, Leucophrynem Dianam venerantur.* Huius enim effigies Dianæ Ephesiæ & Pergeæ haud absimilis, quam sistunt præclari numi, nomen eius quoque ΛΕΥΚΟΦΡΥΣ Numism. Græc. p. 35. 53. &c. exhibentes, quos commemorat Cl. Vaillantius. Caput hoc Dianæ Venatricis est, quam totam in curru duobus ceruis iuncto cum arcu in manu & inscriptione: ΕΠ. ΓΡ. ἈΘΗΝΟΔΩΡΟΥ ΜΑΓΝΗΤΩΝ sistit præclarus numus Gordiani iunioris ab eodem, quem paulo an- p. 152. te laudaui, Vaillantio descriptus. Nempe ita & Ephesii Pergæique Dianam non tantum peculiari, quem numi eorum ob oculos ponunt, habitu, quo vel Ephesia vel Pergæa dicitur, sed & Venatricem, prout id veteres eorum, qui supersunt, numi abunde testantur, quondam coluere. Auersa in parte numi non mulierem ego, vt Nonnius, sed Apollinem, qui & in laudato supra M. Aurelii numo cernitur, videre mihi videor, lauri forte ramusculum, aut verius, eadem rati- Magn. Gr. Tab. XXVII. T. I. p. 334. one atque Iupiter in numis Καυλωνιατῶν apud Goltzium & Begerum, vittas manu tenentem. Pone, vt arbitror, symbolum Apollinis, tripos cum cortina & imposita forte lyra: Infra sinuosi Mæandri flexus. Lib. X. p. 349. Apollinem hunc eum puto, de quo Pausanias: Ἔστι τοῖς ἐπὶ ποταμῷ Ληθαίῳ Μαγνήσιν Ὕλαι καλούμενον χωρίον· ἐνταῦθα Ἀπόλλωνι ἀνεῖται σπήλαιον, μεγέθους μὲν ἕνεκα οὐ πολλοῦ θαύματος· τὸ δὲ ἄγαλμα τοῦ Ἀπόλλωνος τὰ μάλιστα ἀρχαῖον, καὶ ἰσχὺν ἐπὶ ἔργῳ παρέχεται παντί. Καὶ αὐτῷ ἄνδρες ἱεροὶ κατὰ κρημνῶν τε ἀποτόμων καὶ πετρῶν πηδῶσιν ὑψηλῶν, καὶ ὑπερμήκη δένδρα ἐρίποντες ἐκ ῥιζῶν κατὰ τὰ στενώτατα τῶν ἀτραπῶν ὁμοῦ τοῖς ἄχθεσιν ὁδεύουσι. h. e. vt interpres vertit: *Est apud Magnetas, Lethæi fluminis accolas, vicus, cui nomen Hylæ. In eo specus Apollini sacer, ea magnitudine, quæ sane nullam afferat admirationem: intra specum vero signum Apollinis valde priscum. Ex eo corporibus mirificum ad omne opus robur afflari autumant, quo fit, vt sacri Apollini homines desiliant illæsi de summis rupibus, præruptisque saxis: iidemque præcelsas arbores radicitus euulsas haud magno negotio portantes, per angustissimos tramites & anfractus iter faciant.* Magnetes vero ad Lethæum fluuium non alii, quam qui ad Mæandrum plerumque appellantur. Lethæus enim propior Magnesiæ ipso Mæandro, in quem vero cum influat, a posteriori potius, quam a priori vrbs cognomen ferre coepit.

Strabo:

Strabo: Πρώτη δ᾽ ἐστὶν ἐξ Ἐφέσου Μαγνησία πόλις Αἰολὶς, λεγομένη δὲ ἐπὶ Μαιάνδρῳ, πλησίον γὰρ αὐτοῦ ἵδρυται· πολὺ δὲ πλησιαίτερον ὁ Ληθαῖος ἐμβάλλων εἰς τὸν Μαίανδρον, τὴν δ᾽ ἀρχὴν ἔχων ἀπὸ Πακτύου τοῦ τῶν Ἐφεσίων ὄρους. h. e. *Prima ab Epheso est Magnesia, Aeolica vrbs, quæ ad Mæandrum cognomento dicitur: vicina est enim Mæandro; sed vicinior vrbi Lethæus fluvius, qui a Pactyo Ephesiorum monte ortus in Mæandrum influit.*

Lib. XIV. p. 647. conf. Spanh. T. I. p. 656.

§. XXVIII.

De numis Magnesiæ ad Sipylum.

Magnesiæ ad Mæandrum altera Sipyli succedat, cuius numos sequentes nemo adhuc, quod sciam, vulgauit. Primus



hinc caput barbatum offert, illinc Mineruam cum Victoriola, quam dextra tenet, & clypeo, cui sinistram imponit. Supra est monogramma ☧I. Inscriptio: ΜΑΓΝΗΤΩΝ ΣΙΠΥΛΟΥ, *Magnetum Sipyli.* Μαγνήσια Σιπύλου dicta & Μαγνήσια πρὸς Σιπύλῳ Ptolemæo, vnde in Gordiani Pii numo ΜΑΓΝΗΤ. ΠΡ. ΣΙ., Straboni, ὑπὸ Σιπύλῳ, quo pacto & fortasse in numis legitur, quos commemorant Ill. Spanhemius & Cl. Harduinus, cum inscriptione: ΜΑΓΝΗΤΩΝ ΑΠΟ ΣΙΠΥΛΟΥ. Parum enim discriminis inter voces ἀπὸ & ὑπὸ intercedit, ita, vt permutari inter se ab minus attentis litterarum singularum spectatoribus facile potuerint. Non ignoro equidem, duos, ad quos & prouocat Ill. Spanhemius, proferri numos a Tristano, qui manifeste hanc epigraphen exhibent. Sed cum similes nullos Cl. Vaillantius laudet, posterior etiam cum M. Tullii Ciceronis capite νοθείας laboret suspicione, haud scio, an tuto niti testimonio eorum liceat. Quos enim e regio Cimelio præterea cum hac inscriptione laudat Cl. Harduinus, ii vereor, vt ibidem reapse extent, quando de iisdem lectores alio loco ad Ill. Spanhemium remittit, quos rectius ad Tristanum ablegasset. Ceteroqui negari non potest, eandem Magnesiam Latine Magnesiam a Sipylo appellari Tacito, Plinio, ac fortasse & Liuio, apud quem tamen pro *Magnesia ab Sipylo*, quo pacto legendum putabat Ill. Spanhemius, *Magnesia sub Sipylo* rescribendum censet I. F. Gronouius. Cœpit autem ita appellari a monte Sipylo, vrbi vicino, qui ante Ceraunius dictus, nouum nomen Sipylo acceptum refert Agenoris & Dexippæ, vt Plutarchus contendit, vel Argi, vt Etymologici magni compilatori obseruatum, filio, cuius caput seruat præclarus numus, quem ab Cl. Harduino descriptum primus delineauit Cl. Haymius. In præsenti numo caput barbatum & fascia redimitum Iouis est, qui in alio Magnetum Sipyli numo apud Goltzium, in quo, vt Cl. Harduinus obseruat ΣΟΠΥΛΟΣ vitiose pro ΣΙΠΥΛΟΣ aut forte ΣΙΠΥΛΟΥ legitur,

Lib. V. c. 2. p. 119. Ap. Cl. Bandur. Num. Imp. T. I. p. 204. De Præst. & Usu Numism. T. I. p. 656. conf. Edit. Amstelod. 1671. p. 894. De num. Vrb. & pop. Opp. Sell. p. 98. L. c. T. II. p. 429. L. c. Ad Plin. Lib. V. c. XXIIX. sect. XXXI. T. I. p. 280. Annal. Lib. II. c. 47. Plin. l. c. Lib. XXXVII. c. 44. L. c. Lib. de flum. in Mæandr. p. 1133. voce Σίπυλος. L. c. Vol. II. p. 72. Græc. Tab. XXI. L. c.

tur, dextra Victoriam, ſiniſtra oleam geſtat. In eo numo, vt Iupiter, ita in præſenti Minerua νικηφόρος occurrit, quam fauentem experti ſunt Magnetes Sipyli, cum Archelao, Mithridatis Eupatoris duce, qui fines eorum incurſionibus infeſtos reddiderat, vulnerato, magnam barbarorum ſtragem ediderunt. Quibus rebus geſtis haud exiguam eos ab Romanis gratiam iniiſſe, ſigno eſt, quod iidem, finito primo bello Mithridatico, liberos eos eſſe, Strabone & Appiano teſte, iuſſerunt. Alterum huius vrbis numum

Pauſan. Att. p. 18.

Lib. XIV. p. 621. Mithrid. p. 211.



illico ſubiungo, cuius aduerſa pars caput turritum exhibet, ſiue id genium vrbis deſignet, ſiue Cybelen potius, Matrem Sipylenen dictam, per quam Magnetes ad Mæandrum Smyrnæique in marmore Arundeliano iurant. De eius Cybeles ſigno antiquiſſimo apud Magnetes Sipyli Pauſanias: Μάγνησι, οἱ τὰ πρὸς Βορρᾶν νέμονται τοῦ Σιπύλου, τούτοις ἐπὶ Κοδδίνου πέτρᾳ μητρός ἐστι θεῶν ἀρχαιότατον ἁπάντων ἄγαλμα· ποιῆσαι δὲ οἱ Μάγνητες αὐτὸ Βροτέαν λέγουσι τὸν Ταντάλου. h. e. vt vertit interpres: *Magneſii, qui in Sipyli parte ea ſunt, quæ ad Aquilones conuerſa eſt, ſuper ſaxo, quod appellant Coddini, ſignum eiusdem Deæ* (nempe *matris Deum*, vt eſt in Græco textu) *habent longe omnium antiquiſſimum: Broteam vero illud, Tantali filium, feciſſe, perhibent.* Inſcriptio huius partis: ΜΑΓΝΗτων, cui ex auerſa, in qua tripos, addenda vox ΣΙΠΥΛΟΥ, vt integra ſit *Magnetum Sipyli.* Tripus vero hic docet, de Magnetibus Sipyli non minus intelligendum eſſe Strabonem, quam de Magnetibus ad Mæandrum, quando Magnetes Delphorum poſteros, qui Didymos in Theſſalia montes incoluerunt, pronuntiat: Tertius,

Marm. Oxon. p. 11. ſq.

Laconic. p. 105.

Lib. XIV. p. 647.



ſi expreſſum in eo caput Mineruæ ſpectes, congruit cum primo, qui auerſa in parte totam eam Deam ſiſtit, ſi tripodem, cum altero, de quo dixi. Inſcriptio: ΜΑγνήτων ΣΙπύλου. *Magnetum Sipyli.*

§. XXIX.

De numo cum inſcr. ΜΕΘΥΜΝΑΙΟΣ.

Methymnæis, Lesbi inſulæ incolis, tametſi eorum nomen: ΜΗΘΥΜΝΑΙΩΝ, aut, vt priſci inſcripſere, ΜΕΘΥΜΝΑΙΩΝ abeſt, numum

mum ſequentem tribuo antiquitate, cuius notas haud vnas præ ſe fert, nulli aut paucis forte inferiorem.



Aduerſa pars exhibet caput cincinnatum galeaque, cuius in parte anteriori proboſcis elephantina, tectum, cum inſcriptione litteris vetuſtis exarata, quarum altera inprimis F, pro E, antiquiſſimæ ſcribendi formæ, in Deliaca inſcriptione apud celeberrimum Montfauconium ob- Palæogr. Græc. Lib. II. c. I. p. 121.
ſeruatæ, veſtigia ſeruat, ΜΕΘΥΜΝΑΙΟΣ. Auerſæ aper inſculptus cernitur; cetera, ſi quid adfuit, temporis iniuria abſumſit. Μεθυμναῖος, cuius caput expreſſum in numo hoc cernitur, Bacchus eſt. Docet id Lib. VIII. p. 363.
Athenæus: Τὸ μὲν ποτὸν μέθυ, τὸν δὲ, τοῦτο δωρησάμενον Θεὸν Μεθυμναῖον, καὶ Λυαῖον, καὶ Εὔιον καὶ Ἰήϊον προσηγόρευον. h. e. *Potionem* τὸ μέθυ, *largitorem vero illius Deum Methymnæum*, *Lyæum*, *Euium & Ieïum appellabant.* Cui ſimilia tradit auctor Etymologici magni: Μεθυμναῖος, ὁ Voce Μεθυμναῖος.
Διόνυσος, ὅτι μεθ' ὕμνων ἦλθεν. Τύχῃ δὲ καὶ παρὰ τὴν μέθην εἴρηται, ὡς μεθηδότης. h. e. „ *Methymnæus*, *Bacchus*, *quod cum canticis venit. Forte &* „ *ab ebrietate nomen obtinuit, quod eſt ebrietatis conciliator*". An vero, inquies, Bacchi caput, quod numus exhibet? Ita videtur, ſed non ſolitum illud, verum peregrinum & a Græcorum Deorum forma recedens, quod Methymnæi, quorum hunc eſſe numum, vel iſta Bacchi appellatio, a Methymnæis, vini præſtantiſſimi prouentu inclytis, haud dubie deſumta, tametſi vulgo aliunde eius origines arceſſunt veteres Critici, ſatis arguit, Apollinis iuſſu coluere. De eo ita Pauſanias: Phoc. p. 334.
Ἁλιεῦσιν ἐν Μηθύμνῃ τὰ δίκτυα ἀνείλκυσεν ἐκ θαλάσσης πρόσωπον, Ἐλαίας ξύλου πεποιμένον. Τοῦτο ἰδέαν παρείχετο, φέρουσαν μέν τι ἐς τὸ Θεῖον, ξένην δὲ καὶ ἐπὶ Θεοῖς Ἑλληνικοῖς οὐ καθεστῶσαν. Εἴροντο οὖν οἱ Μηθυμναῖοι τὴν Πυθίαν, ὅτου Θεῶν ἢ καὶ Ἡρώων ἐστὶν ἡ εἰκών. Ἡ δὲ αὐτοὺς σέβεσθαι Διόνυσον Κεφαλλῆνα ἐκέλευσεν. Ἐπὶ τούτῳ οἱ Μηθυμναῖοι ξόανον μὲν τὸ ἐκ τῆς θαλάσσης παρὰ σφίσι ἔχοντες, καὶ θυσίαις καὶ εὐχαῖς τιμῶσι, χαλκοῦν δὲ ἀποπέμπουσιν ἐς Δελφούς. h. e. *Piſcatoribus Methymnæis retia e mari extraxerunt caput ex oleæ ligno factum. Id formam præ ſe ferebat, diuinæ nonnihil ſimilem, peregrinam vero & Græcis diis haud familiarem. Conſuluere igitur Methymnæi Pythiam, cuiusnam deorum vel heroum ea imago eſſet. Illa Bacchum Cephallenem colere iuſſit. Quo facto Methymnæi eductam ex mari effigiem ſibi ſeruantes, ſacrificiis & votis pietatem illi ſuam probant, æneam autem Delphos mittunt.* Oraculum Apollinis ea de re Euſebius pariter ex Oeno- Præp. Euang. Lib. V. c. 36. p. m. 233. De Græc. affect. curatione Lib. X. p. 141.
mao, Philoſopho Cynico, & Theodoretus, ſeruarunt, quod ita ſe habet:

> Ἀλλὰ καὶ Μηθύμνης ναέτοις πολὺ λώϊον ἔσται
> Φαλληνὸν τιμῶσι Διονύσοιο κάρηνον. h. e.

 Verun-

Veruntamen & Methymnæ incolis multo melius conſultum erit
Ligneum (quales phalli) *colentibus Bacchi caput.*

φαλληνὸν verto ligneum, quod huius generis capita Bacchi apud Euſebium, lapideis, æneis & aureis opponuntur, & oleagineum id fuiſſe Pauſanias docet. Φαλλὸς Heſychio, τὸ ξύλινον αἰδοῖον ἀνδρικόν. h. e. *Phallus* Voce Φαλλός. *ligneum membrum virile*, vnde deriuata vox φαλληνὸς ligneum quiduis denotare potuit. Sane Theodoretus φαλληνὸν Διονύσου κάρηνον, ἀκροπόσθιον, *præputium* interpretatur; ſed vtique verendum eſt, ne obſcœnum ille verbis Oraculi ſenſum, quem ea neceſſario haud gignunt, affingat. Nihil enim, quod ei ſententiæ faueat apud Pauſaniam, locupletem huius hiſtoriæ teſtem, legitur, nec torqueri eo vox προσώπου poteſt, T. II. p. 281. qua Pauſanias vtitur, tametſi eruditiſſimo Triſtano ita viſum, qui caput illud, nihil aliud fuiſſe, niſi inſignis magnitudinis phallum oleagineum, cuius ſuprema in parte vultus Bacchi ſculptus, ſibi perſuadet. Quem quidem non magis ea in re audiendum duxerim, quam vbi ex verbis huius Oraculi pro verbis Διόνυσον κεφαλλῆνα apud Pauſaniam legendum cenſet: Διονύσου κεφαλὴν φαλληνήν. Neque enim neceſſe eſt, vt Διονύσου Κεφαλλῆνος mentionem oraculum fecerit; potuit namque ab eo tempore, quo caput illud Bacchi coli cœpit, a Methymnæis ei Διονύσου Κεφαλλῆνος nomen tribui, quo deinde in narranda hiſtoria ea vtendum cenſuit Pauſanias. De auerſa parte numi, in qua aper, nihil eſt, quod ad- Ap. Goltz. inſul. Græc. Tab. XXII. & Beg. T. I. p. 417. dam, niſi Dianæ cultum indicari, perinde vt in numo Coorum, cuius in aduerſa parte expreſſa eſt ipſa Dea illa, vt eſt apud Homerum:

Odyſſ. ζ. v. 104. Τερπομένη κάπροισι καὶ ὠκείης ἐλάφοισιν. h. e.

Delectata apris & velocibus ceruis.

Ad Callim. p. 236. & de Præſt. & Vtil. num. T. I. p. 233. Κάπρους apros verto, non capros, vt vulgo interpretes, præeunte Ill. Spanhemio, qui errorem hunc pridem notauit.

§. XXX.

De numis Hiſpaniæ vrbis, OBVLCO. Hiſpanicæ vrbis, cui nomen Obulco, (Ὀβέλκων Straboni, Ὄβυλκον Ptolemæo, Ὀβόλκων Stephano dicitur) numum, eumque maximi moduli edidit Morellius. De eo vir nobiliſſimus, Iac. de Bary, cuius epiſtola ad Hadrianum Relandum, de numis cum inſcriptione ZEYC KACIOC & ZEYC AΓPEYC, extat, ita ad me in literis Kal. Decembr. CIϽ IϽCCXXIV. datis „ C'eſt vn Medaillon tres conſiderable,
Lib. III. p. 141. 160. Lib. II. c. 4. p. 36. Voce Ὀβόλκων. Specim. T. XXVI. p. 246. Inſert. Reland. Palæſt. p. 935.
„ que ie vous garantis de *Liuia*, femme d'Auguſte, ſous l'equipage
„ de *Iſis genetrix orbis* ou *Iſis puellaris*. Ie la poſſede auſſi, mais Mr. Mo-
„ rel c'eſt trompé au Reuers. Les Caracteres ſont ΛΊΙΙΙΥΛ de même
„ que ſur vne de premiere grandeur parfaitement conſeruée. Ces Ca-
„ racteres ſont Turditains, dont ie me flatte avoir decouuert le ſon.
„ Ie le prouuerai dans l'Ouurage, que i'ai entre les mains, ou l'on
„ verra bon nombre de medailles de cette ville tant d'Auguſte & de
„ Liuia, que de Iſis & Oſiris, principales diuinites de cette nation
„ Turditaine, dont ie tache de decouurir l'origine. L'explication &
„ Legende

„ Legende de ces caracteres m'eſt facile". h. e. *Numiſma eſt maximi & moduli & momenti, quod confirmo tibi* LIVIAE, *coniugis Auguſti, eſſe, quo illa ſub figura* ISIDIS, GENETRICIS ORBIS, *vel* ISIDIS PVELLARIS *exhibetur. Idem ego poſſideo, ſed in parte auerſa lapſus eſt Cl. Morellius. Litteræ ſunt:* ꓦ1llꓦ, *perinde atque in alio numo primæ magnitudinis eoque integerrimo. Sunt illæ Turditanæ, quarum vim ac ſenſum me aſſecutum ſpero. Demonſtrabo id in libro, cui inſudo, in quo multa reperientur iſtius vrbis numiſmata cum vultu Auguſti Liuiæque non minus, quam Iſidis atque Oſiridis, numinum præcipuorum Turditanæ gentis, in cuius origine eruenda operam pono. Interpretatio & ſenſus harum litterarum nihil mihi negotii faceſſit.* Cum in litteris huius numi repræſentandis omnino non nihil aberrarit Morellius, denuo delineatum eum ſubiungo vna cum alio quodam ſimili, ſed in quo haud paulo plures litteras duplici verſu expreſſas auerſa pars exhibet.



Horum numorum explicationem ſperare iubet vir multiplici doctrina & humanitate inſigni, quem ſupra laudaui, in opere ſingulari cui a longo iam tempore inſudat. Quod vt bonis auſpiciis in lucem prodire poſſit, vitam ac vires quotquot bonis litteris fauent, ei mecum ex animo apprecabuntur. Tanto id accuratius dabit vir optimus, quod cælandorum numiſmatum ipſe artifex imperitorum hominum opera haud vtetur, qui ſæpius, licet moniti, a prototypo aberrant, vitioſisque delineationibus peſſime deturpant veteris illius æui reliquias, quas genuinis ſuis coloribus repræſentatas ſpectaſſe quanti referat, nemo eorum, qui eas vel obiter tractarunt, ignorat.

§. XXXI.

Oeniadarum numum commemorat Cl. Harduinus, ſed ea ratione, vt propius eum cognoſcere auentibus ſitim accendat potius, quam reſtinguat. Ita enim ille: „ OINIAΔAN Dorica dialecto, pro OINIA- *De numo Oeniadarum.* De num. vrb. & pop. Opp. Sell. p. 128.

 „ ΔΩN

„ ΔΩΝ in numo, quem vidimus. Οἰνίαδαι oppidi nomen eſt”, reliqua. Quæ enim expreſſa ſint in numo eo ſymbola, cuius metalli ſit, vbi eum viderit vir celeberrimus, & a quonam aſſeruetur, prorſus ſicco pede præterit, quæ tamen ſingula noſſe lectorum, ſi non omnium, certe haud paucorum intereſt. Tanto libentius, vt ſpero ſequentem ex cimeliarchio noſtro delineatum hoc loco ſpectabunt huius antiquariæ ſupellectilis ſtudioſi.



Siſtit ille hinc caput Minotauri vna cum litteris: ΟΙΝΙΑΔΑΝ, & pone
monogramma ☧, illinc Iouis laureatum & barbatum. Οἰνειάδαι per
Voce Οἰνειάδαι. ει ſcribitur Stephano. Ita enim ille: Οἰνειάδαι πόλις Ἀκαρνανίας πρὸς τῷ
Ἀχελώῳ, *Oeniadæ, vrbs Acarnaniæ ad Acheloum.* Sed veriorem ſcriptu-
Voce Ἐρυσίκη. ram idem Ἐθνικόγραφος alibi ſeruat, quam & exhibent Polybius, Stra-
Lib. IV. p. 329. bo, Scylax, Pauſanias, aliique, apud quos Οἰνιάδαι perinde vt in nu-
Lib. X. p. 459. mo. Dicta eſt ante Ἐρυσίχη, pro qua voce corrupte apud Stephanum
Peripl. p. 13. Ἐρυσίκη. Ita enim ille: Ἐρυσίκη πόλις Ἀκαρνανίας, ἥτις ὕστερον Οἰνεάδαι ὠνομάσθη
Edit. Hudſon. Attic. h. e. *Eryſice, vrbs Acarnaniæ, quæ poſtea Oeneadæ vocata fuit.* Sed
p. 10. Ἐρυσίχη ſcribendum prout ex gentilibus, quæ ſubdit, Ἐρυσιχαῖος, Ἐρυσιχὶς
facile patet. Sua ætate Δραγαμέστην vocatam Scholiaſtes Thucydidis do-
Ad Lib. II. cet. Caput Minotauri prodit origines Cretenſes. Audiamus ea de re
102. p. 146. Ill. Spanhemium: „ De MINOTAVRO autem, qui præter
Edit. Hudſon. „ commemoratas Siculas aliquot vrbes, quæ Cretenſem inde earum
L. c. p. 569. „ originem arguunt, idem quoque in aliis Græcarum vrbium aut
„ populorum numis, vt dictorum modo *Ambraciotarum*, *Acarnanum*,
„ & magnæ Græciæ *Neapolitarum*, aliisque ſignatus, Cretenſium co-
„ loniis, etiamſi id aliunde non conſtaret, frequentata eadem loca
„ omnino comprobat”. Addit vir ſummus, idem ad Catullum de
Minotauro & Cretenſium id genus coloniis monuiſſe Iſaacum Voſſi-
um, atque, vbi deficiant hiſtoriæ, earum rerum indicium e numis
Lib. X. p. petendum, agnouiſſe. Neque vero nullam hic lucem ſcriptores præ-
462. ſqq. ferunt. Curetes, qui Cretenſes crediti, Acarnaniam tenuiſſe, vel Stra-
Arcad. p. 255. bonis fide conſtat; quo & pertinet, quod Acarnanes, ab Acarnane,
Alcmæonis & Callirhoes filio, ita dictos, ante Curetes appellatos fu-
iſſe, Pauſanias teſtatur. Hinc igitur non tantum in ΟΙΝΙΑΔΑΝ, cu-
iusmodi noſter, itemque ΘΥΡΙΕΩΝ, quæ oppida Acarnaniæ, ſed & in
gentis ipſius ΑΚΑΡΝΑΝΩΝ numis Minotaurus expreſſus cernitur. E-
quidem merum iſtud regionis, quæ feliciter bobus vtatur ad agros co-
lendos, non originis vrbium ex inſula Creta deductæ ſymbolum eſſe,
L. c. p. 185. eosque, qui ita ſentiunt, nugari contendit eruditiſſimus Harduinus,
ratione hac potiſſimum, quod nullus Cretenſium numus habeat inſcul-
ptam huiusmodi Minotauri effigiem, ſubnixus. Sed, vt ea ſatis ſit

euertendæ ſententiæ viris , quibus nugari non ſolenne eſt, probatæ, admodum verendum eſt. Fertilitatem quidem agrorum Bouis, quales vulgo in numis, ſymbolo deſignari conſtat , non monſtri Cretenſis, tametſi vtique mirandum, vt præclare obſeruat Ill. Spanhemius „ cur „ clara id genus oppida ad prodendam ſuam e Creta originem, haud „ aliud quid huic inſulæ quidem peculiare, ſed quo eadem nobilitare- „ tur, publicis hisce monumentis inſculpi curauerint, Iouis puta Cre- „ tenſis aut Labyrinthi ipſius, mirabilis cuiusdam & ſingularis operis, „ in quo incluſus ille Minotaurus, quique in Cretenſium Gnoſſiorum „ numis conſpicitur , aut vero Minois ipſius inclyti commendatiſſi- „ mæque ad poſteros famæ regis, quam fœdum huius e nefando vxoris „ eius concubitu nati ſemiferi portenti ſimulacrum". L. c. p. 285.

§. XXXII.

ΟΛΟΝΤΙΩΝ in ampliſſimis celeberrimi viri, identidem a me laudati, commentariis de numis vrbium & populorum mentionem fieri nullam prorſus videas. Extant, numi eorum tamen cuiusmodi ſe vidiſſe quondam teſtatus eſt P. Ligorius, prout celeberrimus Holſtenius obſervat. Ecce tibi eorum aliquem ex gaza noſtra, cuius aſpectus quantam aliis voluptatem allaturus ſit, neſcio, mihi certe ſingularem attulit. *De numo Ὀλοντίων.* Ad Steph. p. 234.



Aduerſa pars exhibet caput fœmineum, faſcia laureaque cinctum, capillis euinctis, collo monili ornato, cuius a tergo pharetra: in auerſa Jupiter ſedens, dextra aquilam tenens, ſiniſtra haſtam cum inſcriptione: ΟΛΟΝΤΙΩΝ, & monogrammate ex aduerſa parte ΚΑ. Oluntii Cretenſes, quorum vrbs Ὀλοῦς, cuius una cum Stephano Pauſanias & Scylax meminerunt, itemque Strabo, ſi fides Meurſio. Verba enim apud Strabonem: Καὶ Ὀλύοσην ἡ τῆς Φαιστίας, corrupta cenſet, reſcribitque: Καὶ Ὀλοῦς, ἣν ἡ Φαιστίας. Sed verior magni Salmaſii emendatio, qui ex Stephano emendat: Καὶ ὁ Λιοσῆς ἡ τῆς Φαιστίας. Certius eſt, idem vrbis nomen Ptolemæo deprauatum citari, apud quem inter Cretenſium oppida Ὀλουλὶς, vbi imagini adſcriptum emendate *Olus*. Scylax verſus Septentriones eam in monte pulcherrimo ſitam & portu inſtructam docet. Verba eius ſunt : Πρὸς Βορέαν ἡ ἄνεμον ὄρος κάλλιστον καὶ λιμὴν ἐν αὐτῷ Ὀλοῦς καὶ Πᾶν. h. e. vt interpres , emendatione vocis Πᾶν, cui Πόλις ſubſtituunt Salmaſius & Voſſius, admiſſa, vertit: *Ad Boream mons eſt pulcherrimus & in eo portus Olus & vrbs.* Ceterum quo ſymbola ſpectent , multa explicatione non eſt opus. De Ioue Cretenſi iam alibi dictum : nec maior difficultas de capite fœmineo. Eſt enim Britomartidis, nymphæ Cretenſis, vt arbitror, cuius

Boeot. p. 314. Peripl. p. 18. Cret. c. 13. p. 50. L. X. p. 497. Exercit. Plin. T. I. p. 118. Edit. Vltraiect. Lib. III. c. 17. p. 91. L. c.

Bæot. p. 314. ius signum a Dædalo elaboratum Olunte fuisse Pausanias tradit. Eam Hymn. in Dian. v. 190. Ἐλλοφόνον hinnulos conficientem appellat Callimachus, vt mirandum proinde non sit, cur pharetram illa in numo hoc gestet. Quod si tamen nympha Cretensis displiceat, potest eadem, Britomartidos appellatione retenta, Diana Cretensis intelligi, quæ idem nominis tulit. voce Βριτόμαρτις Hesychius: Βριτόμαρτις ἐν Κρήτῃ ἡ Ἄρτεμις. h. e. *Britomartis in Creta Diana*, & Ad Hymn. in Dian. p. 190. Edit. Græu. plenius Scholia Callimachi: Βριτόμαρτις, ὄνομα κύριον τῆς νύμφης, ἀφ᾽ ἧς καὶ ἡ Ἄρτεμις ἐν Κρήτῃ Βριτόμαρτις τιμᾶται. h. e. *Britomartis nomen proprium Nymphæ, a qua & Diana in Creta Britomartis nomine colitur.* V. Spanh. ad Call. p. 258. c. 11. Quibus similia tradit Solinus: „ Cretes Dianam religiosissime venerantur, Βριτόμαρτιν gentiliter nominantes; quod sermone nostro notat virginem dulcem". Quo pacto Βριτόμαρτις dulcem virginem notet, inquirunt Salmasius & Casaubonus, quod ad priorem eius vocis partem attinet, consentientes sibi inuicem, Βριτὸς idem esse apud Cretenses, quod γλυκὺς, quod ad posteriorem μάρτις non item. Ad Solin. T. I. p. 121. Salmasius eam a voce μαρτὸς, quod idem esse atque ἄνθρωπος ex Hesychio probat μαρτοβάτην ναῦν, τὴν ἀνθρωποβάτην exponente deriuat: Casaubonus Ad Strab. lib. X. p. 479. a voce ὅμαρτις, quo nomine virgines apud Cretenses appellatas censet περὶ τὸ ὁμαρτεῖν τῇ μητρὶ, quod matrem virgines sequuntur. Od. I. 23. Vnde Horatius:

Tandem desine matrem
Tempestiva sequi viro.

Vtra sententia verosimilior sit, viderint, quibus ad similes quæstiones excutiendas otii plus obtigerit.


§. XXXIII.

De numo Hispanico cum litteris COSSET. Augustinus, Tarraconensium Præsul doctissimus, mentione veteris inscriptionis, in qua *Tarraco vrbs Cositanorum dicitur*, iniecta, Inscr. Grut. p. CDXCIX. n. 10. prolatoque Plinii loco: *Regio Cossitania, flumen Subi: colonia Tarraco, Scipionum opus, sicut Carthago Pœnorum.* Lib. III. Sect. IV. c. 3. T. I. p. 141. „ Nuper, inquit, numum mihi „ æreum minoris formæ comparaui, in quo hinc caput iuuenile im„ berbe, cum inscriptione COSSET, illinc figura hominis nudi, „ qui Neptunus esse possit, quod regio illa ad mare sita esset", Dialog. VII. p. 207. legendumque censet non tam COSSET*ania*, quam COSSET*anorum*. Inde Cl. Harduinus in præclaro de numis vrbium & populorum opere eundem numum sub voce COSSET, recenset, atque ad eandem COSSET*anorum* regionem refert. Ita enim ille: Opp. Sell. L. c. p. 47. „ COSSET, Numus antiquus, quem a se visum ait Ant. Au„ gust. Dial. VII. Antiq. p. 108. Gruteri inscriptio, pag. 499. TAR„ RAC. VRBS COSITANOR. haud immerito suspecta no„ bis est". Sed verosimile vix est gentis nomen in numo hoc reperiri. Tametsi enim Plinio Cossetania memoratur, incolas tamen Lib. II. c. 6. p. 39. eius regionis Κοσητανοὺς Ptolemæus, & Cositanos inscriptio paulo antea laudata appellat, ad quam mirum est in noua Plinii sui ediL. c. p. 141. tione prouocare Cl. Harduinum, cum loco paulo ante adducto haud immerito eam sibi suspectam esse affirmet. Probabilius proinde

inde, pertinere numum ad incolas oppidi Bætici OSSET, de quo Plinius: „ A læua Hiſpalis colonia, cognomine Romulenſis. Ex „ aduerſo oppidum OSSET, quod cognominatur IVLIA CON- „ STANTIA". Eius vrbis numum profert Rodericus Carus, atque ita deſcribit: „ Por la vna parte tiene vn roſtro con la lette- „ ra OSSET. y por lo otra vn vendimiador, con vn razimo „ de vbes en la mano". h. e. *Altera ex parte exhibet caput cum epigraphe: OSSET, ex altera vindemiatorem racemum manu tenentem* Ei geminum ſeruat gaza noſtra.

Lib. II. c. 6. T. I. p. 39.

Lib. III. c. 19. p. 114.



Aduerſa in parte caput Auguſti vel Tiberii potius, vt videtur, cum litteris COSSET. altera in parte homo nudus cum racemo. Inſcriptio, vt patet, ſimilis ei, quam in ſuo reperit Tarraconenſium Præſul ſupra laudatus. Sed non lego, vt ille, COSSET*anorum*; verum C*olonia* OSSET. Tametſi enim Coloniam non appellat Plinius, ipſum tamen nomen: IVLIA CONSTANTIA, coloniam fuiſſe a Iulio Cæſare deductam ſatis prodit. Accedit numus ex theſauro Goltzii, mihi tamen fruſtra in eodem quæſitus, quem laudat Carus, in quo IVLIA CONSTANTIA COL. OSSET. De nomine eius hodierno videndus idem Carus, cui illa eſt *Caſtilleia*, vel *S. Iuan de Alfarache.*

L. c.

§. XXXIV.

Tradit in veteri præſtantiſſimi operis de Vſu & Præſtantia numismatum editione Ill. Spanhemius apud reginam Chriſtinam reperiri numum cum Cerere ac Boue & inſcriptione: ΠΡΑΙΣΙΩΝ. Sed locum eum, forte quod Præſios ibi cum Prianſiis, quorum cum Hierapytniis fœdus marmoribus Arundelianis inſertum legitur, confuderat, prætermiſſum in recentiſſima editione fruſtra quæras. Idem tamen, vt iacturam eam reſarciret, vel huius vel ſimilis numi alibi meminit: „ Extat adhuc hodie, inquit, antiquus numus apud „ Cl. Chiffletium Sequanum, in quo hinc caput imberbe, ac, vt „ videtur, Apollinis, illinc bos cum flore deſuper & inſcriptio: ΠΡΑΙΣΙΩΝ. Non multum diuerſum gaza noſtra complectitur.

De numo Πραισίων. p. 308.

Marm. Oxon. p. 116.

T. I. p. 340.

Obſeruat. ad Call. p. 263.



In aduersa parte itidem caput imberbe, & laureatum Apollinis, in auersa fulmen cum inscriptione, duos in versus distincta: ΠΡΑΙ ΣΙΩΝ. In medio $\frac{\Pi}{O}$. ΠΡΑΙΣΙΟΙ incolæ vrbis ΠΡΑΙΣΟΥ, de qua Stephanus: Voce Πραῖσος. Πραῖσος, πόλις Κρήτης, θηλυκῶς. Τὸ ἐθνικὸν Πραίσιος καὶ Πραῖσος, vel, vt Holstenius refingit, Πραισεύς h. e. *Præsus, vrbs Cretæ, genere fœminino. Gentile Præsius vel Præseus.* Hinc corrigendus cum Strabo, quod obser-
Lib. X. p. 478. & alibi. uat Ill. Spanhemius, apud quem Πράσος & Πράσιος, tum, Isaaco
L. c. p. 18. Vossio adstipulante, Scylax, apud quem Πρόσις, tametsi cum Holstenio ibi Πρίαισος vel Πρίανσος legendum censet in notulis subiectis Cl. Hudsonus, sed minus certum hac in re ducem secutus. Vox enim Πρόσις facilius ex voce Πραῖσος nasci potuit, quam ex voce Πριαίσος vel, vt legenda ea vox, Πρίανσος. Vt vero aliter animum induceret, seduxit virum eruditissimum persuasio, qua existimauit Πάραισον, Πραῖσον &
Marm. Oxon. p. 116. sq. Πρίαισον, vel, vt fide marmoris Arundeliani rescribendum, Πρίανσον vnam tantum vrbem apud Stephanum esse, vero nomine Πρίανσος dictam. Sed diuersa omnino Πραῖσος, vnde Πραίσιοι, ab vrbe, cui nomen Πρίανσος, vnde Πριάνσιοι, id quod non tantum luculento numorum cum illius, quem Ill. Spanhemius laudat, tum nostri testimonio, sed & Herodoti
Lib. VII. p. 170. sq. Lib. IX. p. 376. pariter atque Athenæi auctoritate confirmatur. Ille Præsios inter antiquissimos Cretæ incolas recenset; hic de iisdem peculiarem, quam præcidaneam hostiam crediderint, rem sacram faciendi ritum commemorat. Ceteroqui ab his duabus Cretæ vrbibus Πραίσῳ & Πριάνσῳ tertiam, quam commemorat Stephanus, Πάραισον distinctam non esse, facile largior, ita tamen, vt cum priori potius, quam posteriori eandem putem. Sublata enim, quæ irrepsit, littera α illico Πραῖσος prodit. Lit-
Voce Πολίχνα. teras ΠΟ interpretari possis ΠΟλιχνιτῶν. Stephanus: Ἔστι καὶ Κρήτης Πολίχνη ἧς ὁ πολίτης Πολιχνίτης. h. e. *Est & Cretæ Polichne, cuius ciuis Polichni-*
Lib. VII. 170. p. 436. Edit. Gronov. *tes.* Polichnitas enim cum Præsiis coniungit Herodotus. Verba sunt: Λέγεται Μίνωα κατὰ ζήτησιν Δαιδάλου ἀπικόμενον ἐς Σικανίην τὴν νῦν Σικελίην καλευμένην, ἀποθανεῖν βιαίῳ θανάτῳ· ἀνὰ δὲ χρόνον Κρῆτας, θεοῦ σφε ἐποτρύναντος, πάντας, πλὴν ΠΟΛΙΧΝΙΤΕΩΝ τε, καὶ ΠΡΑΙΣΙΩΝ, ἀπικομένους στόλῳ μεγάλῳ ἐς Σικανίην, πολιορκέειν ἐπ' ἔτεα πέντε πόλιν Κάμικον. κ. τ. λ. h. e. *Fertur Minos, cum Dædalum vestigans in Sicaniam, quæ nunc Sicilia dicitur, peruenisset, violenta morte occubuisse: interiecto deinde tempore omnes Cretes, præter Polichnitanos & Præsios diuinitus impulsos, cum magna classe in Sicaniam traiecisse & quinquennio obsedisse Camicum*, reliqua. Sed verosimilius, Iouem ΠΟλιέα, *vrbium præsidem*, de cuius cultu apud A-
Attic. p. 22. thenienses videndus Pausanias, denotari, cuius & fulmen in area numi expressum cernitur, tametsi & fieri potest, vt nomen proprium hominis, ΠΟλεμῶνος forte, sub his litteris delitescat. De Apolline, in Cretensium

tensium numis haud semel obuio, alibi dictum est. Numi ΠΡΑΙΣΙΩΝ fit equidem mentio apud Cl. Harduinum, sed ita, vt nihil, præterquam eum ab se visum, vir clarissimus more eodem, quem secutum eum in commemorando numo ΟΙΝΙΑΔΑΝ, vidimus, doceat. Opp. Sel. L. c. p. 141.

§. XXXV.

Sequentes tres argentei numi, cuius vrbis populiue essent, nemo fortasse nobis confirmare certo posset, nisi æreus, quem iis præmitto, lucem præferret. *De numis Sidetum.*



Typus aut nihil omnino aut parum differt. Aduersa in parte caput Palladis, in auersa Victoria gradiua cum laurea, quam dextra porrigit. Ante, malum Punicum. Infra in argenteis ΣΙ, quod interpretor Σιδητῶν, ΔΕΙΝ & ΑΙ, quibus posterioribus litteris hominum magistratu apud Sidetas functorum nomina designantur. Postremum ex his numum, in quo litteræ ΔΕΙΝ, Deinocrati Siculo, exulum duci, tribuit Begerus noster, quod similem fere Dionysii, Syracusanorum tyranni, T. I. p. 297. numum Goltzius affert, in quo tamen, quod malum Punicum interpretatur Ill. Spanhemius, caput papaueris Paruta agnoscit. At vero Si- T. I. p. 317. culorum hos numos non esse, sed Sidetum clarissime docet æreus numus, Sicil. p. 69. qui primo loco comparet, in quo diserte legitur ΣΙΔΗΤΩΝ. ΣΙΔΗ, *Side*, cuius sunt numi, non Laconica vrbs, de qua infra, sed Pamphyliæ, de qua Suidas: Σίδη· πόλις Παμφυλίας. Ἔστι δὲ αὕτη μητρόπολις Voce Σίδη. τῶν κατὰ τὴν Παμφυλίαν πόλεων, κληθεῖσα οὕτως ἀπὸ Σίδης θυγατρὸς μὲν Ταύρου, γυναι- conf. Steph. voce eadem. κὸς δὲ Μώλου· ὁ πολίτης Σιδήτης. h. e. *Side, vrbs Pamphyliæ, metropolis vrbium in Pamphylia sitarum, ita vocata a Side, filia Tauri, & vxore Moli. Ciuis Sidetes.* Κυμάνων ἄποικον, *Cumanorum coloniam* appellat Strabo, Lib. XIV. p. 667. & Arrianus, qui & narrat, maiores Sidetum, eo loci appulsos, vbi Exped. Alexandr. Lib. I. habitauere, illico linguam dedidicisse Græcam, ac barbaros sonos emi- p. 73.

sisse,

ſiſſe, ſed cum vicinis barbaris neutiquam communes, verum proprios; quod de dialecto potius barbara, quam lingua capiendum eſſe, numi eorum Græce inſcripti ſatis docent. Sita fuit ad mare, & portum habuit, teſte Scylace, vnde Sidetes ob nauigationis militiæque naualis ſtudium apud Liuium laudantur. Gallieni ætate vrbs hæc titulum ſibi ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΗΣ, ΕΝΔΟΞΟΥ, *ſplendidiſſimæ, illuſtris* adſciuit, obſervatque Ill. Spanhemius, eandem in Actis conciliorum Metropolin, eamque primam Pamphyliæ appellari. Præſentes numi ante tempora Romanorum Imperatorum cuſi videntur, cuiusmodi nemo, quod ſciam, adhuc protulit. Quod ad Mineruæ caput aduerſa in parte expreſſum, cultum eius Sidæ floruiſſe, ex Strabone patet, qui Mineruæ ibi templum inter ἀξιομνημόνευτα refert. Minerua ea fuit νικηφόρος, vna cum templo ipſo expreſſa in numo Corneliæ Paulæ, quem ex gaza Illuſtriſſimi Comitis Deuonienſis Cl. Haymius produxit. Inde & Victoria cum laurea in auerſa parte expreſſa, ad cuius dextrum latus malum Punicum, quo manifeſtum eſt ad nomen vrbis Σίδη alludi. Σίδη enim malum Punicum. Heſychius: Σίδια τὰ τῶν ῥοιῶν λεπτά. Σίδαι γὰρ αἱ ῥοιαί· h. e. *Sidia malorum Punicorum partes minutæ. Sidæ enim mala Punica.* Aeolice Σίβδη dicitur, vnde Σίβδης κόκκον, *mali Punici granum* legas apud Callimachum. Etymologus: Σίβδαι, αἱ ῥοιαὶ πλεονασμῷ τοῦ β. h. e. *Sibdæ mala Punica pleonaſtice addita littera β.* Huius nominis ope contentionem inter Athenienſes & Bœotos obortam Epaminondas diremit. Ea de re Agatharchides apud Athenæum: Ἀμφισβητούντων Ἀθηναίων πρὸς Βοιωτοὺς περὶ τῆς χώρας, ἣν καλοῦσιν Σίδας. Ἐπαμινώνδας δικαιολογούμενος ἐξαίφνης ἐκ τῆς ἀριστερᾶς μεταλαβὼν κεκρυμμένην ῥοάν, καὶ δείξας, ἤρετο αὐτοὺς, τί καλοῦσι τοῦτο; τῶν δ' εἰπόντων ῥοάν, ἀλλ' ἡμεῖς, εἶπε, Σίδαν. ὁ δὲ τόπος τοῦτ' ἔχει τὸ φυτὸν ἐν αὐτῷ πλεῖστον, ἀφ' οὗ τὴν ἐξ ἀρχῆς εἴληφε προσηγορίαν, καὶ ἐνίκησεν. h. e. *Athenienſes cum Bœotis de regione litigabant, quam Sidas appellant. Epaminondas in ea controuerſia partes ſuas defendens, allegansque iura ſua, ſtatim e ſiniſtra manu, quod occultum gerebat malum Punicum, dextra cepit, & Athenienſes rogauit, quo nomine vocarent: reſponderunt illi* ῥοάν *ſeſe nominare: at nos, inquit, Sidan appellamus. In hoc tractu, de quo fuit contentio, plurimæ ſunt mali Punicæ, indeque principio nomen eſt inditum.* Regio ac locus, non oppidum, Σίδας, prout ex loco allato manifeſte patet. Minus caute igitur Ill. Spanhemius ex regione oppidum, prouentu malorum Punicorum celebre, effingit, occaſionem errori, quem ipſe alibi emendat vir ſummus, forte præbente oppido Laconicæ, *Sida*, cuius Pauſanias & Scylax meminerunt, quodque ab eadem Bœotorum regione non ſatis itidem diſtinxit ὁ πάνυ Caſaubonus.

L. c. 40. — Lib. XXXV. c. 48. — Vaill. num. Græc. p. 183. — T. I. p. 591. — L. c. T. II. Tab. XIII. p. 256. — Hymn. in Pall. v. 28. — Lib. XIV. p. 650. — Ad Callimach. p. 561. — De Præſtant. & vſu Numiſm. T. I. p. 323. — Lacon. p. 106. — L. c. p. 17. — Ad Athenæum. p. 927.

§. XXXVI.

De numo Smyrnæorum cum inſcr. ΡΗΓΕΙΝΟC.

„ Fluuius, ſed cuius alibi haud occurrit hactenus, quod ſciam, „ mentio, extat in numo, quem Smyrnæ a Gallandio, viro in his „ antiquitatibus verſatiſſimo, acceptum edidit diligentiſſimus Sponius „ Miſcell. p. 140. in quo recumbens fluuius viſitur cum inſcriptione: „ ΡΗΓΕΙΝΟC, infra ΣΜΥΡ. ΕΠΙΜΥΡΤΟΥ, *Rheginus Smyrnæorum ſub* „ *Myrto*". Verba ſunt Ill. Spanhemii in epiſtola ad Morellium noſtrum

ſtrum earum , quas ille Specimini ſuo ſubiecit, quarta. Hunc numum elegantia nulli veterum cedentem cum rudi admodum manu nec ſatis accurate delineatum dederit Sponius, ex theſauro noſtro veriorem eius delineationem promere hoc loco liceat. p. 263.



Aduerſa pars caput hominis barbatum exhibet cum inſcriptione ex parte detrita, quam ex numo Sponiano integram legas: ΑΝΘΥπάτῳ ΦΡΟΝΤΕΙΝΩ, h. e. *Proconſuli Frontino.* Neque enim altera vox caſu recto eſt ΦΡΟΝΤΕΙΝΟϹ, vt Sponius eam exhibet, ſed caſu dandi, prout vidimus ſine addito I, quo pacto caſum hunc in antiquis monumentis plerumque ſcribi notum eſt. Auerſa pars fluuium ſiſtit more ſolito decumbentem, dextra tenentem arundinem, ſiniſtra vrceolo innixum. Adſcriptum infra eſt: ΖΜΥΡνα. In margine: ЄΠΙ ΜΥΡΤΟΥ ΡΗΓΕΙΝΟϹ. Quod Ill. Spanhemius de fluuio Rhegino in hoc numo expreſſo ſuſpicatur, in mentem quoque venit Sponio. „ Rheginus, inquit, qui in auerſa parte decumbit, procul dubio fluuiolus eſt „ Smyrnæorum nunc nobis incognitus". At Rheginus, vel Reginus, non fluuii nomen, ſed viri. Notum eſt, Antiſtiam familiam id cognominis loco tuliſſe: Notus L. Rheginus, qui tribunus plebis Q. Cæpionem ſibi amicum publica cuſtodia liberauit, fugæque eius comitem ſe iunxit. Cumque Smyrnæ Cæpionem exulaſſe Cicero referat, patet inde, Rheginum quoque Smyrnam veniſſe, cuius ex poſteris fieri poteſt, vt ſit is, cuius nomen hic legitur. Ita & Rhegini, Prætoris Mileti in vicina Caria, memoriam numus antiquus Hadriani ſeruat, cuius in auerſa inſcriptio: ЄΠΙ ΡΗΓΙΝΟΥ ΜΙΛΗϹΙΩΝ, h. e. *Prætore Rhegino Mileſiorum.* Cumque hunc ipſum, de quo agimus, numum Hadriani tempeſtate cuſum ex litterarum Є & C pro Ε & Σ ductu, tametſi ille & iam ante Hadriani tempora occurrit, arguat Sponius, a vero non abhorret, alium ex eadem forte gente Rheginum eo tempore minori quodam magiſtratu Smyrnæ functum eſſe. Neque alias inſolens, in Smyrnæorum numis Prætoris nomini: ЄΠΙ ΜΥΡΤΟΥ, huiusmodi nomen adiunctum legi, vt ЄΠΙ ΦΙΛΙΣΤΟΥ ΕΙΚΑΔΙΟΣ, h. e. *Philiſto Prætore Icadius*, in numo C. Cæſaris atque Agrippinæ matris, de quo numo infra mihi agendum erit. Nec ſemper fluuiorum, qui in numis depinguntur, nomina addita conſpiciuntur, id quod Ill. Spanhemius haud vno exemplo præclare euicit, ita, vt ſi idem illud & hoc loco deſideretur, mirum videri nullo modo debeat.

Vid. Montfaucon. Palæograph. p. 138. — Miſcell. p. 141. — Valer. M. Lib. IV. c. 6. §. 3. — Orat. pro Balbo c. 11. — Cap. X. §. V. — L. c. p. 260.

§. XXXVII.

Sed hæc de voce ΡΗΓΕΙΝΟϹ auerſa in parte numi. Quod ad partem *De eodem plura.*

partem aduerſam attinet, in qua inſcriptio: ΑΝΘΥπάτῳ ΦΡΩΝΤΕΙΝΩ, h. e. ***Proconſuli Frontino***, eiusne ipſius ſit caput barbatum, quod eadem pars exhibet, an Iouis apud Smyrnæos culti, disquirit Sponius. „ Frontinus, inquit, Proconſul a Smyrnæis ſub Præfectura cuiusdam „ Myrti hocce numo honoratus eſt, inſolito aliis Proconſulibus ho- „ nore. Nonnullorum enim numos videmus a Prouinciis cuſos, „ ſed ſolo nomine inſignitos, non vero capite, quod Cæſarum Princi- „ pumque ius erat. Quamobrem putabat Gallandius noſter, qui „ numum Smyrnæ reperit, non Frontini caput eſſe, ſed Iouis apud „ Smyrnæos culti. Verum fortaſſe non errauero, ſi ipſiusmet Pro- „ conſulis eſſe affirmauerim, ſiquidem neque laurea cinguntur tem- „ pora, ut depingi ſolet Jupiter, neque alius ipſius character addi- „ tus eſt, *reliqua*. Addit": Sed quia hæ rationes non admodum va- „ lidæ ſunt, ſitne Iouis vel Frontini facies, adhuc ſub iudice lis ſit". Hic non miror, nec Gallandum Proconſulis Frontini caput agnouiſſe, nec Sponium Iouis. Frontini ſane caput eſſe non poteſt, quod, auguſtius longe mortali, tacitam ſpectantibus admirationem inſpirat, vt taceam, non licuiſſe, præſertim iis temporibus, quibus cuſus eſt numus, ſine perduellionis crimine cuiusquam viui vultum, præterquam Imperatoris, numis inſculpere. Iouis autem ſi foret caput, ſane vel laurea adeſſet, cum nudum id hic cernatur, ei impoſita, vel fulmen, vel alia nota, vnde ea de re certius conſtaret. Viderint igitur ſagaciores, an non ſit caput Herculis, Smyrnæ, vt ex aliis eius vrbis numis conſtat, ſummopere culti. Similitudo enim tanta ei cum Herculis, quod in ſequenti eiusdem vrbis numo haud dubie expreſſum eſt, capite intercedit, vt ouum ouo ſimilius eſſe nequeat.



Cernitur hinc caput Herculis barbatum cum epigraphe: ΟΠΛΟΦΥΛΑΞ, illinc figura ſedens inſtar fluuiorum, cum inſcriptione: ΖΜΥΡΝΑΙΩΝ. Reperiuntur alii huius generis numi cum parte auerſa Victoriæ gradientis & Teleſphori ſtantis, quos obiter ex gaza regia Verſalienſi commemorat Ill. Spanhemius, atque inde illuſtrat inſcriptionem Græcam, quæ inter marmora Oxonienſia extat, a Reineſio inde repetita:

Ad Callim. p. 366. Marm. Oxon. p. 264. Syntagm. Cl. El.I.n.LXXI. p. 112.

ΓΕΣΣΙΟΣ
ΦΛΑΚΚΟΣ
ΣΤΡΑΤΗΓΟΣ
ΕΠΙ ΤΩΝ ΟΠΛΩΝ
ΗΡΑΚΛΕΙΟΠΛΟ
ΦΥΛΑΚΙ κ. τ. λ. h. e.

Geſſius

Gessius
Flaccus
Præfectus
armorum
Herculi armorum
Custodi, reliqua.

Ad quam doctissimus Seldenus notauerat, Herculem quidem Custodem ex antiquis monumentis notum esse, sed eundem Ὁπλοφύλακος, seu *armorum Custodis* (cuius militaris muneris haud infrequens in marmoribus vetustis mentio) nomine cultum, se alibi legisse non recordari. L. c. p. 266.

§. XXXVIII.

Quem iam produco, Terinæorum numus pridem a Goltzio & nuper a Marco Maiero delineatus descriptusque prostat: sed adeo deformatum eum, Maierus inprimis, exhibuit, vt sperem, veniæ, quod ex thesauro nostro iterum in scenam prodit, locum apud æquos iudices futurum. Meretur certe elegantissimum hoc vetustæ artis in sculpendo monumentum, vt nitidiori & formosiori habitu expressum cernatur. Neque enim ex omni penu nostra promi possit numus artificio & elegantia vtcunque spectabilis & commendandus, cui præsens palmam non tantum dubiam reddat, verum & præripiat. *De numo Terinæorum.* Græc. Magn. Tab. XXIII. n. 7. Il. Regno di Napoli & Calabria. Calabr. T. XII. n. 9.



Cernitur hinc caput muliebre, in quo, vt cetera omnia eximia, ita ornatus capillorum inprimis oculos ad se conuertit. Inscriptio: ΤΕΡΙΝΑΙΩΝ. Illinc Victoria basi quadratæ insidens, dextra manu, eaque conuersa, auem sustinet, sinistram basi imponit. Conferenti hanc delineationem cum iis, quas Goltzius & Maierus dedere, facile patebit, quantum inter eas discriminis intercedat. Quod ad interpretationem numi attinet, Maierus, vt in omnibus fere Terinæorum numis, ita & in hoc caput Ligeæ Sirenis expressum arbitratur. Quin & integram eam inueniri tradit in numo, qui mulieris formosæ superiori ex parte, infra in piscem desinentis, h. e. *Nereidis* figuram exhibet. Qui quidem si vel legisset, vel expendisset Ill. Spanhemio de Sirenibus obseruata, vt ita statueret, animum haudquaquam induxisset. Neque enim dubitari potest, quin caput hoc sit cultæ in iis partibus Iunonis Laciniæ, cuius templum prope Crotonem ipsa hac vrbe nobilius, sanctum omnibus circa populis commemorat Liuius. L. c. Spiegar. delle Medaglie di Calabria. p. 24. T. I. p. 251. sqq. Lib. XXIV. c. 3.

In

In auerſa, vt dictum eſt, numi parte Victoria, dextra tenens aquilam expenſis alis, qualis ænea in ara ſtadii Olympici extabat, quæ machinula quadam commota, quaſi ſubvolatura ſe attollebat. Neque vero abſone Victoria aquilam geſtat, Iouis filia, ſi Philoni fides, Iouis alitem. Contraria ratione apud Lacedæmonios in porticu verſus occaſum aquilæ duæ totidem Victorias geſtabant, quod quidem donum ob duplicem victoriam conſecrauerat Lyſander. Ceteroqui TEPINA, vnde TEPINAIOI, magnæ Græciæ vrbs in Bruttiorum finibus ſita, non procul a ſinu, cui ab vrbe nomen Terinæo. Condidere eam Crotoniatæ. Ita enim, vt Plinium ac Solinum taceam, Stephanus: TEPINA, πόλις Ἰταλίας, καὶ ποταμὸς ὁμώνυμος, κτίσμα Κροτωνιατῶν, ὡς Φλέγων. Ἐκαλεῖτο δὲ καὶ μεγάλη Ἑλλὰς, ὡς Ἀπολλωνίδης ὁ Νικαεὺς ἐν τῷ περὶ παροιμιῶν. Τινὲς δὲ νῆσον αὐτὴν, εἰς ἣν ἐξεβράσθη Λίγεια ἡ Σειρήν. Ὡς Λυκόφρων·

Pauſ. Eliac. poſter. p. 198.
Lib. de mundi opif. p. 22.
Pauſ. Lacon. p. 99.
Lib. III. c. 5. Sect. X. T. I. p. 158.
Solin. c. 2. p. 10.

Λίγεια δ' εἰς Τέριναν ἐκναυσθλώσεται.

Ὁ πολίτης, Τεριναῖος. h. e.

TERINA, vrbs Italiæ, & fluuius eiusdem nominis, a Crotoniatis condita, vt Phlegon. Vocabatur autem & magna Græcia, vt Apollonides Nicæus in de parœmiis. Aliqui inſulam ipſam (ſic dicunt) *in quam Ligea Siren æſtus maris impetu eiecta fuit. Vt Lycophron:*

Ligea vero Terinam fluctibus eiicietur.

Ciuis, Terinæus.

Quo in loco tamen bis labitur ὁ Ἐθνικογράφος, primo quod Terinam nomine regionis, in qua ſita erat, magnam Græciam appellatam tradit, deinde quod inſulam perhibet, ex quibus poſterius Lycophronis auctoritate confirmare conatur, ſed fruſtra, prout Salmaſius & Holſtenius obſeruant. Vrbem hanc ab Hannibale, cum tutari eam non poſſet, euerſam auctor eſt Strabo.

Ad Solin. p. 45.
Ad Steph. p. 319.
Lib. VI. p. 256.

§. XXXIX.

De numo Temenothyritarum.

Λυδίας τῆς ἄνω πόλις ἐστὶν οὐ μεγάλη Τημένου θύραι, inquit Pauſanias; h. e. *Lydiæ ſuperioris vrbs eſt non magna Temenothyræ.* Sed ſi numos conſulamus, quos plurimos & ex parte magnitudine ſua ſpectabiles muſea complectuntur, nobile quondam & frequentatum idem Lydiæ oppidum cum Ill. Spanhemio fatebimur. Vulgatis adhuc ſequentem, non inuitis, vt ſpero, lectoribus addere licebit.

Att. p. 34.
p. 898. Edit. Amſtel.

Aduerſa



Aduerſa in parte caput galeatum cum haſta, in auerſa leo cum in-
ſcriptione: ΝΙΚΟΜΑΧΟϹ ΑΡΧ. ΤΗΜΕΝΟΘΥΡΕΥϹΙ. Nicomachi
huius ΑΡΧ. h. e. ἀρχιερέως, *ſacerdotis*, tres alii iam nunc numi pro-
ſtant. Primus extat apud Patinum, cuius aduerſa in parte caput Num. Imp.
Romæ, cum verbis, ΘΕΑ ΡΩΜΗ, ex auerſa figura ſtans cum haſta p. 3.
& flore, vt videtur, coram ſedente Dea, Iſide forte, addita inſcri-
ptione: ΝΙΚΟΜΑΧΟϹ ΑΡΧΙΕΡ. Α. Τ. Β. ΤΗΜΕΝΟΘΥΡΕΥϹΙ, quem
e cimelio Gallorum regio citat Cl. Harduinus. Alterum, ſed, ne- p. 261.
ſcio unde, ita deſcribit idem vir celeberrimus. „ ΝΙΚΟΜΑΧΟϹ ΑΡ- L. c.
„ ΧΙΕΡ. Α. ΤΟ Β. ΤΗΜΕΝΟΘΥΡΕΥϹΙ. Ex parte altera ΚΤΙϹΤΗϹ,
„ *conditor*. Herculis caput, quem conditorem vrbis ſuæ ii appellant.
„ Herculem certe in eo tractu aliquando fuiſſe auctor eſt Pauſanias".
Tertium protulit haud ita pridem nobiliſſimus Haymius, ex quo ſi- T. II. p. 219.
mul intelligas, quæ in tempora ſacerdotium Nicomachi noſtri inci- Tab. XXII.
derit. Præfert ille hinc caput Ottaciliæ Seueræ, cum litteris: ΜΑΡΚ.
ΩΤΑΚΙΛ. ϹΕΒΗΡΑ. ϹΕΒ. illinc figuram Apollinis ſtantem cum ar-
cu, ad cuius dextram lyra ante laurum, vt videtur, ad ſiniſtram
tripos angue involutus cum inſcriptione: ΝΕΙΚΟΜΑΧΟϹ ΑΡΧΙΕ.
ΤΗΜΕΝΟΘΥΡΕΥϹΙΝ. Ex primo horum numorum patet, caput
galeatum aduerſa in parte non eſſe, niſi ΘΕΑϹ ΡΩΜΗϹ, *Deæ Romæ*,
tametſi ea inſcriptio non addita cernitur. Leo auerſæ, cuiusmodi & Apud Haym.
in numis Philadelphiæ cernitur, ſymbolum Cybeles, Deæ Phrygiæ, L. c. p. 157. Spanh. T. I.
de cuius cultu in his Aſiæ partibus frequenti ſatis conſtat. Ad eosdem p. 166.
ΤΗΜΕΝΟΘΥΡΙΤΑΣ haud dubie ſpectat numus Cl. Seguini, quem Sel. Numiſm.
ille Tullio Cimbro, Iulii Cæſaris percuſſori asſignat, Cl. Vaillantius p. 88. ſqq. Famil. Rom.
M. Tullio Ciceroni, ſed omnium, vt videtur, veriſſime vrbis eius T. I. p. 489. ſq.
prætori, celeberrimus Harduinus. Huius enim vrbis numi ab eo in- De Num.
de tempore, quo vel Cimber ille Bithyniæ, vel Cicero Ciliciæ præfuit, Vrb. & pop. Opp. Sell.
nulli proſtant, quos Gordiani Pii demum ac ſequentium Imperato- p. 167.
rum ætate cuſos cimeliarchia præclara complectuntur. Mirum vero,
Seguinum & Vaillantium, quorum nota in ſingulis, quos antiqua hæc
monimenta ſpectantibus ob oculos ponunt, apicibus, probe digno-
ſcendis perſpicacia, inſcriptionem illius numi corruptam edidiſſe hoc
modo: ΤΡΙΜΕΝΟΘΥΡΕΩΝ. Nempe ita & Ptolemæo vocem hanc Lib. V. c. 2.
ſcribi ſibi perſuaſerant, apud quem tamen in verſione quidem *Trime-* p. 119.
nothyrittæ, ſed in Græco textu: ΤΡΑΙΜΕΝΟΘΥΡΙΤΑΙ, tametſi &
Cl. Harduinus affirmat, ΤΡΙΜΕΝΟΘΥΡΙΤΑΣ apud Ptolemæum legi.
Sed legendum vtique in numo eo perinde atque in ceteris: ΤΗΜΕΝΟ-
ΘΥΡΕΩΝ. Ita enim inſcriptionem illius emendatiorem exhibet Har- L. c.
duinus, quocum conſentit ectypus illius a Morellio noſtro operi de

numis Romanarum familiarum insertus, in quo vox hæc eadem ratione scripta exhibetur.

§. X L.

De numo cum litteris: ΜΟΙΞΙΑΤΤ.

Subiicio numum, in quo explicando operam, quam posui, non male collocatam arbitrabor, si alii inde occasionem nanciscantur verosimiliora de eo promendi, vtcunque mihi de eo obseruata seueriori forte aliorum iudicio se omni ex parte haud probauerint.



Graec. Tab. XXVIII. Calabr. Tab. VI.

V. Spanhem. T. I. p. 110.

Aduersa pars caput altiori corona & floribus ornata cinctum, capillis fluentibus, cuiusmodi fere Iunonis Laciniæ solet fingi in numis ΚΡΟΤΩΝΙΑΤΑΝ apud Goltzium, & Maierum, auersa figuram nudam exhibet, ante quam arbuscula. Inscriptio: ΜΟΙΞΙΑΤΤ. Litteras has inuerso ordine, vt sæpe in his monimentis, in quibus Phœnicio more scribendi ΝΩΙΞΟΚΑϘΥΞ, pro Συρακοσίων, ΞΑΛΕΓ pro Γέλας, ΝΟΙΑϘΕΜΙ pro Ιμεράιων, ΝΩΙΑΤΞΕΓΕΞ pro Σεγεςάιων, vt alia eius rei exempla taceam, legendas nemo dubitauerit. Ita vero lectis habebimus: ΤΥΛΙΣΙΟΜ. Vbi neminem vel Ο in syllaba postrema pro Ω, vel Μ pro Ν magnopere, vt spero, turbabit. Litterarum enim Ο & Ω permutatio satis frequens in numis, in quibus ΣΥΡΑΚΟΣΙΟΝ, ΣΕΛΙΝΟΝΤΙΟΝ, ΛΕΟΝΤΙΝΟΝ, ΛΙΠΑΡΑΙΟΝ, ΜΕΣΣΑΝΙΟΝ, ΚΑΤΑΝΑΙΟΝ, ΙΜΕΡΑΙΟΝ, ΦΕΡΑΙΟΝ, de quo postremo infra. Μ autem pro Ν positum cum in antiquissimo numo Amyntæ, in quo ΑΜΥΜΤΑ, tum in aliis Græcorum monumentis, vt fœdere illo Smyrnæorum, cum Seleuco Callinico inito, quod inter Marmora Oxoniensia lucem adspexit, vbi ΤΗΜ ΠΟΛΙΝ, ΤΩΜ ΠΡΑΓΜΑΤΩΝ, ΤΩΜ ΟΣΙΩΝ. ΤΗΛΙΣΙΟΙ autem incolæ vrbis Thraciæ, quam his verbis describit Stephanus: ΤΥΛΙΣ πόλις Θράκης, τȣ̃ Αἵμȣ πλησίον ϗ κλίνεται Τύλεως. Τὸ ἐθνικὸν. Τυλίτης, ὡς Μεμφίτης. h. e. *Tylis, vrbs Thraciæ prope Hæmum & declinatur Tyleos. Gentile, Tylites, vt Memphites.* In nostro gentile est ΤΥΛΙΣΙΟΣ, non ΤΥΛΙΤΗΣ, vt pateat, analogiam, quæ aliquando fallit, secutum esse Stephanum in formando eo, veram autem flexionem eius ignorasse. Polybius eandem vrbem ΤΥΛΗΝ appellat, docetque Gallos, Brennum ducem secutos, ibi regiam suam constituisse. Equidem Τύλιν pro Τύλη apud Polybium ex Stephano substituit Henricus Valesius, sed frustra, cum eadem vrbs & Τύλις & Τύλη scribi potuerit, quo pacto Aphytis & Α᾽φύτη & Α᾽φυτις dicta est. Stephanus: ΑΦΥΤΗ ἢ ΑΦΥΤΙΣ, πόλις πρὸς τῇ Παλλήνῃ Θράκης . . . . Λέγεται ϗ Α᾽φύτεια, ἴσως ἀπὸ τȣ̃ Α᾽φύτη. Καὶ Α᾽φυτιεὺς ϗ Αφυτεὺς ϗ Α᾽φυτήσιος. h. e.

V. Spanh. de Vs. & Præst. Num. T. I. p. 98. §. XLII. p. 5. 11.

Voce Τύλις.

Lib. IV. p. 313.

Voce Αφύτη.

Aphyte

Aphyte vel Aphytis vrbs iuxta Pallenen Thraciæ . . . . Dicitur etiam Aphytia, forte ab Aphyte; & Aphytienſis & Aphytenſis & Aphiteſius. Vrbis huius gentile & Ἀφυτήσιος, (vel, vt forte reſcribendum, Ἀφυτίσιος.) vnde mirandum non eſt, ab vrbe ΤΗΛΗ vel ΤΥΛΙΣ ſimile, Τυλίσιος nempe formari. Quod ad ſymbola attinet, caput aduerſæ partis haud ſcio, an Cotyos eſſe poſſit, Thraciæ Deæ, qua de Aeſchylus apud Strabonem: Lib. X. p. 470. ſq.

Σεμνὰ Κότυς ἐν τοῖς Ηδωνοῖς.

Veneranda Cotys in Edonis.

Sacra eius Cotyttia dicta e Thracia in Græciam atque Athenas cumprimis, prout ex eodem Strabone patet, manarunt, vnde Cecropiam L. c. p. 471.
Cottyto, quæ eadem cum Coty, appellat Iuuenalis, qui de iisdem Sat. II. v. 92.
ſacris:

Talia ſecreta coluerunt Orgia tæda
Cecropiam ſoliti Baptæ laſſare Cotytto.

Auerſa pars Bacchantem exhibet, cuius in dextra tympanum, vt videtur, in ſiniſtra larua, quales Bacchantes arboribus appendere ſolebant, quam ob cauſam & arbuſcula adiecta cernitur. Ea de re Virgilius: Georg. Lib. II. 388. ſq.

Et te Bacche vocant per carmina læta, tibique
Oſcilla ex alta ſuſpendunt mollia pinu.

Ad quem locum videndus Seruius. Bacchica ſacra apud Thraces antiquiſſimis pariter temporibus recepta, vnde ea ad Phryges perueniſſe Strabo teſtatur. Ceterum geminam prorſus figuram Bacchantis exhibet Sardonyx inſignis vt magnitudinis, ita & pretii, in qua Bacchi pompa affabre exciſa cernitur. Illam vt contendere cum numo præſenti liceat, excerptam ex delineatione eius, nuperrime mihi oblata, ſubiiciendam duxi. L. c. p. 471.



§. X L I.

De numo Φαλανναίων. Φαλανναίων numum, ſed nulla eius deſcriptione ſuppeditata, e cimelio regio Gallorum laudat Cl. Harduinus. (L. c. p. 178.) Poterat ſimilem citare ex theſauro Brandenburgico, (T. I. p. 479.) quem Begerus noſter iuris publici fecit, & doctis animaduerſionibus explicauit. Ei e theſauro noſtro ſequentem iungo.



Auerſa per omnia conſentit cum numo gazæ Brandenburgicæ. Expreſſum ibi caput iuuenile nudum, decoro admodum blandientique vultu. In aduerſa caput fœmineum ornatu capillorum faſciaque inſigne. (Voce Φάλαννα.) Inſcriptio: ΦΑΛΑΝΝ. De vrbe hac Stephanus: ΦΑΛΑΝΝΑ, πόλις Περῤαιβίας, ἀπὸ Φαλάννης τῆς Τύρου θυγατρός. Λυκόφρων·

Γόνον,

Γόνον Φάλανναν, ἠδ' Ὀλοοσόνων γύας.

Ἑκαταῖος Ἱστοριῶν ά Ἱππίαν αὐτὴν καλεῖ. Καὶ Ἔφορος Φάλαννον αὐτὸν καλεῖ ἐν τῷ θ' . . . . ὁ πολίτης Φαλανναῖος, κ. τ. λ. h. e. *Phalanna vrbs Perrhæbiæ a Phalanne, Tyri filia. Lycophron:*

Gonum, Phalannam & Oloſſonum iugera.

Hecatæus Hiſtoriarum lib. I. Hippiam eam vocat. Et Ephorus Phalannum lib. IX. . . . . ciuis Phalannæus. reliqua. Patet hinc duplicem vrbis huius ſcripturam fuiſſe, vt & Phalanna & Phalannus diceretur. Neque adeo mirum, Stephanum ex Lycophrone Φάλανναν citare, in hodiernis autem Lycophronis codicibus, itemque apud Tzetzem Φάλανον vel Φάλαννον, vt emendandum videtur, inueniri. Vtraque enim ſcribendi ratio, quo ſe tueretur, habebat. Sic viciſſim hodie apud Strabonem legas: Ἡ δὲ Φάλαννα Περῥαιβικὴ πόλις πρὸς τῷ Πηνειῷ πλησίον τῶν Τεμπῶν. *Eſt autem Phalanna vrbs Perrhæbica ad Peneum prope Tempe.* Obſeruat nihilominus doctiſſimus Holſtenius, Euſtathium tanquam ex Strabone citare: Περῥαιβικὴ δὲ πόλις ἡ Φάλαννός φησι πρὸς τῷ Πηνειῷ, *Perrhæbica vrbs Phalannus, inquit, ad Peneum.* Frequentior tamen ſcriptura, qua Phalanna dicta eſt, quam non modo Liuius ſequuntur & Plinius, ſed & gentile Φαλανναῖος apud Stephanum & Strabonem, tum vero numus Begerianus, in quo diſerte ΦΑΛΑΝΝΑ, confirmat. Ceterum cum Phalanna ſit Perrhæbica vrbs in Theſſalia, probabiliter coniectat Begerus, capite illo aduerſæ partis, quod in vtroque numo vnum idemque eſt, Perrhæbum gentis conditorem deſignari. De eo enim Euſtathius: Περῥαιβοὶ ἐκλήθησαν μὲν ἀπό τινος Περῥαίβου ἐνδόξου, ὡς εἰκὸς ἀνδρός. h. e. *Perrhæbi dicti ſunt a quodam Perrhæbo, illuſtri, vt videtur, viro.* Eum Illyrii filium, Polyphemi & Galateæ nepotem, fuiſſe docet Appianus. Vt vero conditorem gentis ſuæ Phalannæi altera ex parte numi ſculpſere, ita ex altera Phalannam, Tyri filiam, expreſſiſſe videntur, a qua nomen accepiſſe vrbem Stephanus, vt vidimus, teſtatur.

Lib. IX. p. 440.
Ad Steph. p. 339.
Ad Iliad. 13. p. 333.
Lib. XLII. c. 54.
Lib. IV. c. 9. ſect. 16. T. I. p. 200.
L. c.
Ad Iliad. B. p. 335.
De bello Illyr. p. 757.

§. XLII.

De numis Φεραίων non magis ſatisfecerit lectoribus Cl. Harduinus, quam de numis Φαλανναίων, quos vidimus. Ita enim ille: „ ΦΕΡΑΙΩΝ. „ M. Aurelii numus, e theſauro Goltzii p. 225. Plinio lib. IV. „ ſect. XV. *Pheræ.* Stephano: Φέραι, πόλις Θεσσαλίας . . . . ὁ πολίτης Φεραῖος. At ſi Holſtenium conſuluiſſet, addere poterat, apud Pyrrhum Ligorium extare numum ΦΕΡΑΙΩΝ cum capite & arcu Dianæ. Sin vero auctor dubiæ fidei displiceat, ſubſtituere ei ex muſeo noſtro ſequentem licet.

De numo Φεραίων.
L. c.
Ad Steph. p. 344.



Aduersa pars in area pugnam Herculis cum tauro, infra piscem & caput monstri marini exhibet, auersa equum decurrentem cum litteris admodum vetustis: ΦΕΡΑΙΟΝ, in quibus, vt nihil nunc de litteris O pro Ω moneam, cuius rei vetustiores numi exempla haud vna, de
§. XL. quibus supra, suppeditant, notatu digna forma τῦ Ρ, quæ ad Latinam R accedit, & ei simillima est, quam viri docti in marmore Bandelo-
v. Montf. Palæogr. p. 135. tiano obseruarunt. Tametsi autem Pheras haud vnas scriptores vna cum Stephano commemorant, Thessalicis tamen numum vindicat equi
T. I. p. 479. symbolum, auersa in parte expressum, vnde & Begerus Phalannæ Thessaliæ numum, in quo idem illud cernitur, tribuendum duxit. Thessalorum nempe equi præstantissimi, idque vel Apolline teste in oraculo Aegiensibus dato, quo iunguntur equus Thessalicus, Lacæna
Lib. X. p. 449. mulier, & viri bibentes aquam Arethusæ, h. e. vt explicat Strabo, Chalcidenses, quos optimos prædicari idem affirmat. Hinc Xerxes in
Herodot. Lib. VII. p. 196. Thessalia equorum suorum certamen instituit, periculum facturus Thessalici equitatus, quem cognouerat optimum esse Græcorum. Hinc
Iustin. Lib. VII. c. 6. & Philippus: „ Thessaliam, vt auctor est Iustinus, non prædæ cu„ piditate, sed quod exercitui suo robur Thessalorum equitum adiun„ gere gestiret, nihil minus quam bellum metuentem, improuisus „ expugnauit, vnumque corpus equitum pedestriumque copiarum „ inuicti exercitus fecit". Nata inde fabula, primum in Thessalia
Lib. VI. ℣. 400. sqq. equum ortum esse. Lucanus:

Primus ab æquorea percussis cuspide saxis
Thessalicus sonipes bellis feralibus omen
Exsiluit: primus chalybem frenosque momordit,
Spumauitque nouis Lapithæ domitoris habenis.

Pugna Herculis, a cuius filio, Thessalo, Thessalos dictos tradunt My-
Lib. I. c. 3. thologi, quos tamen refellit Velleius, cum tauro, vel Acheloo potius, qui tauri formam assumsit, quam aduersa pars numi exhibet, Larissæ quoque numis, perinde atque equi figura, insculpta cernitur apud
Græc. Tab. XX. Goltzium. Piscis & caput monstri marini nauigationem Pheræorum
Lib. IX. p. 436. denotat. Nauale eorum dictum Παγασαὶ, memorat Strabo, idque nonaginta stadia ab vrbe abfuisse docet. Sinus Pagasici oppidique Pagasæ
L. c. meminit quoque Plinius: Παγασαίων vero numum Goltzius produxit. Ceterum de Pheris tyrannoque eius vrbis Alexandro non abs re fuerit audire somnium Eudemo Cyprio oblatum, quod ex Aristotele narrat
Diuin. I. c. 28. Cicero his verbis: „ Quid singulari vir ingenio Aristoteles, & pæne „ diuino?

„ diuino? ipſene errat? an alios vult errare? cum ſcribit, Eudemum „ Cyprium, familiarem ſuum, iter in Macedoniam facientem Pheras „ veniſſe, quæ erat vrbs in Theſſalia tum admodum nobilis, ab Ale- „ xandro autem tyranno crudeli dominatu tenebatur: in eo igitur op- „ pido ita grauiter ægrum Eudemum fuiſſe, vt omnes medici diffi- „ derent: ei viſum in quiete egregia facie iuuenem dicere, fore vt „ perbreui conualeſceret, paucisque diebus interiturum Alexandrum, „ ipſum autem Eudemum quinquennio poſt domum eſſe rediturum. „ Atque ita quidem prima ſtatim ſcribit Ariſtoteles conſecuta; & con- „ ualuiſſe Eudemum; & ab uxoris fratribus interfectum tyrannum" *reliqua.*

§. XLIII.

Phocenſium in Ionia numi minus rari, vtpote quorum, inprimis *De numo Φωκέων.*
ſub Imperatoribus Romanis cuſorum, plurimos viri doctiſſimi Vaillan- Græc. Num. paſſ.
tius & Harduinus deſcripſerunt. Haud paulo maius pretium ſtatuen- L. c. p. 181. ſq.
dum Phocenſium in Græcia numis, quorum duos Goltzius exhibuit, Græc. Tab.
præter quos nullos alios citauit Cl. Harduinus. Illis ſequentem ex VIII.
theſauro noſtro addas licet, qui gentile ΦΩΚΕΩΝ diſerte exhibet. L. c. p. 182.



Aduerſa in parte caput fœminino cultu, laurea cinctum, vultu admo-
dum decoro, cum litteris, vt dixi, ΦΩΚΕΩΝ. In auerſa caput tauri
vittis ornatum, ſupra quod litteræ ΕΑ. ΦΩΚΙΣ, χώρα περὶ τὸν Πάρνασ-
σον . . . . Ἀπὸ Φώκου τινός. Οἱ κατοικοῦντες ΦΩΚΕΙΣ, verba ſunt Stephani, v. Φωκ.
h. e. *Phocis regio circa Parnaſſum . . . . a Phoco quodam. Incolæ*
Phocenſes. Vberrimam eius deſcriptionem dedit Pauſanias, ita, vt vel Phocic.
vnus ille ſatis ſit, plura de ea cognoſcere auentibus. Famam illa de-
bet Delphis, Delphicoque Apollini, cuius oraculum toto terrarum
orbe celebrabatur. Ei tribuendum puto caput laureatum aduerſæ par-
tis, vtcunque illud muliebre videatur. Pridem enim Vaillantius, & Select. num.
ex eo Wildius, nouiſſime autem Cl. Schottus oſtendere, moris apud p. 34. Apotheos.
veteres fuiſſe, vt muliebri efformaretur habitu Apollo, idque exemplis Hom. p. 59.
haud vnis demonſtrarunt. Neque tamen nimis fortaſſe aberret a vero,
qui Themidem ſub eodem hoc capite agnoſcat. Apollinem enim vna
cum Themide oraculum Delphicum condidiſſe, ex Ephoro memoriæ
prodidit Strabo, vnde Pindarus in Pythicis Θέμιν ἱερὰν, *Themidem ſacram*, Lib. IX. p. 422.
canit, ad quæ verba Scholiaſtes: Θέμιδος ἦν τὸ χρηστήριον, ὅθεν καὶ τὸ θεμι- Πυθ. II. v. 15. p. m.
στεύειν. *Themidis erat Oraculum, vnde & reſpondere.* Quo loco notaſſe 308.
non abs re fuerit, quod Diodorus ſcribit: Καὶ τὸν Ἀπόλλωνα, καθ' ὃν δὴ Lib. V. p.
χρόνον τοὺς χρησμοὺς διδόναι μέλλει, θεμιστεύειν λέγομεν, ἀπὸ τοῦ τὴν Θέμιν εὑρετρίαν γε- 232.
γονέναι

γονέναι τ χρησμῶν. h. e. *Et ipſum Apollinem, quando reſponſum editurus eſt,* θεμιστεύειν, h. e. *Themidis munus obire, dicimus, quod Themis nimirum inuentrix oraculorum extiterit.* Nec abludit Suidas: Θεμιστεύειν· ἀντὶ τοῦ χρησμῳδεῖν. Λυσίας. Γέγονε δὲ ὄνομα ἀπὸ τοῦ Θέμιν ἐσχηκέναι ποτὲ τὸ μαντεῖον πρὸ τοῦ Ἀπόλλωνος. h. e. Θεμιστεύειν *Oracula edere. Lyſias. Hoc autem verbum inde deductum eſt, quod Themis olim ante Apollinem oracula conſulentibus reddiderit.* Tauri caput vittis ornatum ad Neptunum pertinere poſſit. Docet enim Pauſanias, oraculum Delphicum quondam Telluri & Neptuno commune, propptereaque intra templum Neptuno aram dicatam fuiſſe. Cauſam reddit idem: ὅτι τὸ μαντεῖον τὸ ἀρχαιότατον κτῆμα ἦν καὶ Ποσειδῶνος, *propterea quod Neptunus oraculum illud antiquiſſimis temporibus ſibi vindicabat.* Neptuno vero oblatum eſſe taurum Virgilius & Statius docent. Sic Alexander tauros Neptuno cæſos in mare proiecit apud Indos; ſic Corcyrenſes ex Apollinis reſponſo taurum Neptuno mactabant, vt alia nunc taceam. Quod tamen idem fere caput bouinum in numis Delphorum, quorum auerſa in parte Apollo, expreſſum cernitur, recte illud ad Apollinem etiam refertur. Apollinis ſignum pede altero cranio bouis inſiſtentis deſcribit, eiusque rationem reddit Pauſanias. Et refert Liuius Senatusconſultum Romanorum in hanc ſententiam factum: *Vt decemviri ſacra Græco ritu facerent hisque hoſtiis, Apollini boue aurato,* & quæ ſequuntur. Litteras ΕΛ interpretari poſſis ΕΛατείαν, *Elatiam*, quam maximam poſt Delphos Phocidis vrbem Pauſanias appellat, qui de conditore eius Elato ac fatis plura tradit.

voce Θεμιστεύειν. conf. Pauſan. Phoc. p. 322.

L. c. p. 320.

L. c. p. 341.

Aeneid. III. 119. Achill. II. 299. ſq.

Arrian. Lib. VI. p. 415.

Achaia. p. 226.

Lib. XXV. c. 12.

Phoc. p. 352. conf. Strab. Lib. X. p. 418. 423. & Steph. voce Ἐλάτεια.



CAPVT



CAPVT VI.

DE NVMIS FAMILIARVM ROMANARVM, VVLGO CONSVLARIBVS.

§. I. *De iis in genere.*

§. II. *Index eorumdem præmittitur.*

§. III. *De duobus numis familiæ Aebutiæ.*

§. IV. *De numis familiæ Aeliæ. Quid littera C in familiæ eius numo secundo apud Vaillantium denotet, inquiritur.*

§. V. *De numo gentis Antistiæ cum inscr.* . . . . TISTius VETVS FOEDVS PR. QVM GABINIS.

§. VI. *De numo gentis Antoniæ cum Symbolo corui.*

§. VII. *De numismate M. Antonii* IIIVIRI *duos cistophoros tetradrachmos æquante.*

§. VIII. *De numis gentis Attiæ cum inscr. hinc*, ATIVS BALBVS PR. *illinc*, SARD. PATER.

§. IX. *De numo Q. Labieni.*

§. X. *De numis gentis Calpurniæ, in quibus numeri* XVII. XX. CXX. CXXXX.

§. XI. *De numo gentis Cassiæ cum capite Vestæ, cuius auersa in parte homo togatus cum tabella, in qua*

 littera

§. I.

De numis familiarum Rom. argenteis & æreis in genere. Cap. II.

QVæ dixi supra de aureis, quos gaza nostra complectitur, Romanarum familiarum numis, si lectorum, quibus monumenta hæc maximæ toto terrarum orbe potentissimæque reipublicæ curæ cordique sunt, sitim accenderunt verius, quam restinxerunt, non equidem mirabor. In tanta enim paucitate eorum quid afferri a me poterat, vnde Romanarum gentium nomina, origines, dignitates, res domi forisque gestæ, multiplicesque laudum tituli paulo vberiori, vt par erat, luce perfunderentur. Sed si minus tum forte satisfacere licuit expectationi hominum antiquariæ huius supellectilis cognoscendæ studiosorum, licebit, opinor, hoc loco, quo de argenteis æreisque familiarum Romanarum numis agendum est. Hos non mediocri studio conquisitos vndique esse, vt thesaurus inde noster plenior spectatiorque redderetur, facile persuadebuntur, qui meminerint, Morellium nostrum eodem tempore, quo Cl. Vaillantius in Gallia opus præclarum de hoc numorum genere edendum susceperat, de politioris litteraturæ studiosis simili labore, de quo supra plura, bene mereri studuisse. Iam credam equidem facile, viro optimo dudum ante quam Arnstadiensi gazæ, quæ nostra nunc est, præficeretur, in promtu fuisse, vel omnia vel pleraque eorum, quæ ad absoluendum hoc opus requirebantur. Sed vicissim nemo negauerit, puto, hoc ipsum consilium ei calcar addidisse, vti operam sedulo daret, vt, quos diuulgaturus esset numos, eorum exempla in numophylacio, cuius curam gerebat, prostarent, spectaturisque propius monstrari possent. Tametsi autem votis eius nostrisque fortuna minus respondit, quandoquidem vt opus illud, cuius editionem nemo, nisi Germano nomini inimicus, non votis omnibus expetiuit, rei numariæ

§. IX. sqq.

riæ ſtudioſi, ita loculi theſauri noſtri plurium numorum acceſſiones etiamnum deſiderant; nihilo ſecius tamen eo apparatu penus noſtra inſtructa eſt, vt, poſt vberrimam quantumuis meſſem, quam nobiliſſimo Vaillantio debemus, ſpicilegium inde haud contemnendum polliceri liceat. Spectatorum oculos inprimis ad ſe conuertunt vnius eiusdemque numi longe plurima e diuerſis matricibus expreſſa exempla, quæ haud inutili ſtudio coaceruata apud nos viſuntur, quippe vnde ad intelligendam rationem minutorum ſignorum, numerorum, litterarumque ſingularium, in quibus explicandis plus ſemel hæret celeberrimus vir, cui omnis ætas in his monumentis excutiendis transacta eſt, via quam planiſſima ſternitur.

§. II.

Sed ne quid gratis affirmaſſe videar, catalogum familiarum, quarum apud nos reperiuntur numi, adſcripto eorundem numero, præmitto. *Index.*

	Aburia	4.		Claudia	21.
	Accoleia	2.		Clouia	1.
	Acilia	3.		Cloulia	4.
	Aebutia	7.		Cocceia	1.
	Aelia	10.		Cœlia	11.
	Aemilia	18.		Conſidia	7.
	Afrania	2.		Coponia	2.
	Annia	7.	XL.	Cordia	6.
	Anteſtia	4.		Cornelia.	44.
X.	Antia	3.		Cornuficia	1.
	Antiſtia	2.		Coſconia	1.
	Antonia	90.		Coſſutia	6.
	Appuleia	1.		Crepereia	2.
	Apronia	2.		Crepuſia	14.
	Aquillia	2.		Critonia	1.
	Arria	1.		Cupiennia	1.
	Aſinia	2.		Curiatia	3.
	Atia	2.	L.	Curtia	2.
	Atilia	6.		Didia	4.
XX.	Aufidia	1.		Domitia	10.
	Aurelia	7.		Durmia	2.
	Axſia	3.		Egnatia	4.
	Bæbia	3.		Egnatuleia	3.
	Cæcilia	17.		Eppia	1.
	Cæſia	2.		Fabia	21.
	Calidia	2.		Fannia	3.
	Calpurnia	18.		Farſuleia	8.
	Caninia	1.	LX.	Flaminia	3.
	Cariſia	10.		Flauia	2.
XXX.	Caruilia	1.		Fonteia	11.
	Caſſia	22.		Fuſia	1.
	Cinia	1.		Fuluia	1.

	Fundania	3.		Pompeia	14.
	Furia	5.		Pomponia	15.
	Gallia	1.		Porcia	12.
	Gellia	1.		Poſtumia	11.
	Herennia	7.		Pupia	2.
LXX.	Hirtia	1.	CXX.	Procilia	4.
	Horatia	1.		Quinctia	4.
	Hoſidia	1.		Quinctilia	1.
	Hoſtilia	3.		Renia	1.
	Itia	1.		Roſcia	1.
	Iulia	60.		Rubria	9.
	Iunia	41.		Ruſtia	3.
	Licinia	11.		Rutilia	1.
	Liuineia	1.		Saluia	3.
	Lollia	3.		Sanguinia	4.
LXXX.	Lucilia	1.	CXXX.	Satriena	3.
	Lucretia	6.		Saufeia	2.
	Luria	2.		Scribonia	4.
	Lutatia	2.		Sempronia	8.
	Mæcilia	3.		Sentia	3.
	Mænia	1.		Sepullia	5.
	Mamilia	3.		Sergia	1.
	Manlia	7.		Seruilia	11.
	Marcia	20.		Seſtia	3.
	Maria	7.		Sicinia	3.
XC.	Memmia	7.	CXL.	Silia	1.
	Meſcinia	1.		Soſia	1.
	Mettia	1.		Spurilia	1.
	Minatia	1.		Statilia	1.
	Minucia	5.		Sulpicia	8.
	Mucia	1.		Tarquitia	1.
	Munatia	1.		Terentia	2.
	Muſſidia	8.		Thoria	22.
	Næuia	17.		Titia	3.
	Naſidia	2.		Titinia	1.
C.	Neria	1.	CL.	Tituria	13.
	Nonia	2.		Trebania	1.
	Norbana	2.		Tullia	1.
	Numitoria	4.		Valeria	14.
	Ogulnia	1.		Vargunteia	1.
	Opeimia	3.		Verginia	1.
	Papia	30.		Vettia	1.
	Papiria	6.		Vibia	16.
	Pedania	1.		Vinicia	4.
	Petillia	2.		Vipſania	4.
CX.	Petronia	4.	CLX.	Vmmidia	1.
	Pinaria	4.		Voconia	2.
	Plætoria	13.		Volteia	9.
	Plautia ſ. Plotia	13.		Incerta	46.
	Poblicia	10.			

§. III. Huic

§. III.

Huic generali familiarum Romanarum indicio, quarum monimenta gaza noſtra ſeruat, ſpecimina pro inſtituti huius ratione ſubiungo, non equidem moroſa nimis anxiaque diligentia, nec tamen ſine omni delectu ex vniuerſa hac penu conquiſita. Initium faciat Aebutia gens, quam ex numis duumvirorum Corinthi P. Aebutii & C. Pinnii exhibuit Patinus, eiusque exemplo Cl. Vaillantius, quod facere parantem Morellium noſtrum Cl. Gallandus reprehendebat, ratus, Aebutium hunc, aut certe patrem eius, fuiſſe ſeruum familiæ Aebutiæ, atque inde equidem nomen eum ſibi, ſed ius gentis Aebutiæ nullum pepeiſſe. Atque inde colligi, numos eius nomine cuſos, nequaquam eſſe Aebutiis adſcribendos, familiæ antiquæ Romanæ, geſtis faſcibus Conſularibus inclytæ. Non deterruit tamen cenſura hæc Cl. Vaillantium, quo minus eosdem non modo numos retineret, ſed & duos iis nouos adderet, quorum in priori hinc caput Antonii IIIViri nudum cernitur, cum litteris: CORIN, illinc prora cum epigraphe: P. AEBVTIO, PINNIO IIVIR. quo quidem alium ſimilem apud Patinum ſupplet vir celeberrimus, in quo auerſæ partis inſcriptio mutila: L. AEBVTIO . . . . VIR. cui tamen duumviro L. nomen a Patino expreſſum relinquit ectypus Morellianus. Non peccauero proinde, ſi iisdem alios duos adiiciam, tanto minus hic prætereundos, quod Imperatoris nullius exhibent effigiem, cuius generis numos vtique ad antiquas familias ſuas reuocari debere, Cl. Vaillantius fatetur.

De numis familiæ Aebutiæ. — Memoir. de Trevoux Février 1700. p. 107. ſq. — Præf.



In priori caput barbatum Iouis, cuius templum Corinthi Pauſanias commemorat, cum inſcriptione: CORINT. & auerſa in parte corona ex apio, vt videtur, contexta, cum litteris: P. AEBVTIO C. PINNIO IIVIR. In poſteriori, qui ex muſeo Godofr. Thomaſii Norinbergenſis Medici, litterarum politiorum laude florentiſſimi, in gazam noſtram transiit, hinc in corona inſcriptio: P. AEBVTIO PRF. C. PINNIO PAMPHILO, illinc Pegaſus cum inſcriptione: PRF. ITER COR. Poſterior hic numus Aebutium & Pinnium PRF. h. e. *Præfectos* appellat, quo pacto & vox hæc ſcripta occurrit in veteri lapide apud Gruterum:

Corinth. p. 48. — p. CDXCVIII. 8.

 Q. HE-

Q. HERENNIO
POTENTI
PRF PRT.

Præfecti autem in coloniis non diuersi a IIViris, vnde quemadmodum IIViri, ita & Præfecti QVINQuennales appellantur. Apud eundem Gruterum inscriptio :

p. CDLXXIX. 6.

C. VALERIO C. F. PAP.
MARIANO
HONORES OMNES
ADEPTO TRIDENT.
FLAMINI ROM. ET. AVG.
PRAEF. QVINQ. AVGVR, reliqua.

C. PINNVS autem in hoc numo PRF. ITER*um* appellatur, ita vt dignitatem hanc eum iam antea gessisse pateat. Cognomen additur PAMPHILI, quod quidem hominem libertini generis manifeste prodit. Vnde eiusdem culpæ, cuius Morellium reum Gallandus peragit, notam vix effugerit Ill. Spanhemius, si, quod admodum verisimile est, ex similibus huius duumviri numis familiam PINNIAM iis, quæ adhuc vulgatæ sunt, adiici posse sibi persuasit.

T. II. p. 8.

§. IV.

De numis familia Aelia.

Aeliæ familiæ numum, qui ordine secundus est apud Vaillantium, ab Vrsino & Patino, imo & Begero nostro antea iam productum, decies septies diuerso typo, quod alibi vidimus, expressum sistunt ectypi Morelliani. Eundem thesaurus noster octies ostentat, quam varietatem vel quatuor hi ectypi satis docebunt.

T. I. Tab. III. p. 13. sq. Vrsin. p. 4. Patin. p. 6. Thes. Brand. T. I. p. 530. C. II. §. XII.



De symbolis, capite Iunonis aduersa in parte, & in auersa, Diana tædas gerente, bigaque ceruorum vecta nihil monebo. Credam Vaillantio, cum Iunonis ædes haud vnæ Romæ essent, auersæ partis typo Iunonem Lucinam, quæ eadem cum Diana & Luna, esse intelligendam,

L. c.

dam, eamque expressam exhiberi, ob cultum eius singularem in familia Aelia, in qua Pæti cognomine, ab oculorum vitio depromto, tametsi a vero alienum est, quod affirmat, Plinium tradere, Iunonem Lib. XVI.
dictam Lucinam, quod oculis præsit, vt qui potius a luco Lucinam c. 44. sect. 85. T. II.
dictam docet. „ Romæ vero, inquit, lotos in Lucinæ area, anno, p. 40.
„ qui fuit sine magistratibus, CCCLXXIX. Vrbis, æde condita „ incertum, ipsa quanto vetustior. Esse quidem vetustiorem, non est „ dubium, cum *ab eo luco* Lucina nominetur". Rectius sane vir clarissimus ad Ouidium prouocasset, qui tamen a luco, an a luce no- Lib. Fast.
men illa acceperit, incertum relinquit. Ita enim ille: ỳ. 449

Gratia Lucinæ: dedit hæc tibi nomina lucus,
Aut quia principium tu, Dea, lucis habes.

Id vero ex consideratione numismatum horum manifeste patet, spicam sub ceruis in delineatione Vrsini, Patini & Begeri, quam repetitam dedit vir doctus, litteramque C, quam aduersa pars, iuxta litteras BALA, & caput Iunonis, exhibet, non posse accipi de notis *Curatorum frumenti* indicantibus. Non modo enim littera illa, quæ in primo E, in altero F, in tertio H, in quarto R. perpetuo vna eademque non est, sed & minuta illa signa sub ceruis quam maxime differunt. Est enim modo rana, modo gryphus, modo pharetra & arcus, modo cicada. Itaque fieri fortasse potest, vt vnum alterumue eorum ad typum areæ, in qua cernitur, quodammodo respiciat, ipsa tamen varietas eorum satis conuincit, proprie notas eas esse ad monetarios in officinis distinguendos, & ad explorandam cuiusque fidem atque industriam, vt Mo- Ep. ad Periz.
rellius noster loquitur, adhibitas. De coniectura viri eruditissimi co- subi. eius diss. de ære graui
gnomen BALAE vel BALARI inditum esse existimantis C. Al- p. 205.
lio, quod in Corsicam insulam exul forte missus, S. C. in patriam deinde redierit, (nam exules, teste Pausania, Balaros Corsi appellabant) Phoc. p. 333.
alii viderint. Forte & suspicari possis, ob vitium loquelæ, vnde cognomina BALBVS & BLAESVS originem traxere, a balando BALAS esse appellatos.

§. V.

Nouum collectioni Vrsini a Patino auctæ denarium gentis Antistiæ *De numo*
adiecit Cl. Vaillantius, in quo ANTISTIVS VETVS IIIVIR *familia Antistia.*
ad antiquitatem gentis suæ, Gabiis oriundæ, demonstrandam (nam T. I. Tab. X.
inter Gabinos, a Sexto, Tarquinii Superbi filio, dolo oppressos τὸν ἐπιφανέστατον τῶν Γαβίων ΑΝΤΙΣΤΙΟΝ ΠΑΤΡΩΝΑ, *nobilissimum Gabinorum*, ANTISTIVM PATRONEM, numerat Dionysius Halicarnas- Antiquit. Lib.
sensis) FOEDVS P. R. CVM GABINIS expressit. „ In eo; IV. p. 255.
„ vt ex Vaillantio eodem tradit Ill. Spanhemius, hinc caput Augusti ac T. II. p. 201.
„ nomina, illinc duo Feciales togati, qui veluti dextras iungunt, „ supra aram inter eos accensam, & cum inscriptione: ANTISTI- „ VS IIIVIR FOEDVS P. R. CVM GABINIS". Addit; tradere Vaillantium „ sub ara porcam occisam cerni, sed eam in nu- „ mi icone, ab eo adducta, non comparere". In hac descriptione non

vna

vna sunt, vnde haud iniuria colligas, iconi huius numi, prout eam Vaillantius exhibuit, accuratius contemplandæ minus animum intendisse virum illustrem. Alioqui neque scripsisset, duos Feciales veluti dextras iungere, quas in eadem delineatione reapse iungunt, aut aram ibi accensam reperiri, neque ex inscriptione cognomen ANTISTII, VETVS prætermisisset? Neque hæsisset in verbis Vaillantii, tradentis sub ara porcam occisam sisti, sed ex icone ipsa, quæ porcam aræ impositam exhibet, quid sibi velit vir rerum quam verborum studiosior, intellexisset. Eundem numum haud paulo diuersum complectitur thesaurus noster, quem tametsi pridem editum a Morellio nostro, postea que inde repetitum a Begero, ne fraudi illi sit, quod Vaillantius eum indictum prætermisit, hoc loco subiungo.

Specim. Tab. VII. p. 93. Ad Flor. p. 73.



Caput Augusti nudum inscriptione gaudet pleniori: IMP. CAESAR AVGVS*tus*. TR*ibunitia* POT*estate* VIII. Auersa pars Feciales non dextras iungentes, sed porcam pedibus tenentes, aram vero accensam exhibet. Inscriptio diuerso verborum situ & omissa IIIVIR*i* dignitate . . . . TIST*ius* VETVS FOEDVS P. R. QVM GABINIS. QVM pro CVM in aliis quoque numis occurrit, ad quos prouocat Morellius. Simili ratione MEQVM pro MECVM occurrit in veteri inscriptione apud Gruterum:

L. c. p. DCCCXVII. 12.

DIS. MANIBVS
POMPONIVS. ATIMETVS. FECIT
SIBI. ET. SVIS. ET
HELVIAE. NEREIDI. CONIVGI
BENEMERENTI. ET
LIBERTIS. LIBERTABVSQVE
MEQVM. QVOS. TESTAMENTO
HONORAVI
ET. POSTERISQVE EORVM

Eiusdem numi aliud exemplum inter ectypos Operis Morelliani de numis Familiarum reperias, in quo Feciales porcam eadem ratione supra aram accensam tenent; sed verba inscriptionis alio collocata ordine reperiuntur. Nullæ enim litteræ in area expressæ sunt, sed marginem tantum occupant, legiturque: C. ANTIST. VETVS FOED. P. R. CVM GABINIS.

§. VI. In

§. VI.

In tabula V. gentis Antoniæ num. 3. & 6. apud Patinum, errore ex Vrſini icone hauſto, quem & Goltzius admiſit, pro gallo gallinaceo coruum in numis ipſis expreſſum cerni dudum, obſeruauit Morellius, pertinetque eadem obſeruatio haud dubie ad numum ſextum tabulæ II. gentis Aemiliæ, qui triceſimus ſecundus eſt apud Vaillantium. Nihilominus idem gallinaceus gallus recurrit in opere Vaillantii, vnde Perizonius in notatis ad Morellii litteras: „ Si recte agnouit coruum „ in his numis Morellius, tum vero Vaillantius ſegniter eos inſpexit. „ Nam & ipſe Gallum in iis nobis exhibet". Recte eum vero coruum agnouiſſe, qua de re dubitabat Perizonius, Cl. Schottus confirmat, producto ex gaza regia Berolinenſi gentis Aemiliæ quinario, in quo loco galli gallinacei coruus comparet. Similis extat in theſauro Fridericiano, qui & denarium ſimilem, ſed haud paulo integriorem, quam eſt ille, quem ex Patino & Vrſino pro denario exhibet Cl. Vaillantius, ſeruat. Eius ectypum ære delineatum ſubiicere non abs re fuerit.

De numo familiæ Antoniæ.

Ad Perizon. de Num. Conſul. p. 170. ſq.

L. c. Tab. IV. XII. XIV.

p. 248.

Apotheſ. Hom. p. 57.

L. c. Tab. XII.



Hanc delineationem ſi conferamus cum icone Cl. Vaillantii, inprimis, vt ea in Familia Aemilia exhibetur, patebit, male ibi prænomina Lepidi & Antonii deſiderari, quæ numus noſter clariſſime exhibet, in quo illinc: M. LEP*idus* IMP*erator*, hinc: M. ANTON*ius* IMP*erator*. Patebit inſuper, perperam non tantum pro coruo gallum gallinaceum expreſſum auerſa in parte, ſed & baculum auguralem, qui ad dextram, perinde atque in quinario apud Cl. Schottum, ſculptus comparet, omiſſum eſſe. Sed vt ad coruum redeam, ei vtique locus inter inſignia auguratus, quæ numi hi complectuntur, ſed non æque gallo gallinaceo, tametſi pulli gallinacei ceteroqui ab auſpiciis non alieni, vt recte obſeruat Cl. Perizonius; ſed qui ad pullarios potius ſpectabant, quam augures, quorum collegium a pullariis diſtinguit Cicero: „ Recitatis, inquit, litteris, oblata religio Cornuto eſt, pullariorum „ admonitu, non ſatis diligenter eum auſpiciis operam dediſſe. Idque „ a noſtro collegio (erat autem, quod notum, augur Cicero) com„ probatum eſt. Itaque res dilata eſt in poſterum". Vnde minus caute Cl. Vaillantius: „ Gallus Gallinaceus exhibetur, quia præter „ alias aues iis præſertim vtebantur augures; vnde, qui eorum cuſto„ diam habebat, pullarius erat appellatus". De coruo Iuno apud Phædrum ad pauonem:

L. c.

Ad Famil. X. 12.

L. c. p. 42.

Lib. III. Fab. XVIII.

 Fatorum

Fatorum arbitrio partes vobis sunt datæ,
Tibi forma, vires aquilæ, lusciniæ melos,
Augurium coruo, læua cornici omina

Ad Callimachum p. 86. & 632. Apoth. Hom. p. 17. sq. — Plura de aue hac augurali suppeditabunt Ill. Spanhemius & Cl. Schottus. Vt vero coruus Antonium augurem in numis his designat, ita eundem percussorem significabat, Tullium, de morte ab Antonio, cuius internecinum sibi odium Philippicis orationibus conflauerat, emissariisque eius proxime imminente, morsu commonefaciendo. Rem narrat his verbis Valerius Maximus: (Lib. I. 42.) „ M. Ciceroni mors imminens auspicio prædicta est: cum enim in villa Caietana esset, coruus in conspectu eius, horologii ferrum loco motum excussit, & protinus ad ipsum tetendit, ac laciniam togæ eousque morsu tenuit, donec seruus ad eum occidendum milites venisse traderet". Diuersa tamen haud paulo sunt, quæ eadem de re memoriæ prodidit Plutarchus, quem vide. (T. I. Cicer. p. 779.)

§. VII.

De alio numo familiæ Antoniæ, mole sua spectabili. Discorso sopra le Medaglie degli Antichi p. 115. sq.

Affirmat Sebastianus Erizzo, duos se argenteos M. Antonii numos, eosque molis insolitæ, (*di extraordinaria grandezza*) vidisse; alterum eorum circa caput Antonii coronam habere sculptam, vna cum litteris: M. ANTONIVS IMP. COS. DESIG. ITER. ET TER. posteriori in parte caput galeatum in basi, atque vtrinque serpentes duos maiores cerni erigentes sese, & caudas sibi inuicem implicantes, addita inscriptione: III. VIR R. P. C. Nisi omnia me fallunt, numisma, quod his verbis describit Erizzo, non est cistophorus ille tetradrachmus, quem post Fuluium & Patinum simili fere typo exhibet Vaillantius. (Fulv. Vrs. p. 19. Pat. p. 22. T. I. Tab. XIV.) Neque enim is tantæ magnitudinis: & in eo describendo nec litui, qui sub capite Antonii cernitur, mentionem prætermisisset vir doctissimus, vt puto, nec caput fœmineum auersa in parte galeatum esse tradidisset. Ob oculos habuit numisma simile, sed altero tanto maius, cuiusmodi gaza nostra seruat.



Caput Antonii corona hederacea, quam non animaduertit Erizzo, cinctum comparet in corona ex hederæ foliis & vuæ botris contexta. Vestigium nullum litui auguralis in geminis, sed pondere minoribus, numis expressi, quem nec angustiæ areæ in hoc numismate capiebant.

Inscri-

Inſcriptio: M. ANTONIVS. IMP. COS. DESIG. ITER. ET TERP. pro TERT. h. e. M*arcus* ANTONIVS IMP*erator* CO*nſul* DESIG*natus* ITER*um* ET TERT*ium*. In numiſmate Erizzi littera vltimæ vocis TERP eraſa, vt arbitror, fuerat, vnde ille TER pro TERT. legit. Auerſa pars iuxta cum inſcriptione: IIIVIR R*ei* P*ublicæ* C*onſtituendæ*, caput, quod ſupra ciſtam inter ſerpentes expreſſum cernitur, non equidem galeatum, ſed ita tamen ornatum exhibet, vt ornamentum illud ad galeam proxime accedat. Vno illud complexu capillorum conſtat, cuiusmodi ferme ſe offert in capite quodam porticus Iuſtinianæ, quod exhibet celeberrimus Montfauconius. Errauit igitur ſane Erizzo, qui caput id galeatum eſſe affirmat, ſed ita, vt errori venia denegari haud poſſit, quem ſaltem ex tetradrachmo numiſmate minus feliciter confutat Begerus. Ita enim ille ſub perſona Etaſtis & Dulodori: „ Erizzus, inquit ETASTES, caput hoc „ galeatum eſſe tradit; quod ſi ita ſit, arbitratur Rubenius, caput „ Mineruæ eſſe, quæ cor Liberi, a Titanibus occiſi, ciſtæ incluſit, „ vti Iulius Firmicus de Errore Profanarum Religionum cap. 6. de my- „ ſteriis Cretenſium auctor eſt. Erizzum erraſſe, reſpondit DVLO- „ DORVS, mihi pronum eſt oſtendere: Nummus enim in Cime- „ liarchio Regio Electorali Brandenburgico aſſeruatur, indeque & hic „ delineandum curaui. Caput galea caret, *reliqua*". Ceterum vt numiſma hoc, quod in ciſta myſtica capricornum exhibet, velut Ciliciæ ſymbolum, quando idem in Anazarbi, metropoleos Cilicum, numo, Iuliæ Corneliæ Paulæ, coniugis Elagabali, vultum præferente, occurrit, genuinis poſſit accenſeri, admodum vereor. Vt enim inſolitum eius pondus, quo duos ciſtophoros tetradrachmos æquat, taceam, haud vna recentioris manus veſtigia in eo deprehendas. Et prodidit inſcitiam ſuam falſarius, quando pro TERT exhibuit TERP. tametſi litteram P omiſit Erizzo in deſcriptione ſua, quod impoſtor eam eraſerat, vt puto, de errore ab ſe admiſſo commonefactus. Idem & ciſtæ myſticæ capricornum prouido conſilio inſculpſit, vt numus tanto certius in Cilicia, in qua Ciſtophoros cum vultu Antonii IIIViri percuſſos vulgo antiquariis perſuaſum eſt, cuſus crederetur. Sed id Capricorni ſymbolum ab Auguſti demum ætate in numis ſculpi cœpiſſe; non attendit vir bonus, fraudisque adeo ſuſpicionem, quam amoliri ſtuduit, glaucomate haud parum auxit.

Antiq. Expliq. T III. Pl. XX. fig. 4.

De numis ſerpentif. p. 29. Diſſert. de numo: *Aſia recepta* inſert. T. XI. Antiq. Rom. p. 1375.

Vaill. Num. Græc. p. 130.

Beg. l. c. p. 29.

§. VIII.

Gentis Atiæ numos duos ex Vrſino vel Patino potius, nam is vtrumque exhibet, cum priorem tantum ſub nomine gentis Labienæ produxerit Vrſinus, affert Cl. Vaillantius, de quorum vtriusque poſſeſſione tanto magis nobis gratulabuntur harum rerum ſtudioſi, quo rariores eos eſſe conſtat, quoque maiorem ſui integritatem præferunt. Prior quidem dudum Triſtani Begerique diligentia vulgatus proſtat. Sed vterque perinde ac Patinus tribus operum ſuorum locis mutilum exhibuit, ita tamen, vt Begerus, collata inter ſe Patini delineatione & numo Brandenburgico, veram lectionem feliciter eruerit. Cl. Vaillantius, qua fuit religione in Patino ſectando, Patinianam delineationem

De numo familiæ Atiæ. Pat. p. 40.

L. c. p. 133. T. I. Tab. XXIII. p. 144.

Comment. T. II. p. 484. Beg. Theſ. Brand. T. II. p. 541. Famil. Rom. p. 40. Numiſm. imper. p. 25. & ad Suet. Auguſt. c. 4. p. 69.

nem repetiit, vnde operæ pretium, puto, erit, eum, vt integerrimus extat in gaza noſtra, hoc loco contemplari.



De aduerſa parte, quæ ATIVM BALBVM PR*ætorem* reddit, videndus Suetonius, (August. c. 4.) qui de Prætura eius non tantum, verum & cognatione, qua Pompeium, Cæſarem, & Auguſtum contingebat, luculenter diſſerit. Auerſa SARD*um* PATREM ſiſtit, qua de re inſcriptio nulla ſui parte mutila neminem dubitare patitur, adeo vt de Aty,

(Virgil. Aen. Lib. V. v. 569.) —— *Vnde genus Atii duxere Latini*,

hic ne ſomniare quidem liceat. Ac videtur ipſe Patinus inſcriptionem (L. c. p. 40.) integram perſpectam habuiſſe, quando „ ad aliam", inquit, (alteram intellige paginam numi) „ quod attinet, Atim videtur exhibere, qui, „ quod caput eſſet gentis, Pater dicitur". Quibus addit mox: „ Particula SAR alio videtur rem detorquere, quaſi legendum eſſet: SARDVS PATER". Hic autem *Sardus Pater*, Herculis, cuius liberos (Strab. Lib. 2. p. 225.) in Sardiniam adduxit Iolaus, filius, a quo Sardinia nomen traxit, & (Lib. III. c. 3. p. 69.) cuius fanum (Σαρδοπάτορος ἱερὸν) in eadem inſula memorat Ptolemæus, haud immerito comparet expreſſus in Atii Balbi, Prætoris, iure Sardiniam obtinentis, numo, quem in Sardinia cuſum eſſe facile arguit rude admodum ſculpturæ artificium, prouti poſt Patinum, quem id (L. c.) fugit, Begerus & Vaillantius pridem obſeruarunt. Begerus in eodem numo, legendum coniiciebat C*æ*SAR D*iui* F. IIIVIR ITER*um* vel IMPER*ator*. Ita enim ille ſub perſona Archæophili: „ Niſi fallor, „ infit ARCHÆOPHILVS, apud Goltzium inter numos „ Auguſti habetur caput, a cuius vertice quinque ſpicæ exſurgunt, in„ ſcriptum: CÆSAR D*iui* F. Quid ſi id Numiſma noſtrum non „ ad Sardum patrem, ſed ad Cæſarem Diui F. reducendum ſuadeat? „ Si enim Literæ CAE in numo Patiniano deletæ fuerint, ſequen„ tes rite SARD legeris: Et in propoſito, forte literæ reliquæ „ TER, vel PER, III*virum* ITER*um*, vel etiam IMPER*atorem* deſignabunt". Addit tamen: Si ſpicæ in vertice capitis prominerent, „ reſpondit DVLODORVS, coniecturæ aliquid tribuerem, cum „ autem aperte non ſpicæ, ſed criſtæ ſint, & numiſma præterea bar„ bariem ſapiat, priorem opinionem prætulerim". Bonum factum, quod hanc coniecturam ipſe damnauit: ceteroqui enim, numo iam integro, qualem & Morellius in ectypis ſui de numis familiarum Romanarum operis repræſentauit, reperto, vel maxime ludibrium deberet.

§. IX. Alter

§. IX.

Alter gentis Atiæ numus apud Vrſinum iam extat, vnde eum Patinus & Vaillantius repetierunt. Is eſt, de quo Sauotus, cuius iudicium in æſtimandis Romanarum familiarum numis magni facit Vaillantius: „ Vnus tantum gentis Labienæ extat denarius, qui inter conſulares rariſſimis accenſetur". Eum anxie quæſitum Morellius noſter in itinere CIↃ IↃ CXCVI. ad Batauos ſuſcepto comparauit, vnde in litteris ad celſiſſimum tum adhuc Comitem, Antonium Guntherum: „ Nihil „ a me hic actum eſt, in quo videar mihi operæ pretium feciſſe, niſi „ quod denarium Labieni ſum nactus. Coram, quo pacto compos „ eius ſim factus, narrabo: fidem enim dedi, neminem id a me reſciturum. Ne obolum quidem comparando ei impendi; tam vero „ nitidus eſt & integer, vt melior optari haud poſſit. Arte mihi opus „ fuit, vt eum nanciſcerer". Forte erunt, qui laudatum tantopere Morellio noſtro propius intueri ſatagent; eorum deſiderio ſequens delineatio occurret. *De numo Labieni.* De Num. Antiq. T. XI. Rom. Antiqu p. Præf. ad Num. Fam. Rom.



Caput cuiusnam ſit, indicat inſcriptio: *Quintus* LABIENVS PARTHICVS IMP*erator*. In auerſa numi area equus cum ephippio & ſtragula veſte, vt videtur, neque enim vel ſatis expreſſa ea in delineationibus Vrſini, Patini & Vaillantii, vel quid hæc forma ſibi velit, ab iisdem indicatum. Nam ſtragulæ alias tam anguſtæ non ſunt, neque tantopere demittuntur a latere, vtpote curſum equorum ita facile impeditura. Vrſin. p. 133. Patin. p. 40. Vaill. T. I. Tab. XXIII.

De titulo Imperatoris Parthici, quem Labienus gerit, præter Dionem Appianumque, audiendus eſt, vbi de Hybrea oratore Mylaſenſium agit, Strabo: Αὐξηθεὶς ἐπὶ πολὺ καὶ δόξας καὶ πολίτης ἀγαθὸς εἶναι καὶ ῥήτωρ, ἔπταισεν ἐν τῇ πρὸς Λαβιῆνον ἀντιπολιτείᾳ· οἱ μὲν γὰρ ἄλλοι μεθ' ὅπλων ἐπιόντι, καὶ Παρθικῆς συμμαχίας, ἤδη τὴν Παρθυαίων τὴν Ἀσίαν ἐχόντων, εἶξαν· ἅτε ἄοπλοι, καὶ εἰρηνικοί· Ζήνων δ' ὁ Λαοδικεὺς, καὶ Ὑβρέας οὐκ εἶξαν ἀμφότεροι ῥήτορες, ἀλλὰ ἀπέστησαν τὰς ἑαυτῶν πόλεις· ὁ δ' Ὑβρέας, καὶ προσπαρώξυνε φωνῇ τινι μειράκιον εὐερέθιστον, καὶ ἀνοίας πλῆρες. Ἐκείνου γὰρ εἰπόντος ἑαυτὸν Παρθικὸν αὐτοκράτορα, οὐκοῦν, ἔφη, κἀγὼ λέγω ἐμαυτὸν Καρικὸν αὐτοκράτορα. Ἐκ τούτου δὲ ἐπὶ τὴν πόλιν ὥρμησε, τάγματα ἔχων ἤδη συντεταγμένα Ῥωμαίων, τῶν ἐν τῇ Ἀσίᾳ· αὐτὸν μὲν οὖν οὐ κατέλαβε, διαχωρήσαντα εἰς Ῥόδον· τὴν δ' οἰκίαν αὐτοῦ ἐλυμήνατο πολυτελεῖς ἔχουσαν κατασκευὰς, καὶ διήρπασεν· ὡς δ' αὔτως καὶ τὴν πόλιν ὅλην ἐκάκωσεν. ἐκλιπόντος δ' ἐκείνου τὴν Ἀσίαν, ἐπανῆλθε καὶ ἀνέλαβεν ἑαυτόν τε καὶ τὴν πόλιν. Geogr. Lib. XIV. p. 609. ſq.

h. e. *Cum*, (Hybreas) *creuiſſet plurimum*, *videreturque & ciuis &*

orator eximius esse, impegit, cum Labieno aduersaretur. Alii enim armatum adducenti militem & auxilia Parthorum, quippe Asiam Parthis tenentibus, cedebant: vtpote inermes & pacis cupidi. Zeno autem Laodicensis & Hybreas oratores non cesserunt, vrbesque suas contra eum concitarunt. Hybreas etiam dicto quodam exasperauit Labienum, adolescentem irritabilem & stolidissimum. Cum enim hic se Parthicum imperatorem appellasset: proinde, aiebat Hybreas, Caricum ego me imperatorem nuncupo. Exinde Labienus vrbem inuasit, cohortes secum instructas ducens Romanorum, qui in Asia erant, & Hybream quidem non arripuit, qui iam Rhodum concesserat: domum autem ipsius sumptuose apparatam corrupit ac diripuit: totamque vrbem male mulcauit: eo autem ex Asia digresso rediit Hybreas, & sese vrbemque in integrum restituit. Ceterum sine idonea adhuc auctoritate hunc numum ad familiam Atiam reuocari accurate ostendit Ill. Spanhemius. Sed eodem loco perperam affirmat eiusdem culpæ affinem esse Fuluium Vrsinum, qui, Atia gente prorsus prætermissa, peculiarem ei, nempe Labienam familiam assignat. Ita enim vir illustris: „ Haud „ dubitauit vero Vrsinus singularem Q. LABIENI, quem adduxit, „ numum referre continuo ad gentem Atiam". Et deinde: „ Quod nec „ ab eruditissimo Fuluio in gente Atia" (atqui nulla eiusmodi apud „ Fuluium) „ nec a Pighio, qui horum (Manutii puta & Fuluii) procul „ dubio auctoritate inductus ATIAE gentis nomen huic LABIENO „ præfigit, aut vero ab aliis monitum video". Et porro: „ A doctissimo „ Th. Reinesio eadem inscriptio (ALLIA T. LABIENI VXOR) „ adducitur, vt pro ALLIA marmorariorum vel descriptorum vitio „ ATTIAM ibi legendum doceat, & quidem, quod huius T. „ LABIENI gentile nomen, vt id a duobus antiquariis Manutio „ & Pighio, ac locis quidem ibi indicatis, sit adsertum, foret AT- „ TIVS. Cum tamen hoc postremum a duobus illis, *& quibus* „ *haud minoris ponderis addi ab eodem Reinesio poterat Fuluius Vrsinus*, „ Antiquariis traditum quidem, sed non adsertum, vlloue veteris me- „ moriæ testimonio confirmatum videam", *reliqua*. Denique: „ Ne- „ que tamen inde fides omnis Manutio, dum toties ATII gentile „ nomen T. LABIENO, illius, cuius adductus est ab Vrsino „ numus, patri tribuit, aut etiam, vt de Pighio sileam, *diligentissimo* „ *Fuluio* est continuo abroganda". Quod ἁμάρτημα μνημονικὸν, cuius non meminit, qui posteriorem hunc operis de præstantia & vsu numismatum Tomum edidit Cl. Verburgius, excidere viro summo potuisse, tanto magis est mirandum, quod Cl. Patinus & aperte fatetur, se *Labienum Parthicum* in hanc gentem coniecisse, & eius rei, tametsi, vt Ill. vir optime demonstrat, non ita vtique, vt sine vlteriori examine ei subscribere liceat, rationem reddit.

L. c. T. II. p. 11. sq.

§. X.

De numis familiæ Calpurniæ.

De notis monetariorum, earumque vsu iam supra dictum est. Ad eas numeros quoque pertinere arbitror, qui in numis Romanarum gentium sæpissime comparent. In explicandis iis mirum est, quam parum sibi constet Cl. Vaillantius. Exemplo sit numus nonus familiæ Calpurniæ, cuius in aduersa caput Apollinis, pone quod tripus, in auersa parte eques cum palma: Inscriptio: L. PISO FRVGI CXXXXV.

T. I. Tab. XXXII.

CXXXXV. In explicatione eius hæret vir celeberrimus „ an numerus CXXXXV. denotet annos ab eo tempore, quo ludi Apollinares primum celebrati ſunt , nempe Q. Fuluio Ap. Claudio Coſſ. & P. Cornelio Sulla Prætore anno $\frac{541}{2}$ quibus anni CXXXXV. in numo additi efficiunt annum $\frac{686}{7}$ præturæ L. Piſonis Frugi, vt veroſimile eſt , inſignem , an vero ad numerum denariorum ex eo typo percuſſorum ſit referendus"? Ad alterum numum familiæ Claudiæ , in quo LXXIIII, Pighii ſententiam affert, eos ex pondo argenti LXXIIII, Hieronis Syracuſanorum regis tributo, fuiſſe cuſos. In Egnatiæ gentis numo tertio auerſa pars templum & numerum XII, exhibet, quem a Patino in VI. quas notas tamen geminus theſauri noſtri numus manifeſte præfert , male mutatum ſtatuit, ratus, eo vel pretium monetæ, vel annos a voto de æde extruenda vſque ad ædificationem eius præterlapſos denotari. Ad familiæ Farſuleiæ numum, in quo numerum diuerſum obſeruauerat, ſtatuit denariorum, qui ex hac gente cudebantur, numerum deſignari. Tertius familiæ Lucretiæ habet XXXI, quo numero indicari putat , quot naues Carthaginenſium ad Lilybæum depreſſerit Aemilius , Siciliæ prætor. In numo rurſus tertio familiæ Norbanæ litteræ numerales XXXIIII. eodem iudice, arguunt, ex vectigale diuerſo II. XX. XXV. monetam argenteam eſſe percuſſam. Denique in numo ſexto familiæ Vibiæ, in quo eſt DCCX, annum vrbis conditæ ſignificari credit, quo C. Vibius vna cum A. Hirtio conſulatum geſſit, arbitraturque , numum eum magni eſſe momenti, quod Romanis quondam Catonianæ æræ annos, quibus Faſti Capitolini deſcripti ſunt, numeratos fuiſſe oſtendat, quam ille ſententiam ex Pighio hauſit, qui ita de eodem numo: „ C. Panſæ nomen in quinario argenteo vidi Venetiis cum effigie Libertatis & quadriga, addito etiam numero annorum vrbis conditæ ſic: C. VIBIVS C. F. PANSA DCCX. Adiectum inſuper V. quæ quinarii nota eſt". Quæ omnia ac ſingula alii curatius expendent; in familiæ quidem Calpurniæ numis numeros hos nihil aliud eſſe quam notas monetariorum , quibus matrices ab inuicem diſtinguebant, vel inde patet , quod mirum quantum ab ſe inuicem diuerſi in vno eodemque ceteroqui typo deprehenduntur. Vt ectypos operis ſæpe iam laudati Morelliani taceam , qui ingentem numorum huiusmodi cum diuerſis numeris farraginem ſiſtunt, proſtant apud nos cum nota V. XVII. XX. XXIII. XXXXVII. LXIII. CII. CXX. CXXXX. CXXXXV. ex quibus ſequentium ectypos adiiciendos duxi.

L. c. p. 210, ſq.

L. c. Tab. XXXIX. p. 257.

L. c. Tab. LX. p. 406.

L. c. Tab. LXIII. p. 437.

T. II. Tab. LXXXVII. p. 70.

L. c. Tab CII. p. 176.

L. c. Tab. CXLV. p. 539.

Annal. T. III. p. 472.



In auerſa eorum parte caput Apollinis laureatum, cincinnis inſigne, pone

pone quod in duobus minuta quædem ſigna, ſerpens in altero, in altero ſol, illinc Celes cum palma cernitur, adſcriptis litteris: L. PISO FRV. vel FRVG. item integra voce: FRVGI & numero XVII. XX. CXX. CXXXX. De ludis Apollinaribus, quos hinc caput Apollinis, illinc Celes deſignat, videndus Ill. Spanhemius.

T. II. p. 131. ſq.

§. XI.

De numo familiæ Caſſiæ. T. I. Tab. XXXVII. p. 241. Vrſin. p. 93. Patin. p. 67. Theſ. Brandenb. T. I. p. 546.

In quinto gentis Caſſiæ apud Vaillantium numo tabellæ, quam vir togatus tenet, apud Fuluium Vrſinum, Patinum ac Begerum littera A inſculpta comparet, quam ABSOLVO Vrſinus, ANTIQVO autem Ill. Spanhemius legendam cenſet. Sed repoſuit Cl. Vaillantius V. eam ſe litteram in denariis perſpicuis & integris ſæpius vidiſſe teſtatus. Cumque haud pateat, quo pacto ea explicanda ſit in numo, quo tabellariæ legis a L. Caſſio Longino, tribuno plebis, latæ memoriam reuocari viri docti adhuc credidere, cum tabellis, per quas ea lege populo Romano poteſtas ſuffragia ferendi dabatur, non inſcriptæ eſſent, niſi litteræ A. C. id eſt A*bſoluo*, C*ondemno*, V. R. V*ti* R*ogas*, A. A*ntiquo*, & N. L. N*on* L*iquet*, vir doctiſſimus ſtatuit, non eam tantum, ſed plures alias leges ab eo promulgatas indicari, litteram vero V. VTI vel VTIQVE interpretatur, a qua voce omnes illas leges principium duxiſſe ſibi perſuadet. Hic nolim equidem propugnare, Vaillantii ſententiam Ill. Spanhemio iure improbatam, atque inde natam fortaſſe, quod legis tabellariæ ſummam his verbis exponit Pighius: „ VTI populo Romano omnibus iudiciis, perduellione excepta, per „ tabellam ſuffragium eſſet". De littera tamen V. non A, quæcunque tandem eius fuerit ſignificatio, vera retuliſſe virum optimum, qua de re dubitauit illuſtris Spanhemius, &, quibus verſandi expendendique eum numum facultas data eſſet, vlterius inquirere iuſſit, ſequens ectypus ad exemplum eius numi maxime luculentum e gaza noſtra, quæ plures ſeruat, expreſſus docebit.

T. II. p. 199. T. II. p. 496.



Exhibet ille hinc caput Veſtæ, pone quod ſimpulum, ante littera I. illinc hominem togatum ſtantem ante ciſtam, cum tabella, in qua littera V. Inſcriptio ſine prænomine: LONGIN*us* IIIV*ir*. Pighius eundem hunc numum ita deſcribit: „ Extat denarius argenteus „ cum nomine: L. LONGINI IIIVIR. in quo Veſtæ Deæ caput ab vna parte, & togatus ab altera ſtans ad vrnam ſiue ſitulam, „ qui extenſo brachio nudo ſuffragii ſui tabellam obſignatam vrnæ in„ iicit, ſiniſtra manu a tergo ſub toga reiecta". Sed quam obſignatam appellat tabellam Pighius, ea clariſſime litteram V. exhibet in numo

L. c. p. 497.

mo

mo præſenti, pariter atque in duobus ectypis Morelliani operis de numis familiarum Romanarum. Præterea & ciſta, cui adſtat homo togatus, a vaſe illo anguſti oris, ſiue vrna in gentis Caſſiæ denariis, qui tabellam cum litteris A. C. exhibent, longe plurimum differt. Quam in vrnam ſi tabellæ coniiciebantur lege tabellaria introductâ, tabellam hic ſimilem quærendam non eſſe, ſed formulam potius legis, a Longino latæ, quam homo togatus ciſtæ iniicit, cum Vaillantio colligas, cuius verba, operarum vitio transpoſita, tenebras meras lectori offun- T. I. p. 245.
dunt. Ita enim legitur: „ . . . . . in cuius monumentum Q. Caſ-
„ ſius a dextris vrna ineſt, in quam a iudicibus tabellæ coniicieban-
„ tur, tabellas expreſſit, ſed per foramen eas nemo niſi per clauem ex-
„ trahere poſſet, & non erat aperta, vt ciſta, in quibus reponebantur
„ leges, vt in quinto denario vidimus". Scribendum: „in cuius mo-
„ numentum Q. Caſſius tabellas expreſſit; a dextris vrna ineſt, in
„ quam a iudicibus tabellæ coniiciebantur, ſed per foramen, *reliqua*".
Apud eundem Vaillantium lex tabellaria lata dicitur A. V. $\frac{606}{7}$ pro $\frac{616}{17}$
quem errorem peperit operarum hallucinatio, in titulo paginæ apud Pighium annum DCVI. notantium, cum DCXVI. exhibendus eſſet. L. c. p. 207.

§. XII.

Cl. Patinus in addendis ad numos Familiarum Romanarum exhibet *De numo Patiniano gentis Celiæ.* p. 310.
numum, qui hodie in regio Gallorum theſauro aſſeruatur, in quo hinc Liuiæ caput cum inſcriptione: PIETAS AVGVSTA, illinc epigraphe ſex verſibus conſtans: L. RVSTI || CELIVS || CORDVS || IIVIR || QVINQ. || D. D. eumque neſcio cui genti CELIAE adſignat. Eundem in opere Coloniarum repræſentauit Cl. Vaillantius, vbi auerſæ partis epigraphen ſic legit: *Lucius* RVSTI*us*, T. I. p. 53.
CELIVS, CORDVS IIVIR*i* QVINQ*uennales*, *Decreto Decurionum*. Iconem poſtea, non item deſcriptionem eius iterandam duxit in ſuo de Familiis Romanis opere, vbi genti eum Cœliæ ſubiunxit. Neu- T. I. Tab. XLIV.
tri veram licuit ſcripturam aſſequi, quam pro ingenii ſui acumine haud infeliciter indagauit Cl. Raphael Fabrettus. Cum enim C. R*uſticelii* Inſcr. p. 243.
Bononienſis, oratoris exercitati & natura volubilis, mentionem faciat Cicero, tametſi in vulgatis Codicibus C. R*uſticellus* ſcribitur, pluresque Brut. c. 46.
Ruſticelii in antiquis, apud Gruterum & Fabrettum, monumentis memorentur, legendum ſtatuit: L. RVSTICELIVS CORDVS, vniusque tantum duumviri nomen ex gente Ruſticelia agnoſcit. Acu ſane rem tetigit vir celeberrimus, quod lectionem vocabuli RVSTICELIVS attinet, ſed quando gentis id nomen arbitratur, neque niſi vnum Duumvirum agnoſcit, vtique a vero aberrat. Id clariſſime euincit numus gazæ noſtræ, e muſeo Thomaſiano in eam illatus.



Aduerſa in parte caput Tiberii nudum cum inſcriptione: T I*berius*

 CAESAR

CAESAR AV*Gusti* *Filius* AVGVSTVS; in auersa inscriptio: L. BAEBIVS P. F. RVSTICELIVS CAS*sius* TERNA IIVIR*i* QVIN*Quennales* *Decreto* *Decurionum*. Distinctis hic litteris vnoque versu scripta est vox RVSTICELIVS; nullum hic punctum post litteras RVSTICEL quod in numo Versaliensi obseruauit Morellius noster, vt adeo, quin veram hac ex parte scripturam viderit Cl. Fabrettus, nullo modo dubitari possit. Sed fallitur, quando nomen potius quam cognomen interpretatur, gentemque inde RVSTICELIAM elicit. RVSTICELIVS enim, vt ex numo hoc patet, gentis fuit BAEBIAE; & quidem P. BAEBII *Filius*, cuius gentis & alius Duumuir Quinquennalis occurrit in numo æreo Patini, quem & suo de numis Familiarum operi inseruit Cl. Vaillantius. In eo hinc Victoria palmam & coronam fert cum inscriptione: L. BAEBIVS POLL*io* IIVIR QVINQ. illinc duo signa militaria expressa cernuntur, vna cum epigraphe: C. AQVINVS MELA IIVIR QVINQ. Fallitur præterea Cl. Fabrettus, quando vnius tantum RVSTICELII mentionem in numo illo superiori fieri arbitratur. Nomen enim CORDVS prænomen L. vel C. præcedere obseruauit Morellius, & in præsenti numo, L. BAEBIO P. F. RVSTICELIO iungitur CAS*sius* TERNA, cuius cognominis exemplum seruat inscriptio mutila apud Gruterum.

Ad Periz. p. 192. Famil. p. 45. T. I. Tab. XXVII. p. 175. L. c. p. CDXCV. 10.

L V V L
T O N O
M P L. R O M
L V E N T E S
N I. T E R N A E. F
C O R V M
G A L L I A E

Patet vero ex dictis, quid statuendum sit de eruditissimi Perizonii sententia, qui in litteris ad Morellium „ Crediderim scriptum R*usticellus*, quod, vt & R*usticus*, vsitatum fuit olim cognomen. Eo præditus fuit Orator Bononiensis, quem Cicero laudat in Bruto cap. 46. „ Sic *Rusticellus Hercules* apud Plinium VII. 20. Fabrettus quidem legit R*usticelius*, idque confirmat ex variis Lapidibus, in quibus hoc „ Gentis nomen occurrit. Ego vero nullus dubito, fuisse hanc gentem plane plebeiam, & serioris ætatis, quam vt ad tempora Augusti, nedum Reip. exsurgat. Numus autem iste tempore Augusti „ vel Tiberii videtur cusus. C*ordus* porro variorum fuit hominum „ cognomen sub Cæsaribus". Recte obseruat vir celeberrimus, cognomen potius, quam nomen latere sub Rusticelii nomine, Rusticelios item in lapidibus apud Fabrettum esse serioris ætatis, ac denique, numum videri sub Tiberio cusum. Ceterum quod ex scriptoribus numi scripturam emendare audet, cum numi potius scriptoribus corrigendis inseruiant, paulo sibi pluículum indulget, non magis ea in re audiendus, quam cum Rusticellum Herculem huc trahit, quo nomine, ab viribus corporis imposito, appellatum Fusium quendam, qui mulum suum tollebat, Plinius ex Varrone tradit.

p. 270. sq. H. N. Lib. VII. c. 20. sect. 19. T. I. p. 386.

§. XIII. Sin-

§. XIII.

Singularem Appii Claudii Pulchri numum τετράδραχμον in Asia cusum, cuiusmodi numi ab mystica Bacchi cista, iis insculpta, cistophori appellabantur, protulit primum Cl. Seguinus, deinde ex eo Cl. Vaillantius; cui geminum ex museo Thomasiano huc translatum inter præstantiora cimelia sua haud immerito numerat thesaurus Fridericianus.

De numo τετραδράχμῳ gentis Claudia. Sel. Numism. p. 80. Edit. poster. L. c. Tab. XLI.



Altera eius pars exhibet in corona ex hedera & baccis contexta cistam apertam, vnde serpens prosilit plura in volumina contractus; altera pharetram cum arcu a dextra & duobus malleis, vt videtur, a sinistra. Eius latera serpentes duo inferiori ex parte sibi implicati obsident. Inscriptio: PVLCHER IMP. Infra HPA KIMΩNOΣ, & ad dextram ꟿ. Appius Claudius PVLCHER, Proconsul a. v. DCC. in Ciliciam profectus non PROCOS, vt in numo illo Seguiniano, sed IMP. appellatur; vt iure colligere hinc liceat, in prouincia eum, cui in alterum vsque annum præfuit, rem feliciter gessisse. Inde & Tullius in fronte epistolæ ad eum: M. T. C. PROCONSVL APPIO PVLCHRO IMP. S. D. Et idem in alia ad eundem: „ An ego tibi obuiam non prodirem? primum Appio Claudio? de„ inde *Imperatori?* deinde more maiorum? deinde, quod caput est, „ amico"? Eædem res gestæ illi porro supplicationem non modo triumphi, prout ea M. Catoni appellatur, prærogatiuam, quod haud obscure idem innuit Tullius, sed & spem haud dubiam triumphi pepererunt, qua tamen excidit a P. Dolabella ambitus & maiestatis accusatus. Ea enim re audita introiit in vrbem, vt causam diceret, triumphique adeo postulationem abiecit, vnde idem rursus: „ Illud „ plane moleste tuli, quod certissimum & iustissimum triumphum „ hoc inuidorum consilio esse tibi ereptum videbam. Quod tu si tan„ ti facies, quanti ego semper iudicaui faciendum esse, facies sapien„ ter, & ages victor ex inimicorum dolore triumphum iustissimum". Latinis his litteris subiunctæ sunt Græcæ ad latus quidem: IA. vbi satis manifestum litteram A præcessisse plures, ac forte AΠ, vt nomen vrbis Apameæ sit intelligendum, non Laodiceæ, quod scriptum in similibus numis apud Seguinum. Apameensem nempe vna cum Laodicensi maximas eius prouinciæ ciuitates appellat Cicero. Litteris HPA KIMΩNOΣ indicatur ciuitatis eius magistratus Heraclides, vt arbitror, Cimonis filius. De symbolis huius numi diligenter egere Cl. Seguinus & Vaillantius, ita vt facile supersedere vberiori eorum interpretatione liceat.

Ad Famil. Lib. III. Ep. 2. L. c. Ep. 7. L. c. Lib. XV. Ep. 5. Lib. III. Ep. 13. L. c. Ep. 10. L. c. L. c. Lib. V. Ep. 20. ll. cc.

 §. XIV. Cor-

§. XIV.

De numulo gentis Cordiæ. L. c. Tab. XLV. p. 70. p. 83. Cordiæ gentis tres adhuc vulgati proſtant numi, quos ex Fuluio, Patinoque exhibuit Cl. Vaillantius. Primum quidem ex Fuluio potius petendum duxit, quam ex Patino, qui auerſa eius in parte collo figuræ ſtolatæ, dextra bilancem, ſiniſtra haſtam tenentis, noctuam, quæ in Fuluiana icone non comparet, adiicit. Qua in re nihil ſibi indulſiſſe Patinum, ſed numum eum ex vero repræſentaſſe, docent duo eiusdem exempla, quæ in theſauro noſtro reperiuntur, in quibus ſimilis figura collo figuræ ſtolatæ inſiſtit. Vnde ſi, Patini exemplo, delineationes ſuas cum numis in hoc opere ſtudioſius contuliſſet vir ceteroqui diligentiæ laude minime fraudandus, dubitari vix poteſt, quin Patinianam, cui & ectypus Morellianus conſentit, potius quam Fuluianam huius numi iconem operi ſuo fuiſſet inſerturus. Laudatis vero Cordiæ familiæ numis addendus ſequens, mole minimus, quem ponderis ratio facile declarat, ſeſtertium eſſe, quemque vnum gaza noſtra in tanta aliorum, qui ad hanc claſſem pertinent, numorum multitudine aſſeruat. Acceptum eum illa refert humanitati nobiliſſimi viri Godfredi Thomaſii, cuius muſeum omnium elegantiarum plenum antea ornabat.



Aduerſa eius pars caput Veneris exhibet, cum inſcriptione: MV (h. e. MANIVS) CORDIVS; auerſa Cupidinem ſaltantem, cuius in dextra corolla, in ſiniſtra palma. Epigraphe: RVFI. Typus Veneris & Cupidinis, vt vidit iam Fuluius, ad Familiæ Iuliæ originem
L. c. ſpectat. Poſt forum & templum Veneris a Iulio Cæſare conſecratum & multa ac varia ibi edita ſpectacula, qua de re videndus Dio, hos
Lib. XLII. p. 224. ſq. L. c. p. 300. numos cuſos coniicit Cl. Vaillantius. Mirum vero cum aduerſæ partis inſcriptio caſu recto habeat. AV. CORDIVS, in auerſa eſſe caſu gignendi RVFI, non RVFVS, vt in ceteris triumuiri huius numis. Alii forte legerint LVPI, quod litteræ minuſculæ R & F ea ratione ſunt ſculptæ, vt ad L & P proxime accedant. Sed cum ea vox minus huc quadret, priorem lectionem, vtcunque mutatio illa caſus monſtri
L. c. p. 207. nonnihil alat, ſequi malim. De Cordiæ gentis numis conſuluit Morellius noſter celeberrimum Perizonium. Sed nihil ille aliud reſpondit,
p. 105. quam Cordium videri res Græcas & Græcorum fabulas forſan, quod iis delectaretur, ſuis in numis de induſtria expreſſiſſe.

§. XV.

De numo familiæ Egnatuleiæ. Gentis Egnatuleiæ numum ſubæratum ſubiicio, qui tamen eodem iure familiæ Aciliæ vindicari poſſit.

Expreſſum




Expressum hinc cernitur caput laureatum Apollinis cum inscriptione: C. EGNVLEI. C. F Q. illinc Dea Salus vel VALETV*do*, cuius nomen adscriptum est, dextra serpentem tenens, sinistra, innixa columnae cum epigraphe: M'. ACILIVS IIIVIR, VALETV*do* vel VALETV*dini*. De huius generis numis Morellius noster: „ Occurrunt", inquit, „quandoque numi, qui ab vtraque parte genuini sunt, sed per errorem monetariorum duobus typis, vel duabus diuersis numorum matricibus, vt Galli vocant, aliquando adhibitis, ex illarum coniunctione vnus est conflatus, duas diuersas familias falso indicans, ex. gr. in Vrsini prima editione p. 98. caput gentis Considiae iungitur auersae parti gentis Flaminiae, atque hanc ob causam Patinus hunc numum, vt suspectum omisit, quamuis postea in thesauro suo Numismatum aliquot horum exempla ediderit. Sic & in Goltzio alibique plura occurrunt, ac in thesauro Schwarzenburgico insignis est numus cum auersa parte M. Antonii coniuncta cum postica parte gentis Pompeiae, quo haud obscure probari potest, numos Pompeianos cusos fuisse illo tempore, quo pax simulata inter Sextum Pompeium & Triumuiros sancita fuit". Addit paulo post: „ Quod ad numos subaeratos attinet, hi omnes a falsariis cusi sunt, & interdum eodem errore monetali, de quo iam iam mentio facta est". Ad posteriores hic numus spectat, ex quo tempus, quo vixit C. EGNATVLEIVS C. F. Quaestor, de quo parum constat, quodammodo videtur colligi posse. Neque enim falsarius temere iunxisset partes numorum, quos homines diuersorum temporum cudendos curarunt. Vnde verosimile fit, C. EGNATVLEIVM hunc aequalem fuisse M'. ACILII IIIVIRI, quem ex Pighio Tribunum plebis anno $\frac{592}{3}$ & consulem suffectum anno $\frac{599}{600}$, Postumio Consule in magistratu mortuo, statuit Vaillantius. Longe igitur ab hoc diuersus L. Egnatuleius, Julii Caesaris Quaestor, Ciceroni laudatus, quem filium eius fuisse Fuluius coniectat. Ceterum de vtraque numi huius parte idem videndus vir celeberrimus, qui si ectypos operis sui de numis familiarum Romanarum ad fidem numorum ipsorum potius, quam ad praescriptum Vrsini Patinique edidisset, auersam partem numi gentis Egnatuleiae haud dubie dedisset emendatiorem. Quod vt pateat, ectypo eius alium ex gaza nostra, vt vtrumque contendere inter se liceat, subiungo.

Ad Perizon. p. 209. sq.

L. c. p. 8.

Fam. Rom. p. 91. sq.

L. c. Tab. LX.




Quinarius eſt hic numus, vnde, quod ſuperior, qui caput eius exhibet, denarium mentitur, ſimiles denarios quoque cuſos fuiſſe colligo. Eius aduerſa pars vexillum illud ad haſtam appenſum, quod Vaillantii icon cum Fuluio & Patino exhibet, prorſus ignorat; contra exhibet iacentem ad haſtam illam lituum militarem cum capite draconis, cuiusmodi in numo gentis Iuniæ decuſſatim poſiti occurrunt, quem inſcriptione ſua orbatum exhibet Cl. Vaillantius, tametſi integrum Fuluius & Patinus dedere.

T. II. Tab. LXXIX. 29.

§. X V I.

De numo gentis Liuineiæ. Goltz. Faſt. p. 134.

Iuuentiæ familiæ numum Goltzianum cur prætermiſerit Cl. Vaillantius omnino mirum eſt, cum ceteros exhibeat, antiquariis vtcunque vulgo ſuſpectos, atque ab omni fraudis nota vindicet. Ita enim de iis in Præfatione: „ Vt ſua Goltzio gloria fidesque conſtet, occurrendum „ cenſeo Patini duriori de eo ſententiæ. Sic enim pronuntiauit Imperatorum numorum in præfatione: *Tertiam Faſtorum ſuorum Conſularium* „ *(partem) iis numismatum exemplis impleuit, quorum genuinas origines nemo* „ *vnquam hominum vidit, nemo fortaſſe vnquam videbit.* At ego contra poſt „ accuratiſſimum examen affirmare poſſum, nullum omnino eſſe debe„ re ſuſpectæ fidei, quandoquidem tam exacte ad hiſtoricam veritatem „ conſentiunt cum figuræ omnes, tum inſcriptiones, nulla vt legitima „ poſſit eſſe de genuina ipſorum origine dubitatio". Non prætermiſit eum Morellius noſter, qui vna cum ceteris Goltzianis, in quibus & familiæ *Pathienæ* numus occurrit, a Vaillantio pariter neglectus; ſculpendum eum curauit in peculiaribus tabulis, operi ſuo de eodem argumento ſubiiciendis. Sed miſſo eo ad numum familiæ Liuineiæ pergo, cum faſcibus & ſella curuli, ab editis diuerſum, quem gaza noſtra ſeruat.



Conſpiciuntur hic in auerſa numi parte, quæ vna ab editis huius Liuineii

neii numis differt, iuxta ſellam curulem, cui adiecta eſt inſcriptio: REGVLVS PRAEF. VR. non ſex, ſed duo tantum faſces. Sed inde nemo iure collegerit, duos tantum faſces vel prætoribus, vel, qui loco prætorum erant, præfectis vrbis etiam, quando inſignia hæc ad vtramque hanc dignitatem, quarum alteram pater geſſerat, alteram filius gerebat, referri poſſunt, fuiſſe prælatos. Fuere equidem viri docti, quibus ita viſum eſt, nixis auctoritate legis Lætoriæ apud Cenſorinum, Ciceronis item, quorum verba hanc in rem Ill. Spanhemius ſub examen vocauit, Plautique, cuius locum intactum prætermiſit vir ſummus. Ita enim ille in Epidico: T. II. p. 116. Act. I. Scen. I. v. 26.

At vnum a *prætura* tua abeſt. . .
Lictores duo, duo viminei *faſces* virgarum.

Sed vt largiendum hinc fortaſſe cum Paſſeratio, cuius ſententiam & Ill. Spanhemius in reſponſione ad legem Lætoriam haud obſcure approbavit, priſcis temporibus duos tantum lictores, duos faſces prætori fuiſſe, ita mutatum id poſtea ac duobus ſex ſubſtitutos eſſe, & ſcriptorum veterum teſtimonia, & numi illi a Vaillantio poſt Vrſinum & Patinum adducti ex gente eadem Liuineia manifeſtum reddunt. Quibus præſens denarius cum duobus faſcibus non magis aduerſatur, quam numi gentis Furiæ & Mamiliæ cum totidem inſignibus præturæ. Satis enim fuit ſculptoribus, modo omnia, modo aliquot exprimere, quemadmodum in gentibus Aemilia, Calpurnia, Cornelia & Iunia ipſam conſulatus dignitatem duobus faſcibus lictoribusque, pro duodecim, deſignandam ſibi ſumſerunt. Cl. Vaillantius Prætoribus modo duos, modo ſex faſces lictoresque tribuit, quam eius inconſtantiam haud iniuria notauit Ill. Spanhemius. Ad Prop. II. eleg. 16. T. II. p. 104.

§. XVII.

Inter familias Romanas, iis, quæ adhuc numis illuſtratæ proſtant, a Morellio noſtro, ſi labor eius lucem adſpexiſſet, addendas, primo ſtatim loco LVCIENAM refert Ill. Spanhemius. At in ectypis ſuis familiarum Romanarum nullum ei locum adſignauit Morellius. Incertis tamen, quæ operi ſuo vir diligentiſſimus ſubiecit, immiſtus cernitur numus familiæ eius nomine inſignis, cuius e Thomaſianis cimeliis in gazam hanc tranſlati iconem ſubiicio. *De numo gentis Lucienæ.* T. II. p. 8.



Aduerſa pars exhibet caput galeatum cum inſcriptione C. LVCIEN. CMNI. Q. Auerſa cornucopiæ cum fulmine & epigraphe: VALENTIA. Valentia, cuius nomen præfert numus, Roma eſſe non poteſt, tametſi ita

[Numiſm. Imp. p. 19. Mediob. p. 9. Polyhiſt. c. 1.] ita viſum Cl. Patino, & Mediobarbo, nixis loco Solini, qui, „ Sunt", inquit, „ qui videri velint, Romæ vocabulum ab Euandro primum „ datum, cum oppidum ibi offendiſſet, quod extructum antea VA- „ LENTIAM dixerat iuuentus Latina, ſeruataque ſignificatione im- „ poſiti prius nominis ΡΩΜΗΝ Græce, VALENTIAM Latine ap- „ pellarunt". Id conuincit inſcriptio aduerſæ partis, quæ C. LVCIE-*Num* C. MVNI*um*, Quinquennales duumuiros, exhibet. Neque Valentiæ Hiſpanicæ locum relinquit fabricæ ratio, diuerſa prorſus ab ea, quæ in Hiſpaniæ numis obſeruatur, vnde ad eandem haud immerito prouocat Mediobarbus, quando huiusmodi numos in Hiſpania cuſos negat. Supereſt igitur Valentia Italiæ, alio nomine Hippo, vel [v. Ἱππώνιον.] Ἱππώνιον, vrbs magnæ Græciæ, de qua Stephanus ΙΠΠΩΝΙΟΝ, πόλις Βρεττίων, ἡ μετωνομάσθη ὑπὸ Ῥωμαίων Οὐίβων καὶ Οὐαλέντια, vel vt in MSS. legi [Ad Steph. p. 148.] obſeruat Holſtenius Οὐιβουαλέντια, h. e. *Hipponium vrbs Bruttiorum, quæ mutato nomine a Romanis vocata eſt Vibo & Valentia, vel Vibo-Valentia*, & Plinius: [Lib. III. c. v. ſect. 10. T. I. p. 138.] „ Hippo, quod nunc Vibonem-Valentiam appel- „ lamus". Huic Valentiæ numos hosce pridem Goltzius vindicauit, [Magn. Græc. Tab. XXXV. Num. Vrb. & pop. Opp. Sell. p. 175. Dipnoſoph. Lib. XI. p. 542.] cuius ſententiam propugnat Cl. Harduinus, qui cornucopiæ in iisdem expreſſum propterea arbitratur, quod Duris apud Athenæum docet, ad Hipponium oppidum oſtendi nemus pulcherrimum & aquis irriguum, in eoque locum quendam reperiri, dictum Cornu Amaltheæ, a Gelone præparatum. Hinc vero liquere puto, quid de familia illa LVCIENA ſit habendum; cuius indicium ex prioris Duumuiri C. LVCIENI nomine hauſtum videtur. Lucieni enim ceteroqui vix noti e vetuſtis monumentis: notiores MVNII, quo nomine poſterior Duumuir appellatur, quorum haud vnos Gruteriani operis Index exhibet. Idem forte ſtatuendum de eiusdem Valentiæ duumuiris Quinquennalibus L. CORANO & C. NVMI*tio* vel NVMI*ſio*, in ſequenti numo expreſſis; vnde nata forte Ill. Spanhemio familia NV- [T. II. p. 8.] MITIA, quam inter ceteras nondum vulgatas laudat. Eundem perinde ac ſuperiorem muſeo Thomaſiano acceptum refert theſaurus Fridericianus.



§. XVIII.

[*De numis familiæ Minuciæ.* Vrſ. p. 164. Patin. p. 179. Theſ. Branden. T. II. p. 565. Ad Florum, p. 212. T. II. Tab. XCVII. p. 138.] Tertium & quartum familiæ Minuciæ numum, quos poſt Vrſinum & Patinum duobus locis Begerus noſter produxit, parum accurate delineatos exhibuit Cl. Vaillantius, prout ex eorundem ectypis ad fidem numorum, quos gaza noſtra ſeruat, facile patebit.

Quod



Quod ſi enim partes auerſas ſpectes, in vtraque icunculam illam columnæ impoſitam cum ſcuto exhibuit Vaillantius, ita vt Romæ illa effigies, cuius vox in priori numo adſcripta eſt, videri poſſit. Sed nullum in numis ipſis ſcutum obſerues, in poſteriori etiam icuncula illa figuram togatam manifeſte reddit, quæ haud dubie ſtatua eſt L. Minucio Augurino a populo Romano in columna poſita. Togatas enim effigies antiquitus dicatas Plinius docet; neque haſta Deam Deumue arguit, quas cum aliis quoque ſtatuis communicatas ex eodem Plinio diſcas. Porro litui auguralis, quem figura illa ad ſiniſtrum latus columnæ expreſſa tenet, eandem vtrinque figuram exhibuit Vaillantius. At in priori ille apud nos cum capite animalis ſculptus cernitur, qua forma litui militares in veterum monumentis effingi ſolent. Sed præcipue in poſterioris numi auerſa parte repræſentanda a prototypo aberrauit vir ſæpius laudatus, tametſi accuratiorem eam videtur exhibere voluiſſe, quam eſt apud Fuluium ac Patinum, quando eam haud parum immutatam exhibuit. Primo enim figura illa ad dextram columnæ partem pedem ſiniſtrum tollit, quem baſi adiectæ imponere debebat, deinde leones ab vtraque parte columnæ deſiderantur, quos ab Vrſino Patinoque expreſſos cur expungendos curarit Cl. Vaillantius, tanto potiori iure mireris, quod referri illi poſſunt ad Sp. Mælium tyrannidi inhiantem, ad quam ſibi frumentariis largitionibus viam ſternebat. De honore L. Minucio Augurino præfecto annonæ, a populo Romano, qui ei & indicium nefariorum Sp. Mælii conſiliorum, & leuationem annonæ debebat, delato diuerſa tradere videntur Liuius & Plinius. Prior enim boue aurato extra portam Trigeminam donatum, poſterior ſtatuam & columnam extra eandem portam ei poſitam tradit. Bouis nullum in numis veſtigium, columnam Minucio & ſtatuam ei impoſitam addicunt. Nimirum diuerſi ii honores, de quibus ſcriptores agunt. Primus ei a ſenatu obtigit potiſſimum, ob prodita nefarii Sp. Mælii conſilia, quod inde colligo, quia Liuius addit, ne plebe quidem inuita id factum eſſe. Neque vero hic cogitandum de ſtatua bouis aurati extra portam Trigeminam ei poſita; pridem enim eſt, quod I. F. Gronouius animaduertit, mendum hic latere, proque *boue aurato* legendum eſſe *boue & aruo.* Alterum ei populus, quod pretium farris in trinis nundinis ad aſſem redegiſſet, detulit, ſtatua, quod priori loco Plinius tradit in columna ei poſita, vnde idem Plinius poſteriori loco, „ an-

Lib. XXXIV. c. 5. ſect. X. T. II. p. 642.

L. c.

Lib. IV. c. 16.

Lib. XVIII. c. 3. ſect. IV. T. II. p. 99.

Lib. XXXIV. c. 5. ſect. XI. Tom. eod. p. 643.

„ tiquior, inquit, columnarum (celebratio nempe) ſicut C. Mænio. . „ . . . Idem P. Minutio præfecto annonæ, extra portam Trigemi- „ nam, vnciaria ſtipe collata, neſcio an primo honore tali a populo". Vbi obſeruandum, Publii prænomine Minucium hunc male appellari. Poſterioris honoris, tanto maioris, quod populus ad eam rem ſtipem conferre nullus dubitauit, monimentum, non prioris numi præſentes ſeruant. Eundem vndecimum plebis tribunum priori loco appellat

L. c. Plinius, quem Liuius refellit. „ Hunc Minucium, inquit, apud „ quosdam auctores tranſiſſe a patribus ad plebem, vndecimumque „ tribunum cooptatum, ſeditionem motam ex Mæliana cæde ſedaſſe „ inuenio". Ceterum vix credibile eſt, numerum tribunorum Patres augeri paſſos, idque potiſſimum exemplum a patricio homine introductum, nec deinde id plebem conceſſum ſemel „ obtinuiſſe, aut certe „ tentaſſe. Sed ante omnia refellit falſum imaginis titulum paucis ante „ annis lege cautum, ne tribunis collegam cooptare liceret. Q. Cæci- „ lius, Q. Iunius, Sext. Titinnius ſoli ex collegio tribunorum, neque „ tulerant de honoribus Minucii legem" *reliqua.* Ex quibus,ni id aliunde conſtaret, ſatis patet, quo ſenſu vndecimus Plinio tribunus plebis Minucius appelletur, quidque ſtatuendum ſit de paradoxa celeberrimi.

Ad Lib. XVIII. ſect. IV. T. II. p. 99. Harduini ſententia, contendentis, *Plinium haud obſcure ſignificare, VNICVM SEMPER FVISSE, ac ſua ipſius ætate, TRIBVNVM plebis, non plures ſimul.*

§. XIX.

De numo familiæ Munatiæ. Ad gentis Munatiæ numum pergo, quem ex Vrſino & Patino bis mutilum, nempe cum in hac gente, tum in Antonia, exhibuit Cl.

T. II. Tab. 99. T. I. Tab. 12. Vaillantius. Nempe deſiderantur apud eum duo verba inſcriptionis aduerſæ partis, in qua lituus & vrceus. Ibi enim nihil præter MANTON...... IIIVIR R. P. C. cum fuerit haud dubie M. ANTON. IMP. AVG. IIIVIR R. P. C. h. e. M*arcus* ANTON*ius* IMP*erator* AVG*ur* IIIVIR R*ei*P*ublicæ* C*onſtituendæ.* Nam deeſſe inter voces M. ANTON. & IIIVIR R. P. C. litteras, Pa-

p. 101. tinus quoque punctis adiectis indicauit, & flagitant vocem AVG*uris* ſymbola auguratus, lituus & vrceus, in area expreſſi. Confirmat, quod dixi, geminus numus gazæ noſtræ, tametſi, quod ad auerſæ partis inſcriptionem attinet, diuerſus.



Aduerſæ partis ſymbolis lituo & vrceo illa ipſa, de qua dixi, adiecta eſt inſcriptio. Auerſa in pagina nulla IMP. mentio, vt apud Vaillantium, vbi L. PLANCVS IMP. ITER. appellatur. Legitur enim tantum: L. PLANCVS PRO. CO*n*S*ul.* Similem numum com-

p. 78. T. I. p. 50. memorat Occo, in quo ait eſſe: L. PLANCVS COS. Triſtanus eundem,


eundem, ſed rurſus diuerſum exhibet cum inſcriptione: L. PLANCVS IMP. COS. In vtroque COS ſcriptum puto, loco PROCOS. quod in noſtro eſt. Cl. Vaillantius in numo ſuo Plancum IMP. ITER*um* dici arbitratur, quod, bello Peruſino ardente, legionem Cæſarianam, dum illa vrbem peteret, teſte Appiano, in itinere concidit. De bell. Ciu. Lib. V. p. 690.
Sed, vt taceam, inde vix iuſtam naſci potuiſſe cauſam Planco titulum IMP*eratoris* ITER*um* deferendi, cum idem ille in ſimili numo noſtro PROCOS appelletur, manifeſtum eſt, numos hos tum demum, cum Proconſul Syriam auſpiciis Antonii regeret, fuiſſe cuſos. De Proconſulatu hoc eius audiendus Appianus, qui vnus eius meminit: Εἰσὶ δ', inquit, L. c. p. 753.
οἱ Πλάγκον, οὐκ Ἀντόνιον λέγοντες ἐπιστεῖλαι, καὶ νομίζουσι ἄρχοντα Συρίας καὶ ταῖς ἐπιστολαῖς ἐπιτεταγμένον ἐς τὰ ἐπείγοντα ἐπιγράφειν τὸ Ἀντώνιον, καὶ τῇ σφραγῖδι χρῆσθαι. h. e. *Sunt, qui contendunt, Plancum, non Antonium id mandaſſe* (de morte Sexti a Tito interemti Appiano ſermo eſt) *putantque ei, cum Syriæ præeſſet, id negotii fuiſſe datum, vt vrgente neceſſitate, Antonii nomine ſubſcriberet eiusque ſigillo vteretur.* Appiano, qua de re dubitare quodammodo videtur Vaillantius, fidem eſſe habendam, dum Antonii parti- L. c.
bus addictum Syriæ præfuiſſe ſcribit Plancum, perſuadet numiſma præſens, in quo PROCOS appellatur. PROCOS vero titulo in hoc numo addita non eſt formula EX S. C. quod alias in numis gentium Anniæ, Appuleiæ, Cæciliæ, Iuniæ, Manliæ ac Scriboniæ ſolenne, cum proconſulare imperium ex ſenatus auctoritate abſque populi comitiis daretur, prout obſeruat Ill. Spanhemius. Vni enim Antonio trium- T. II. p. 177.
viro eam dignitatem debebat Plancus, quod haud obſcure indicauit, anteriori parti numi Antonii nomine titulisque honorum adſcriptis. Ceterum quod ad vrceum attinet inter fulmen & caduceum alatum poſitum, eum ad dignitatem *ſeptemviratus epulonum*, qua ornatum fuiſſe Plancum, vetus inſcriptio docet, refert Vaillantius. Patinus autem, Patin. p. 231.
Triſtanum ſecutus, interpretatur ἀγγεῖον, vaſculum, quod monitu oraculi L. c.
cuiusdam Antonius aqua Clepſydræ (id fontis nomen Athenis fuit) plenum ſecum abſtulit, cum ad bellum in oriente gerendum profici- Plutarch.
ſceretur. Priori ſententiæ primo adſpectu præferenda videri poſſit po- Opp. T. I. Anton. p.
ſterior. Septemuiratus enim Epulonum aliud ſymbolum in numo gen- 931.
tis Cœliæ, lectiſternium nempe. Et ſi fulmen triumuirorum impe- Appian. Parth. p.
rium, caduceus pacem & felicitatem inter eos deſignat, quod ſtatuit 156.
Vaillantius, his ſymbolis vtique guttus, ſi nihil aliud, quam ſeptemviratum hunc Planci reſpiceret, minus congrue iungeretur. Taceo magnitudinem huius vaſculi, quo vrcei huiusmodi, ſacerdotii indices, quod vel ex altera parte huius numi liquet, in numis vulgo haud comparent, ita vt vel hinc colligi poſſe videatur, ἀγγεῖον illud ſingulare, quo aquam e Clepſydra fonte hauſit Athenis, quodque ad bellum Parthicum profecturus ſecum abſtulit Antonius, in hoc numo expreſſum ſiſti. Id cum proſperum belli euentum polliceretur, inter fulmen & caduceum poſitum eſſe ſtatuit Patinus, „ vt pateat, Antonium Deo„ rum fide id edoctum, aut ferro & igni ad ſuas conditiones addu„ cturum Parthorum gentem, aut eorum voluntate in deditionem ac„ cepturum". Sed vbi conſidero, ſimile vaſculum ſculptum cerni in numis eiusdem Planci ſub Iulio Cæſare dignitatem Præfecti vrbis gerentis, animus fere eo propendet, vt Vaillantii ſententiam ſequendam putem. Ac ſane, ſi vas illud Athenis ab Antonio ablatum expreſſiſſet

Plancus, coronam ex ſacra olea, quam idem Antonius eodem tempore ſumſit, neutiquam prætermiſiſſet. Coniungunt enim hæc duo ſcri- L. c. ptores, quos dixi: Ἐξιέναι δὲ μέλλων, inquit Appianus, ἐπὶ τὸν πόλεμον ἀπὸ τῆς ἱερᾶς ἐλαίας στέφανον ἔλαβε, καὶ κατά τι λόγιον, ἀπὸ τῆς Κλεψύδρας ὕδατος ἐμπλήσας ἀγγεῖον ἐκόμιζεν. h. e. *Profecturus ad bellum ex ſacra olea coronam ſumſit, & ex præſcripto oraculi cuiusdam e Clepſydræ aqua repletum vas ſecum asportauit.*

§. X X.

De numis gentis Seſtiæ. Vrſin. p. 244. Patin. p. 144. T. II. Tab. LXXVIII. p. 9.

Gentis Seſtiæ numum ob expreſſum in eo BRVTI nomen ſub familia Iunia ex Vrſino & Patino exhibet Cl. Vaillantius, in quo hinc tripos inter capedunculam & apicem cum epigraphe: Q. CAEPIO BRVTVS PROCOS, illinc, vt exiſtimat, pileus inter pugiones cum litteris: L. SESTI. PROQ. Mox in eadem tabula alium de ſuo adiicit, in quo aduerſa pars prorſus eadem, auerſa, vt ille interpretatur, obices caſtrorum cum haſta, inferiori autem in parte pileum exhibet vna cum inſcriptione: L. CEST. PROQ. Sed admodum vereor, ne duos ex vno finxerit clariſſimus vir. Poſterior enim a priori non differt, niſi quod Fuluius priorem ex numo minus integro, poſteriorem ex integriori Vaillantius exhibuit. Quod vero ad inſcriptionem L. CESTius PROQ. attinet, qua non L. SESTium, ſed L. CESTianum PRO Quæſtorem Bruti in poſteriori numo deſignari ſibi perſuadet vir clariſſimus, ea tantum abeſt, vt euincat, diuerſum eſſe numum, vt contrarium potius luculenter ob oculos ponat. Neque enim ibi legitur L. CEST. Sed L. SEST. perinde atque in eo, qui præcedit apud Vaillantium, numo, in quo hinc caput libertatis velatum, illinc Victoria cum corona ac palma, & inſcriptionibus iisdem. Id me docent duo quinarii elegantiſſimi gazæ noſtræ, quorum prior pridem in eam commigrauit, poſterior nuperrime acceſſit ex muſeo celeberrimi viri, Gottfridi Thomaſii.



In vtroque numo clariſſime ſculptum eſt non L. CEST, vel CESTI, ſed SESTius PRO Quæſtor, cuius lectionis veritatem ipſe Vaillantius fortaſſe agnouit, neutro ex iis genti Plætoriæ, cuius ſunt CESTIANI, adiecto, tametſi & eosdem ſub gente Seſtia prætermiſit. Theſ. p. 41. Priorem ex his Quinariis pridem, ſed alio loco, exhibuit Cl. Patinus,

in

in quo perinde, vt in noſtro, legitur: L. SEST. PROQVAEST. Quæ ſi ita ſunt, expungendus etiam ex numero PRO*Quæſtorum*, qui eo titulo ornati in numis reperiuntur, apud Ill. Spanhemium L. CESTIVS, quem ille a L. SESTIO diuerſum commemorat, vbi vocem CESTII pro CESTIANVS errore typographico irrepſiſſe arbitror. Idem, quem paulo ante laudaui, Patinus in prioris numuli auerſa parte non obices caſtrorum cum pileo agnoſcit, ſed ſellam & congium, quibus rebus coniectat ædilitatem indicari & liberalitatem populo Romano factam. Nempe frumenti procurationem, partem muneris quæſtorum, adeoque & proquæſtorum in prouinciis fuiſſe, vel Cicero abunde teſtatur. „ Non vereor, inquit ille, ne quis audeat „ dicere vllius in Sicilia quæſturam aut gratiorem aut clariorem fuiſſe. „ Vere mehercules hoc dicam: ſic tum exiſtimabam, nihil homines „ aliud Romæ niſi de quæſtura mea loqui. *Frumenti in ſumma cari-* „ *tate maximum numerum miſeram.*

T. II. p. 166.

Orat. pro Planc. c. 26.

§. XXI.

Inter numos gentis Vibiæ Græcum nullum produxit Cl. Vaillantius, cum tres laudet Morellius noſter. Tertium quidem alio in opere viri doctiſſimi ex theſauro regio Gallorum recenſitum videas his verbis: „ ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ, *Pergamenorum* Aſiæ min. caput Iulii nudum. ΕΠΙ „ ΓΑΙΟΥ ΟΥΙΒΙΟΥ ΠΑΝΣΑ, *Sub Caio Vibio Panſa.* Victoria ad læ- „ uam gradiens d. coronam ſ. palmam". Sed mirum eſt, virum clariſſimum quantumuis monitum a Morellio, male eum Pergamenis adſcribi, qui ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ eſſet, occaſionem peropportunam, quæ ſeſe ſponte offerebat, emendatiorem numum eum edendi prætermiſiſſe. Duo reliqui ita Morellio deſcribuntur, „ ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ legi circum „ caput Cybeles turritum, & ab auerſa parte aquilam fulmini inſiſtere „ cum hac inſcriptione: ΕΠΙ ΓΑΙΟΥ ΟΥΙΒΙΟΥ ΠΑΝΣΑ, quibus lit- „ teræ ΒΑΣ additæ, annum 232 denotantes". His ſimilem cum gaza noſtra complectatur; neque eius delineatio adhuc vulgata proſtet, quid vetat eam hoc loco exhibere?

De numis gentis Vibiæ.

Ep. Conſ. ad Periz. p. 200. ſq.

Numiſm. Græc. p. 1.



Patet, omnia congruere verbis Morellii noſtri, niſi quod in epocha ſub fulmine, cui aquila inſiſtit, diſtincte non apparent, niſi litteræ ΑΣ. Prima, obſcurius expreſſa, Ε æque ac Β. vt Morellius eam accepit, videri poſſit. Ad ſiniſtrum aquilæ latus monogramma cernitur ₳. Ex hoc numo, collato cum eo, qui Iulii Cæſaris caput cum eiusdem prætoris, C. Vibii Panſæ nomine exhibet, æræ Bithynicæ caput eruit Morellius. „ Hi numi, inquit, cudi non potuerunt ante Bithyniæ recu- „ perationem, quæ facta eſt a. V. C. DCCVII. cum Iulius Cæſar

Ad Periz. p. 201.

 „ venit,

„ venit, vidit & Pharnacem vicit. Inde ſi CCXXXII. annos retrogradimur, incidimus in annum vrbis conditæ CDLXXV. Sed „ quia hæc victoria exeunte demum anno parta eſt, certior ſtatuitur „ retrogreſſus ab anno ſequenti DCCVIII. quo facto inciperet A. V. „ C. CDLXXVI. & hoc anno Nicomedes fratrem Zipœtum auxilio „ Gallorum vicit, Bithyniaque omnis in eius ditionem conceſſit". Tametſi vero Cl. Perizonius hanc epocham Bithyniæ ſatis recte conſtitutam agnoſcit, eandemque in opere familiarum Romanarum, vbi de numis Caii Papirii Carbonis agit, approbat Cl. Vaillantius, locum tamen habere non poteſt, vel eam ob cauſam, quod erronea litterarum numeralium in Caii Vibii Panſæ numis lectione nititur. Docet hoc numus eiusdem C. Vibii Panſæ, ab his, quos vidit Morellius, diuerſus, qui ex muſeo Thomaſiano theſauro noſtro acceſſit, quem ſubiungo.

T. II. p. 208.



Aduerſa eius pars caput Apollinis laurea cinctum exhibet cum inſcriptione: ΑΠΑΜΕΩΝ ΜΥΡΛΕΑΝΩΝ, h. e. *Apamenſium Myrleenſium*. Nempe Apamea Bithyniæ, antea dicta Myrlea, poſt, Pruſia eam reſtaurante, ab vxore eius Apameæ nomen tulit. Quod cum numi huius teſtimonio confirmetur, mirum, quo pacto Apameam & Myrleam diuerſam faciat Conſtantinus Porphyrogenitus. Auerſa in parte ſymbolum Apollinis, lyra, cum inſcriptione: ΕΠΙ ΓΑΙΟΥ ΟΥΒΙΟΥ ΠΑΝΣΑ. *Sub Caio Vibio Panſa.* Infra clariſſime ΕΛΣ h. e. anno CCXXXV. Patet hinc, & in ſuperioribus numis ita legendum eſſe, qui, ſi epochæ Bithynicæ, de qua ſupra dictum eſt, initium repetendum foret ab anno vrbis CDLXXVI, incideret in annum DCCX, quo Tullius Cimber ex Iulii Cæſaris coniuratis Bithyniam obtinuit, quoque Panſa Bithyniæ tanto minus præeſſe potuit, quod anno ante Galliam Ciſalpinam rexerat, inſequenti autem conſulatum eſſet Romæ initurus. Sed, æræ huius, qua de ſupra iam dictum eſt, initio ad A. V. CDLXXIII. reiecto, pertinent illi ad annum DCCVII. quo Cæſar Pharnacem deuicit, ad quem & hos numos retulit Morellius.

Strab. Lib. XII. p. 563. Steph. vocib. ἀπαμεια & μυρλεα. Lib. I. Them. IV. p. 24.

Conf. Cap. IV. §. XXIII.



CAPVT



CAPVT VII.

DE NVMIS IMPERATORVM ARGENTEIS.

§. I. *De iis in genere.*

§. II. *Index eorum.*

§. III. *De numo Augusti, cuius auersa in parte Tiberius sedenti Augusto ramum lauri offert, cum inscriptione:* IMP. X.

§. IV. *De numo Caligulæ cum lituo simpuloque, & inscriptione:* PONT. MAX. AVG. *&c.*

§. V. *De numo Clodii Macri cum typo capitis leonini.*

§. VI. *De numo Vitelliano cum symbolo iunctarum manuum & inscr.* FIDES EXERCITVVM. FIDES PRAETORIANORVM.

§. VII. *De numis duobus Vespasiani cum typo coronæ auersa in parte, in qua:* AVG.

§. VIII. *De Quinario Domitiani cum typo Victoriæ & litteris:* P. M. TR. POT. IIII. IMP. VIII. COS. IX. P. P.

§. IX. *De duobus numis eiusdem Domitiani, altero Græco cum inscriptione:* ΟΜΟΝΟΙΑ ΣΕΒΑΣΤΗ *altero Latino cum inscr.* CONCORDIA AVG. *& litteris* EPE.

§. X. *De numo Hadriani cum inscript.* COS. V. P. P. S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI

§. XI. *De numo Antonii Pii cum* TR. P. XV. *bis expressa.*

§. XII. *De*

§. I.

De numis Imperatorum argenteis in genere.

SVccedit claſſis numorum, cuius contemplatio propior deſiderium hominum, qui harum priſci temporis reliquiarum ſpectaculo tenentur, ſi non explebit, id quod polliceri non auſim, certe ita leniet, vt, niſi admodum iniqui rerum æſtimatores fuerint, vel nihil, vel parum in hoc genere deſideraturi videantur. Numos illa iactitat numero longe plurimos, ſelectu præſtantiſſimos, typorum & varietate &, qui nulla temporum iniuria deleri prorſus potuit, nitore ſumme commendabiles. A Iulio Cæſare inde vſque ad poſtremam imperatorum, qui Conſtantinopoli ſedem habuere, ætatem veneranda hæc λείψανα loculos noſtros ita ornant, vt onerent. Prioribus illis ſeculis vſque ad Conſtantinorum tempora ſeries Auguſtorum Auguſtarumque vel nullis vel paucioribus certe lacunis interſtinguitur. Hiatus inde ac ſaltus frequentiores vtique, ſed gazæ noſtræ cum theſauris quibuscunque, ne regio quidem Gallorum excepto, communes, & qui, aureis & æreis Imperatorum numis in ſubſidium vocatis, facile ſuppleri poſſint. Argenteorum numorum ex hac claſſe, qui calculum poſuere, in vniuerſum tria millia numerant. Ad eum numerum collectio noſtra proxime accedit. Multos enim deſiderari dixero, ſi abeſſe dixero circiter ducentos, quo minus tria millia poſſideamus. Vnde iam dudum Morellius de gazophylacio noſtro, cum potior eius pars adhuc Arnſtadii aſſeruaretur, in litteris ad Danetum, illuſtriſſimi Seignelæi gazam, vnde theſaurum ſuum amplificandi incredibili cupiditate ardebat, immortali memoria vel ob merita in has litteras digniſſimus princeps Antonius Guntherus, vendere parantem: „ Cæſareos argenteos & conſulares numos vt comparemus futurum eſſe, vix auſim polliceri. In „ hoc enim genere tantus veterum monimentorum apparatus illuſtriſſimo comiti (nondum eo tempore principis titulo ac dignitate vtebatur)

In litt. MSS.

batur) „ ad manus est, vt quid desiderari magnopere possit, vix pa-„ teat. Illud pro certo tibi affirmo, numerum Cæsareorum numo-„ rum, qui quidem argento constant, longe superiorem esse eo, qui „ in thesauro regis Versaliensi deprehenditur". Tametsi vero in hac parte studii numarii, a clarissimis ingeniis ad puluisculum vsque excussa, perdifficile est, noui atque indicti aliquid proferre, etiamnunc tamen superesse, quæ vel prorsus non, vel minus recte vulgata vberiorem lucem & desiderent, & ex gaza nostra mutuari possint, exempla, quæ iam, vt instituti huius ratio seruetur, speciminis mihi causa afferenda sunt, vtcunque tumultuaria opera conquisita, vt spero, abunde comprobabunt.

§. II.

Sed antequam vlterius progrediar, catalogum Imperatorum, quorum ex argento numos thesaurus noster complectitur, præmitto. *Index eorum.*

C. Iulius Cæsar	Antoninus Pius
M. Lepidus, in famil. Aemil.	Faustina mater
M. Antonius, in famil. Anton.	Marcus Aurelius
Augustus	Faustina iunior
Agrippa, in famil. Vipsan.	L. Verus
Tiberius	Lucilla
Drusus senior	Commodus
Antonia	Crispina
Germanicus	Pertinax
Agrippina	Didius Iulianus
Caligula	Didia Clara
Claudius	Pescennius Niger
Agrippina	Albinus
Nero	Seuerus
Macer	Iulia Domna
Galba	Caracalla
Otho	Plautilla
Vitellius	Geta
Vespasianus	Macrinus
Domitilla	Diadumenianus
Titus	Elagabalus
Iulia Titi	Iulia Paula
Domitianus	Aquilia Seuera
Domitia	Iulia Soæmias
Nerua	Iulia Mæsa
Traianus	Iulia Mammæa
Plotina	Alexander Seuerus
Marciana	Sal. Barb. Orbiana.
Matidia	Maximinus
Hadrianus	Paulina
Sabina	Maximus
L. Aelius Cæsar	Gordianus Afr. senior

Gordianus Afr. iunior
Balbinus
Pupienus
Gordianus Pius
Philippus ſenior
Ottacilia Seuera
Philippus iunior
Traianus Decius
Herennia Etruſcilla
Q. Herennius
Hoſtilianus
Trebonianus Gallus
Voluſianus
Aemilianus
Valerianus
Mariniana
Gallienus
Salonina
Saloninus
Valerianus iunior
Cornelia Supera.
Macrianus
Poſthumi P. & fil.
Victorinus
Marius
Aurelianus
Seuerina
Tetricus
Tacitus
Florianus
Probus
Carus
Numerianus
Carinus
Diocletianus
Valerius Maximianus
Val. Conſtantius
Gal. Maximianus
Carauſius
Licinius
Licinius iun.
Conſtantinus M.
Criſpus
Delmatius
Conſtantinus iun.
Conſtans
Conſtantius
Iulianus
Iouianus
Valentinianus
Valens
Gratianus
Valentinianus iun.
Theodoſius
Maximus
Fl. Victor.
Eugenius
Arcadius
Honorius
Conſtantinus
Iouinus
Priſcus Attalus
Leo
Zeno
Anaſtaſius
Iuſtinus
Iuſtinianus
Athalaricus
Theodahatus
Witiges
Theodebertus
Tiberius
Focas
Heraclius
Filippicus
Conſtantinus Porphyrogenitus
Manuel Comnenus
Vroſius

§. III.

De numo Augusti.

Ad ſingularia iam exempla pergo, pro inſtituti huius ratione promenda, vt lectores vberiorem de gazæ huius præſtantia iudicandi facultatem nanciſcantur. Tritum ex argento iure meritoque appellat Cl. Vaillantius Augusti numum, cuius in auerſa parte homines duo ſtantes cum ramis ante Imperatorem, cum verbis IMP. X. Vnde & pridem eum Goltzius, Rubenius, Oiſelius, Begerus, Pedruſius aliique vulgarunt. Secus vero ſtatuendum de ſequenti, tametſi gemino.

Numiſ. Præſtant. Imp. p. 37. Tab. LVI. i. Tab. XVI. Tab. LXXII. 5. Theſ. Brand. T. II. p. 609. Ceſar. in Arg. Tab. XII. p. 165. ſeq.

Aduerſa



Aduerſa in parte caput Auguſti, ſiniſtræ obuerſum, adſcripta habet verba AVGVST . . . . DIVI F*ilius*. Auerſa eundem Auguſtum exhibet, ſed inſidentem ſellæ curuli, in loco altiori paulo poſitæ, cui adſtat paludatus, gladio cinctus cum ramo, quem prehenſurus Auguſtus manum extendit. Infra IMP*erator* X. Dubitari nullo modo poteſt, quin præſens numus ſit in eandem ſententiam explicandus, atque ille, qui vulgatus proſtat: Eum vero aliter interpretantur viri ſupra laudati, aliter Cl. Vaillantius. Illi, inprimis Nonnius ad Goltzium, Oiſelius, & Pedruſius legatos Indorum ac Scytharum agnoſcunt cum ramis oleæ, pacem ab Auguſto petentes, referuntque huc verba Suetonii: *Qua virtutis moderationisque fama, Indos etiam ac Scythas, auditu modo cognitos, pellexit ad amicitiam ſuam populique Romani vltro per legatos petendam*; quibus quidem conſona alii quoque ſcriptores tradunt. Sed Cl. Vaillantius, vt typus cum Imperatoris titulo decimum Auguſto propter rem aduerſus Pannonios a Tiberio feliciter geſtam dato, quem numus præ ſe fert, congruat, Tiberium & Druſum fratres hic cerni ſtatuit, quorum alter ob Pannonios, alter ob Germanos deuictos ramum lauri, victoriæ inſigne, offerat. Cui viri de his ſtudiis ita meriti, ut vix par ei poni poſſit, nemo anteferri, ſententiæ quo minus ſubſcribere liceat, nil equidem obſtare arbitror. Quod enim braccatos, atque inde Parthorum legatos credit Rubenius, in eo licebit, ſalua viri eruditiſſimi auctoritate, diuerſum ſentire. Nulla enim hic braccarum veſtigia, quibus induti Parthi alias in numis Auguſti comparent. Certe dubitare ea de re non ſinit numus, cuius delineationem dedi, in quo ſi interpretationi huic inſiſtamus, Tiberius ſolus ramum lauri ob victoriam a Pannoniis relatam offert, quæ decimum Auguſto Imperatoris titulum peperit. Explicationi vero illi de legatis & ramus, qui ſimilior lauro quam oleæ, & gladius, quo cincti conſpiciuntur, prorſus aduerſatur. Cum eo enim legatos, pacem petentes, in conſpectum Auguſti prodeundi licentiam nactos nemo ſibi perſuadere facile patietur. Vnde & miror, Cl. Begerum legatos Pannoniorum pacem petentes hic agnoſcere, quanquam idem alio loco Rubenii ſententiam propugnat, ea ratione nixus, quod legati Parthorum, qui Auguſto puerum offerunt, in alio eius numo apud Goltzium & Rubenium eodem modo veſtiti compareant. Sed diuerſus vtique veſtitus ille, quippe in quo braccæ clariſſime cernuntur, prout fidem facit aureus numus gazæ noſtræ, in quo ſimilis Parthus puerum Auguſto offert cum elogio: IMP. XIIII. vt taceam gladium ibi abeſſe, quem tamen & Begerianus numus exhibet, in quo duæ figuræ ſtantes cum ramis & inſcriptione IMP. X. Eum enim ad fidem prototypi ex-

L. c. p. 81. l. c. l. c.

Aug. c. 21.

Annot. p. 43.

Theſ. Brand. T. II. p. 609. Annot ad Ruben. p. 5.

L. c. L. c.

 preſſum

pressum esse, exemplum numi huius, quod in eadem gaza nostra asservatur, luculenter docet. Ceterum vel hoc exemplum satis esse putem reuincendo Ioberto, qui neque Imperatores neque milites, tametsi paludatos, cum gladiis vnquam sculptos affirmat, causamque eius rei, quæ nulla est, reddere conatur.

La Science des Medailles p. 221. Ie voudrois bien sçavoir, pourquoi sur les Medailles on n'a iamais mis d'epée, ni aux Empereurs, ni aux soldats, quoiqu'en habit militaire.

§. IV.

De numo Caligulæ. T. II. p. 85. „ Tanti habitus Auguratus apud maiores vestros, inquit Ill. Spanhemius ad Octauium Falconerium in opere toties nobis laudato, „ vt „ lituus Auguralis in numis Cæsarum, maxime Iulii, etiam consecra„ ti, exhibeatur, imo, vt in numis etiam aliquot Græcis Titi ac „ Domitiani ΟΙΩΝΙΣΤΗΣ, in Romanis itidem AVGVR cum aliis „ supremi fastigii appellationibus coniungatur. Huius generis est Ve„ spasiani numus gazæ Augustæ Viennensis cum inscriptione: AVGVR „ TRI. POT". Hic, vt taceam, quod monuit Cl. Harduinus, (Ad Plinium. Lib. VIII. c. 28. sect. 42. T. I. p. 455.) numos, qui dicuntur habere, Οἰωνιστὴς pro augure, eos Goltzianos esse, hoc est fictos, mirum haud immerito videri potest, cur vnius Vespasiani numum exempli causa adducat vir summus, qui in primorum Imperatorum monumentis eundem AVGVRIS titulum expressum cerni minime ignorabat. Eius generis numus Augusti inter Arschotanos (T. XV. 21.) a Rubenio vulgatus est, repetitusque inde ab Oiselio, (T. CX. 10.) cuius in auersa parte discus siue patera cum imagine Solis supra commentacula decussatim posita, & ad latera eius lituus & simpulum cum inscriptione: AVGVR PONT. MAX. IMP. XI. PP. Huc spectat alius a Patino vulgatus (Ad Sueton. p. 139.) cum typo Capricorni globum & temonem tenentis, cuius ad tergum cornucopiæ & epigraphe: AVGVR IMP. XII. P.P. Similis Tiberii numus ab eodem Rubenio vulgatus prostat, (Tab. XVII. 11.) cuius auersa in pagina tripodi, securi & lituo addita est inscriptio: AVGVR PONTIF. TRI. POT. XVI. Antiquiores cum TR. POT. VI & XIII. exhibet Mediobarbus, (p. 61. 63.) qu os & alio loco idem vir summus laudat. (L. c. p. 366.) Nec diuersus ab his aliisque, Vitellii inprimis, sequens Caii Imperatoris.



Aduersa in parte caput Caii cum inscriptione C. CAESAR AVG. P. . . . GERMANICVS. In auersa lituus & simpulum cum verbis: PONT. MAX. AVG. TR. POT. IMPERATOR. De auguratu Caii ita Suetonius: (c. 12.) „ Deinde Augur in locum fratris „ sui Drusi destinatus, priusquam inauguraretur, ad Pontificatum „ traductus est: insigni testimonio pietatis atque indolis: cum deserta „ desolataque reliquis subsidiis aula, Seiano vero tunc suspecto, mox

„ &

„ & oppresso ad spem successionis paulatim admoueretur". Priusquam ad auguris dignitatem capessendam inaugurari potuerit, Pontificem factum Caium tradit Tranquillus. Propterea autem auguratum ei neglectum non esse, sed vel postliminio inauguratione præmissa susceptum, numus præsens docet, in quo Caius AVGur appellatur, cuius dignitatis symbolum lituus iuxta simpulum, Pontificatus insigne, in area expressus, de quo Cicero: „ Quid lituus iste noster, quod cla- De diuin. Lib. I. c. 17.
„ rissimum est insigne auguratus, vnde vobis est traditus? nempe eo
„ Romulus regiones direxit tum, cum vrbem condidit, qui quidem
„ Romuli lituus, id est *incuruum & leuiter a summo inflexum bacillum*,
„ quod ab eius litui, quo canitur, similitudine nomen inuenit, cum
„ situs esset in curia Sabinorum, quæ est in Palatio, eaque deflagrasset,
„ inuentus est integer". Solenne nempe Imperatoribus Romanis, quod Dio obseruat, ἐν πᾶσιν ἱερωσύναις ἱερῶσθαι, *omnibus sacerdotiis inauguratos esse*, cui negotio, simul successores imperii a parentibus cognatisque destinarentur, auctoritate & exemplo eorundem, operam dabant. Lib. LIII. p. 508. Eam ob causam cum locus vacuus non esset, Nero, tum princeps adhuc iuuentutis, SACERdos COOPtabatur IN OMNIA COLlegia SVPRA NVMerum EX SC. prout constat ex præclaro numo, quem Ill. Spanhemius luculenter explicauit, a quo & reliqua petenda, T. II. p. 367. quæ ad moris huius indolem & causas cognoscendas pertinent.

§. V.

Clodio Macro, quem in Africa haud dubie turbantem Trebonianus *De numo Clodii Macri.* Garucianus procurator iussu Galbæ interfecit, prout Tacitus testatur, Hist. I. c. 7. 11. qui alibi eundem *Dominum minorem* vocat, inter Imperatores Romanos, quem tot alii tyranni tenent, locum abiudicat Ill. Spanhemius. Cum T. II. p. 241. tamen numi eius extent, quorum aliquem ipse ex schedis Morellianis laudat vir summus, tametsi eum, quem Tristanus primo, deinde & L. c. p. 178. T. I. p. 247. Patinus vulgarunt, adulterinis accenset, neque inter familiarum Ro- Num. Imp. p. 124. manarum numos adhuc comparuerint, non abs re fuerit eum, quem thesaurus noster seruat, hoc loco producere. De eius fide si quis dubitandum putarit, ei nihil nunc aliud respondeo, quam Morellio nostro, non imperito harum rerum iudici, eundem probatum esse, vnde & ectypus eius, vna cum tribus aliis huius Macri numis inter miscellanea, quæ ille operi suo de Numis Romanarum Familiarum subtexuit, locum obtinet.



Aduersa pars caput leonis præfert, Africæ symbolum. Leonum enim ferax Africa; cum litteris L. C. MACRI S. C. auersa aquilam

legio-

legionariam inter duo ſigna cohortium cum inſcriptione LEG. III. AVG. LIB. Hunc numum ſi conferamus cum eo, quem a Georgio Barbaro, Senatore Veneto, acceptum cum ſexcentis aliis raritate, mole & elegantia conſpicuis theſauro regio Verſalienſi ſe intuliſſe ſcribit Vaillantius, haud vna diuerſa reperiemus. Inter auerſas equidem paginas nihil magnopere diſcriminis intercedit, niſi quod in epigraphe: LEG. III AVG. vox poſtrema diuerſum locum occupat, & ſupra aquilam in noſtro præterea litteræ LIB. expreſſæ cernuntur. Sed aduerſa in parte non tantum typus differt, (in Verſalienſi enim caput fœmininum proboſcide elephantina inſigne, in hoc caput leonis) ſed etiam inſcriptio. In illo enim legitur: C. CLODI. MACRI LIBERA S. C. in hoc L. C. MACRI SC. vbi, vt vocem LIBERA taceam, quæ in Verſalienſi, non item noſtro, comparet, prænomen in vtroque numo diuerſum ſeſe offert. In hoc enim Clodius Macer, L. hoc eſt, LVCIVS appellatur, in Verſalienſi C. h. e. CAIVS, de quo prænomine ita Vaillantius: „ Notandum eſt, inquit, in vtroque & Triſtani & Patini numo, literam L. id eſt „ LVCII prænominis Clodii Macri pro C. id eſt CAII, eſſe ſignatam; conſtanter autem littera C. in numo regio legitur & Sole „ clarior apparet; Cum C. non multum differat a littera L, an alter „ ab altero, qui numum male legerit, mutuatus eſt litteram? Præ- „ nomen enim Lucii, ex Suetonio, genti Claudiæ aptari nequit" *& quæ ſequuntur.* Sed numum numo opponere licet, ex quibus ſi alteruter νοθείας accuſandus, ſuſpicione forte maiori laborat Verſalienſis, quam Gothanus, ei quem Occo & Patinus produxere, hac ex parte conformis, cum Verſalienſi gemini numi teſtimonium deſit. Neque vero Occonis iſte & Patini numus, ad quem prouoco, ſpurius ille æreus eſt, quem Triſtanus primo, deinde & idem Patinus inter numos Imperatoris vulgauit, in quo hinc caput Macri cum inſcriptione: L. CLODIVS MACER S. C. illinc triremis cum litteris: PROPRAE. AFRIC. De diuerſo longe mihi ſermo eſt, eo nempe, de quo Vaillantius: „ Rem penitus confirmat elegantiſſimus ille argenteus „ numus a Cl. Patino vulgatus, aut ab ipſo obſeruatus, aut ex Oc- „ cone excerptus, in quo ipſa Libertas ſtans cum pileo ab vna parte „ ſignatur: C. CLODI. MACRI. & in auerſa ſigna militaria cum „ epigraphe: LEG. I. MARIANA LIB". Vbi, vt de errore typographico taceam, quo MARIANA poſitum eſt, pro MACRIANA, a vero alienum eſt, quod Vaillantius affirmat, in eo numo legi C. CLODI. MACRI, cum & apud Occonem & in icone Patini prænomen L. reperiatur. His accedit in quatuor illis numis, quos Morellium inter Miſcellanea operis de Familiarum Romanarum numis repræſentaſſe dixi, idem prænomen, non C. ſculptum cerni. Inter illos ſecundum locum occupat Verſalienſis, in cuius aduerſa parte inſcriptio non eſt, vt apud Vaillantium: C CLODI MACRI LIBERA S. C. ſed: L. CLODI MACRI LIBERTAS S. C. Familiam vero ducit, quem in ſchedis Morellianis a ſe viſum tradit Ill. Spanhemius cum inſcriptione: M. CLODIVS MACER PROPR. AFRICAE. In eo hinc caput Macri cum inſcriptione: L. (non M.) CLODI. MACER, illinc triremis cum verbis: PROPR.

Marginal notes: Ad Seguin. p. 410. — Ad Seguin. p. 411. — p. 136. Ad Suet. Galb. c. 11. — Ad Seguin. p. 410. — In Suet. Not. p. 344. — L. c.

PR. AFRICAE. Vnde patet, ſi typum ſpectes, non magnopere eum differre a ſpurio illo Triſtani & Patini, de quo dixi: id tamen ſatis vtrumque ab inuicem ſecernit, quod ille æreus eſt, Morellianus vero argenteus perinde ac ceteri, quos ille delineatos dedit. Quod vero Cl. Vaillantius e Suetonio obſeruat, prænomen Lucii genti Claudiæ haud vſurpatum fuiſſe, id num ſatis ad rem faciat, ipſe viderit, qui, an Claudia & Clodia familia vna eademque ſit, nec ne, definire non audet. Lucium certe Clodium haud vnum memorat vetus inſcriptio apud Gruterum: p. DCCCLXVI. 2.

T. CLODIVS. L. F. CORSVS. PETILLIA
M. MAENA. L. CLODIVS. L. F. ET. C
CLODIVS. L. F. ET. T. CLODIVS. L. F. FECIT
LAETVS. LIBERTVS. ET. FIRMVS
LIBERTVS. QVOD. TESTAMENTO
FIERI. IVSS.

Huic inſcriptioni iungo aliam ex Reineſio: Claſſ. VI. 26. p. 406.

L. CLODIO. C. F. SERG.
VITELLINO. II. VIR. I. D.
IVDIC. EX V. DEC.
EQVO. PVBL.
VIC. DEFVNCTVS. ORDO
DECVRIONVM. LOCVM
SEPVLTVRAE

Hæc de prænomine: De cognomine MACRI, vnde MACRI*num* comminiſcitur Cl. Harduinus, ſcriptorum grauiſſimorum auctoritate confirmato, nihil addo. Hiſt. Aug. Opp. Sel. p. 729. Neque enim deſunt exempla nominum propriorum gignendi caſu poſitorum in numis, &, ſi MACRI*nus* legendum eſſet, littera N. haud dubie adiecta cerneretur. Ita legitur in numis: A. ATILIA. F. CALATIN. non CALATI. L. PISO L. F. CAESONIN. non CAESONI. M. MARCELL. M. F. M. N. AESERNIN. non AESERNI. TI. MINVCI. C. F. AVGVRIN. non AVGVRI. T. QVINCTIVS CRISPIN. non CRISPI. L. SEMP. ATRATIN. non ATRATI. C. SENTIVS C. F. SATVRNIN. non SATVRNI. Mirum autem, cur idem vir doctiſſimus numum Occonis vitioſe deſcriptum, tanto conatu in ſuſpicionem adducere laboret, quem non ignorabat, emendatiorem a Patino exhiberi, cuius quidem delineationem, ſi ob oculos habuiſſet Cl. Harduinus, numum propterea, quod CLODI. non CLOD. ſcriptum in eo ſit, quodque Libertatis effigies pateram ſiniſtra teneat, non damnaſſet.

§. VI. Sunt,

§. VI.

De numo Vitelliano. Scien. *des* Medaill. p. 48.

„ Sunt", inquit Iobertus in libello Gallico bonæ frugis pleno, qui varias in linguas translatus totidem lectores reperit, quot veterum numorum ſtudio tenentur, „ etiam numi, quibus capita h. e. vultus „ eorum, quibus cuſi ſunt, deſunt, & quorum tamen γνησιότητα, at- „ que antiquitatem in dubium vocare nequeas. Huius generis ſunt „ numi monetariorum Auguſti, in quibus nihil niſi nomen eius, *Au-* „ *guſtus Tribun. Pot.* item Vitelliani, quorum altera in parte expreſſa „ tantum ſunt verba: *Fides Exercituum*, vna cum manibus iunctis, „ ex altera: *Concordia Prætorianorum* vna cum figura, aliique". Vitellianis his numis iungendus eſt ſequens, cuius iconem ex gaza noſtra ſubiicio.



Symbolum eſt idem vtraque in parte, dextræ nempe iunctæ; inſcriptio quoque non multum diuerſa, qua hinc nempe FIDES EXERCITVVM, illinc FIDES PRAETORIA*norum* commendatur, ita vt multo hic potiori iure Euripidis, quæ ad duos Græcos numos, quorum priorem ſupra ex gaza noſtra accuratius delineatum produxi, laudat illuſtris Spanhemius, verba vſurpare liceat:

Cap. V. §. XXIV. Medea. ℣. 21.

Βοᾷ μὲν ὅρκους, ἀνακαλεῖ δὲ ΔΕΞΙΑΣ,
ΠΙΣΤΙΝ μεγίστην, καὶ Θεοὺς μαρτύρεται. h. e.

Clamat quidem iusiurandum, vocat & DEXTRAS,
FIDEM maximam, & Deos teſtatur.

Aeneid. Lib. IV. ℣. 597.

Dextram ac fidem iungit Virgilius in trito illo Didus cum Aenea expoſtulantis:

En DEXTRA FIDESQVE!

Lib. XI. c. 45. Sect. CIII. T. I. p. 639. Ad. Lib. III. Aen. ℣. 607.

Dextram oſculis auerſam appeti, in fide porrigi Plinius tradit, quod DEXTRA FIDEI ſacra erat, qua de re Seruius: „ Phyſici di- „ cunt eſſe conſecratas numinibus ſingulas corporis partes", vt aurem „ Memoriæ, Hinc eſt *Cinthius aurem vellit & admonuit.* Frontem, Ge- „ nio. Vnde venerantes Deum tangimus frontem *Dextram Fidei*", & quæ ſequuntur. Fidei ſolenne inſtituiſſe Numam, atque ad id ſacrarium flamines bigis curru arcuato vehi iuſſiſſe, manuque ad digitos vsque inuoluta rem diuinam facere, ſignificantes, fidem tutandam ſedemque eius

tius etiam *in dextris* ſacratam eſſe Liuius memoriæ prodidit. Similem fere numum cum ſymbolo eodem iunctarum manuum delineatum cernas inter numiſmata Arſchotana, quæ commentario elegantiſſimo illuſtrauit Albertus Rubenius. Sed inſcriptio diuerſa: altera enim in parte CONCORDIA EXERCITVVM, in altera FIDES PRAETORIANORVM legitur. Idemque numus ibi non Vitellio Imperatori, ſed Antonio III Viro perperam tribuitur. Vitelliani enim omnino ſunt; quibus Imperator ille, a milite, Germanico inprimis, ad imperium euectus, exercituum ſuorum Prætorianorumque beneuolentiam captauit. Equidem docet Suetonius, Vitellium, quicquid prætorianarum cohortium fuit, vt peſſimi exempli, vno exauctorauiſſe exemplo, iuſſas tribunis tradere arma. Sed id de partibus Othonianis intelligendum. Neque enim ſui illi defuere prætoriani, quibus (teſte Tacito) P. Sabinum & Iulium Priſcum præpoſuit, qui & poſt aduentum Vitellii Romæ ſedecim prætorias cohortes, quibus ſingula millia ineſſent ſcriptas, alioque loco Iulium Priſcum & Alphenum Varum cum XIV. prætoriis cohortibus, & omnibus equitum alis obſidere Appenninum a Vitellio iuſſos narrat. Hinc non tantum CONCORDIA PRAETORIANORVM in numo Vitellii ſupra laudato; ſed & fides eorum laudatur in alio cum dextris iunctis & inſcriptione: PRAETORIANORVM apud Vaillantium, tametſi ille vocem CONCORDIA ſubintelligendam arbitratur. Ceterum hanc ipſam FIDEM PRAETORIANORVM, atque EXERCITVVM, quam firmiſſimam ſibi perpetuoque duraturam pollicebatur, admodum fluxam expertus eſt Vitellius. „ Octauo enim imperii menſe, vt nar„ rat Suetonius, deſciuerunt ab eo exercitus Mæſiarum atque Panno„ niæ, item ex transmarinis Iudaicus & Syriacus; ac pars in abſentis, „ pars in præſentis Veſpaſiani verba iurauit". Paulo religioſiores ea ex parte Prætoriani atque vrbani milites. „ Pro gradibus enim, vt „ docet idem Tranquillus, Palatii apud *frequentes milites* cedere ſe im„ perio, quod inuitus recepiſſet, profeſſus, *cunctis reclamantibus*, rem „ diſtulit, ac nocte interpoſita, primo diluculo ſordidatus deſcendit „ ad roſtra, multisque cum lacrimis eadem verba, verum e libello, „ teſtatus eſt. Rurſus *interpellante milite* ac populo, &, *ne deficeret*, „ *hortante*, *omnemque operam ſuam certatim pollicente*, *animum reſumſit*", reliqua. Sed nihilominus tandem deſertus ab omnibus miſeranda, ſed vitæ ante actæ ſceleribus non indigna, nece interiit. Sed ſatis de hoc numo, cuius & mentionem forte ad Ioberti libellum feciſſet Cl. Morellius noſter, niſi fata eum a conſilio ſuſcepto reuocaſſent. Conſtituerat enim notis ſuis illuſtratum eum in lucem proferre, vnde in litteris ad Celſiſſimum Anton. Guntherum: „ De gratia & fide TVA promiſſa „ exſoluendi adeo perſuaſum mihi eſt, vt iam tum hæc notis in libel„ lum Ioberti inſeruerim": *Sed vt ea, quæ de circulis additis diximus, facilius intelligantur, placuit vnum & alterum exhibere, & quidem in hac ſcena prodibit Comicorum facile princeps Terentius, cuius effigies reperitur in numo Contourniato Illuſtriſſimi Domini Antonii Guntheri e IV. Imperii Comitibus Comitis de Schwartzburg & Honſtein, qui nullis parcens ſumtibus, magno ingenii acumine numorumque peritia, regium, vt fatear, adornat theſaurum, quique tanto huius ſtudii ardet amore, vt Morellium ad ſe vocarit, eundem munifico patrocinio adiuturus, vt iam a decennio pro-*

Lib. I. c. 21.
Tab. VII. num. vlt.
Vittel. c. 10.
Hiſtor. Lib. II. c. 92.
Lib. III. c. 55.
Numiſm. Imperat. T. II. p. 87.
L. c. cap. 15.
L. c.
MSS.

missum opus numismaticum in lucem emittere possit. Faueat ergo Deus Herois huius magnanimitati, concedat ipsi & auctori vitam, & vires cum felici successu.

§. VII.

De numis duobus Vespasiani. p. 108. sq. Comm. Hist. T. I. p. 283.

Et aureum & argenteum nobis numum Vespasiani commemorat Mediobarbus, cuius in auersa parte laureæ inscriptam vocem AVG. tradit. Aurei quidem indicium hausit ex Occone; scire autem vellem, vnde didicerit, non aureum etiam, sed argenteum esse alterum, quem ex Tristano recenset, cum ille, quonam genere metalli constet, more suo taceat. Ceterum extant omnino argentei similes Vespasiani numi, quorum duos gaza nostra seruat.



Prior aduersa in parte capiti Vespasiani laureato adscripta habet verba: IMP. CAESAR VESPAS. COS. II. TR. P. P. P. In auersa parte corona, cui inscriptæ litteræ: AVG. Tristanus, cuius in numo capitis epigraphe: IMP. CAESAR. VESPASIANVS AVG. arbitratur, coronam auersæ paginæ esse eius generis, quales reges ac populi socii Vespasiano ad dignitatem Imperatoris euecto obtulere, teste, quem citat, Apollonio, de excidio Hierosolymitano, qui

—— *tum*, inquit, *more vetusto*
Insuper Eoi reges misere coronas.

Subiicit coniecturam, quam tamen in medio relinquit, coronam hanc forte ex earum genere esse, quas non equidem inuenisse Vespasianum, tametsi ita sibi persuadet, aut certe lectori suo persuadere conatur, Tristanus; nam ea quidem cura parum decebat tantum Imperatorem, sed primum Diis immortalibus dedicasse Plinius refert: Ita enim se habent illius verba: „ Coronas ex cinnamo interrasili auro inclusas primus omnium in templis Capitolii atque Pacis dicauit Imperator Vespasianus „ Augustus". Sed paulo hæc longius videntur petita; ego lauream illam putem, quam Vespasianus bello in Oriente feliciter gesto meruit. Coronam oleagineam in Arschotano numo simili agnoscit Rubenius „ expressam", vt verbis eius vtar, „ ad designandam felicitatem partam imperio per Vespasianum". Huius generis corona fortasse in poste-

Lib. XII. sect. XLII. T. I p. 669.

Tab. XXV. 4. p. 42.

posteriori numo nostro expressa videri possit, tametsi ei vix locus esse potest, si Gellium audiamus. Ita vero ille: „ Est ea quoque coro- Noct. Att. Lib. V. c. 6.
„ na, quæ oualis dicitur: Est item postrema oleaginea, qua vti so-
„ lent, qui in prælio non fuerunt, sed triumphum procurant". Tametsi enim militibus quoque, re in prælio nauali bene gesta, coronas ex olea datas Dio testatur, similes tamen vnquam Imperatoribus oblatas Lib. XIIX. p. 400. sine idoneo auctore vix crediderim, vnde a vero non aberrauerit fortasse, qui & hic lauream quanquam texturæ diuersæ expressam statuat. In corona ea clypeus sculptus cernitur, quales aurei Imperatoribus decerni solebant: De Caio Suetonius: „ Quas ob res inter reliquos c. 16.
„ honores decretus est ei *clypeus aureus*, quem quotannis certo die
„ collegia sacerdotum in Capitolium ferrent, senatu prosequente: no-
„ bilibusque pueris ac puellis carmine modulato laudes virtutum eius
„ canentibus". Et de Claudio Gothico Trebellius Pollio: „ Illi c. 3.
„ clypeus aureus, vel vt Grammatici loquuntur, clypeum aureum
„ Senatus totius iudicio in Romana curia collocatum est, vt etiam
„ nunc videatur". Similis clypeus columnæ appensus inter duas lauros cernitur cum inscriptione: EX S. C. in numo aureo Vespasiani, quem gaza nostra seruat. Quod adtinet ad litteras AVG. eas in gemino numo AV*Gur* interpretatur Cl. Harduinus. Vbi negari sane non potest, AV*Guris* titulum Vespasiano in numis tribui, cuiusmodi ex gaza Augusta Viennensi cum inscriptione: AVGVR TRI. POT. vt supra iam vidimus, citat Ill. Spanhemius. Sed cum insigne auguratus lituus desit, neque AV*Guris* titulus solus temere sculptus occurrat, rectius, opinor, litteras has cum Tristano, viro eruditissimo, interpetabimur AV*Gusto*, cui nempe sacra corona & clypeus in numo expressus.

Hist. Aug. Opp. Sell. p. 730.

T. II. p. 85.

§. VIII.

Sequenti quinario elegantia nulli secundo, Domitiani victoria Germanica celebratur. *De quinario Domitiani.*



Capiti Domitiani addita est inscriptio: IMP. CAES. DOMITIAN. AVG. GERMANICVS. Auersam numi paginam Victoria occupat, dextra coronam protendens, sinistra palmam tenens humero impositam, cum adscriptis verbis: P. M. TR. POT. IIII IMP. VIII. COS. XI. P. P. Pertinet numus ad annum V. C. DCCCXXXVIII, cui priorem de Germanis triumphum assignat Mediobarbus & Pagius. „ Bis enim, vt obseruat Cl. Vaillantius, Numism. Imp. p. 134.
„ de Germanis triumphauit Domitianus, si fides Suetonio; *post autem* Crit. T. I. p. 75.
„ *duos triumphos, cognomine Germanici sibi assumto.* At vero (addit his Num. præst. T. II. p. 109.
„ porro) licet ille post priorem Germanici nomen acceperit, nulla in
„ numis eius de ipso triumpho memoria, omnes in secundo percussi

 „ occur-

occurrunt". Vbi facile largior, in numis non reperiri adhuc manifestum prioris triumphi indicium, nisi admittatur is, quem ex Patino citat Mediobarbus, cuius in auersa: IMP. CAES. DOMITIAN. AVG. GERM. COS. XI. & in auersa parte quadrigæ cum inscriptione: GERMANICVS, vbi vtique, rectene hæ paginæ iungantur, non satis liquet. Sed vero quod ait, post priorem demum triumphum Germanici nomen accepisse, id, quo pacto affirmare possit, nescio. Prior enim triumphus actus a Domitiano COS. XI. anno Vrbis DCCCXXXVIII. vt vidimus. At hunc titulum Germanici Domitiano Consuli X. negari non posse, pridem Scaliger ad Eusebium obseruauit. „ Nullus, inquit, numus (Domitiani) „ extat, nullum „ monimentum, in quo Dacici cognomen sit. At Germanicus sæpissime in eius numis legitur: quod cognomen non habet, nisi iam „ Consul decies". Sequitur Scaligerum Cl. Piouenius, cui Pedrusianæ telæ pertexendæ prouinciam ex merito, nec sine applausu reipublicæ litterariæ, mandauit Serenissimus Dux Parmensium, Franciscus I. Sed iam eo ipso anno, quo Titus frater decessit, id sibi nominis arrogauit Domitianus, vt qui iam antea, teste Suetonio, *expeditionem in Galliam Germaniasque . . . . inchoarat, quod cum factum esset tantum, vt fratri se & operibus & dignatione adæquaret, ob hæc & correptum* eum idem Suetonius docet. Testes numi apud Mediobarbum haud vni, vnde ille ad annum vrbis DCCCXXXIV. quo Tito fratri successit Domitianus, notauit: „ Germanicus in numis scribitur". Ceterum quam placuerit sibi vesanus Imperator hoc titulo, vel inde patet, quod vt Octobrem mensem, quo natus erat, *Domitianum*, ita Septembrem, quo Imperium susceperat, *Germanicum* voluit appellari. Vnde Statius septimum decimum Domitiani consulatum celebrare aggressus:

Ad Sueton. p. 431. — p. 204. — I. Cæsare in metallo mizzamo epicolo T. IX. p. 64. — Domit. c. 2. — p. 131. — Dio Lib. LXVII. p. 740. Suet. c. 13. Lib. IV. Syl. I.

. . . . . . nondum omnis honorem
Annus habet, cupiuntque decem tua nomina menses.

Statius eum in præfationibus Syluarum haud semel vno Germanici nomine appellat. *Larinus*, inquit, *Germanici nostri libertus*; & de eo carmine, vnde superiora desumta sunt: *Septimum decimum Germanici nostri Consulatum adoraui.* Neque in diuersum abit Martialis variis in locis, qui in præfatione libri octaui Domitianum Germanicum Dacicum appellat, vbi, an reapse & Dacici cognomen gesserit, quærunt viri docti. Affirmando respondent Scaliger ad Eusebium, Pagius, & Cl. Piouenius, prouocantes ad hanc ipsam Martialis præfationem, atque ad Iuuenalis Satyram sextam, vbi ille:

Præf. ad Lib. III. Syl. — L. c. Crit. T. I. p. 83. — L. c. p. 87. ℣. 204. sq.

Quod prima pro nocte datur: cum lance beata
Dacicus & scripto radiat Germanicus auro.

Hic quod ad Martialem attinet, rem equidem suo loco relinquo, tametsi vtique suspicari fortasse non sine ratione liceat, vocem Dacici in præfationem eam aliunde irrepsisse. Secus enim, qui toties Germanicum appellat in carminibus suis Domitianum, in iisdem & aliquando Dacicum salutasset, certe cognominis eius rationem eo loco aliquam habuisset,

issset, quo de Germanici cognomine ex instituto agit. Ita enim ibi Poëta: Lib. II. ep. 2.

Creta dedit magnum, maius dedit Africa nomen,
Scipio quod Victor, quodque Metellus habet.
Nobilius domito tribuit Germania Rheno,
Et puer HOC dignus NOMINE, Cæsar, eras
Frater Idumæos meruit cum patre triumphos,
Quæ datur ex Dacis laurea, tota tua est.

Cognomen Germanici his verbis celebrat Martialis, idque nobilius cognominibus Cretici & Africani appellat. Dacici cognomen prætermittit, tametsi Dacicam Victoriam commemoranti, id, siquidem fuit, sponte se offerebat. Quid igitur inde aliud colligas, quam Dacici cognomen Domitiano inditum, Martialem ignorasse? Sed hæc de Martiali, ex quo, vt largiar, recte id cognomen Dacici Domitiano asserere viros doctos, id satis mirari non possum, eadem in causa eos provocare ad Iuuenalis Satyram sextam, quam non Domitiani, sed Traiani ætate scriptam esse, pridem Lipsius, cum eoque Cl. Henninius agnouit. Quod si ita res habet, numi iam aurei apud Iuuenalem, quibus a titulo Dacici & Germanici nomen, non Domitiani intelligendi, qui nulli vsquam reperiuntur, cum tanta numorum huius Imperatoris multitudo prostet, sed Traiani, qui titulo Germanici, Dacici, cum in aliis, tum in aureis numis vtitur, quorum quidem thesaurus noster vltra triginta seruat. Epist. Quæst. IV. ep. XX. Prolegom. ad Iuuen. Sect. I.

§. IX.

Latino Domitiani numo succedat Græcus, tanto minus prætereundus nobis hoc loco, quanto rariores sunt argentei Græci in serie Imperatorum. *De aliis eius numis duobus Græco, & Latino.*



Capiti Domitiani laureato adscripta sunt verba: ΚΑΙσαρ ΔΟΜΙΤΙΑΝΟϹ ϹΕΒΑϹΤΟΥ ΥΙΟϹ, h. e. *Cæsar Domitianus Augusti filius.* Vbi videmus, Cæsarem adhuc Domitianum, non capite nudo, sed laurea cincto, quod aliquando vsu venire, pridem viris doctis est notatum. Auersa numi pars figuram cum patera & hasta sedentem exhibet, quam Concordiam esse inscriptio declarat: ΟΜΟΝΟΙΑ ϹΕΒΑϹΤΗ, h. e. *Concordia Augusta.* ΟΜΟΝΟΙΑ vrbium sæpe celebratur in numis anti-

quis Græcis, non æque ΟΜΟΝΟΙΑ ΣΕΒΑΣΤΗ vel ΣΕΒΑΣΤΩΝ, vnde Lucii Veri numiſma ex genere eorum, quæ maxima appellantur, cuius auerſa in parte L. Aurelius & L. Verus ſtantes dextras iungunt, cum inſcriptione: ΟΜΟΝΟΙΑ ΣΕΒΑΣΤΩΝ, quod inter alia ſimilia e museo illuſtriſſimi Abbatis de Camps cimelia Cl. Vaillantius iuris publici fecit, iure ſuo laudat Ill. Spanhemius, cui numiſmati mole quidem, ſed non æque metalli præſtantia & ſculpturæ artificio præſens concedit. Cuſus ille eſt ad imitationem Latinorum, qui extant, cuiusmodi eſt Cl. Vaillantii, in quo hinc: CAES. DIVI VESP. F. DOMITIAN. COS. VII. illinc CONCORDIA AVG. & mulier velata, ſtans, dextra ſpicas, ſiniſtra cornucopiæ tenens. Ab eo non magnopere differt, cuius auerſa pars delineata reperitur inter Numiſmata Arſchotana atque apud Oiſelium, niſi quod Concordia non ſtat, ſed inſidet ſellæ, iuxtaque cornucopiæ non ſpicas ſed ramum oleæ tenet. Geminum theſaurus noſter ſeruat, cuius ectypum hic ſubiungo.

Sel. Num. Abb. de Camps p. 40. T. I. p. 147. — Numiſm. Imp. præſt. T. II. p. 108. — Tab. XXXI. 23. Tab. LXXXIII. 3.



Aduerſa in parte caput Domitiani nudum ad pectus vſque prominet, Domitiani inquam, trabeam conſularem induti, ita, vt numus ſub ipſa auſpicia initi Conſulatus cuſus videatur, adiecta epigraphe: DOMITIANVS CAESAR AV*Guſti Filius*. In auerſa Concordia ſellæ inſidens & pedes ſcabello imponens, dextra non ramum oleæ, ſed ſpicas & papauer, ſiniſtra cornucopiæ gerit cum inſcriptione: CONCORDIA AV*Guſta*, & in area numi inferiori EPE. Numus hic in mentem mihi reuocat alium Veſpaſiani, patris, cuius in parte auerſa iuxta inſcriptionem PACI ORB. TERR. AVG. ſimiles litteræ EPE cernuntur. Eas explicari non poſſe, prout contendit Cl. Harduinus: *Effigiem* P*acis* E*rexit*, præter repetitionem inanem vocis P*acis*, numus noſter luculenter docet, in quo eædem litteræ comparent, niſi quod a littera P*lineola* procurrit, hoc modo EPE qua litteræ P & E ſibi inuicem iunguntur. Sed qua ratione litteras has explicare non liceat, facilius eſt oſtendere, quam veroſimiliorem earum interpretationem afferre, vnde felicioribus ingeniis, vt in vero earum ſenſu exquirendo vires experiantur, in præſenti relinquo. Ceteroqui inficiari non poſſum, veriſſimam mihi videri ſententiam Vaillantii, hos numos ad Concordiam fraternam inter Titum & Domitianum, ſimul Conſules A. V. DCCCXXXIII. (qui nempe conſulatus vt Titi VIII. ita Domitiani Cæſaris VII. erat, in Vaillantii numo proinde etiam diſerte expreſſus) nouo hoc vinculo conſolidatam referentis. Paulo tamen diuerſa ad ſimilem æreum numum explicandum, Angelono præeunte, nuperrime attulit Cl. Piouenius, de quibus alii viderint.

Hiſt. Aug. p. 731. Opp. Sell. — L. c. — T. IX. Muſ. Farn. p. 54.

§. X. Quon-

§. X.

Quondam in Gallia apud Cl. Foucaultum, nunc in gaza Sereniſſ. ducis Parmenſis, quo omnis ſupellex antiquaria Foucaultina paucis abhinc annis translata eſt, extat numus, in quo hinc: IMP. CAES. NERVAE TRAIANO AVG. GER. DAC. P. M. TR. P. COS. V. P. P. capite Traiani laureato; illinc: PLOTINA AVG. latere dextro; læuo HADRIANVS AVG. capite nudo. Ad hunc ita Cl. Harduinus: „ Sententia huius inſcriptionis eſt, non quidem „ Hadrianum Auguſtum fuiſſe Traiani quinto conſulatu, ſed Hadria„ num Auguſtum acceptam referre dignitatem ac poteſtatem ſuam, „ ſiue ius proximi hæredis imperii, coniugio Plotinæ & Traiani: „ quoniam ea occaſione, Traiano quintum conſule, adoptionem & „ hæreditatem imperii adeptus eſt Hadrianus. Ridiculum effugium eſt „ antiquariorum, vt ſe appellari volunt, qui cum indubitatæ antiqui„ tatis & probæ notæ omnino numum hunc eſſe fateantur, neque „ extricare hunc nodum poſſint, monetarii errore factum eſſe perten„ dunt, vt auerſam effigiem anteriori minime congruentem coniunxe„ rint". Dederim viro eruditiſſimo, in hoc numo explicando poſſe nos ſuperſedere fortaſſe ſubterfugio, quo ludibrium debere antiquarios affirmat. Tametſi enim ſecundo COS. Hadrianus, vt Spartianus docet, fauore Plotinæ factus, (hoc eſt deſignatus) totam præſumtionem adoptationis emeruit, quod factum anno ante quam Traianus decederet, quo tempore is non amplius COS. V. ſed COS VI. ſcribebatur, quem Conſulatum VI. A. V. DCCCLXIII. geſſerat, tamen, quin prima adoptionis eius fundamenta iam quinto Traiani conſulatu iacta ſint, dubitari non poteſt. Spartianus: „ Secunda expedi„ tione Dacica Traianus eum primæ legioni Mineruiæ præpoſuit, ſecum„ que duxit, quandoquidem multa egregia eius facta claruerunt. Qua„ re adamante gemma, quam Traianus a Nerua acceperat, donatus ad „ ſpem ſucceſſionis erectus eſt". Hoc vero accidit Traiano quintum conſule, vnde fieri omnino poteſt, vt conſulatum eum Traiani, cui primam ſpem imperii obtinendi acceptam referebat Hadrianus, propterea hoc numo ſculpendum curarit. At idemne ſtatuet vir doctiſſimus de ſequenti numo theſauri noſtri, & ſi dixerim, confuſas in eo diuerſorum numiſmatum paginas eſſe, ridiculum id effugium appellabit?

De numo Hadriani ſingulari.

Hiſt. Aug. p. 755.

Idem ſentit. Chamillard in Diſſ. ep. V. p. 33.

Cap. 4.

c. 3.



Anterior pars Hadriani caput laureatum ſiſtit, cum inſcriptione duorum verborum: HADRIANVS AVGVSTVS, poſterior Romam ſedentem, dextra victoriolam, ſiniſtra haſtam tenente. Inſcriptio:

ptio: COnSul V. Patri Patriæ, S. P. Q. R. OPTIMO PRINCipi. Numus ipſe neque ex ſubæratorum eſt numero, in quibus errores haud raro a falſariis, lucri quantocius percipiendi auidis, admiſſos cerni, ne ipſe quidem vir celeberrimus, vt puto, negare auſit, & indicia manifeſta indubitatæ antiquitatis & probæ notæ præfert. At certum nihilominus, poſteriorem ei paginam minime congruere, atque adeo errore monetarii ei iunctam eſſe. De Hadriano enim Spartianus: c. 8. „ Tertio conſules, cum ipſe ter fuiſſet, plurimos fecit, infinitos autem „ ſecundi conſulatus honore cumulauit", ad quem locum Caſaubonus: „ Cur non & quarto Conſules quosdam fecit? Eius rationem reddit „ hanc Spartianus : *Cum ipſe ter fuiſſet.* Res nempe abſurda futura „ erat, ſi aliquis reperiretur, qui ſæpius quam Imperator Conſul fuiſſet, neque hoc moderatio & pudor tunc hominum ſuſtinuiſſet". Taceo inſcriptionem: S. P. Q. R. OPTIMO PRINCipi, a numis Hadriani prorſus eſſe alienam, transſumtam nempe ex Traiani numo ſequenti.



Aduerſa pars caput Traiani laureatum exhibet cum inſcriptione: IMPeratori TRAIANO AVGuſto GERmanico DACico Pontifici Maximo TRibunitia Poteſtate. auerſa Romam ſedentem cum victoriola & haſta, addita eadem epigraphe: COnSuli V. Patri Patriæ S. P. Q. R. OPTIMO PRINCipi. Hunc numum inter argentea gazæ Farneſianæ numiſmata deſcripſit Cl. Pedruſius.

I. Cæſari in argento T. II. p. 399. Tab. XXIX. n. 1.

§. XI.

De numo Antonini Pii cum trib. pot. bis notata.

Eiusdem rei aliud exemplum præbet numus gazæ noſtræ cum vultu Antonini Pii, cuius mentionem a quoquam fieri non memini.



Antonini capiti laurea cincto adiecta eſt inſcriptio: ANTONINVS AVGuſtus PIVS Pater Patriæ TRibunitia Poteſtate XV. Sed eiusdem Tribunitiæ poteſtatis mentio recurrit in auerſæ partis, cui Veſtalis virgo cum lampade in dextra, & Palladio in ſiniſtra inſculpta eſt,

eſt, inſcriptione: TRibunitia Poteſtate XV. COnSul IIII. Hic ſi myſteria venari placeat, ne tritæ antiquariorum, qui confuſas aliquando numorum paginas ſtatuunt, ſemitæ neceſſe ſit inſiſtere, poſſit fortaſſe ſtatui ex celeberrimi Harduini ſententia, duplicem hic tribunitiam poteſtatem, alteram in ciuilibus, alteram, potiorem nempe, in exercitu, diſtinčte denotari, vno eodemque tempore delatam Antonino, atque vna eademque inde ratione numeratam, contra quam, iudice eodem, ab Hadriano & M. Aurelio factum eſt. Proſtant enim Hadriani numi cum inſcriptione auerſæ partis $\frac{SC}{AB}$ & $\frac{SC}{EM}$ quos de duplici hac Tribunitia poteſtate diuerſis annis accepta interpretari libuit viro, quem laudaui, ingenii & doctrinæ laude hodie florentiſſimo, qui & M. Aurelii numum perrarum, quem Ill. Spanhemius edidit cum inſcriptione: TRIB. POT. VII TRIB. POT. VIII. S. C. eodem trahit, eoque duplicem hanc tribunitiam poteſtatem deſignari arbitratur. Sed miſſo hoc eruditiſſimi viri, ſed paradoxis nimio plus opinionibus, vt conſtat, tribuentis, commento, e Plinii verbis minus recte intellectis nato, quod Ill. Spanhemius confutauit, in eandem de permiſtis numorum diuerſorum partibus ſententiam diſcedo. Ac ne quis, ſine ratione id a me fieri, temere ſuſpicari poſſit, ſubiungo delineationem numi eiusdem cum congrua ſibi parte auerſa.

Hiſtor. Aug. Opp. Sell. p. 699. p. 756. 744.

T. II. p. 432.

L. c. p. 430. ſqq.



Veſta ſeu Veſtalis potius virgo ſæpenumero in Antonini Pii numis expreſſa occurrit. Veſtalium virginum originem apud Romanos magno conſenſu ſcriptores Numæ Pompilio tribuunt. Audiamus Liuium: „ Virgines Veſtæ legit Numa, Alba oriundum ſacerdotium & genti „ conditoris haud alienum. His vt aſſiduæ templi antiſtites eſſent, „ ſtipendium de publico conſtituit; virginitate aliisque cerimoniis ve„ nerabiles ac ſanctas fecit". At Numam in Antonino noſtro reuixiſſe ſibi perſuadebant Romani, vnde Spartianus, *rite eum comparari Numæ; eius enim felicitatem pietatemque & ſecuritatem ceremoniasque ſemper obtinuiſſe.* Igitur non mirum vel hanc ob cauſam typum Veſtalis virginis frequentius in numis eius, tanquam alterius Numæ, exhiberi.

Lib. I. c. 20.

c. 13. conf. Dion. Excerpt. p. 800.

§. XII.

Græcum L. Veri numum argenteum Cl. Vaillantius, & ex eo, vt veroſimile eſt, celeberr. Harduinus producunt, qui an ita reperiatur alicubi, vt deſcriptum eum dedere, equidem neſcio. In auerſa enim parte legi aiunt: ΥΠΕΡ ΝΙΚΗϹ ΚΥΡΙΩΝ ϹΕ. ibique expreſſam eſſe Palladem galeatam ſtantem, dextra extenſa telum vel haſtam, vt tradit Harduinus, ſiniſtra clypeum tenentem. In gemino certe, quem theſaurus Fride-

De numo Græco L. Veri. Numiſm. præf. p. 186. Hiſt. Aug. p. 779.

Fridericianus ſeruat, haud paulo aliter ſe res habet, quod, vt pateat, iconem eius ſubiungo.



In aduerſa equidem parte nihil diſcriminis obſerues. Caput L. Veri laurea cinctum, perinde atque apud viros laudatos, inſcriptionem præfert: ΑΥΤοκράτωρ Καίσαρ Λυκι⊙ ΑΥΡήλι⊙ ΟΥΗΡΟC CEBας⊙. h. e. *Imperator Cæſar Lucius Aurelius Verus Auguſtus.* Verum in auerſa Minerua nulla, quæ dextra telum ſiniſtra clypeum geſtet, ſed mulier ſtolata, cuius in dextra globus, in ſiniſtra cornucopiæ cernitur. Eam
Tab. LVI. p. 339. FELICITATEM interpretor ex numo Antonini Pii apud Oiſelium, in quo ſimili figuræ ſtolatæ dextra globum, ſiniſtra cornucopiæ tenenti addita eſt inſcriptio: FELICITATI AVG. COS. IIII. Epigraphe autem præſentis numi non eſt: ΥΠΕΡ ΝΙΚΗC ΚΥΡΙΩΝ CE, ſed addito articulo & voce CE plenius ſcripta: ΥΠΕΡ ΝΙΚΗC ΤΩΝ ΚΥΡΙΩΝ CEBACτων, h. e. *Propter victoriam Dominorum Auguſto-*
L. c. *rum*, vel vt Viri celeberrimi Vaillantius, Harduinus, & Spanhemius
L. c. Spanh. T. II. p. 483. ſq. vertunt: PRO VICTORIA *Dominorum Auguſtorum.* Similis M.
Vaill. T. II. p. 180. Aurelii extat cum inſcriptione: ΥΠΕΡ ΝΙΚΗC ΡΩΜΑΙΩΝ; ſimiles
p. 182. ſq. Fauſtinæ iunioris, vxoris eius, cum inſcriptione eadem &: ΥΠΕΡ ΝΙΚΗC
L. c. ΤΩΝ CEBAC. ſimiles & Lucillæ L. Veri coniugis, ſi Ill. Spanhemio fides, qui in ſingularibus L. Veri & Lucillæ numis legi ait: ΥΠΕR ΝΙΚΗC ΤΩΝ ΚΥΡΙΩΝ ΣΕΒ. Sed cum ea de re ad Vaillantium prouocet vir illuſtris, neque is tamen eiusmodi Lucillæ numum recenſeat, haud ſcio, an ſtare hac ex parte viri tanti auctoritate liceat, quem veroſimile eſt de Aurelio & Fauſtina cogitantem, Veri & Lucillæ numos errore feſtinantis calami non magno confudiſſe. Vno autem tempore videntur percuſſi hi numi, anſam præbente victoria Parthica, triumpho-
T. I. p. 16. que inde acto, quem ad annum vrbis DCCCCXIX referunt Pa-
Hiſt. des Emper. T. II. p. 593. gius & Tillemontius. De eo triumpho Capitolinus: „ Habuit hanc
c. 8. „ reuerentiam Marci Verus, vt nomina quæ ſibi delata fuerant, cum „ fratre communicaret die triumphi, *quem pariter celebrarunt*". Qui triumphum pariter celebrarunt, iis quoque victoria coniunctim tribuitur; Appellatur enim ΝΙΚΗ ΤΩΝ ΚΥΡΙΩΝ CEBACτων, ipſi vero ΚΥΡΙΟΙ, *Domini*, qua de voce lectu digniſſima ſunt verba Ill. Span-
L. c. hemii: „ Sub Hadriano ac Antoninis nuſpiam in antiquis auctorum, „ lapidum, numorumue monumentis conceſſus iis (Romanis Imperatoribus) „ aut ab iis ambitus DOMINI titulus comparet. Quan- „ quam, vt hoc moneam, non ΔΕΣΠΟΤΟΥ quidem, ſed ΚΥΡΙΟΥ „ nomen legatur in ſingularibus L. Veri ac Lucillæ, coniugis eius, „ numis, ΥΠΕΡ ΝΙΚΗC ΤΩΝ ΚΥΡΙΩΝ CE, *pro Victoria Dominorum* „ *noſtrorum Auguſtorum*, quod nempe κύρι⊙ vulgo a Græcis diceretur „ non de domino, ſeu hero reſpectu ad ſeruos, ſed de eo, qui ſui

„ iuris,

„ iuris, ſeu de patre, tutore &c. reſpectu ad liberos ſeu ingenuos,
„ qui ſunt ſub alterius poteſtate".

§. XIII.

Decennalia Seuerum Imperatorem A. V. C. DCCCCLVI. qui Chriſti eſt CCIII. celebraſſe viris doctiſſimis, Norriſio & Pagio, perſuaſum eſt. Id probant ex numo apud Occonem, in quo hinc L. SEPTIMIVS SEVERVS PERT. AVG. illinc VOT. SVSC. DEC. P. M. TR. P. XI. COS. III. P. P. legi aiunt, in quo tamen exſcribendo & leuiculum in voce SEPTIMIVS, per compendium SEPT. expreſſa apud Occonem, admiſerunt errorem, & prætermiſerunt litteras P. M. IMP. XI. inſcriptioni partis aduerſæ additas. At ſimillimum cum TR. P. X. ex muſeo plur. reuer. Chamillardi ita deſcribit Cl. Harduinus: „ L. SEPT. SEVERVS PERT. „ AVG. P. M. IMP. XI. capite laureato. VOT. SVSC. DEC. „ *Vota ſuſcepta decennalia* P. M. TR. P. X. COS. III. P. P. Ipſe „ velatus ſacrificat ante aram. Argenteus apud. P. CHAMILLARD, „ cuſus hoc anno ante natalem vrbis". Annon igitur fortaſſe credi poſſit, aberratum eſſe in numero Tribunitiæ poteſtatis apud Occonem, maxime cum alius præterea numus in gaza noſtra reperiatur, in quo eadem decennalia Seueri TR. P. X. eiusdem aſſignantur. Eius delineationem hoc loco ſubiectam non inuiti, vt ſpero, lectores ſpectabunt.

De numo Seueri. Diſſ. de Vot. Decenn. inſert. Theſ. nou. Antiqu. T. I. c. IV. p. 474. ſq. Diſſ. Hypat. p. 223. p. 355. L. c. p. 803.



Capiti laureato Seueri non adſcriptum eſt, niſi: SEVERVS PIVS AVG*uſtus*. In auerſa parte inſcriptio prorſus eadem, atque in numo cimeliarchii Chamillardei: VOT*a* SVSC*epta* DEC*ennalia* P*ontifex* M*aximus* TR*ibunitia* P*oteſtate* X. CO*n*S*ul*. III. P*ater* P*atriæ*. Sed Imperator velatus cum patera ante tripodem expreſſus cernitur. Hos numos ſi ob oculos habeamus, non erit iam quod torqueat nos explicatio verborum Dionis apud Xiphilinum, quando narrat, Seuerum ἐπὶ τῆς δεκαετηρίδος τῆς ἀρχῆς αὐτοῦ, *in ipſo decennio imperii ſui*, vel, vt vertit interpres, *poſtquam attigit decennium imperii ſui, tam plebi vniuerſæ, quæ annonam accipiebat e publico, quam militibus prætorianis tot aureos, quot imperauerat annos, dediſſe.* Ad quæ verba Dionis ita Norriſius: „ Videtur ſignificare Seuerum non exacto decennio, vt moris fuerat, „ ſed eodem ineunte decennalia dediſſe" putatque inde voces: ἐπὶ τῆς δεκαετηρίδος τῆς ἀρχῆς interpretandas eſſe: *circa decennium ſui principatus.* Quæ interpretatio longius quidem, vt facile apparet, petita eſt, vnde non immerito aliam ei, nempe annos quosdam ante decennalia elapſos, ſiue eſſent nouem, ſiue decem, ſiue vndecim, decennii aut decenna-

p. 859. L. c.

 cenna-

L. c. cennaliorum nomine venisse, Pagius substituit, cum iam ante probatum dedisset, decennalia & id genus festa modo exeunte decennio, modo ineunte nouo, celebrata ab Romanis Imperatoribus fuisse. Quod vt largiar viro singularis doctrinæ & indefessi in hoc argumento pertractando studii, certum tamen, strictiori vocis δεκαετηρὶδος significationi inhærentes sententiam suam numorum supra adductorum præsidio facile tueri posse, neque id inuito Pagio. Anno enim vrbis ΙϽCCCCLV, Crit. T. I. p. 184. conf. 189. quo Idibus Aprilis, vt docet Pagius, Tribunitiam potestatem X. suscepit Seuerus, consulatum inierat vna cum filio Antonino Caracalla. At hæc solennia post Commodum Imperatorem de more cum trabea Diss. Hypat. p. 99. consulari acta contendit vir doctissimus. Et fatetur ab vtroque, parente nempe & filio, consulatum susceptum propter Seueri decennalia & imperii Augustei Caracallæ quinquennalia, tametsi vtraque in annum sequentem dilata sibi persuadet, idque ipsum de Seuero saltem Crit. T. I. p. 193. Differt. de Vot. Decenn. c. 4. l. c. negari non posse arbitratur. Sed obiicit Ill. Norrisius, Kalendis Iuniis, cum decimum imperii annum auspicaretur Seuerus, procul eum ab vrbe abfuisse. Quod largiendum sane; nam Seuerus eo anno in Syria inierat consulatum, atque inde per Palæstinam in Aegyptum iter susceperat, vnde ipso natali imperii, hoc est Idibus Aprilis, non Iuniis, quem errorem reuicit Pagius, A. V. ΙϽCCCCLV. Decennalia, p. 90. peragere haud potuit. At docuit idem Pagius solennia hæc cum ipso natali die imperii sui perpetuo haud coniunxisse Imperatores, sed aliquando in similem alterius mensis diem transtulisse, adeo vt Seuerus Idibus Aprilis admotus imperio, quod ea die ac mense decennalia celebrare non posset, Idibus alterius mensis ea peregisse videatur. Id certe conuincit numus thesauri nostri, perinde atque ille ex gaza Chamillardea, vero consentaneum haud esse, quod affirmat Norrisius „ anno CCIII. æreæ nostræ Kal. Iunii *decimo imperii anno exacto ineuntem tribunitiam potestatem vndecimam*, decennalia egisse".

§. XIV.

De eodem plura. Ceterum ex numis his cum Occoniano, in quo vota decennalia Seueri cum tribunitia potestate vndecima coniuncta cernuntur, collatis potiori fortassis iure eruditissimus Pagius, bina quæ finxit, atque, inde duplicem imperii Seueriani epocham se detexisse credidit, alteram deL. c. p. 222. sumtam a tempore, quo, viuo adhuc Iuliano, a Germanicis legionibus imperator est appellatus, alteram a morte Iuliani, decennalia stabilire potuisset, quandoquidem infirmis ceteroqui ad probanda priora, ad annum vrbis ΙϽCCCCLIV, Seueri nonum, reiicit, atque vno anno Diss. Hypat. p. 222. anticipata arbitratur, rationibus omnino vtitur. Opera, ad quæ prouocat, publica, thermæ Seuerianæ, & Septizonium signum decennalium per se haberi non possunt. Numi autem Occonis rem tanto minus conficiunt quanto certius est, alterum velut obtorto huc trahi collo, alterum autem non optima fide describi. Quod enim ad priorem attinet, si tropeum cum captiuis, quod in numo TR. P. VIIII. notato expressum occurrit, decennalia prodit, nimis sæpe iam statuendum erit Imperatores ea celebrasse, cum typo eo vix frequentiorem numi præferant. „ Sed validior, inquit, probatio, quæ ex altero numo

„ eadem

„ eadem tribunitia poteſtate nona, quam hoc anno iniit Seuerus notato deſumitur; in eius enim auerſa parte legitur: VOTA SVSCEPTA XX. cerniturque figura ſtolata & velata ſtans, dextra pateram coram ara accenſa aut tripode tenens". Hic ſibi admodum familiari errore ex duabus paginis auerſis prima ac tertia apud Occonem, vni aduerſæ: SEVERVS PIVS AVG. ſubiunctis, numum nobis conflauit vir doctiſſimus, qui nuſquam reperitur. Humani ſe aliquid ea in re paſſum ipſe, prout ſuperioribus iam ſcriptis vidi, ingenue agnouit in opere præclaro, quo Cæſaris Baronii purpurati παροράματα ſibi caſtiganda non minori ſucceſſu, quam animo ſumſit. „ In diſſ. inquit, Hypat. p. 222. ex numo Seueri inſcripto Trib. Pot. IX. in poſtica Vota ſuſcepta X. (ſcribere voluit XX.) intuli, Seuerum duo decennalia aliaque id genus feſta edidiſſe, alia deducta ab eo tempore, quo ab exercitu, viuente adhuc Didio Iuliano, dictus eſt Imperator, alia ab eo, quo eidem ſucceſſit; ſed certum eſt, Seuerum vnica decennalia celebraſſe, meque nimis feſtinanter ſcribentem auerſam illam numi partem ad aliam anticam pertinentem male coniunxiſſe: de quo monendus fuit lector, vt errorem illum caueat". Numum, ad quem offendit vir ceteroqui nunquam ſatis laudandus, gaza noſtra ſeruat, vnde delineationem eius ſubiungo.

P. 353.
T. I. p. 192.



Aduerſa in parte caput Seueri laureatum cum inſcriptione: SEVERVS PIVS AVG. in auerſa figura velata cum patera ſtans coram tripode, cum litteris: VOTA SVSCEPTA XX. Ad eadem decennalia Seueri, de quibus ſupra, hunc numum refert Mediobarbus. Sed pertinere videtur ad quindecennalia Seueri, quo vicennalia vota ſuſcepit, vt in decennalibus altera decennalia, prout ex numis ſupra adductis intelligitur. De illis Pagius ſæpius laudatus ad annum vrbis ıɔccccLx „ Videtur Seuerus hoc anno quindecennalia celebraſſe, ob eaque ſolennia Imp. XX. appellatus eſſe, quando iniit Tribunitiam Pot. XV. vt videre eſt in numis & inſcriptionibus ea tribunitia poteſtate notatis. Mediobarbus in Numiſmatis Impp. p. 277. ait, Seuerum hunc titulum multiplicaſſe propter victorias Britannicas per duces reportatas. Sed licet verum ſit per hæc tempora bellum in Britannia geſtum, vt docet Dio Lib. 76. & propter victorias, Imperatoris titulum de more auctum, ſuſpicor tamen Seuerum cum Tribunitia Pot. VI. titulum Imperatoris XI, ob Quinquennalia, & titulum Imperatoris XII. propter Decennalia (vel quindecennalia) ſuſcepiſſe. Et ratio eſt, quia intra illud quinquennium (vel decennium) multas victorias retulit, nec titulum multiplicauit & poſt currentem annum, Caledonios, aliosque Barbaros in Britannia vicit, indeque Britannicus dictus eſt, nec tamen nomen Imperatoris XIII. in Nu-

P. 275.
L. c. p. 197.

„ mis eius & Inſcriptionibus legitur". Hactenus vir doctiſſimus, cui nemo facile aſſentietur, vt puto, ob quinquennalia & decennalia potius, quam rem benegeſtam Seuero Imperatoris XI. & XII. titulum datum eſſe. Vt enim appellationem hanc iterarent Imperatores Romani, non ſatis noua victoria erat, ſi partam eam vno eodemque bello conſtaret. Hinc de Claudio Imperatore, qui ex pluribus eiusdem belli
Lib. LX. p. 679. victoriis nouam eum titulum multiplicandi anſam captabat, Dio notat, præter morem Romanorum id factum eſſe. Οὐ γὰρ ἔστιν, inquit, ἐν οὐδενὶ πλέον ἢ ἅπαξ ἐκ τοῦ αὐτοῦ πολέμου τὴν ἐπίκλησιν ταύτην λαβεῖν h. e. *neque enim vlli licet plus quam ſemel eodem bello hanc appellationem aſſumere.* Tametſi igitur vel maxime dederimus Cl. Pagio, intra tempus illud, quo quinquennalia celebrauit Seuerus, vsque ad quindecennalia poſteaque victorias plures reportatas ei eſſe, probandum tamen fuerat, plurium eas diuerſorumque bellorum fuiſſe, antequam inde inferret, aliam potius ob cauſam, quam ob partam bello victoriam Imperatoris titulum Seuero iteratum fuiſſe.

§. XV.

De numo Caracallæ. Seuer. c. 15. De Seuero Spartianus: „ Cum Antiochiam tranſiiſſet, data virili „ toga maiori filio, ſecum eum conſulem deſignauit, & ſtatim in „ Syria conſulatum inierunt". Deſignati COS Antonini, filii Seueri natu maioris memoriam ſeruat numus apud Mediobarbum ex Occone,
Crit. Annal. Baron. T. I. p. 188. quem citat Pagius ex eoque demonſtrat A. V. DCCCCLI. Antoninum hunc, quem Caracallam vulgo appellant, Auguſtum appellatum eique tribunitiam poteſtatem confirmatam eſſe. In eo: M. AVREL. ANTONINVS PIVS AVG. PONTIF. || TR. P. IIII. COS. DES. Deſignatum vero conſulem, quod ait Spartianus, ſtatim conſulatum iniiſſe, probant itidem numi, in quibus, eadem tribunitia poteſtate notatis Caracalla COS. appellatur. Aureum vnum huius ge-
p. 286. neris ex Occone ſiſtit Mediobarbus, cui ſequentem argenteum ex gaza noſtra iungas licet.



Capiti laureato Antonini Caracallæ addita eſt inſcriptio: ANTONINVS AVGVSTVS. Auerſa pars exhibet figuram velatam, ſtantem ad tripodem cum patera. Epigraphe: P*arthicus* MAX*imus* TR*ibunitia* P*oteſtate* IIII. CO*n*S*ul.* Vbi quod ad priores voces attinet, mirari ſubit Mediobarbum, qui tametſi norat, Caracallam iam ab A. V. DCCCCLIV PARTHICVM MAXIMVM dictum, docentibus id luculenter numis, in quibus toties PARTH. MAX. ni-
p. 288. hilominus hæſit ad A. V. DCCCCLX in explicando numo argenteo, vbi legitur P. M. TR. P. X. COS. II. P. P. ad quem hæc notat:

notat: „ Hoc anno Antoninus non erat P. M. ſed tantum Pontifex „ (viuebat enim pater Seuerus) quod etiam aliis numis poteſt probari, „ vnde aut error ſcribentis, aut numus fictus". Sed vero, vt recte in numo noſtro P. MAX. h. e. P*arthicus* MAX*imus*, ita & P. M. eodem ſenſu ſcribi potuit, tametſi eæ litteræ alias *Pontificem Maximum* deſignant. Simili errore Cl. Vir Antonius van Dalen litteras PONT. MAX. in inſcriptione apud Gruterum: Diſſ. de Oracul. p. 155. p. CLXIV. n. 5.

D. N. CAESAR IVSTINVS P. SAL. PIVS
FELIX VICTOR AC TRIVMPHATOR
SEMPER AVG. PONT. MAX. FRANC.
MAX. GOTTH. MAX. VANDALIC. MAX. &c.

interpretatus eſt PONT*ifex* MAX*imus*, quam interpretationem calculo ſuo Cl. Pagius comprobauit. Sed & obſeruarunt pridem doctiſſimi viri, & ſequentia id manifeſtum reddunt, legendum ibi eſſe PONT*icus* MAX*imus*, FRANC*ius* MAX*imus*, GOTTH*icus* MAX*imus*, VANDALIC*us* MAX*imus*, fruſtraque inde colligere Antonium van Dalen, Imperatores Chriſtianos ſexto adhuc ſeculo, quo Iuſtinus ſenior, cuius eſt inſcriptio, imperauit, titulo PONT*ificis* MAX*imi* vſos. Typus figuræ ſtolatæ, coram tripode ſacra facientis, in numis, quibus decennalia vota inſculpta, obuius ad quinquennalia imperii Cæſarei Caracallæ referri poſſit, niſi ea Pagius anno vrbis DCCCCIV. adſignaret, motus auctoritate Spartiani, quem tamen ipſam Caracallæ nuncupationem Augusteam cum imperii eius Cæſarei quinquennalibus confudiſſe ſibi perſuadet. Illo enim anno COS. DES. tantum fuit non COS. Caracalla, prout in numo præſenti appellatur, vnde, ſi Pagii calculo ſtandum, Cæſarea hæc quinquennalia ſane in numum hunc minus quadrant. T. I. p. 363. V. Spanh. T. II. p. 416. L. c. p. 191.

§. XVI.

Sed de his quinquennalibus Caracallæ Cæſareis alii viderint. De eiusdem quinquennalibus Augusteis, iam porro diſpiciendum, anſam præbente numo optimæ notæ, qui inter alios longe plurimos Caracallæ numos, quos theſaurus noſter complectitur, hoc loco ſe mihi offert. In eo ſi gratis illa quærere fortaſſe videar, auctoritate Cl. Pagii me facile tuebor. Is ex Commodi numo, cuius auerſa in parte legitur: VOTA DECENN. SVSC. TR. P. VI. IMP. IIII. COS. III. P. P. S. C. Imperii Proconſularis quinquennalia a Commodo exhibita, ex alio, cuius in auerſa inſcriptio: VOTA DECENN. SVSC. TR. P. VIII. IMP. VI. COS. IIII. P. P. S. C. quinquennalia imperii poſt mortem patris initi demonſtrat, obſeruatque in his numis *Vota Decennalia ſuſcepta* legi, quia in quinquennalibus Vota Decennalia nuncupabantur, & quinto poſt anno, nempe in decennalium feſto ſoluebantur. Eius exemplo & quinquennalia imperii Auguſtei a Caracalla exhibita, peractorumque eorum tempus, ex numo ſequenti gazæ noſtræ, iure colligere mihi poſſe videor. *De numo alio eiusdem.* L. c. p. 177. ſeq. conf. Hypat. p. 153. ſqq. Diſſ. Hypat. p. 154. ſeq.

Caput



Caput Antonini Caracallæ laureatum comparet cum inſcriptione: ANTONINVS PIVS AV G*uſtus*. In auerſa parte idem typus, qui in ſuperioribus, & epigraphe: VOT*a* SVS*Cepta* DE*Cennalia* PONT*ifex* TR*ibunitia* P*oteſtate*. V. CO*nSul*. Huius numi beneficio, duo, vt arbitror, docemur. Alterum eſt, vero conſentaneum non eſſe, quod

Critic. T. I. p. 182. „ Cl. Pagius affirmat, a Commodo inde vſque ad Conſtantini M. „ tempora, quinquennalia & quindecennalia in numis non expreſſa; „ & quando in iis ſculpta, non tantum tribunitiam poteſtatem, ſed „ & conſulatum, vt plurimum, prætermiſſum eſſe". Aut enim in numis Commodi, de quibus ſupra, quinquennalia expreſſa neget, aut eadem in hoc Caracallæ numo, qui iis omni ex parte ſimilis, eadem agnoſcat vir doctiſſimus, neceſſe eſt. Alterum de tempore quinquennalium Auguſtei imperii a Caracalla celebratorum. Eodemne anno, quo conſulatum Caracalla geſſit h. e. A. V. ıɔccccLV, illa peregerit, tametſi id veroſimile videtur, pro certo affirmare non auſim. Tribunitia enim poteſtas V. Caracallæ poſt Idus Aprilis A. V. DCCCCLVI. demum finita eſt, & adiecta COS. appellatio, non arguit, numum ad eum annum pertinere, quo conſulatum adiit, nempe DCCCCLV. COS. enim ſcribi ſequenti etiam anno potuit, perinde atque COS. II. in numis dicitur A. V. DCCCCLIX. cuſis, qui ſuperiori anno conſulatum alterum geſſerat. Id tamen cum numus aperte loquatur, peracta illa quinquennalia fuiſſe, cum tribunitiam poteſtatem V ageret

Crit. T. I. p. 195. Caracalla, patet ſane, huc non pertinere numum, quem Cl. Pagius ex Mediobarbo producit inſcriptum: ANTONINVS AVG. PONT. TR. P. VI. & in poſteriori parte: INDVLGENTIA AVG. IN CARTH. S. C. Aereum eum ex Muſeo ſuo laudat Mediobarbus.


p. 287. In theſauro Fridericiano geminus, quem ille ignorauit, extat argenteus, in quo hinc caput Antonini Caracallæ laureatum cernitur cum epigraphe: ANTONINVS PIVS AVG. illinc Dea cæleſtis Leoni in nubibus, vt videtur, decurrenti inſidens, quæ dextra fulmen, ſiniſtra haſtam geſtat. Inſcriptio: INDVLGENTIA AVG. Infra ſub leone: IN CARTH.

§. XVII.

De numo Traiani Decii. T. III. p. 127. Reperitur in gaza Farneſiana numus argenteus Traiani Decii, Paulo Pedruſio deſcriptus, cuius aduerſæ parti addita eſt inſcriptio, VERITAS AVG. „ Imagine ac præſidio Veritatis, inquit ille, numum „ explanaturus, tenorem vitæ ſuæ tuetur Decius Auguſtus. Siſtit eam „ figura ſiniſtra cornucopiæ tenens: quid eadem dextra geſtet, numo

„ ea

„ ea ex parte detrito, perſpici non poteſt". Quibus præmiſſis oſtendit, nullo ſibi iure Imperatorem mendacii ſtudioſiſſimum veritatis laudem arrogaſſe. Quod vt nemo ei non conceſſerit libenter, ita oſtendendum præterea erat, quo pacto typus figuræ cornucopiæ tenentis Veritati congruat, ſi ea quidem ſe Decius in numo hoc venditaret. Rectius doctiſſimus Bandurius, poſt breuem eiusdem deſcriptionem, de eo ita cenſet: „ Cum eadem epigraphe habetur numus ex argento Herenniæ „ Etruſcillæ, Decii vxoris, ex gaza regia, in quo typus idem, dex- „ traque tenet mulier crumenam, qui ſane typus Vbertati optime „ conuenit, & non dubito, quin vtrobique pro VERITAS AVG. „ legendum ſit VBERITAS AVG. Mendum quippe eſſe mone- „ tarii typus ipſe arguit: numus tamen ſingularis". Sed quid vetat numum ipſum, quem gaza noſtra longe integerrimum ſeruat, exhibere. Numiſm. Imp. T. I. p. 7.



Capiti Decii corona radiata cincto adſcripta ſunt verba: IMP*erator* *Cnæus* M*eſſius* *Quintus* TRAIANVS DECIVS AVG*uſtus*: In auerſa mulier ſtolata dextra crumenam tenet, ſiniſtra cornucopiæ, cum inſcriptione: VERITAS AVG. Scriptum eſſe VERITAS AVG. pro VBERITAS AVG. ſi quis Cl. Bandurio rectiſſime id affirmanti fidem habere nolit, is numum eum cum ſequenti, ceteroqui minus raro, qui in theſauro noſtro & argenteus & aureus reperitur, contendat.



In eo vox VBERITAS cum eodem typo, quid VERITATIS vox in priori illo ſibi velit, neminem, vt puto, dubitare patietur. Mendum autem ſculptoris ortum fortaſſe a pronunciatione litterarum V & B minus diſtincta, qua easdem ſæpe confundebant, cuius rei exempla reperiuntur, non modo in lapidibus antiquis, vt ABE pro AVE. BIBAS pro VIVAS. BIXIT pro VIXIT. BIOLARE pro VIOLARE; & viciſſim ACERVO pro ACERBO, VENE MERENTI pro BENE MERENTI, ſed & in numis, vt Traiani argenteo, in quo pro DANVBIVS, DANVVIVS, & Theodoſii M. aureis, quos recenſet Cl. Bandurius, in quibus GLOR. ORVIS (pro ORBIS) TERRAR. & TERRARVM. VBERITAS autem, L. c. T. II. p. 507.

quod

quod in horum temporum numis haud raro occurrit, pro VBERTAS, dixere eadem ratione, qua LIBERITAS pro LIBERTAS, quod legitur in Gallieni & Quintilli ac Claudii Gothici etiam numis, T. II. p. 529. ſi Ill. Spanhemio fides habenda, tametſi ſub eo quidem Imperatore ſimilem nullum recenſet Cl. Bandurius.

§. XVIII.

De numo Delmatii. L. c. T. II. p. 327. Inter numiſmata ærea Delmatii Cæſaris tertiæ magnitudinis primo ſtatim loco Cl. Bandurius refert ſequentem: „ FL. DELMATIVS „ NOB. CAES. Caput Delmatii || DELMATIVS CAESAR. „ Victoria cum corona MB". Cui deſcriptioni ſubiungit more ſuo ad marginem inferiorem paginæ: „ Numum hunc rariſſimum, imo „ ſingularem, Mediobarbus exſcripſit e Spanhemio, qui in theſauro „ Chriſtinæ Suecorum reginæ aſſeruatum prodit. Numus propemodum ſimilis Criſpo cuſus olim fuerat, ob victorias de Francis & A- „ lamannis: haud dubium vero, quin victoria de Calocero hic prædi- „ cetur, quem ante annum, quam Cæſar crearetur, Delmatius nouas „ res in inſula Cypro molientem oppreſſit". Hic certum omnino, numi huius indicium deberi Ill. Spanhemio, qui eum vtique in prioribus præſtantiſſimi Operis ſui editionibus, aut certe Amſtelodamenſi p. 601. commemorauit; nam primam conferre mihi non licuit. In poſtrema T. II. p. 267. tamen fruſtra eundem quæſieris, vbi eo loco nihil aliud, niſi Delmatii & Hannibaliani numos a præſtantibus antiquariis iam deſcriptos eſſe, ſcriptum reliquit vir ſummus, quod, quo conſilio factum ab eo ſit, alii fortaſſe rectius diuinabunt; mihi quidem id ipſum ſuſpicionem de numo eo haud leuem iniicit. Sed quoquo modo res habet, id miror, vnde Mediobarbus & cum eo Cl. Bandurius didicerint, æreum eum eſſe, cum metalli, ex quo conflatus eſt, vir Ill. mentionem prorſus nullam fecerit. Non ſane æreum, ſed argenteum ſimilem theſaurus noſter ſeruat, quem vt fidem dictis faciam, delineatum ſubiicio.




Capiti Delmatii laurea, vt videtur, cincto, inſcriptio nulla adiecta cernitur, tametſi in ſuo legit Spanhemius: FL. DELMATIVS NOB. CAESAR. Quæ inſcriptio, ſi aderat aduerſa in parte, vix patet, cur eadem prope in auerſa iteraretur, in qua Victoria dextrorſum greſſum ferens, cum epigraphe: DELMATIVS CAESAR. Sed de numo Spanhemiano viderit Cl. Bandurius, qui Mediobarbum ſecutus eum operi ſuo intexuit, quod non feciſſet, vt puto, ſi nouiſſimam Spanhemii de Vſu & Præſtantia Numiſmatum editionem conſuluiſſet. In noſtro area inferior litteras præterea tres exhibet, ſed ita exeſas iniuria

iuria temporum, vt quænam illæ ſint, præter primam C dignoſcere non liceat. Victoriam in numo ſignatam ad eam referendam eſſe, quam Delmatius de Calocero, Cypri tyranno, reportauit, nemo non aſſentietur Cl. Bandurio, &, qui id prius notauerat, Mediobarbo, quando ſcriptores nullius alius, auſpiciis illius partæ, meminerunt.

§. XIX.

Mauricii Tiberii argenteos numos haud recenſet Cl. Bandurius, quod vt indicio eſt, inter rariſſimos eos eſſe numerandos, ita non malam ab harum rerum ſtudioſis gratiam me initurum confido, ſi ex theſauro noſtro ſequentem protulero. *De numo Mauricii Tiberii.*



Caput aduerſæ partis a fronte expreſſum eſt ad pectus vsque cum paludamento, galea & corona ex margaritis, ac gemmis cinctum, dextra globum tenente, cui aquila inſiſtit. Inſcriptio, exeſa ex parte, ſeruat litteras . . . . . TIB*erius* P*er*P*etuus* AVG*uſtus*. Auerſa in parte figura muliebris galeata ac ſtolata, vultu dextrorſum conuerſo ſedens in cathedra, globum dextra, ſiniſtra haſtam tenens, cum litteris: VIRTVS ROMANORVM, & infra MDPS. Qui leuiter numum inſpexerint, mirabuntur fortaſſe, cur Mauricio Tiberio numum adſcripſerim, cum Mauricii vox in numo haud legatur, deinde non deſint Tiberii in hoc æuo, quibus tribui poſſit. Ex iis primo ſtatim loco ſuccurrit Tiberius Conſtantinus, Thrax, qui Iuſtino iuniori ſucceſſit, quem aliquando vno Tiberii nomine appellari, numi apud Cl. Bandurium docent. Vt alios deinde taceam hoc nomine, quibus adhuc numos nullos antiquarii tribuere, etiam tertium Conſtantis, Heraclii nepotis, filium, Conſtantini Pogonati fratrem, cui numum aureum gazæ Brandenburgicæ, ſed peſſimo, vt Cl. Bandurius obſeruat, conſilio, adſignat Begerus, non eo tantum nomine notandus, ſed etiam quod affirmat, numum illum gazæ Brandenburgicæ a Cl. du Freſne Tiberio Conſtantino Thraci tribui, quod non eſt, ſupereſt Tiberius Abſimarus, qui eundem ſibi numum, fortaſſe ex ſententia eorum, qui minus attente eum contemplabuntur, vindicauerit. Sed cum manifeſtum ſit, litteras adfuiſſe a parte dextra capitis, quænam aliæ illæ eſſe poſſint, niſi DN. MAVRI*cius*, vt integra inſcriptione legatur: DN. MAVRI*cius* TI*berius* P*er*P*etuus* AVG*uſtus*? Accedit vultus ſimilitudo, quæ, quo numus referendus ſit, neminem dubitare ſinit. Cedrenus Mauricium Tiberium, ita enim ſe ſcribi in tabulis iuſſit, teſte eodem Cedreno, cum vulgo Mauricius tantum appelletur, ſtatura fuiſſe mediocri, robuſtum, album, facie rotunda, ſubraſum, recaluaſtrum, naſo & barba mediocri, & barbam Romano more totondiſſe, refert. *T. II. p. 658.* *T. II. p. 698.* *T. I. p. 857.* *T. I. p. 394.*

 Faciem

Faciem quidem eius rotundam nasum & barbam mediocrem aut omnino nullam, quando eam Romano more totondit, numus manifeste exhibet. In aliis eius numis VICTORIA AVGG. prædicatur, quam duces eius multiplicem a Persis, Mauris atque Arabibus reportarunt. VICTORIA VIRTVTEM ROMANORVM loquitur, quam præsens numus extollit. Inscriptio hæc cum typo Virtutis sedentis dextraque globum tenentis, sinistra hastam, iam ante Mauritium Tiberium occurrit in numis Gratiani, Valentiniani, Theodosii M. & Maximi. In posterioribus & area litteras præ se fert, quæ in nostro conspiciuntur MDPS. Eas M*e*D*iomatrici* P*ermissu* S*enatus* interpretatur Cl. Harduinus.

Numism. Sec. Const. Opp. Sell. p. 438.

§. XX.

De numo Tiberii Absimari itemque alio Filepici.

Tiberii Absimari & Filepici numos, quod inter auersas partes nihil magnopere discriminis intercedit, coniunctim propono.



Vtriusque caput stemmate cinctum crucigero, sed Tiberius dextra spiculum, sinistra clypeum gestat, Filepicus habitu consulari insignis dextra globum crucigerum tenet, sinistra sceptrum, cui aquila insistit. Inscriptio ibi: D*ominus* TIBERIVS P*ater* P*atriæ*, hic D*ominus* N*oster* FILEPPICVS. . . VS AN. In auersa parte vtrinque crux gradibus insistens. Epigraphe in priori: VICTORIA AVGV*sti* CONOB, in altero: VICTORIA AVGV*sti* Z CONOB. Tiberii Absimari numus referri potest ad eam victoriam, de qua Cedrenus: T. I. p. 444. Οἱ Ῥωμαῖοι κατέδραμον Συρίας ἕως Σαμοσάτου, καὶ προνομεύσαντες τὴν πέριξ χώραν, ἀπέκτειναν (ὥς φασι) χιλιάδας διακοσίας Ἀράβων, πλεῖστά τε σκῦλα καὶ αἰχμαλωσίαν πολλὴν λαβόντες ὑπέστρεψαν, φόβον μέγαν ἐμποιήσαντες αὐτοῖς h. e. vt vertit interpres: *Romani Syriam ad Samosata vsque peruagati, vicinasque regiones populati ad millia (vt fertur) ducenta Arabum interfecerunt: spoliisque & præda amplissima potiti, magno sui metu excitato reuerterunt.* Sed & alibi sub Imperatore hoc res feliciter gesta auspiciis fratris Heraclii, cui rei militaris curam mandauerat, ita vt optimo iure VICTORIA AVGV*sti* numo potuerit inscribi. Non æque id licuit

Filepico,

Filepico, cuius nomen varie ſcriptum in numis reperitur, qui tantum abeſt, victoriam vt vllam reportarit, vt cladem acceperit non vnam. „ Sub eo enim, Zonara teſte, Bulgari Thraciam vniuerſam populati „ ad ipſam vſque vrbem incurſarunt omnia, magnaque præda & „ captiuis fere innumeris abductis domum ſe receperunt. Eodemque „ modo Agareni tractarunt Orientem". Hos numos aureos exhibuit Cl. Bandurius, qui argentei in theſauro noſtro reperiuntur, non fuſi, ſed percuſſi, probæque notæ. Litteræ CONOB, perinde atque in aureis adiectæ, dubiam omnino reddunt interpretationem Cl. Vaillantii, qui eas CON*flatum* OB*ryzum* interpretatur. Reſpondent tamen viri docti, ſimiles argenteos æreosue numos matricibus aureorum eſſe excuſos. Quod concedi fortaſſe poſſet, modo credibile ſatis videretur, vſos vnquam monetarios fuiſſe vna eademque matrice, ſi notas aureæ monetæ proprias inſculptas ſeruaret. Sed non vacat nunc litem excutere inter viros doctiſſimos Academiæ Gallicæ bonarum litterarum agitatam: Id fateor, non videri mihi diluiſſe omni ex parte Cl. Gallandium rationes, quibus Cl. Henrionius Vaillantii ſententiam oppugnauit.

T. II. p. 98.

T. II. p. 697. ſq.

v. Hiſtoire de l'Academ. des bell. lett. T. I. p. 314. ſqq.

§. XXI.

De numo ſingulari Baſilii II. & Conſtantini VII.

Finem huic capiti faciat rariſſimus Baſilii II. & Conſtantini VII. numus, quem fruſtra in præclaro opere Banduriano quæras, quippe in quo ſub his Imperatoribus argentei numi plane nulli commemorantur.



Anterior pars crucem variis crucibus minoribus lunaque creſcente ornatam gradibusque inſiſtentem, & vtrinque capita duo Imperatorum ad pectus vſque exhibet, ſtemmate crucigero cincta. Inſcriptio: EN TOYTω nIKATE BASILEI C CωnST, id quod interpretor: *In hoc vincite, Baſili & Conſtantine.* Poſteriori in parte hæc inſcriptio aream totam occupat: bASIL. C. CωnSTAn ΠORFYPOΓ ΠISTOI bAS, RωMAIω, h. e. *Baſilius & Conſtantinus Porphyrogeniti, fideles Imperatores Romanorum.* Baſilii duo Conſtantino iuncti in huius æui numis reperiuntur. Alter, cui Macedonis cognomen inditum, qui vt filium Conſtantinum in imperii ſocietatem vocauit, ita & nomen illius vna cum ſuo exhiberi in monimentis publicis, cuiusmodi & numi, iuſſit. Alter Baſilius II. Romani iunioris & Theophanonis filius, qui vna cum fratre Conſtantino VII. ita ſummæ rerum præfuit, vt ſibi præcipuam auctoritatem reſeruaret. His poſterioribus numum adſcribendum eſſe titulus Porphyrogeniti facile perſuadet, qui Baſilio Macedoni, obſcuris parentibus nato, eiusque filio tribui nullo modo poterat. Formula

En ΤΟΥΤῳ ΝΙΚΑΤΕ, quæ Latinis verbis: HOC SIGNO VICTOR ERIS, in Conſtantii numis primum occurrit, Græcis adhuc nullo fortaſſe in numo obſeruata eſt, ad crucem ſalutarem, Conſtantino M. conſpectam, reſpici, res peruulgata eſt. ΠΙΣΤΟΙ ΒΑΣιλεῖς appellantur Baſilius & Conſtantinus noſter, perinde, vt in inſcriptione apud Cl. Bandurium: ΠΥΡΓΟΣ ΒΑΣΙΛΕΙΟΥ ΚΑΙ ΚΩΝΣΤΑΝΤΙΝΟΥ ΠΙΣΤΩΝ ΕΝ ΧΩ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΩΝ ΕΥΣΕΒΩΝ ΒΑΣΙΛΕΩΝ ΡΩΜΑΙΩΝ. h. e. *Turris Baſilii & Conſtantini FIDELIVM in Chriſto Imperatorum, piorum Regum Romanorum.* Dubitat vir celeberrimus; an monumentum iſtud ad hunc Baſilium Conſtantinumque pertineat, de quo agimus. Sed id numi noſtri epigraphe, eundem iis titulum tribuens, veroſimile reddit, quanquam ſi ita res habeat, omnino mirum eſt, eosdem ΠΟΡΦΥΡΟΓΕΝΝΗΤΟΥΣ haud appellari. Certius ad eosdem ſpectat inſcriptionum altera ab eodem viro doctiſſimo allata, vtpote in qua Baſilius & Conſtantinus eo ΠΟΡΦΥΡΟΓΕΝΝΗΤΩΝ elogio, perinde atque in numo, ornantur. Ea portæ cuidam vrbis Conſtantinopolitanæ inſculpta ita habet:

v. Bandur. T. II. p. 183.

Antiqu. Conſtant. T. I. Part. III. p. 182.

Numiſm. Imp. T. II. p. 741.

ΑΝΕΚΑΙΝΙΣΘΕ (ſic) ΕΠΙ ΒΑΣΙΛΕΙΟΥ
ΚΑΙ ΚΩΝΣΤΑΝΤΙΝΟΥ ΤΩΝ ΠΟΡΦΥΡΟ
ΓΕΝΝΗΤΩΝ ΦΙΛΟΧΡΙΣΤΩΝ ΣΕΒΑΣ
ΤΩΝ ΔΕΣΠΟΤΩΝ ΕΝ ΕΤΕ Κ Φ Κ Α

h. e. vt vertit Cl. Bandurius: *Reſtauratum eſt ſub Baſilio & Conſtantino Porphyrogenitis Chriſti amantibus Auguſtis dominis aut Deſpotis anno mundi* 6521. id eſt Chriſti 1013., quo tempore hi fratres imperabant. In numeris Græcis mendum latet. Pro litteris enim Κ Φ Κ Α ſcribendum eſt ϛ Φ Κ Α, prout celeberrimus Montfauconius emendat.

L. c. T. II. p. 871.



CAPVT



CAPVT VIII.

DE NVMIS ÆREIS IMPERATORVM PRIMÆ MAGNITVDINIS.

§. XII. *De*

§. I.

De numis areis Imperat. Roman. I. magnit. in genere.

Tenzel. Colloqu. Menſtr. Octobr. 1691. p. 879.

Lib. XXXIV. c. 1. ſect. I. T. II. p. 639. Vico Diſcorſ. ſopra le Medaglie Lib. I. c. 7. Sauot. P. II. c. 17. Tom. XI. Antiqu. Rom. p. 1200.

IAm vbi ad æreos Imperatorum Romanorum numos deuentum eſt, fatendum equidem, ſi forte eos excipias, quos a ſe omnium maxime probatos proque genuinis habitos Metternichtiæ gentis decus, LOTHARIVS FRIDERICVS, Eccleſiæ Moguntinæ præſul, ſed conſilio minime probando, inaurari iuſſit, & qui cum tota eius ſupellectile numaria vt Arnſtadienſem quondam, ita nunc Gothanum theſaurum vel ampliorem vel ornatiorem reddunt, nihil hic occurrere, quod ſplendore ſuo oculos magnopere perſtringat. Metallum, quo conſtant, vile; numi ipſi vetuſtate detriti, ærugine obducti, & adeo non commendabiles plerumque externo habitu, vt ab hominibus hodiernorum numiſmatum ſplendori aſſuetis ſine faſtdio nunquam ſpectentur. Ac ne Corinthium quidem æs, quod veteres tanti fecere, vt ei, Plinio teſte, ante argentum ac pene etiam ante aurum pretium ſtatuerent, ex nonnullorum ſententia ad numos cudendos a Tiberio, Caligula, Claudio aliisque adhibitum, multo eos ſpectabiliores reddit, tametſi alii, æris illius vſum in officinis numariis vnquam obtinuiſſe, in vniuerſum negant. Sed qui arte potius quam materie, & vera vtilitate, quam ſplendore inani priſca hæc monumenta metiuntur, in hoc genere numorum, quod multitudine ac varietate cetera longe ſuperat, quo teneantur, mentemque harum deliciarum amore captum paſcant, vel maxime reperiunt. Hinc doctrinæ temporum, hinc Geographiæ veteri, hinc tot aliis diſciplinis eam licet mutuari lucem, quam aliunde fruſtra ſperes. Neque curtam ſupellectilem noſtram in ære antiquo appellabit, vt ſpero, qui propemodum quinque millia numorum eius matalli asſeruari a nobis cognouerit. Quod haud vni nihilominus deſiderantur adhuc, iniquitati fortunæ, occaſionem augendi hunc apparatum, poſtquam in eam ſemel excreuit molem, qua ſpectandum ſe præbet, rarius offerentis, vnice tribuendum eſt. Nam ceteroqui munificentia OPTIMI PRINCIPIS noſtri, nullis ſe ſumtibus abſterreri patitur, quo minus comparet ſubinde, quæ ad ornandum eum amplificandumque facere intellexerit. Prout autem numi ærei in tres potiſſimum claſſes diuiduntur, pro diuerſa ratione magnitudinis,

gnitudinis, primæ nempe, ſecundæ, ac tertiæ, diſtinctas, ita meum iam eſt, omnes percenſere ſigillatim, vt, quid in vnaquaque memoratu digni occurrat, rectius intelligatur. Numi primæ magnitudinis facient initium, quorum quidem vltra mille ac ducentos gaza noſtra complectitur.

§. II.

Eorum ſeries quæ ſit, index, quem ſubiicio, docebit. *Index.*

Iulius Cæſar
Auguſtus
Iulia
Tiberius
Druſus
Nero Claud. Druſus
Agrippina
Caligula
Claudius
Nero
Galba
Otho Patau. artif.
Vitellius
Veſpaſianus
Domitilla
Titus
Iulia Titi fil.
Domitianus
Nerua
Traianus
Plotina
Hadrianus
Sabina
Antinous.
L. Aelius
Antoninus Pius
Fauſtina m.
M. Aurelius
Fauſtina F.
L. Aur. Verus
Lucilla
Commodus
Criſpina
Pertinax
Peſcenn. Niger
Did. Iulianus
Manl. Scantilla
Did. Clara
Albinus
Seuerus
Iulia
Caracalla
Plautilla
Geta
Macrinus
Diadumenianus
Elagabalus
Aquilia Seuera
Iulia Soëmias
Iulia Mæſa
Alexander Seuerus
Barbia Orbiana
Iulia Mamæa
Maximinus
Paulina
Maximus
Gordianus P.
Gordianus F.
Balbinus
Pupienus
Gordianus III.
Tranquillina
Philippus P.
Otacilia
Philippus F.
Decius
Etruſcilla
Her. Etruſcus
Hoſtilianus
Trebon. Gallus
Voluſianus
Aemilianus
Valerianus
Mariniana
Gallienus
Salonina
Poſtumi
Iuſtinianus
Theodahatus

§. III.

De numo Drusi restituto. Propius vero diligentiusque hanc ipsam numorum seriem spectare vt liceat, pro instituti huius ratione promenda iam sunt quædam, vt ea se mihi non nimis anxie disquirenti offerent, specimina, ad quæ proinde pergo.

Numism. Secul. Constin. Opp. Sell. p. 507. sqq. Restitutorum numorum nobis indicem dedit Cl. Harduinus, qui & suam de iis sententiam his potissimum verbis exposuit: „ Postquam Augusti familia, pulso Nerone, ab administrando imperio „ semota est, successitque Flauia Iulia, haud simili auorum genere „ nobilis, alia excogitata ratio est Principes commendandi; non auo„ rum quidem insculptis nominibus in ipsorum numismatis, sed insi„ gnium virorum, vel principum, vel fœminarum etiam de repu„ blica bene meritarum nominibus; quorum qui laudarentur Augusti, „ RESTITVISSE, hoc est, desideratas iamdum in republica vir„ tutes, ac dotes, aut res præclare gestas, repræsentasse, siue exhibu„ isse dicerentur, ac viros illos insignes, qui periisse videbantur, *re*„ *stituisse*, atque, vt Plinii verbo vtamur, *regenerasse*". Quam in sententiam viri doctissimi, qua de inferius dicendi occasio recurret, non (Cap. IX. §. 6.) inquiram nunc multis: id miror, indicem numorum huiusmodi haud pleniorem ab eo datum esse, qui ex instituto de iis agendi partes suscepit. Cum aliis enim desideratur ibi numus Drusi fratris Tiberii Imperatoris, cuius auersam partem celeberrimus Vaillantius ita describit: (Numism. præst. T. I. p. 12.) „ IMP. CAES. T. DIVI VESP. F. AVG. P. M. TR. P. „ P. P. COS VIII. In medio numi REST. S. C. Hic numus „ primæ formæ in thesauro Patini, si legitimus est, inter rarissimos est „ collocandus". (p. 141.) Numum hunc non tantum in thesauro, sed & ad Suetonium, vnde eum & Mediobarbus descripsit, exhibuit Patinus, (Ad Tiber. c. 50. p. 180.) id quod ille a se, si vlla in eo νοθείας obseruasset vestigia, impetrare vix potuisset. Vnde non intelligo satis, cur, sitne legitimus, dubitare potuerit, qui inter rarissimos collocandum censet, Cl. Vaillantius, nisi (L. c.) forte primum variatio in numero consulatus, deinde & compendium scribendi TI pro T. virum sagacissimum in suspicionem adduxit. In Thesauro enim numus is Consulatu Titi VII. ad Suetonium vero VIII. (L. c. L. c.) decurrente cusus exhibetur; vix autem verisimile sit, bis eodem typo Drusi huius numos tam exiguo temporis interuallo restitutos fuisse. Neque antiquitatem redolet, quod, cum prænomen Titi alias vna littera T. exprimatur, vtrobique TI legitur, qua ratione TIberii prænomen scribi solet. Quanquam enim cum apud Goltzium numus, (Thes. p. 53.) in quo: TI. CAES. VESP. AVG. F. tum alius apud Tristanum (T. I p. 297.) occurrit cum epigraphe: TI. CAES. IMP. VESP. CENS. P. P. tamen, nec suspicione carent exempla hæc, & pauciora sunt, quam vt firmum ab iis præsidium peti possit. Recte igitur Cl. Vaillantius id ipsum correxit, tametsi eundem numum ita rursus exhibuit Cl. Pedrusius, (T. VI. Tab. 3. p. 39.) apud quem inscriptio prorsus consona ei, quam in Thesauro suo attulit Patinus: IMP. CAES. TI. DIVI VESP. F. AVG. P. M. TR. P. COS. VII. REST. S. C. vbi litteras TI pro T. operarum vitio irrepsisse aduersus Censorem Italum, qui id notaue- (Præf. T. VII. p. XXX.) rat,

rat, postea obseruauit. Idem numus nulli prorsus suspicioni obnoxius, ita omnes genuini probique numismatis notæ in eo conspirant, in thesauro nostro extat, vnde iconem eius subiungo.



Aduersa pars caput Drusi nudum exhibet cum inscriptione: NERO CLAVDIVS DRVSVS GERMANICVS IMP*erator*: Auersa inscriptionem: IMP*erator* *Titus* CAES*ar* DIVI VESP*asiani* *Filius* AVG*ustus* *Pontifex* *Maximus* TR*ibunitia* *Potestate* *Pater* *Patriæ* CO*nSul* VIII. & in area REST*ituit* *Senatus* *Consulto*. Numus hic Titum sola littera T. designat, eumque COS VIII. appellat, non eo tantum nomine spectatu dignus, sed & quod prænomen Titi Cæsaris appellationi præponit. Legitur enim non IMP. CAES. T. vt est non tantum in præsenti numo apud Patinum & Pedrusium, sed & in alio eiusdem Drusi a Tito pariter restituto, quem arcus triumphalis pulcherrimi imagine insignem e gaza Sereniss. Sabaudiæ Ducis, hodie Regis Sardiniæ, laudant clarissimi viri Vaillantius & Harduinus, sed L. c. p. 2.
IMP. T. CAES. quemadmodum Titi numi ad vnum fere omnes Edit. Vet. L. c. p. 508.
præferunt.

§. IV.

Sine vlla dubitatione septem triumphos meruisse, tribus contentum *De numo*
fuisse Tiberium, Velleius tradit. De prioribus duobus ita Suetonius: *Tiberii cum*
„ Exhinc Rhæticum Vindelicumque bellum, inde Pannonicum, in- *quadrigis triumphalibus.* Lib. II. c.
„ de Germanicum gessit. Rhætico atque Vindelico, gentes Alpinas: 122.
„ Pannonico, Breucos & Dalmatas subegit. Germanico quadraginta Tib. c. 9.
„ millia deditiorum traiecit in Galliam, iuxtaque ripam Rheni sedibus
„ assignatis collocauit, quas ob res & ouans & curru vrbem ingressus
„ est". Tertium ex Pannoniis & Dalmatis ob cladem Varianam distulit equidem biennio ad restituendam rem in Germaniam missus, sed magnificentia moram compensauit, id quod idem Velleius & Suetonius testantur. L. c.
Horum triumphorum & postremi inprimis memoriam Tiberius variis numis cum sub id ipsum tempus, quo actus est, tum serius cusis posteritati commendauit. Pertinent huc numi Tiberii cum quadrigis triumphalibus, tribunitia potestate XXXVII. qualem Me- p. 67.
diobarbus ex propria penu, & XXXVIII, qualem idem e Patini Sue- L. c.
tonio & Pedrusius ex museo Parmensi protulit, notati, quibus sequens T. VI. Tab.
cum tribunitia potestate XXXVI. ex nostra gaza præmittendus. 4.



Cernuntur hinc quadrigæ triumphales ſine epigraphe, illinc inſcriptio: T*Iberius* CAESAR DIVI AVG*uſti* F*ilius* AVGVST*us* P*ontifex* M*aximus* TR*ibunitia* POT*eſtate* XXXVI. & in area S. C. Tribunitiam poteſtatem XXXVI. iniit Tiberius anno vrbis DCCLXXXVII. quo Vicennalia imperii abſens per conſules huius anni, Paulum Fabium Perſicum, & Lucium Vitellium, cum ipſe in Albano & Lib. LVIII. p. 634. Tuſculi moraretur, celebrauit. Audiamus ea de re Dionem: „ Μετὰ δὲ ταῦτα εἰκοστοῦ ἔτους τῆς ἀρχῆς ἐπιστάντος, αὐτὸς μὲν, καί τοι περί τε τὸ Ἀλβάνον καὶ περὶ τὸ Τούσκουλον διατρίβων οὐκ ἐσῆλθεν ἐς τὴν πόλιν, οἱ δὲ ὕπατοι Λούκιός τε Οὐιτέλλιος καὶ Φάβιος Πρίσκος τὴν δεκαετηρίδα ὠνόμαζον ὡς καὶ τὴν ἡγεμονίαν αὖθις αὐτῷ κατὰ τὸν Αὔγουστον διδόντες. Τὴν δὲ οὖν ἑορτὴν ἅμα ἐποίουν καὶ ἐκολάζοντο. h. e. *Poſthæc, viceſimo anno imperii imminente, ipſe quidem, cum in Albano ac Tuſculi ageret, vrbem haud ingreſſus eſt, conſules vero Lucius Vitellius & Fabius Priſcus* (rectius *Perſicus*) *decennium nuncupauere, velut imperium ei denuo, vt Auguſto, deferentes. Solennia igitur ſimul peregere & pœnas dederunt.* Annis vero decennalibus, & id genus feſtis addictis rerum L. c. T. I. p. 28. antea geſtarum memoriam refricari ſolitam obſeruat Cl. Pagius. Cur triumphalis currus vacuus ſiſtatur, rationem reddere conatur Cl. Pati- Tiber. c. 17. p. 160. nus, vbi numum geminum ad Suetonium affert, ratus, duplicem locum Suetonii, alterum vbi Tiberius *triumphum distuliſſe dicitur, mœſta ciuitate clade Variana*, alterum, *vbi triumphum ei decretum multosque & magnos honores*, idem ſcriptor docet, explicari hoc numo currum triumphalem exhibente, ſed absque triumphatore; nempe *quaſi mœſta ciuitas honorem triumphatori debitum denegare noluiſſet, triumphatore eundem ob mœſtitiam publicam recuſante.* Subiungit ex Dione locum, quo equi- L. c. c. 20. dem opus magnopere non erat, cum Tranquillus paulo poſt idem asſeueret, nempe biennio poſt regreſſum e Germania Tiberium triumphum, quem distulerat, egiſſe, additque, *moram hanc egregie numum hunc confirmare, percuſſum quippe anno tribunitiæ poteſtatis XXXIIX.* Non negauero hic pertinacius, quadrigis his, quæ tamen & aliquando tri- Tab. XVII. umphatore Tiberio non carent, quemadmodum ex numis Arſchotanis patet, quorum alterum, qui trib. poteſt. XVII. præfert, argenteum & gaza Fridericiana complectitur, denotari, quod viſum eſt Cl. Patino; tametſi & fieri poteſt, vt reſpiciatur hoc ſymbolo ad id, quod Tib. c. 20. Tranquillus narrat: „ Tiberium prius, quam in Capitolium flecte- „ ret, *deſcendiſſe e curru*, ſeque præſidenti patri ad genua ſubmiſiſſe". Sed quod numo huiusmodi eo, quod anno tribunitiæ poteſtatis XXXIIX. percuſſum cerneret, moram dilati triumphi egregie confirmari contendit vir celeberrimus, id, quo iure faciat, non ſatis intelligo. Pone

Pone enim, triumphum non distulisse Tiberium, an propterea non licuit memoriam illius rerumque gestarum, quibus triumphum erat consecutus, seris imperii vitæque annis numorum ope ad posteros transmittere?

§. V.

Aureo numo Hadriani cum epigraphe: VICTORIA AVG. quem supra exhibui, præmittendus ratione temporis, quem hoc loco subiungo. *De numo Hadriani.* Cap. III. §. XII.



Capiti Hadriani laureato addita est inscriptio: IMP*erator* CAESAR TRAIAN*us* HAD*rianus*. Aduersa pars Imperatorem equo decurrentem sistit, dextra elata, sinistra tenente hastam. Inscriptio: CO*nSul* III. Infra EXPED*itio* AVG*usti*. Similes dudum vel descripti vel editi prostant inprimis apud Begerum & Pedrusium, qui eos explicaturi Spartianum aduocant, vbi ille, „ *audito*, inquit, *tumultu* „ *Sarmatarum & Roxolanorum præmissis exercitibus Mœsiam petiit*. Præsens, ab editis diuersus, inseruire potest reuincendo celeberrimo Harduino statuenti „ his numis nihil significari, nisi leuem aduersus latro- „ nes tunc Galliam Italiamue infestantes expeditionem. Inter alia „ enim hastam, quam Imperator alias gestet, desiderari. Duos enim „ Hadriani numos sic inscriptos in collegio extare Claromontano, in „ quibus dextra elata pacifici habitu in equo currat Augustus, læua „ femori innitatur; in altero etiam non hastam læua, sed bacillum „ imperatorium teneat. *Hastam igitur*, inquit vir celeberrimus, *vbi* „ *Occo viderit, nescimus*". Protulerat nempe numum similem ex Occone ita descriptum: HADRIANVS AVG. || COS III. Augustus in equo decurrens cum hasta. Infra EXPED. AVG. Sed primo, vbi is numus apud Occonem extet, haud immerito quæras. Qui enim eo loco, ad quem prouocat vir doctissimus affertur, de eo in altera, qua vtor, Occonis editione hæc verba reperio: *EXPED. AVG. COS. III. S. C. Figura equestris profectura in militiam*, quæ quidem descriptio ab ea, quam vir celeberrimus dedit, non vno modo recedit. Deinde, si hastam adeo requirit ad typum iustæ expeditionis indicem, non deest illa in numo thesauri nostri, qui tamen alium similem seruat, in quo prætermissa hasta læuam femori admouet Imperator, qualem ex museo collegii Claromontani Cl. Harduinus describit. Sed, vt ea ex parte immerito vir clarissimus Occonem notauit, ita maiori omnino veri specie eodem loco numum eius cum inscriptione:

Thes. Brand. T.III. p. 118. Mus. Farnes. T. VI. Tab. 33. 6. 7. Hadrian. c. 6. Num. Vrb. & pop. Opp. Sell. p. 76. 2. p. 228.

IVDAICA EXPEDITIO, adulterinum pronuntiat. Nempe p. 274. haustus est ex Goltzii thesauro, in quo præter inscriptionem cum nihil de eo notetur, mirum non est, Occonem, quæ sint ibi imagines depictæ, docere non potuisse, tametsi auctorem suum ceteroqui laudare vtique & poterat & debebat. Fugit id Mediobarbum, qui eundem p. 178. ex Occone numum non modo repetit, sed etiam transpositis vocibus exhibet: EXPEDITIO IVDAICA, qua in re plusculum omnino, quam par est, sibi indulsit. Relinquenda enim erant inscriptionis verba, vtcunque suspicionis nonnihil mouerent, eo situ atque ordine, quo ex Goltzio ea attulerat Medicus Augustanus. Sed non tantum ea in re peccauit Mediobarbus, sed & quod numum eum Antonio Augustino deberi, addito nominis eius indicio, scripsit. Nam citatur equidem eruditissimus ille Tarraconensium Præsul Occoni; sed ad numum præcedentem, cum inscriptione: IVDAEA, pertinet citatio, non sequentem; qua de re certior fieri poterat Mediobarbus, si Dialog. III. p. m. 98. vel obiter Antonii Augustini dialogos consulendos duxisset.

§. VI.

De numo Antonini Pii. c. 13. Antoninum Pium *solum omnium prope Principum prorsus sine ciuili sanguine & hostili vixisse*, tradit Capitolinus, sed addit, *quantum ad se ipsum pertinet*. Ceteroqui per legatos eum suos plurima bella gessisse, c. 5. idem docet, ita, vt mirum non sit, numos Antonini Pii haud paucos reperiri bellorum victoriarumque pariter indicia luculenta præ se ferentes. Inter eos sequens etiam numerandus.



Aduersa in parte caput Antonini Pii laureatum cum inscriptione: ANTONINVS AVG. PIVS P. P. TR. P. COS. III. In auersa figura stans cum hasta & clypeo, quam prodit epigraphe: MARTI VLTORI. Ad latus: S. C. MARTEM VLTOREM numus celebrat, cui victoriam tum Britannicam acceptam referebat Antoni- c. 5. nus, de qua Capitolinus: *Britannos per Lollium Vrbicum legatum vicit, alio muro cespititio, submotis barbaris, ducto.* Gentem Britanniæ, qua Arcad. p. 273. cum ei potissimum res fuit, Pausanias nominat Brigantes. Ad hanc autem victoriam pertinere numum Consulatus III. nota, quæ adscripta est, manifestum reddit. Nam & reperitur ea in numis, qui victoriam Britannicam diserte loquuntur, cuiusmodi Begerus ex gaza T. II. p. 663. Brandenburgica produxit, neque inuenias præterea rem memoratu dignam, quæ, dum Consulem III. se scripsit Antoninus Pius, typo huic ansam præbere potuerit. Nisi inscriptio: MARTI VLTORI,

caſu obliquo poſita id diſſuaderet, ac præterea mite optimi Imperatoris ingenium ſchema horridum reſpueret, credi fortaſſe poſſit, ipſum eum figura hac repræſentari, quod Romani iniurias, a Britannis ſibi illatas, eius auſpiciis eſſent perſecuti. Sed & nolim cenſuram incurrere Cl. Bandurii, qui de antiquariis vulgo ſibi nimio plus ea in re indulgentibus, „ Cur Iulianum, inquit, aduerſus eorum maledicta tueor, cum Numiſm. Imp. T. II. p. 442.
„ ſimilia in plerosque Principes ingeſſerint? An vllus eſt Imperato-
„ rum, qui non alicuius Numinis honores ſibi attribuerit? Imo ſunt
„ ſecundum antiquarios, qui omnium Numinum loco colendos ſeſe
„ Romanis exhibuerunt. Si *Marti numos cudi iuſſit Princeps, Mars*
„ *continuo eſt*; ſi Apollini, Apollo; ſi Ioui, Iupiter; ſi Herculi,
„ Hercules ipſiſſimus; Ita omnes Auguſtæ Iunones, Veſtæ, Veneres
„ ſunt, nec Genetrices ſolum, ſed etiam Victrices". Tametſi, quod ad hoc exemplum attinet, tueri me fortaſſe poſſem ipſius viri clariſſimi exemplo, qui in numis Claudii Gothici cum inſcriptione: MARS T. I. p. 534. VLTOR, ipſum Claudium ita dici potuiſſe largitur. Eodem loco vir clariſſimus de templo duplici Martis Vltoris ab Auguſto extructo agit, altero nempe, de quo Suetonius: *Publica opera plurima exſtruxit, ex* Aug. c. 29. *quibus vel præcipua Forum cum æde Martis Vltoris*, reliqua, altero, quod, ſignis Parthicis receptis, in Capitolio Auguſtum fieri curaſſe ex Dione Caſſio vulgo euincere conantur. Sed vnum tantum Martis Vltoris templum fuiſſe in foro Auguſti, recte obſeruat Pitiſcus. Alterum Lexic. Antiqu. T. II. p. 926. illud neque Suetonius agnoſcit, neque Ouidius, a quo Martem Biſultoris nomine appellari, fruſtra ſibi perſuaſere viri docti, quos ſequitur Cl. Bandurius. Vera enim lectio verſus, qui ſtatuendi ita anſam præbuit, poſt Heinſium a Cl. Burmanno exhibita, ita habet: Faſt. Lib. V. ỳ. 595.

Rite Deo templumque datum nomenque bis vlto
Et meritus votis debita ſoluit honos.

Apud Dionem autem verba, ἐν τῷ Καπιτωλίῳ, tranſpoſita ſunt, ſcribendumque: L. c. Νεὼν Ἄρεως τιμωρȣ̃ κατὰ τὸ τȣ̃ Διὸς τȣ̃ Φερετρίȣ ἐν Καπετωλίῳ ζήλωμα, πρὸς τὴν σημείων ἀνάθεσιν ψηφισθῆναι ἐκέλευσε καὶ ἐποίησε. h. e. *Templum Martis Vltoris ad imitationem Iouis Feretrii in Capitolio, quo ſigna* (Parthica) *ſuſpenderentur, decerni iuſſit ac perfecit.* Quod ad numos Auguſti attinet, in quibus templum hoc expreſſum eſt, vna illius figura occurrit, rotunda nempe, tametſi columnis nunc pluribus nunc paucioribus gaudet, quæ varietas vel ex diuerſa templi eius facie exhibita, vel a ſculptoris ingenio pendet, vt adeo hinc ad duplex Marti Vltori templum aſſerendum, prout Torrentius ſibi perſuaſit, præſidii nihil peti Ad Suet. Aug. c. 29. poſſit.

§. VII.

Succedat Græcus Commodi numus, quod in Græcis Vaillantii Imperatorum numiſmatibus non comparet, neque alibi ab eo tempore, quod conſtet, exiit, minime hoc loco prætereundus. *De numo Græco Commodi.*

Cernitur



Cernitur hinc Caput Commodi laureatum cum inſcriptione: ΑΥΤΟκϱάτωϱ ΜΑΡκος ΑΥϱήλιος ΚΟΜΟΔΟϹ, h. e. *Imperator Marcus Aurelius Commodus*; illinc ſerpens tortuoſus & epigraphe: ΗΓΕμονος ΙΟΥλίυ ΚΑϹΤΟΥ ΟΥΛΠΙΑϹ ΠΑυταλίας, h. e. *Præſide Iulio Caſto Vlpiæ Pautaliæ.* De Pautalia, Thraciæ vrbe, aut certe in confinio eius ſita, quam Stephanus corrupte Παιταλίαν appellat, videndus Holſtenius, [Ad Steph. p. 248.] de cognomine Vlpiæ, quod ab Vlpio Traiano, aliarum plurium vrbium exemplo, vt Nicopoleos, Topiri, Serdicæ, Anchiales, Mytilenarumque, beneficiis eius ornata traxit, deque Dracone, quem alii quoque huius vrbis numi, eumque paulo ampliorem ſiſtunt, qualis Seueri apud Erizzum, [p. 562.] & Antonini, Seueri filii apud Patinum, [Numiſm. Imp. p. 309.] tutelari loci genio, Ill. Spanhemius. [T. I. p. 219.] ΗΓΕμόνες, *Præſides*, in Thraciæ vrbium numis potiſſimum occurrunt, tametſi ΗΓεμονίας mentio in numo Pernerorum Aeolidis, quem Harduinus [L. c. p. 136.] & Morellius [Specim. Tab. XXI. p. 210.] commemorant. Erant illi Auguſtorum legati pro prætore, qui ſumma auctoritate prouinciam regebant, vnde Itius Rufus, qui itidem Thraciam moderabatur, ΠΡΕΣΒευτὴς ΚΑΙ ΑΝΤΙςϱατηγὸς ΣΕΒΑΣτυ, *Legatus & Proprætor Auguſti*, dicitur in Hadriani numo a Bizyenis cuſo. [Vaill. Num. Græc. p. 33.] Quanquam enim Thracia, cuius vrbs ΠΑΥΤΑΛΙΑ, non ſtatim in prouinciarum diuiſione ab Auguſto facta, eidem ſucceſſoribusque ceſſit, quod Cl. Vaillantius, [Num. Græc. p. 315.] ſed feſtinantis calami vitio, affirmat, propptereaque optimo iure refellitur ab Ill. Spanhemio, [T. II. p. 596.] ſub Veſpaſiano tamen in prouinciæ formam redacta Cæſarum prouinciis acceſſit, a quo demum tempore proinde mitti cœperunt, qui eorum nomine Thraciæ præeſſent. Iulii Caſti, cui ea tum dignitas obtigerat, nomen numus noſter integrum ob oculos ponit, quod adhuc mire deprauatum viri docti exhibuere. Occo [p. 332.] enim, vna ex tribus vocibus conflata voce in numo Hadrianopolitarum, legit ΗΓΕΙΟΥΚΛΕΤΟΥ, Patinus [L. c. p. 266.] ΕΠΙ ϹΤΡ. ΟΥΛ. ΚΑΣΤΟΥ, Vaillantius [p. 66. & 315.] ΗΓΕ. ΙΟΥΛ. ΚΛΕΤΟΥ. Vnus veram ſcripturam vidit Cl. Harduinus, [p. 7.] cui numus noſter omni ex parte conſentit. Caſti haud vni in antiquis inſcriptionibus, vt [Grut. p. DCCXV. 6.]

M. VINICIO
CASTO
VINICIA
GLAPHYRA
FILIO. BENE
MERENTI

&

& in alia: p. DCCCXX, 11.

V. F.

C. PVPIVS. C. F. TIRO
SIBI. ET. VMBRIAE. M. F.
TERTVLLAE. CON.
C. PVPIO. CANDIDO. FIL.
M. PVPIO. CASTO. FIL.
ALICIAE. SP. F. IVSTAE
MATRI

§. VIII.

Non cedit præſtantia ſuperiori Commodi numo ſequens Lesbiorum, qui, perinde adhuc antiquariis minus notus deſcriptusque, iure quodam ſuo ex theſauro noſtro prodit. *De alio numo Græco eiusdem Commodi.*



Aduerſa pars caput Commodi laurea cinctum ſiſtit, cuius in collo impreſſa eſt nota peculiaris, quæ corollam refert. Inſcriptionis ſuperſunt tantum litteræ: . . . . . ΑΥΡΗλι@ ΚΟΜΟΔΟϹ, h. e. *Aurelius Commodus.* Auerſa in parte duæ figuræ ſtantes comparent, altera ad dextram muliebris, altera ad ſiniſtram virilis cum thyrſo, dextram protendens, medium inter eas locum ara occupante; infra figura iacens. Adſcripta ſunt verba: ΕΠΙ ϹΤΡατηγȣ̃ ϹΕΠΤιμίȣ ΑΡΙΑΝΟΥ ΚΟΙνὸν ΛΕϹΒΙΩΝ, h. e. *Prætore Septimio Ariano, Commune Lesbiorum.* Congruit auerſa huius numi pagina, temporis iniuria vtique nonnihil detrita, cum numo Μυτιληναίων, Commodo itidem imperante cuſo, in quo, docente Vaillantio, Bacchus ſtans, dextra cantharum, ſiniſtra thyrſum gerens; ex aduerſo mulier, cuius in dextra icuncula, ara intermedia. Nec abludit prorſus alius apud eundem, & Cl. Harduinum, cuius in ſuperficie altera (poſteriorem loquentem audis) „ geminum Numen inſculptum, ſub cuius tutela Lesbii fuere: Pallas „ dextram numi aream obtinet, læuam Bacchus cum vrceolo vel „ cantharo: medius inter vtrumque ſtat Deus Terminus, ac proræ na- „ uis inſiſtit. Epigraphe: ΚΟΙ. ΛΕϹΒΙΩΝ, *Commune Lesbiorum*". Di- Numiſm. Græc. p. 71. p. 70. l. c. p. 95.

uersus tamen vterque a nostro; neque enim in illis figura illa iacens, cuius inferiores partes fluctibus immersæ, qua mare Aegeum designari puto, quod insulam Lesbon alluit. Sigillatim, prior differt, quod neque cantharus in virilis, neque icuncula in muliebris figuræ dextra comparet, posterior, quod hoc loco Dei Termini ara expressa est, & muliebris figura, cuius in capite galea nulla, sed crines in nodum religati, Mineruam haud reddit, sed Lesbiam potius puellam, Sappho, cuius vultu Mytilenæos, nobilissimos insulæ huius incolas, numisma signasse Pollux testatur. Tametsi ceteroqui & Mineruæ locus in Lesbiorum numo esse potest, quorum in insulam Athenienses, Numinis illius cultores celeberrimi, colonos transtulerunt, vt taceam Ὑπερδεξίαν Ἀθηνᾶν, *Hyperdexiam Mineruam*, cui, vt Ioui Hyperdexio, a regione Lesbi nomen fuisse, Stephanus tradit. Bacchum vero etiam sine cantharo, thyrsus hic manifeste prodit, cui vini præstantissimi & cum aliunde ex Athenæo, Plinio, poëtisque, tum ex ænigmatico illo Theophrasti Lesbii, quem Aristoteles moriturus, Menedemo vel potius Eudemo, vt apud Gellium legendum, Rhodio posthabito, successorem designabat, indicio notissimi prouentum acceptum referebant Lesbii, quorum proinde cultum, quo Numen hoc prosequebantur, ara significat inter duas figuras stantes sculpta. Cudit numum ΚΟΙΝΟΝ ΛΕϹΒΙΩΝ, *Commune Lesbiorum*, quo pacto ΚΟΙΝΟΝ ΑϹΙΑϹ, ΚΟΙΝΟΝ ΒΕΙΘΥΝΙΑϹ, ΚΟΙΝΟΝ ΓΑΛΑΤΩΝ, ΚΟΙΝΟΝ ΚΡΗΤΩΝ *reliqua* in numis legitur, ΕΠΙ ΣΤΡατηγȣ̃ ΣΕΠΤιμίȣ ΑΡΙΑΝΟΥ, h. e. *Prætoris partes obtinente Septimio Ariano*, qui addendus catalogo τῶν Στρατηγῶν, quem Cl. Vaillantius contexuit.

Lib. IX. c. 6. p. 1064. Edit. Hemsterh.

Thucyd. Lib. III. p. 177. Edit. Oxon.

Voce Ὑπερδέξιον.

Noct. Att. Lib. III. c. 5.

§. IX.

De alio numo Græco eiusdem.

Sed quid vetat tertium superioribus Commodi numum subiicere, cum, perinde ac paulo ante dicti, antiquariorum adhuc diligentiam effugerit, & elegantia non minus, quam integritate oculos ad se conuertat.



Sistitur aduersa in parte caput Commodi imberbe, & plane eiusmodi, cui ὄψις ἀξιοθέατος καὶ κάλλος προσώπου, quod ei tribuit Herodianus, h. e. *forma aspectu dignissima & pulchritudo oris* denegari non possit, tametsi ei, ætate nempe prouectiori, vultum insubidum adscribit Spartianus. Nec desideres ὀφθαλμῶν τε ἀρθμίας καὶ πυρώδεις βολὰς, κό-

Lib. I. c. 18. p. 15. sq. Edit. Oxon.

μην τε φύσει ὄλην, h. e. *Oculorum tranquillos & igneos obtutus, comamque natura crispam* ex eodem Herodiano, qui proinde non immerito de eo: Τοιοῦτον δὲ θεασάμενοι τὸν βασιλέα οἱ Ῥωμαῖοι εὐφημίαις καὶ στεφάνων καὶ ἀνθέων βολαῖς ὑπεδέχοντο, h. e. *Talem videntes imperatorem Romani acclamationibus omnis generis, coronarumque & florum sparsionibus exceperunt.* Inscriptio: M. ΑΥΡ. ΚΟΜΟΔΟΣ ΚΑΙΣΑΡ, h. e. *Marcus Aurelius Commodus Cæsar.* Aduersa pagina exhibet bigam a gryphibus tractam, cui duæ insistunt figuræ muliebres, cubitum sinistrum attollentes, quarum altera gryphes regit, altera Scipionem tenet. Adscripta sunt verba: (ἐπὶ) ΣΤΡ. ΠΟ. ΑΙΛ. ΑΡΙΖΗΛΟΥ, & infra ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ, h. e. *Prætore Publio Aelio Arizelo Smyrnensium.* Idem Prætor in alio Commodi numo a Smyrnensibus cuso occurrit, quem Cl. Vaillantius recenset, [L. c. p. 74.] vnde exesæ quantumuis ex parte inscriptionis huius litteræ minus mihi negotii facessere potuerunt. Ad bigas gryphum quod attinet, iis Solem siue Apollinem vectum sisti in marmore apud Sponium, & in Commodi numo ab Aureliopolitis cuso Ill. Spanhemius tradit. [T. I. p. 271.] Quod vt de numo largiar, cuius delineationem, quam exhibiturum se spondet, nescio qua de causa prætermisit, in marmore tamen apud Sponium non bigæ, sed quadrigæ gryphum comparent, ita, vt ve- [Miscell. p. 3.] tustum id monumentum paulo festinantius inspexisse oporteat virum summum, quo ceteroqui has veteris æui reliquias nemo diligentius excussit. Bigas certe exhibet numus, quem ex gaza nostra profero, sed quibus non Sol vel Apollo, sed duæ Nemeses insistunt, quæ & aliis in numis Smyrnæorum occurrunt, cuiusmodi protulerunt iuxta cum Ill. Spanhemio, doctissimi viri Begerus, Montfauconius & Piouenius. [Spanh. Dis. de Vesta & Prytanibus Græcorum subiuncta Select. num. Seruini p. 441. sq. Beger. T. II. p. 671. T. III. p. 61. Monfauc. Suppl. de l'Antiqu. T. I. Tab. LXXII. Piouen. Museo Farn. T. IX. Tab. XI.] Nempe alibi vna tantum Nemesis culta est, qualis Rhamnusia, cuius signum ex marmore, quod barbari in Græciam attulerant, quasi hoste iam victo tropæum erecturi, a Phidia factum pluribus descripsit Pausanias. [Attic. p. 32.] Sic Nemeseos, non Nemesium apud Patrenses templum idem commemorat, [Achaic. p. 227.] vt veteres gemmas numosque taceam, in quibus vna tantum Nemesis expressa cernitur. At de Smyrnæis idem scriptor, quem paulo ante laudaui: Θεῶν Νεμέσεις πλείους νομίζουσιν ἀντὶ μιᾶς, [L. c. p. 210.] h. e. *plures Deas Nemeses statuunt pro vna.* Non vna nempe Nemesis monuerat Alexandrum prope earum fanum sub platano somnum capientem, vt Smyrnæos in eum locum, quo postea habitarunt, transferret, cuius rei historiam ære expressam sistit M. Aurelii numus apud Begerum. [T. II. p. 671.] Et Νεμέσεων βασιλικὴν, *Nemesium basilicam* marmor Oxoniense commemorat. [p. 94.] Hæ vero Nemeses in numo nostro perinde atque in aliis cubitum attollunt, quem gestum pariter & eius significationem docet epigramma vetus:

Ἡ Νέμεσις πῆχυν κατέχω· τίνος εἵνεκα; λέξεις·
Πᾶσι παραγγέλλω, μηδὲν ὑπὲρ τὸ μέτρον. h. e. [Anthol. Lib. IV. c. IV. Ep. 73.]

Nemesis cubitum teneo; cuius causa? dices
Omnibus annuntio, ne quid nimis

Quod hic πῆχυν κατέχειν, id in simili, quod præcedit, epigrammate [L. c. Epigr. 72.] πήχει προλέγειν appellatur.

Ἡ Νέμεσις προλέγει τῷ πήχεϊ τῷτε χαλινῷ.
Μήτ' ἄμετρόν τι ποιεῖν, μήτ' ἀχάλινα λέγειν. h. e.

Nemesis prænuntiat cubito & fræno
Nequid præter mensuram faciamus, vel effrænate loquamur.

Vbi satis, vt videtur, manifestum τῷ πήχει simul & ad mensuræ genus antiquissimum, quod cubitum appellabant, respici, quo & refert Ill. Spanhemius baculum, quem altera Nemesium harum manu tenet. Quod vt dari ei possit, nemo ei fortasse tamen æque facile, vt puto, largietur χαλινὸν hoc loco esse oris angulum, vel os ipsum, quo pariter προλέγειν, vel cohortari mortales Nemesis dicitur. Procliue enim est vocem hanc de fræno proprie dicto accipere, quale Nemesis vtique in numis haud vnis gestat, tametsi id rhombum vulgo interpretantur. Peculiare vero his Deabus in nostro, quod modium in capite gestant, quo pacto & Nemesis in numo Βυζαντίων apud Cl. Bandurium occurrit. Id eo spectare puto, quod veteres Nemesin a Fortuna haud diuersam credidere, cuius capiti sæpissime modius imponitur. Bigis autem, quibus insistunt hæ Nemeses, iunctæ sunt gryphes, animalia non Soli solum vel Apollini, sed etiam his Deabus, cognatis quippe Numinibus, sacra: „ Nemesis, inquit Macrobius, quæ contra superbiam colitur, quid aliud est, „ quam Solis potestas? cuius ista natura est, vt fulgentia obscuret, „ & conspectui auferat, quæcunque sunt in obscuro, illuminet offeratque conspectui".

Ad Callim. p. 411. sqq.

Imper. Orient T. II. p. 456 Tab. VI. n. 1. 2.

Saturn. I. c. 22.

§. X.

Tristanus, vir eruditissimus, inter numos Albini insignem, quem & gaza nostra seruat, protulit, cuius auersa in parte figura stans capite radiato, dextra tridentem, sinistra caduceum alatum gerens, cum inscriptione: SAECVLO FRVGIFERO COS II. Ad quam illustrandam Postumi numum, in quo caduceus cum eadem epigraphe, in subsidium vocat, quodque vterque & Albinus & Postumus Galliæ præfuere, colligit inde, Mercurium Gallorum ibidem expressum sisti. De Gallis enim Iulius Cæsar: „ Deum maxime „ Mercurium colunt; huius sunt plurima simulacra: hunc omnium „ inventorem artium faciunt: hunc viarum atque itinerum ducem, „ hunc ad quæstus pecuniæ mercaturasque habere vim maximam „ arbitrantur". Idem typus occurrit in numo Seueri, quem Cl. Vaillantius descripsit, sed minus exacte, quod in eo postremas inscriptionis litteras temporum iniuria absumserat. Cum idem ille in thesauro nostro longe integerrimus reperiatur, non abs re fuerit iconem eius hoc loco subiungere.

De numo Seueri. T. II. p. 42. sq.

Lib. VI. c. 17.

Numism. præst. T. I. p. 114.

Aduersa



Aduerſa in parte Seueri caput laurea cinctum cum inſcriptione: IMPerator CAESar Lucius SEPTimius SEVerus PERTinax AVGuſtus; In auerſa, figura ſtans ſeminuda, capite radiato, quæ dextra tridentem, ſiniſtra caduceum inter duas ſpicas geſtat. Epigraphe: SAECVLO FRVGIFERO TRibunitia Poteſtate COnSul; in area S. C. Quod ſi Triſtano aſſentiendum, Mercurium Gallorum figuram hanc interpretanti, numus in Gallia eo tempore, quo Seuerus Albinum ad Lugdunum vicit, cuſus ſit, neceſſe eſt. Id certum, Mercurio, præter caduceum, ſolenne eius ſymbolum, & caput radiatum & tridentem ex gentilium theologia haud abſurde tribui. Neque enim diverſus ab Apolline & Sole, id quod Macrobius abunde docet. Et vt hic tridentem, quem Vulcano eam ſuffuratum tradit Lucianus, ita alibi ſitulam, de qua plura Ill. Cuperus, gerit, vt calore & humore omnia fœcundari, & SAECULUM FRUGIFERVM reddi intelligatur, cuius felicitatem caduceus cum ſpicis deſignat. De SAECVLO autem FRVGIFERO tempore Seueri qui dubitat, audiat Spartianum, qui: „ Rei frumentariæ, „ inquit, quam minimam repererat, ita conſuluit, vt excedens vita „ ſeptem annorum canonem P. R. relinqueret". Et rurſus alio loco: „ Moriens ſeptem annorum canonem, ita, ut quotidiana ſe„ ptuaginta quinque millia modiorum expendi poſſent, reliquit".

Saturn. Lib. I. c. 19. 22. Dial. Apoll. & Vulc. T. I. p. m 192. Harpocr. p. 45. c. 8. c. 23.

§. XI.

Subiicerem ſingulare illud gazæ noſtræ cimelium, Byzyenorum numum, qui, eodem Seuero imperante, cuſus, Martem ſcalas, quarum vſus in expugnandis eſſe vrbibus ſolebat, ferentem exhibet, niſi dudum is vulgatus illuſtratusque proſtaret a viro ſumme Rev. Io. Chriſtophoro Oleario, cui hæc ſtudia tantum, quantum pauci in Germania, debent. Non abs re tamen erit eius, vel tribus verbis hoc loco mentionem feciſſe, quando neque Vaillantius, neque Harduinus, quod viri eruditiſſimi ſchediaſma nuperrime demum Cl. Bandurio memoratum, in manus eorum haudquaquam perveniſſet, in præclaris; in quibus locum vtique merebatur; operibus eum deſcripſerunt. Eſt vero in promptu aliud Seueri numiſma, quod non immerito locum hic ſibi vindicat.

De eiusdem Seueri numo Græco. In Epiſt. ad Io. Heinr. a Timæs, quæ prodiit apud Bielkium 1696. 4. & in elect. rei numariæ p. 131. Bibl. num. Edit Hamb. p. 115.



Cernitur hinc rurſus caput Seueri laureatum , cum inſcriptione ex parte detrita Αυτοκράτωρ Καίσαρ . . . CΕΟΥΗΡΟC, h. e. *Imperator Cæſar . . . . Seuerus*; illinc Fortuna ſtans cum modio in capite, quæ dextra cornucopiæ, ſiniſtra temonem gerit: Epigraphe: ΚΙΑΝΩΝ, *Cianorum.* Eiusdem vrbis numum cum eodem typo Fortunæ, Iuliæ Seueri coniugi cuſum, commemorat Vaillantius. Vtrique lucem affundit alius Seueri numus eorundem ΚΙΑΝΩΝ, quem aliter Cl. Harduinus ex penu numaria nobiliſſimi Fountaine, aliter ex gaza illuſtriſſimi Ducis Deuonienſis deſcribit Cl. Haymius. Ille enim in auerſa eius parte legit: ΣΕΟΥΗΡΟΥ ΒΑCΙΛΕΥΟΝΤΟC Ο ΚΟCΜΟC ΕΥΤΥΧΕΙ ΗΑΦΑΡΓΟΥ ΚΙΑΝΟΙC, quod interpretatur: Σευήρου βασιλεύοντος ὁ κόσμος εὐτυχεῖ, ἡ Ἀσκανία Φρυγίας ἄρουρα γόνιμος ὑπάρχει Κιανοῖς, *Seuero imperante felix eſt orbis; Aſcania, Phrygiæ tellus foecunda Cianis eſt.* Hic: CΕΟΥΗΡΟΥ ΒΑΣΙΛΕΥΟΝΤΟC Ο ΚΟCΜΟC ΕΥΤΥΧΕΙ ΗΛΚΑΝΟΥ ΚΙΑΝΟΙ quod vertit: *Seuero regnante orbis beatus ſub Elcana Ciani.* Quo quidem in numo de litteris, quas ΗΑΦΑΡΓΟΥ Harduinus, ΗΛΚΑΝΟΥ Haymius legit, alii, quibus numum eum propius luſtrandi facultas obtigerit, viderint; priora quidem inſcriptionis verba: CΕΟΥΗΡΟΥ ΒΑCΙΛΕΥΟΝΤΟC Ο ΚΟCΜΟC ΕΥΤΥΧΕΙ, quæ & in Nicæenſium numo, ſub Commodo cuſo, hoc modo ΚΟΜΟΔΟΥ ΒΑCΙΛΕΥΟΝΤΟC *reliqua* inueniuntur, præſentis numi, in quo FORTVNA expreſſa cernitur, typum manifeſte illuſtrant. Patet enim felicitatem in ſuperiori illo numo iactatam, qua orbis Romanus, Seuero ad gubernacula imperii admoto, gaudebat, eodem deſignari. ΚΙΑΝΩΝ vrbs ΚΙΟΣ in Bithynia a nouo conditore Pruſia ΠΡΟΥΣΙΑΣ dicta, vetus nomen nihilominus retinuit. Teſtes non tantum ſcriptores, Mela, Plinius aliique; ſed & numi, cuiusmodi præſens, tametſi iidem ΚΙΑΝΟΙ, nouo nomine ΠΡΟΥΣΙΕΩΝ ΤΩΝ ΠΡΟΣ ΘΑΛΑΣΣΑΝ appellantur in numo apud Goltzium, quem ex theſauro Regio Gallorum citat Ill. Spanhemius. Ad eos enim pertinere hunc numum, tametſi aliter viſum Cl. Harduino, recte obſeruat Cellarius noſter, qui de Pruſiade hac, antea ΚΙΟΣ dicta, & ab duplici Pruſa, altera ad Olympum altera ad Hypium fluuium, probe diſtinguenda, plura collegit. Pruſæ ad Olympum, extat numus geminus Seuero imperante cuſus, cum ſymbolo Fortunæ & inſcriptione: ΠΡΟΥΣΑΕΩΝ, vbi mirari ſubit magnum Caſaubonum, quod Strabonis verba Προῦσα δὲ ἐπὶ τῷ Ὀλύμπῳ ἵδρυται τῷ Μυσίῳ, πόλις εὐνομουμένη, verterit: *Pruſa alia ad Olympum Myſiæ poſita eſt vrbs, quæ legibus bonis gubernatur,* carpi a Cl. Harduino. Neque enim eo regreditur Strabo, unde diverterat, quod ſibi perſuadet vir eruditiſſimus, ſed Pruſiade deſcripta,

Græc. Num. p. 92.
Ad Plin. V. c. 32. ſect. 40. T. I. p. 289.
Treſor. Britann Vol. II. p. 236.
Spanh. T. II. p. 441. ſq.
Vaill. L. c. p. 72.
Arabo Lib. XII. p. 563.
Inſul. Aſiæ Tab. V. T. I. p. 120.
Geogr. Antiqu. Lib. III c. 8. p. 285 ſq.
Vaill. L. c. p. 87.
L. c.

pta, ad Prusam sub Olympo, diuersam omnino a Prusiade vrbem, pergit. Ea *alia* dicitur in versione, quæ Xylandri est, perperamque adeo Casaubono tribuitur, quod & Prusiadem sub initium tractationis suæ Strabo in hodiernis codicibus Prusam appellat.

§. XII.

Ex Antonini, Seueri filii, quem vulgo Caracallam appellant, numis non prætereundus nobis est sequens Amisenorum, Vaillantio plane prætermissus, Ill. Spanhemio autem & Cl. Harduino sine vlla typi mentione descriptus. *De numo Græco Caracallæ.* De vs. & præst. Numism. Edit. secundæ. p. 873. Histor. August. Opp. Sell. p. 808.



Caput Caracallæ ad pectus usque expressum cum paludamento, laurea cinctum. Inscriptio: ΑΥΤοκράτωϱ ΚΑΙσαϱ Μάρκος ΑΥΡήλιος ΑΝΤΩΝΙΝΟC, h. e. *Imperator Cæsar Marcus Aurelius Antoninus.* Auersa eundem exhibet equo vectum cum hasta, laxatisque frænis super barbaros duos humi prostratos decurrentem. Adscriptum est: ΑΜΙCΟΥ ΕΛΕΥΘΕΡΑC ΕΤΟΥC CΜΕ, h. e. *Amisi liberæ anno CCXLV.* De Amiso, Ponti vrbe, iam supra dictum est ad numum eius, quem ex eodem thesauro nostro produxi. Cap.V. §.VI. ΕΛΕΥΘΕΡΑΝ, *liberam*, illa se appellat in præsenti, de cuius elogii vi ac sensu consulendus Ill. Spanhemius, qui obseruat, vbi solum id antiquæ sibi vrbes tribuunt, eo & proprii magistratus & suarum legum libertatem, vbi elogium ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ adiunctum sit, prius tantum designari, perperamque adeo inter vrbes ΑΥΤΟΝΟΜΟΥΣ & ΕΛΕΥΘΕΡΑΣ id discrimen statui a Cl. Vaillantio, quod illæ legibus quidem suis vterentur, sed vectigales essent, hæ nullum omnino vectigal penderent: aliam enim fuisse Ἐλευθερίας, *libertatis*, aliam Ἀτελείας, seu Ἀυτοτελείας vel Ἀφορολογήτου, *immunitatis* nempe *a vectigalibus ac tributis*, prærogatiuam iisdem vrbibus concessam. L.c. T. I. p. 674. sqq. Hanc vero libertatem, quam Amiseni exemplo aliarum vrbium, quales Aradus, Tarsus, Sebaste, Seleucia ad Calycadnum, Thessalonica, quibus & Rhodii accedunt in numo sub Nerone cuso, in quo teste Spanhemio legitur: ΕΛΕΥΘ. ΡΟΔΙΩΝ, *Liberorum Rhodiorum*, iactitant, Cap. V. §. XII. quamque antea Alexandri Magni, dein Luculli & Julii Cæsaris beneficio obtinuerant, postremo suæ potissimum virtuti acceptam retulerunt, subverso Stratone tyranno, idque paucis ante victoriam Actiacam annis, quam Augustus iis postea confirmauit. Appian. de bello Mithrid. p. 28. Strabo Lib. XII. p. 547. Ab hac libertate epocham illi instituerunt, in cuius initio constituendo ceteroqui non satis inter se conuenit Chronologis. Cl. Vaillantius

Chronol. V. T. p. 615. tius eam ab a. v. DCCXXI. repetit; cuius calculos, quos & Cl.
Opp. Sell. Harduinus auctoritate sua comprobat, nec laude sua defraudat Ill.
L. c. Spanhemius, si sequamur, annus CME, h. e. CCXLV. in numo expressus, incidet in annum DCCCCLXV. Typus Imperatoris incitato cursu barbaros prosternentis statuam forte equestrem denotat, quam Amiseni Caracallæ posuere. Ceterum operarum error est apud Vaillantium, qui Amisenorum numum sub Caracalla recenset, cum
p. 97. æra ΕΤΟΥC CE, h. e. anni CCV. quem tamen & adiectus nu-
p. 249. merus CCXXXV & repetita eius numi descriptio accuratior facile
Not. in Steph. p. 31. excusat. Sed haud scio, an veniam eandem mereatur Holstenius, qui ex museo Franc. Gottifredi numum Caracallæ similem affert cum æra CNE, h. e. CCLV. qui respondet anno V. C. DCCLXXVI. quo dudum extinctus Imperator ille scelerum nefarie a se admissorum pœnas dederat.

§. XIII.

De Macrini numo Græco singulari. Inter Macrini numos apud Cl. Vaillantium est, cuius ille aver-
L. c. p. 123. sam partem ita describit: „ CΕΥΗ. ΜΑΚΡΕΙΝΙΑΝΗC ΤΑΡCΟΥ „ ΑΜΚ. ΓΒ. Apollo seminudus st. d. pateram s. strophium contor- „ tum, pharetram dorso app. habet". Aut minus curate numum hunc descriptum dedit vir eruditissimus, aut diuersus est sequens thesauri nostri, qui ceteroqui proxime ad eum accedit.



Caput Macrini laurea cinctum, Inscriptio: ΑΥΤοκράτωρ ΚΑίσαρ Μάρκος ΟΠΕλιος CΕΥῆρος ΜΑΚΡΕΙΝΟC, h. e. *Imperator Cæsar Marcus Opelius Seuerus Macrinus.* Auersa in pagina comparet equidem Apollo, qualem in suo, e regia Gallorum gaza agnoscit Cl. Vaillantius, sed nulla in dextra patera: chlamys a tergo reiecta est; præterea barbatus comparet, cumque calatho in capite, & leoni bicipiti, qui ab anteriore sui parte leonem reddit, a posteriori bouem cornutum, insistit, Inscriptio eadem: CΕΥΗριανῆς ΜΑΚΡΕΙΝΙΑΝΗC ΤΑΡCου, h. e. *Seuerianæ, Macrinianæ Tarsi*, & in area ad sinistram A M K ad dextram Γ. Β. Quod ad Apollinem attinet barbatus is & cum calatho in capite exhibetur, velut alter Osiris, quem & eundem cum Sole & Apolline fuisse constat. Simili habitu Apollinem Hierapolitanos co-
I. Satur. 17. luisse auctor est Macrobius. „ Hierapolitani, inquit, qui sunt gen- „ tis Assyriorum omnes Solis effectus atque virtutes ad simulacri bar- „ bati speciem referunt, eundemque Apollinem appellant. Huius facies „ prolixa

„ prolixa in acutum barba figurata eſt, eminente ſupra caput calatho". Seminudus, chlamyde in tergum reiecta, pharetram geſtat, prout eum a pictoribus & artificibus factum fuiſſe γυμνὸν ἐκ χλαμυδίου τοξότην, h. e. vt interpres vertit, *e chlamyde nudum latus oſtendentem, cum arcu & ſagittis*, Maximus Tyrius teſtatur. Leoni inſiſtit, quod animal iſtud Soli ſacrum eſt; &, docente Macrobio „ Aegyptii leonis ſignum domicilium Solis appellant, quia id animal videtur ex „ natura Solis ſubſtantiam ducere, primumque impetu & calore præſtat animalia, vti præſtat Sol ſidera". Addit „ validum eſſe leonem pectore in priore corporis parte, ac degenerare poſterioribus „ membris. Aeque Solis vis prima parte diei ad meridiem increſcere, „ vel prima parte anni a vere in æſtatem: mox elangueſcentem deduci vel ad occaſum, qui diei, vel ad hiemem, quæ anni pars „ videtur eſſe poſterior: eundemque oculis patentibus atque igneis „ cerni ſemper, vt Sol patenti igneoque oculo terram conſpectu perpetuo atque infatigabili cernit". Neque vero leoni tantum inſiſtit Apollo in numo hoc, ſed tauro pariter, cuius certe caput iunctum capiti leonino videas. Ita Mithras, qui haud diverſus, vt conſtat, ab Apolline & Sole, inſiſtens tauro occurrit in tabula Mithriaca, a Iacobo Gronouio ex marmore Romano Sancti Marci repræſentata, qui in aliis huius generis monumentis taurum cultro iugulans cernitur. Eo ſpectat rariſſimus Gordiani Pii cum eodem Mithræ huius taurum iugulaturi typo numus, ab eruditiſſimo Io. Vignolio prolatus, qui illuſtrando præſenti tanto certius inſeruit, quod iidem eum Tarſenſes cudere, prout docet inſcriptio: ΤΑΡCΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩC Α. Μ. Κ. Γ. Β. Indicaturque ea imagine Solis in Lunam, cuius ſymbolum bos, imperium, ſiue, vt alii contendunt, vis terram fœcundandi, qua de re plura apud harum tabularum interpretes, quorum ſententiam in compendio exhibet Montfauconius, vir doctrinæ & humanitatis laude florentiſſimus. Pertinetque adeo animal iſtud, cui ſimile cum gemina tauri & leonis natura exhibet Leonardus Auguſtinus, ad Θηρία σύνθετα καὶ ἀλλόκοτα, h. e. *e diuerſis generibus conflata & monſtroſa*, quæ appellat Gregorius Nazianzenus.

Diſſert. XXVI. p. 24. Edit. Cantabr.
L. c. L. I. c. 21. conf. Plutarh. Sympoſ. IV. 5. Horapollo. Hieroglyph. Lib. II.
Agoſtin. Gem antiqu. ſub initium.
Inſcript. Select. ſubi. Diſſ. de Columna Anton. Pii p. 176.
Antiq. expliquée T. I. p. 367. conf. ſuppl. T. I. p. 226.
Gemmæ Antiq. T. I. tab. 207. ſq.
Orat. IV. p. 128.

§. XIV.

Typus hic ceteroqui & in aliis Tarſenſium numis occurrit. Huius generis eſt Demetrii II. numus in ſerie Seleucidarum, quem haud ita pridem protulit Cl. Haymius, cum epigraphe: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΘΕΟΥ ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ, vbi notatu dignus titulus in capite figuræ animali inſiſtentis, ſimillimus ei, quo in noſtro numiſmate Apollo gaudet. Huc ſpectat & numus cum inſcriptione: ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ (ita enim legendum puto, non ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΝ) ΤΑΡΣΕΩΝ apud Begerum, & alius apud eundem, in qua idem typus pyramidi inſculptus cernitur, cui ſimilem gaza noſtra ſeruat. Eandem Pyramidem cum duabus figuris, haſtas gerentibus vtrinque, & adſcriptis verbis: ΤΑΡΣΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ expreſſam ſiſtit numus Quinti Herennii apud Cl. Haymium. Hanc ſepulchrum Sardanapali, conditoris Tarſi, figuram vero animali inſiſtentem, Sardanapalum, prout effigiem eius ſepulchro

De eodem plura.
L. c. Vol. I. p. 81.
Theſ. Brand. T. I. p. 507.
L. c. Vol. II. Tab.

pulchro quondam insculptam cernere licuit, interpretatur Begerus, cuius sententiæ Cl. Haymius subscribit. Sed fateor, vix esse, vnde rex tantus hic agnoscatur, si a poculo forte discedas, quod in his numis figuræ animali insistenti delineationes Begeri Haymiique tribuunt, quoque respici possit ad πολυθρύλλητον illud ΕΣΘΙΕ, ΠΙΝΕ, ΠΑΙΖΕ, h. e. *ede, bibe, lude*; tametsi id ipsum & Apollini, vel Soli vindicari potest, quem a Baccho, cuius symbolum cantharus vel poculum, non diuersum gentilium sibi superstitio fingebat. Monumentum Sardanapali, Strabone teste, sistebat eundem συμβάλλοντα τοὺς τῆς δεξιᾶς χειρὸς δακτύλους, ὡς ἂν ἀποκροτοῦντα, h. e. *conserentem dextræ manus digitos tanquam plaudentem.* Idem totidem verbis de eo ex Clitarcho refert Athenæus; eum manus complosisse Arrianus tradit. At nec digitorum, nec manuum complosionem in his numis ullam obserues; contra alia exhibent, de quibus altum apud scriptores silentium, arcum & pharetram, coronam, poculum & animal illud biforme, quod frustra Begerus pro lupo ceruino venditat, numi huius exemplo minus integro, vt videtur, vsus. Taceo, cum monumentum illud Anchiali extaret, non Tarsi, in Anchialensium potius, quam Tarsensium numis quærendum id videri. Sed hæc de typo: ex inscriptione notanda cognomina CETHρ*ιανῆς* ΜΑΚΡΕΙΝΙΑΝΗC, quibus Tarsus ἐπισημοτάτη πόλις Κιλικίας, *celeberrima Ciliciæ vrbs*, vt Stephano appellatur, quæ & ante a Julio Cæsare Ἰουλιόπολιν, ab Hadriano Ἀδριανὴν, a Commodo Κομμοδιανὴν, a Seuero Σευηριανὴν, ab Antonino Caracalla Ἀντωνινιανὴν se appellitauerat, studio Macrini, qui *insulsit*, vt est apud Capitolinum, nomen Seueri, cum illius nulla cognatione tangeretur, accensa vtitur. Litteras in area: AMK. Γ. B. cum Vaillantio interpretor: Πρώτης Μόνης Κιλικίας, Γερουσίας Βουλῇ, *primæ solius Ciliciæ, Senatus consulto.* De iisdem dicendi infra occasio redibit.

V. Cuper. Harpocr. p. 91. sqq. Lib. XIV. p. 672. Lib. XII. p. 530. De Expedit. Alexandr. p. 91.

Voce Τάρσος.

c. 5.

Cap. XI. §. XVIII.

§. XV.

De Aquilia Seuera numo adulterino. Lib. V. c. 14. p. m. 192. Lib. LXXIX. p. 911.

Iuliæ Aquiliæ Seueræ secundæ, si Herodiano fides, tertiæ, si Dioni, vel Xiphilino potius, qui Dionis excerpta nobis dedit, coniugis impurissimi Imperatoris Elagabali, numos æreos primæ formæ inter rariores numerari, vel Vaillantii, optimi harum arbitri, testimonio constat. Vnde lubens fateor, in gaza nostra non reperiri, nisi vnum, eundem nempe, quem & thesaurus Parmensis, tametsi diuersum nonnihil, seruat, cuius in parte auersa Concordia stans ante aram cum patera duplicique cornucopiæ, stella latus tegente, & inscriptio: CONCORDIA. Adest præterea alius, sed ex Iuliæ Mammææ numo confictus ab impostore, id quod facile me diligentior paulo contemplatio illius docuit. Erunt fortasse, quos fraudem penitius cognouisse iuuet, quamobrem delineationem numi subiiciendam duxi:

T. VIII. Tab. 34. n. 2.

Caput



Caput non Aquiliæ Seueræ eſt, ſed Iuliæ Mamææ, qua de re nemo dubitare poteſt, qui vtriusque vultum cum præſenti contenderit. Inſcriptio tamen habet: IVLIA AQILIA AVGVSTA, vbi, ne de omiſſo cognomine SEVERAE dicam, vel ſcriptura vocis AQILIA, in qua littera V deſideratur, quod falſarius plures effingere litteras non auderet, quam in voce MAMAEA reperiſſet, impoſturam ſatis redarguit. Prout vero aduerſa in parte inſcriptioni, ita in auerſa ſymbolis in area expreſſis impoſtor fraudulentas manus iniecit. Ex figura enim ſtolata ſtante cum cornucopiæ coram puerulo effinxit caput muliebre columnæ impoſitum, ad cuius latus cornucopiæ, puerulo, & inſcriptione: FECVNDITAS AVGVSTAE, litterisque S. C. vt erant, in area relictis. Nec laude ſua, ſi improbæ artis vlla eſt, defraudandus homo lucri quam bonæ fidei ſtudioſior, cui in transformando hoc numo negotium tam feliciter ceſſit, vt fallere incautos nullo negotio poſſit. Sed nec difficile fraudem ſubodorari, quæ, ſi propius omnia rimere, tanto manifeſtius ſeſe prodit, quanto plus artis ſtudiique in celanda ea oportuit inſumi. Vt vero res extra omnem dubitationem ponatur, non abs re erit Iuliae Mamææ numum, qui fingendo adulterino huic inſeruiit, tametſi pridem vulgatum paſſimque obuium ſubiicere.




§. XVI.

Viminacii, Coloniæ Moeſiæ ſuperioris, numos ſub Gordiano III. cuſos, cum adſcriptis notis AN. I. IIII. & V. exhibet, optimeque poſt Spanhemium, quo illæ pertineant, docet Cl. Vaillantius, nempe ad annos coloniæ eius a Gordiano Pio deductæ, quod ex numis Gordiani & Philippi inter ſe collatis, in quibus vtrisque AN. V. reperitur, cum Gordianus tribunitiam poteſtatem tantum ſeptimam geſſerit, anno altero exeunte vel tertio ineunte Gordiani factum eſſe, demonſtrat. Deſiderantur igitur apud eundem numi, in quibus AN. II.

De numis Col. Viminacii ſub Gordiano III. cuſis. De vſu & Præſt. Num. Edit. 1671. quæ hac ex parte plenior nouiſſima p. 876. Vaill. Num. Colon. P. II. p. 152. ſq.

II. & AN. III. quos ex theſauro noſtro, qui integro ordine numos primæ formæ cum AN. I. AN. II. AN. III. AN. IV. AN. V. ſub Gordiano cuſos oſtentat, illis iungas licet



Capita vtrinque laureata; Inſcriptio prioris: IMP*erator* CAES*ar* M*arcus* ANT*onius* GORDIANVS AVG*uſtus*, poſterioris: IMP*erator* GORDIANVS PIVS FEL*ix* AVG*uſtus*. Auerſa in parte mulier expanſis manibus ſtans inter bouem & leonem cum epigraphe: P. M. S. COL. VIM. Infra in altero AN. II. in altero AN. III. Litteras P. M. S. interpretandas eſſe, *Prouinciæ Mæſiæ Superioris*, certe coniectauit Triſtanus. Neque enim facile reperietur, vt puto, qui cum Cl. Harduino legendum credat, vel *Præfectura Militum Superuentorum*, vel *Prouinciæ Macedoniæ Superioris*, cum Viminacium Mæſiæ ſuperiori diſerte tribuat Ptolemæus, Mæſiæ in genere alii ſcriptores. Ex ſymbolis enim bouis & leonis prius Macedoniam extundere, quam vetuſtis auctoribus, in quos iuſta fraudis ſuſpicio nulla cadit, fidem habere malle, cuiusvis non eſt; quemadmodum & nemo temere, *Viminacium* fortaſſe pro *Vimania Colonia*, alioue ſimili nomine nobis ſcriptores finxiſſe, cum viro doctiſſimo ſuſpicabitur. Sed vt in litteris his explicandis res feliciter ceſſit Triſtano, ita quid AN II. III. ſibi velit, aſſequi non potuit, ratus ANNONAM II. III. eſſe intelligendam, quæ interpretatio a vero quidem aliena, ſed tamen minus abſona eſt, atque alia Sebaſtiani Erizzi, qui ex vniuerſa inſcriptione, P. M. S. COL. VIM. ANTI (quod legit pro AN. II.) duas voces decerpit, legendasque ſibi perſuadet: CO*Lonia* ANTI*um*. „At nihil erat procliuius, inquit, illuſtris vir ſupra laudatus, (cuius veſtigia, tametſi nulla eius rei mentione facta, preſſit Vaillantius,) „ quam eosdem illos numos explicare de annis deductæ „ illius ſub Gordiano Coloniæ, qui reperientur totidem extitiſſe ſub „ Philippo aut Decio, quot in iisdem numerantur, ac pro more aliarum coloniarum inde annos ſuos computandi". Fallit autem haud dubie Patinus, haud felicior Triſtano interpres harum litterarum, quando de numo Gordiani ſcribit: *Obſcuri ſunt characteres in ima numi parte*

T. II. p. 557. De num. Vrb. Apop. p. 176. Lib. III. c. 9. p. 77. Dichiaratione di Medaglie antiche. p. 705. Num. Imp. p. 369.

te signati: AN. XII. Hoc anno enim numi Coloniæ Viminacii sub Traiano Decio demum, Etruscilla, Q. Herennio & Hostiliano reperiuntur, in Gordiani autem imperium nullo modo quadrant. Fallit & haud dubie Goltzius qui Iuliæ Mæsæ & Alexandri Seueri numos cum inscriptione: COL. VIM. AN. I. & AN. II. recenset, quibus fretus Cl. Harduinus in operis sui de numis vrbium & populorum editione contendit, coloniam eam a Gordiano Pio tantum renouatam esse, quem tamen locum de νοθείᾳ horum numorum a Vaillantio edoctus in posteriori editione Operibus Selectis inserta resecuit. Symbola bos & leo, vel in genere Coloniam designant, & incolarum, ad quos deducta est, indolem ac mores, vel eorundem ferociam, colonorum Romanorum aduentu mitigatam, concordiamque inter inquilinos aduenasque conglutinatam docent. Ceterum COL*oniæ* VIMINACII mentio quoque in veteri inscriptione apud Gruterum: ANTONIAE. BONOSAE. VIXIT. ANN. XXXVIII. AVRELIO. CONSTANCIO. EQ. R. DEC. COL. VIMIN. VIXIT. ANN. VI. P. ANTONIO. VICTORI MIL. LEG. VI. VICTRICIS. FRVM. VIXIT. ANN. XVIII. R. ANTONIVS. SVPER. INFELIX PATER. Ad quam notauit Marquardus Gudius: „ Viminacium ciuitas ad Danubium, „ condita a Diocletiano, qui ibi frequens fuit" , quod non puto excidisset viro celeberrimo , si pari studio numos, ac lapides antiquos excussisset.

Thes. p. 242. p. 516.

L. c.

p. CCCLXXI. n. 5.

§. XVII.

„ Numos Aemiliani, inquit Patinus, non ita commendant typi, „ sed raritas. Aemilianus enim, (ex breuitate imperii id coniicitur,) „ rarus est in antiquis, quem ideo frequentissime suppositiitium ha„ bent in cimeliis". Sapientissimum viri harum litterarum studio peritiaque clarissimi monitum haud scio an ob oculos satis habuerit doctissimus Bandurius, vbi Imperatoris eius numismata percensuit. Inter cetera enim, quæ protulit, sequens reperitur, quod his verbis descripsit: „ IMP. CAES. AEMILIANVS AVG. Caput Ae„ miliani, vt supra, (laureatum, ad humeros cum paludamento) „ SALVS AVG. Figura muliebris paludata ac stolata stans ante aram, „ dextra tenet pateram, ex qua serpentem pascit, sinistra hastæ in„ nixa: in area S. C.". Addit huic descriptioni in subiecta annotatiuncula: „ *Numus cum hac epigraphe & hoc typo in Aemiliano sin„ gularis*". At similem gaza Fridericiana numum complectitur, qui νοθείας suspicione grauissima laborat. Eius iconem subjicio, vt cauere sibi a fraude falsariorum possint, quibus nondum diuturno vsu parta est dexteritas genuina a spuriis secernendi.

De Aemiliani numo adulterino.

Numism. Imp. p. 404.


L. c. T. I. p. 96.



Aduersa in parte capiti Aemiliani laureato addita est inscriptio: IMPerator CAESAR AEMILIANVS *Pius* FEL*ix* AVG*ustus*. In auersa Dea Salus capite velato stat, dextra serpentem tenens, sinistra pateram. Epigraphe: SALVS AVG*usti*: in area: S. C. Posterior quidem pagina huius numi eadem prorsus cum numo Banduriano: nisi forte momentum trahat, quod paludatam figuram stantem appellat vir clarissimus. Sed neque paludamentum figuræ muliebri congruit, tametsi Plinius testatur, se vidisse Agrippinam Claudii Principis, edente eo naualis prælii spectaculum, assidentem ei, indutam paludamento, & manifestum est, errore operarum paludatam eam dici pro velata, qui quidem habitus illius in præsenti numo cernitur. Differt tamen nonnihil prior pars, si spectes inscriptionem. Qui enim in præsenti Aemiliano tribuuntur tituli P*ii* FEL*icis*, in numo Banduriano desunt. De eius ἀυθεντίᾳ viderint, quibus eum propius spectandi facultas obtinget. Ceteroqui a vero non abhorret, Romanos, vt in aliis Aemiliani numis APOLLINEM CONSERVATOREM, ita in his Deam SALVTEM, de qua erudita nobilissimi Grosei de Bose dissertatio prostat, in partes vocasse, quod pestis ab orientis partibus in occidentem propagata omnia infesta reddere cœpisset. Cedrenus de ea sub Treboniano Gallo & Volusiano: Ἐπεκράτει ὁ λοιμὸς ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις, κινηθεὶς ἀπὸ Αἰθιοπίας μέχρι τῆς δύσεως, ὡς μηδεμίαν πόλιν μεῖναι τούτου ἄμειρον, πολλάκις ἢ καὶ δὶς τῆς πόλεως ἐπήρχετο, ἐκράτει δὲ ἔτη ιέ, ἀρχόμενος ἀπὸ Φθινοπώρου καὶ λήγων τῇ τοῦ κυνὸς ἐπιτολῇ. Μετεδίδοτο δὲ ἡ νόσος αὕτη ἀπό τε ἱμάτων καὶ ψιλῆς θέας. Οὐ γὰρ ἦν οἰκία ἐν ᾗ τεθνηκὼς οὐκ ἦν, hoc est, vt vertit interpres. *Eo tempore pestis inualuit ab Aethiopia in occiduam vsque terræ partem propagata, neque vlla fuit vrbs eius expers; multæ etiam bis ea lue infestatæ. Obtinuit annos XV. cœpit autumno, & desiit sub ortum Caniculæ. Propagabatur morbus iste etiam vestimentis soloque adeo aspectu, neque fuit domus, in qua nemo esset mortuus.*

Lib. XIII. Sect. XIX. Edit. Hard. nomis. T. II. p. 616.

Insert. Elect. rei num. p. 24. sqq. Histor. comp. p. 258.



CAPVT



CAPVT IX.

DE NVMIS IMPERATORVM ÆREIS SECVNDÆ MAGNITVDINIS.

§. XI.

§. I.

De numis æreis Imperat. II. magnitudinis.

HActenus de numis æreis primæ formæ, qui quidem Romanorum Imperatorum memoriam a Iulio inde Cæsare vsque ad Postumorum ætatem posteritati commendant. Ad alteram iam seriem eorum pergo, qui secundæ magnitudinis, mediique inter maximos illos minimosque ordinis vulgo perhibentur. Quodsi celeberrimorum virorum, Patini inprimis, exemplum sequi animus fuisset, poterant, qui restant ex ære numi, percenseri simul, duoque adeo, quod in proverbio dicitur, parietes una fidelia dealbari. Ita & suadere videbatur catalogus, diligentissimi Morellii nostri opera iussuque ita adornatus, vt numi secundæ tertiæque magnitudinis nullo discrimine permisti vnum veluti corpus efficiant. Sed cum posteriores a Gallieni potissimum ætate (nam ante omnino tam frequentes non occurrunt, vt separatum a numis secundæ magnitudinis locum postulent) suum sibi

ſibi ſcrinium, æque ac priores, habeant, neque id pauciora huius generis cimelia, quam cetera complectatur, putaui laudem diligentiæ, quam vnice in hac ſcriptione ſectari mihi licet ingenii doctrinæque præſidiis deſtituto, quodammodo periclitaturam, niſi diſtinctis ſcriniis diſtincta capita deſtinarem. Norunt præterea, qui veteres numos tractant, quam vtile non modo, ſed & neceſſarium ſit, diuerſa numorum genera diſcernere, vt ne iudicium de iis ferentes in transverſum abripiamur. Igitur ſi vel maxime Patini exemplo iunctim has claſſes expendendas ſumſiſſem, ſine negligentiæ nota ſubterfugere non licuiſſet laborem, cuiusnam numi, quos deſcriberem, eſſent claſſis, vbique indicandi. Quæ res prout & ſcribenti & legenti toties iterata ſui mentione faſtidium haud dubie peperiſſet; ita conſultius viſum eſt, vtrumque genus huiusmodi numorum percurrere ſigillatim, &, ſi qua ſe inde vel nondum, vel minus recte obſeruata deſcriptaue aliis offerrent, paulo vberiori luce perfundere. Et ſane non defuturam diſtinctis capitibus materiem, monimentorum, quæ percurrenda hac ex parte reſtant, numerus, qui a quatuor millibus non multum abeſt, facile cuique perſuadebit. Vna enim hæc ſeries numorum ſecundæ molis tantum non bis mille ambitu ſuo complectitur.

§. II.

Sed quanta ea ſit, ex indice ſequenti ſatis perſpicere licebit. *Index.*

Iulius Cæſar	Aelius
Auguſtus	Antoninus Pius
Liuia	Fauſtina
Agrippa	M. Aurelius
Tiberius	Fauſtinus iun.
Druſus	L. Verus
Germanicus	Lucilla
Nero & Druſus	Commodus
Caligula	Criſpina
Antonia	Pertinax
Claudius	Albinus
Britannicus	Seuerus
Agrippina	Iulia
Nero	Caracalla
Galba	Plautilla
Otho	Geta
Vitellius	Macrinus
Veſpaſianus	Diadumenianus
Titus	Elagabalus
Iulia Titi	Iul. Paula
Domitianus	Iul. Mæſa
Domitia	Iul. Mammæa
Nerua	Alexander Seuerus
Traianus	Maximinus
Hadrianus	Paulina
Sabina	Maximus

Gord. Africanus
Balbinus
Pupienus
Gordianus III.
Tranquillina
Philippus P.
Otacilia
Philippus F.
Decius
Etrufcilla
Herennius
Hoftilianus
Gallus
Volufianus
Valerianus
Mariniana
Gallienus
Lic. Valerius
Aurelianus
Seuerina
Tacitus
Probus
Carus
Magnia Vrbica
Numerianus
Domitius Domitianus
Carinus
Diocletianus
Maximianus
Conftantius
Caraufius
Gal. Val. Maximian.
Gal. Valeria
Maximinus
Fl. Val. Seuerus
Maxentius
Romulus
Conftantinus M.
Magnentius
Decentius
Iulianus
Valens
Gratianus
Theodofius
Anaftafius
Iuftinianus
Tiberius
Conftantinus
Mauricius
Focas
Heraclius
Conftans
Conftantinus
Michael Balbus
Bafilius
Leo
Conftantinus
Conftantinus & Zoë
Romanus
Ioannes Zemifces
Io. Comnenus
Ifaac. Angelus
Alexius Angelus

§. III.

De numo Tiberii fingulari. Numif. Imp. p. 66. Numifm. Colon. T. I. p. 86.

Initium faciat Tiberii numus, ab Vticenfibus in Africa cufus, cuius generis & Patinus & Vaillantius haud vnum producit, quos inter fruftra quæres, qui illis, vtpote tempore, vt videtur, pofterior, fubiungi ex thefauro noftro poterit.



Magnitudo eius a numis primi moduli parum recedit, fed craffities minus

nus respondet, ita vt locus illi hac in classe omnino relinquendus videatur. Aduersa pars, caput Tiberii nudum exhibet vna cum inscriptione: TI*berius* CAESAR DIVI AVG*usti* F*ilius* AVGVSTVS IMP*erator* VIII. Auersa statuam Liuiæ sedentis ac velatæ, dextra pateram, sinistra hastam gerentis. Epigraphe: C. VI. EKPR. T. G. RVFVS SOR. CAE. Q. PR. T. G. RVFVS F. C. & in area circa statuam D. D. P. P. Ac statua quidem Liuiæ, quæ eam velut alteram Iunonem habitu Deæ sistit, minus nos morabitur. Equidem Liuiam *non parentem patriæ appellari, non vllum insignem honorem recipere publice passus est* Tiberius, quemadmodum Tranquillus docet, sed nihilominus, vel inuito eo, cultores nacta est fœmina, cuius ingenium & virtus præsentes absentesque in admirationem sui rapiebat. Inscriptio haud paulo dignior notatu. C. VI. prout ex similibus Vticensium numis patet, est *Caius* VI*bius*, cui cognomen MARSO a gente Marsorum, quod tamen hic desideratur. Sane minus frequens id Romanis; neque enim præter M. MAGIVM MARSVM, & AVR. SVPERINIVM MARSVM, Marsorum facile in antiquis monumentis occurrit mentio, nisi quod VIBIA MARSI, fortasse huius ipsius C. VIBII MARSI, filia, commemoratur in vetusto lapide apud Gruterum. Stipauit is latus Germanici in Syria, quo mortuo parum abfuit, quin Syriæ præficeretur, nisi, oborta ea de causa contentione, cum Cn. Sentio, ei seniori & acrius tendenti, quemadmodum Tacitus id narrat, cedere maluisset. Proconsul post in Africam missus triennio, quod constat ex numis Vticensium, in quibus PR. COS. PR. COS. II. & PR. COS. III. dicitur, prouinciæ præfuit. Obtinuit eam, quemadmodum Cl. Vaillantius coniectat, A. V. DCCLXXIX, vnde, si numorum testimonio standum, decessit A. V. DCCLXXXII. Liuiæ, cuius est statua in area expressa, morte insigni, quo tempore cusum hunc numum arguere videntur, cum litteræ EXPR. tum, quod sequitur nomen T. G. RVFVS SOR. quod eius esse, qui finito C. V*ibii* proconsulatu, partes eius ad tempus suscepit, dum nouus Proconsul mitteretur, ex ceteris Vticensium numis colligo, in quibus Prouincia Africæ rectoris mentio litteris CAE. Q. PR. præmittitur. Lego autem partem priorem inscriptionis *Caio* VI*bio* EX*cito* PR*ouincia* T*itus* G*eminius* RVFVS SOR*anus*. EX. interpretor EX*cito* potius, quam EX*eunte* vel EX*cedente*; hoc sensu enim voce DECEDENDI solenni & propria, vbi de discessu eorum, qui prouinciis præfuerunt, sermo est, qui numum cudit, sibi vtendum haud dubie putasset. Fortasse & in litteris PR. distinctæ voces delitescunt, quo pacto si habeat res, possit legi: *Caio* VI*bio* EX*cito* P*rouinciæ* R*elictus* T*itus* G*eminius* RVFVS. *Relinqui* enim *prouinciæ* de eo dici, qui partes Proconsulis, decedente eo, gerit, dum successor venerit, vel vnus Ciceronis locus luculenter docet. „ Statueram, inquit, „ fratrem relinquere, aut etiam reip. causa contra S. C. ipse remanere; . . . . . videbam sermones: hui fratrem relinquit: num „ est hoc non plus annum obtinere prouinciam " ? Habemus igitur decessorem prouinciæ C. VI*bium* M*arsum*, qui sub extrema Tiberii tempora Albucillæ adulter eiusque in principem impietatis conscius, inediæ obtentu produxit vitam, Claudio vero imperante honoribus denuo admotus Syriam rexit, habemus item, qui ei ad tempus successit,

Suet. Tiber. c. 50. sq. Conf. Dio Lib. LVII. p. 609. sq. Tib. c. 50.

p. CCCCIII. 5. conf. p. CCCCLIV. 1. Annal. II. 74.

Ad Attic. Lib. VI. Ep. 6.

Tacit. Lib. VI. c. 47. Annal. XI. c. 10.

ſucceſſit, vt videtur, ſed non æque notum, niſi de nomine: T. G. RVFVS SOR., de quo iam pluribus agendum.

§. IV.

De eodem plura.

Prænomen ei Tito eſt, quod vna littera T. deſignari ſolet, vt Tiberii duabus TI. Prænomen ſequitur nomen; quod vna itidem expreſſa cernitur littera G. quæ Geminium deſignare videtur. Hanc enim gentem Rufi cognomen tuliſſe ex Dione, qui Caii Geminii Rufi ſub eodem Tiberio, quo imperante noſter vixit, meminit. Verba ſunt: Τῶν δ' ἄλλων πολλοὶ ϗ ὀνομαστοὶ ἐφθάρησαν ὧν ϗ Γάϊος Ῥοῦφος Γεμίνιος, quod recte interpres vertit: *Interim multi illuſtres viri peribant, inter quos vnus fuit Caius Geminius Rufus*, nomine gentis, quod haud raro cognomini poſtponitur, qua de re Ill. Spanhemius videndus, loco ſuo reſtituto. SOR. eſt SOR*anus* a *Sora*, vrbe Italiæ, vnde gentilis nominis locum occupat apud Liuium, vbi *Soranus transfuga & Soranus ager* occurrit. Hinc familiis Romanis, vel quod ad vrbem illam origines ſuas referrent, vel alia de cauſa, proprium eſſe cœpit, tametſi vtique rarius invenitur. Præter enim Soranos ex Valeria gente, & Baream *S*oranum cuius fata nobis Tacitus memorat, vix alium ex Romana hiſtoria excitaveris, niſi ad marmora antiqua confugias, quæ L. Galli Sorani nomen ad poſteros transmiſere, vt taceam Soranum Batavum, cuius epigramma ibidem affertur. His accedit præſens Soranus ex gente Geminia, in cuius nomine vox *Sorani* agnominis locum occupat, quemadmodum veteres Grammatici iunctum cognomini cognomen appellare ſolent. Neque enim hæc multiplicatio cognominum infrequens Romanis, prout idem vir ſummus, quem ſupra laudaui, pluribus oſtendit. Hic igitur *Titus Geminius* RVFVS SOR*anus* legatusne an quæſtor Proconſulis fuerit, equidem difficile dictu eſt, cum vtrumque, Proconſule decedente, prouinciæ præfici potuiſſe conſtet.

Lib. LVIII. p. 623. — L. c. T. II. p. 55. — Lib. IX. c. 23. Lib. X. c. 33. — Annal. Lib. XVI. c. 23. Grut. DXLIII. 3. — L. c. DLXII. 3. — T. II. p. 47.

§. V.

Eiuſdem argumenti continuatio.

Ad litteras CAE. Q. PR. pergo, vbi notatu dignum, neque NERONEM neque DRVSVM nominari diſerte, perinde vt in ceteris, qui vulgati proſtant, Vticenſium cum C. VIBII PROCOS. mentione numis, ſed ſiue alterutrum, ſiue, quod veroſimilius, vtrosque CAE*ſarum* appellatione deſignari. Quod ad litteras Q. PR., iis *Quæſtorem* PR*ouincialem* ſignificari contendit Cl. Vaillantius, ratus, quod ſors & coniunctio eiusdem prouinciæ neceſſitudinem quandam afferret. Neronem ac Druſum Cæſares, Quæſtores Caii Vibii, patris Germanici legati, factos videri, cumque ita duos ſub vno Proconſule Quæſtores agnoſcere oporteat, exiſtimat, licuiſſe id Conſularibus, vt plures Quæſtores haberent, eaque de re ad Dionem prouocat. Sed eo in loco Dio non de Quæſtoribus agit, ſed de παρέδροις aſſeſſoribus legatisque, quorum vnum prætorios, tres autem Conſulares ſibi adſciuiſſe docet. Quod cum ita ſit, ſententia viri clariſſimi, quibus rationibus tueri ſe poſſit, vix ſatis intelligo; certe in præſentem numum

Lib. LIII. p. 505.

mum minus illa, vt videtur, quadrat. Post discessum enim Proconsulis Quæstoris eius, tametsi Cæsaris, quæ mentio fieri poterat, nisi forte in Prouincia relictus partes eius, quod de T. G. RVFO SOR. mihi verosimile fit, ad tempus gerendas suscepisset. Taceo, quod monet Cl. Harduinus vix esse, vt credamus, Cæsares, vel Drusum vel Neronem Quæstores in Prouincia tam tenui fuisse. (De Num. Vrb. & pop. Opp. Sell. p. 177.) Q. PR. igitur in his numis nihil aliud significat quam *Quinquennalis* P R*ræfectus*, quo pacto has litteras rectissime, vt videtur, exponit Cl. Harduinus. (L. c.) Constat enim, hanc dignitatem ipsis adeo Imperatoribus fuisse delatam, id quod de Hadriano Spartianus tradit, (c. 19.) ita vt mirum idem de Cæsaribus Nerone & Druso videri nullo modo possit, qui proinde & in numo, quem Ill. Spanhemius ex gaza Medicea profert, (T. II. p. 377.) quemque & ex nostra monstrare licet, cuius auersa in parte inscriptio : NERO ET DRVSVS CAESARES QVINQ. C. V. I. N. C. QVIN*Quennales* appellantur. Equidem vir illustris vocem QVIN*Quennales* trahit ad C. VINC. hoc est, nescio quem C*aium* VIN*Cium* pro quo idem M*arcus* VINI*Cius* mallet, vt is QVIN*Quennalis* dici intelligatur. Ita enim ille de numo hoc: (L. c.) „ In priori nempe eius parte expressa est „ Tiberii effigies, cum inscriptione: TI. CAES. DIVI AVG. „ F. AVGVST. P. M.; in auersa autem NERO ET DRV- „ SVS CAESARES QVINQ. C. VINC. quæ postrema „ explicanda veniunt *Quinquennalis Caius Vincius.* Quanquam pro „ *Vincio*, cuius Gentis aliqua, sed obscura, occurrit in antiquis lapidi- „ bus mentio, *Vinicium* mallem, si per numi scripturam liceret. Ger- „ manici quippe gener *M. Vinicius*, cui illius filiam Iuliam vxorem „ dederat Tiberius, & quem proinde alibi inter Cæsaris *progeneros* recen- „ set Tacitus, Gentilis itaque eius C. Vinicius (quo nomine vnus (Annal. VI. 15. & c. 45.) „ inter suffectos Consules occurrit apud Gruterum) & a quo hic ho- „ nor Germanici liberis habitus, vt eos cum Auo eorundem Tiberio „ ære signandos curaret". Sed vidit dudum Vaillantius, (L. c. p. 98.) quod qui fugere Spanhemium potuerit, miror ac demiror, litteras C. VINC. non denotare nomen viri, sed *Coloniam Victricem Iuliam Nouam Carthaginem*; quo pacto & designata illa iisdem litteris initialibus occurrit in numo Caligulæ apud eundem Vaillantium, (L. c. p. 108.) in quo legitur: SAL. AVG. CN. ATEL. FLAC. CN. POMP. FLAC. IIVIR. Q. V. I. N. C. quod est: SAL*us* AVG*usta* CN*eio* ATEL*lio* FLAC*co* CN*eio* POMP*eio* FLAC*co* IIVIR*is* *Quinquennalibus* V*ictricis* *Iuliæ* N*ouæ* C*arthaginis*. Supersunt ex epigraphe numi nostri litteræ : T. G. RVFVS F. C. Duumviri hoc nomen est, qui vna cum A. M. GEMELLO, qui in alio simili apud Vaillantium numo (L. c. p. 87.) commemoratur, Liuiæ statuam in area expressam F. C. h. e. F*ieri* C*uravit*. Eius nomen, reiecta interpretatione Angeloni, qui legit Titus Crispinus RVFVS, idem Vaillantius interpretatur, Titus Cæcilius RVFVS. Sed in numo præsenti non est C, vt Cæcilius legi possit, sed G. quam litteram & seruat ectypus gemini numi insertus Operi Morelliano de numis Romanarum Familiarum in gente Vibia C. VIBII MARSI PROCOS. numis aucta. Alia igitur, quam Cæcilia gens quærenda est, cui RVFVS iste duumvir asseri possit, cuiusmodi sunt Gallia, Gellia, aliæque. GARGILII RVFI memoriam seruat vetustus lapis apud Gruterum. (p. DXXV. 5.) Fieri & potest, vt eius-

dem familiæ Geminiæ fuerit, ac ſuperior T. G. RVFVS, cuius in eodem numo, ſed addito nomine diſcretiuo, mentio occurrit.

§. VI.

De numo Druſi Græco. L. c. Tab. XV. p. 155. Numiſm. Græc. p. 9.

Druſi numum Græcum vulgarunt Morellius noſter & Vaillantius, ille quidem ex gaza regia Gallorum, hic ex ſupellectile antiquaria I. Gianotti, Doctoris Medici Liburnenſis; ſed & in aduerſæ partis epigraphe deſcribenda ſibi aduerſantur. Morellius enim legit: ΔΡΟΥΣΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΑΥΓΟΥΣΤΟΥ ΥΙΟΣ. Vaillantius autem ΔΡΟΥΣΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΑΥΓΟΥΣΤΟΣ, neque conſentiunt inter ſe, Druſone, ſeniori Tiberii fratri, an iuniori, Tiberii filio, ſit tribuendus. Seniori adſcribit, Tiberiique inde fratris alterum, quod ad dextram aduerſae paginæ cernitur, caput interpretatur Morellius. E contrario Vaillantius iuniorem agnoſcit, Tiberii caput auerſa in pagina expreſſum filii eiusdem Druſi eſſe perſuaſus. Neuter penitus ſatisfacit Ill. Spanhemio, qui vtriusque interpretatione paulo penitius expenſa, in tractatione huius numi minus oculatos fuiſſe viros duos, ceteroqui vſu & notitia veterum numorum hac ætate præ aliis conſpicuos, pronuntiat. Cum eundem gaza noſtra inter rariora ſupellectilis ſuæ cimelia numeret, delineationem eius ſubiicere non abs re fuerit, tametſi omnino dolendum, aduerſam eius paginam non ita immunem a temporis iniuria, vt de epigraphe eius certi quid ſtatuere liceat, ad nos perueniſſe.

T. II. p. 320. ſq.



Sculptus eſt numus, id quod facile apparet, ab artifice admodum rudi, tametſi eius rei ne verbo quidem vel Morellius vel Vaillantius meminerunt. Exhibet hinc caput laureatum, pone quod veſtigia litui cum inſcriptione litteris perquam rudibus expreſſa . . . . ΚΑΙΣΑΡ ΑΥΓΟΥ . . . . illinc capita duo nuda cum epigraphe TIB. ΓΕΡ. ΚΑΙΣΑΡΕΣ. Inſcriptionem aduerſæ partis ex Morelliano ectypo ſuppleo Δρȣ̃σος ΚΑΙΣΑΡ ΑΥΓΟΥστȣ Υἱὸς, h. e. *Druſus Cæſar Auguſti Filius.* Manifeſtus enim error vel Vaillantii vel, quod malim, typographi eſt, quando in præclaro eius opere inſcriptio eadem his verbis concepta legitur: ΔΡΟΥΣΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΑΥΓΟΥΣΤΟΣ. Puto autem veriſſimam eſſe ſententiam Morellii, qui Druſum ſeniorem intelligendum arbitratur, non iuniorem. Quodſi enim iunior expreſſus cerneretur, largiendum eſſet, quod & ſtatuit Cl. Vaillantius, capita auerſæ partis eſſe Tiberii, filii Druſi iunioris & Germanici, quæ iungi nullo modo per temporum rationes potuere, Germanico octodecim ante annis extincto, quam Tiberius is, Druſi iunioris filius, prætextam poſuiſſet, quemadmodum Ill. Spanhemius optime oſtendit.

Nec

Nec iunior Drusus ΑΥΓΟΥΣΤΟΥ ΥΙΟΣ, *Augusti filius*, sine addito Tiberii nomine, diceretur, qui in numi Goltziani inscriptione appellatur: ΔΡΟΥΣΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΤΙ. ΣΕΒ. ΥΙΟΣ ΔΗΜ. ΕΞΟΥΣ. ΟΥΠΑΤΟΣ Β. Sed si Drusus senior intelligendus, inquit Ill. Spanhemius, quo pacto is ΚΑΙΣΑΡ, ΑΥΓΟΣΤΟΥ ΥΙΟΣ, h. e. *Cæsar Augusti filius*, dici potuit, cum Romana historia Drusum eum adoptatum ab Augusto, Cæsaremue inde dictum, nusquam doceat. Cui dubio ita occurrit, vt statuat, numum hunc a Græca vrbe percussum esse, quæ ita rem habere sibi persuaserit, eoque magis, quod Cæsarum, Caii & Lucii cohæres, teste Suetonio, ab Augusto sit institutus. Claud. c. 1. Quid vero, si legamus ΔΡΟΥΣΟΣ ΚΑΙΣΑΡος ΑΥΓΟΥΣΤΟΥ ΥΙΟΣ, h. e. *Drusus Cæsaris Augusti filius*. Ita certe Cæsaris nomen, quo Drusum seniorem appellatum Tacito esse in Indice eius perperam tradit Freinshemius, minus offendiculi pariet. Filius autem Augusti κατὰ πλάτος saltem videtur dici potuisse, qui priuignus erat, quanquam filium proprie, nothum nempe, fuisse haud obscure tradit Suetonius, Claud. c. 1.
„ Patrem, inquit Tranquillus, Claudii Cæsaris Drusum olim Decimum, mox Neronem prænomine, Liuia, cum Augusto grauida nupsisset, intra mensem tertium peperit; *fuitque suspicio, ex vitrico per adulterii consuetudinem procreatum.* Statim certe vulgatus est versus:

„ Τοῖς εὐτυχοῦσι καὶ τρίμηνα παιδία".

Auersa in parte cum Morellio Tiberii, postea Imperatoris, & Germanici, Drusi, de quo dixi, filii, capita agnosco, quæ communi Cæsarum appellatione iunguntur, quod Augustus diu cunctatus, an sibi successorem destinaret, Germanicum adoptandum Tiberio successori dedit. Suet. Calig. c. 4. His iam scriptis obseruaui, eundem numum ex regio Gallorum thesauro citari a Cl. Harduino cum inscriptione auersæ partis, prout eam vulgauit Morellius noster. Ad Plin. XIV. p. 729. T. I. Edit. nouiss. Numum ipsum num consuluerit vir doctissimus, nescio: Explicatio eius huc redit, numum esse Drusi iunioris; auersa in pagina comparere liberos eius gemellos, Tiberium & Germanicum, quod posterius nomen alterutri ex gemellis his hæsisse, vnde hauserit, vellem, docuisset. Nam adhuc persuasum viris doctis fuit, alterum in ipsa infantia extinctum Drusum fuisse dictum. V. Trist. T. I. p. 171.

§. VII.

De eiusdem Drusi numo restituto.

Superiorem, quem vidimus, numum Druso iuniori tribui non posse ex dictis abunde, vt arbitror, patet. Accedit haud paulo alio vultu, quam qui expressus ibi comparet, Drusum eundem in numis ei cusis comparere, ex quibus sequentem, quem Titus Imperator vna cum aliis restituendum curauit, subiicere liceat.

Altera



Altera eius pars caput Drusi nudum exhibet vna cum inscriptione: DRVSVS CAESAR TI*berii* AVG*usti* F*ilius*, DIVI AVG*usti* N*epos*: Altera litteras S. C. quas duplici versu vel circulo expressa includit epigraphe: IMP*erator* T*itus* CAES*ar* DIVI VESP*asiani* F*ilius* AVG*ustus* P*ontifex* M*aximus*][TR*ibunitia* P*otestate* P*ater* P*atriae* CO*n*S*ul* VIII. RESTITV*it*. Hunc numum iamdudum

p. 97. p. 72. Occo ex eoque Mediobarbus descripserunt, sed nulla duplicis circuli facta mentione. Diuisam in duos versus inscriptionem auersae partis

Num. Imp. p. 81. sistit delineatio Patini, veruntamen, quod in numum minus integrum vir laudatissimus incidisset, deficientibus alibi superfluis litteris. Cl.

De num. Gratiani Opp. Sell. p. 508. Harduinus in catalogo numorum RES*Titutorum*, quem contexuit, similes quidem Drusi iunioris numos a Tito restitutos affert, sed & praesentem ibi & eius explicationem breuem haud immerito desideraueris. Si enim RESTITV*isse* in hoc numo, prout ille affirmat, idem est, ac Principum, quorum numi restituti sunt, *desideratas iamdudum in republica virtutes ac dotes aut res praeclare gestas repraesentasse, siue exhibuisse*, scire auerem, quasnam virtutes ac dotes, aut res praeclare gestas Drusi, flagitiosissimi Principis, Titus, optimus Imperator, aemulari potuerit. Quod enim in alio Drusi numo Pietas capite velato expressa cernitur, non equidem probat, pietatis eum vel generatim, vel erga parentes ac fratres inprimis, laude magnopere floruisse, vt qua de scriptores prorsus silent alia nobis omnia tradentes, sed pietatem Senatus, qui, parenti Tiberio gratum facturus, filii extincti memoriam numismate hoc ad posteros transmisit, verius commendat. Ac pone hominis impurissimi pietatem, quae nulla fuit, celebrari hoc pacto, confictam hanc eius laudem in exemplum sibi proposuisse Titum, &, vt sua ex illius pietate aestimaretur, operam

L. c. 81. dedisse, quis credet? Rectius, vt videtur, Patinus coniectat, Titum fratremque Domitianum infelicis Principis sortem, pessimis artibus Seiani subuersi, miseratos eius monumenta salua voluisse.

§. VIII.

De numo Claudii. Palaestin. p. 788. Gazaeorum in Palaestina numismata Imperatorum Romanorum ante Titum cusa reperiri posse in litteris ad Relandum recte affirmat Galliae

Lib. XVII. p. 759. suae nuper decus, Antonius Gallandus. Quod enim & Strabo, apud quem tamen glossema ea ex parte agnoscit Palmerius, & Actorum

Act. VIII. 26. Apostolicorum scriptor Gazam suo tempore ἔρημον fuisse tradunt, id κατὰ πλάτος ratione status haud paulo florentioris, quo antea caput extulerat, accipiendum est, nisi vocabulum ἔρημος cum eodem Gallando

interpretari

interpretari ex Hesychio malimus, apud quem ἔρημα, ἀφύλακτα h. e. *loca sunt, quæ non munita præsidio carent, nec opus habent.* Testes luculenti, cum Iosephus, qui vrbem hanc variis ante cladibus male habitam αὐτονομίᾳ donatam, Syriæque prouinciæ attributam a Pompeio, & instauratam à Gabino proconsule tradit, tum numus Bandelotianus apud Vaillantium cum æra IΓ h. e. anni XV. qui ex Norisii, æræ huius initium A. V. DCXCIII assignantis, calculo, viris doctissimis probato, anno V. DCCVI. respondet; tametsi annum XIII. Hadriani, qui vrbis conditæ est DCCCLXXXII inde dicit Cl. Harduinus. Neque dubitandum proinde, quin numismata postea primorum Imperatorum vultu signata, aliarum vrbium exemplo cudenda curarit, quantumvis nulla adhuc e præclaris cimeliis vulgata prostent. Hunc certe Claudii numum e gaza nostra monstrare licet, quem æra adscripta manifeste ei vindicat.

Lib. XIV. c. 8. 10.

Numism. Græc. p. 267.

Num. Vrb. & pop. Oppi Sell. p. 62.



Ab rudi admodum manu sculptus est numus, ita, vt ex vultu vno, tametsi non absimili prorsus, quem aduersa pars exhibet, Claudium Imperatorem agnoscere vix satis liceat. Inscriptio, CEBACTOϹ, *Augustus*, aliarum Palæstinæ vrbium more, vaga & generalis incertiores nos etiam dimittit, cum non magis is, qui primus id nomen tulit, quam ex longa successorum, ad quos id transiit, serie, aliquis, quicunque is tandem fuerit, intelligi possit, quemadmodum in vicinæ vrbis Ascalonis numis, vox CEBACTOC modo Augustum, Diui Cæsaris Filium, modo Claudium, modo Neronem, modo Domitianum designat. Sed auersa pars de Claudio Imperatore nos dubitare non sinit. Expressa ibi figura muliebris stans, dextra expansa, quæ corollam gerit, sinistra, vt videtur, sublata; pone arbuscula. Sub dextra nomen vrbis ΓΑΖα, *Gaza*, & nota illa perpetua numorum istius vrbis ꟷ sub sinistra autem L PI h. e. anno centesimo decimo. Cum æra huius vrbis, vt docuit Norrisius, quem Vaillantius, & ipse etiam Ill. Spanhemius, cui diuersa antea sententia sederat, sequuntur, initium ducat ab autumno anni V. C. DCXCIII. centesimus decimus huius æræ incidet in octingentesimum secundum ac tertium, qui nonus ac decimus est imperii a Claudio suscepti. Figura muliebris forte Io, a qua dictam Gazam Ἰώνην Stephanus testatur. Fallitur enim Cl. Vaillantius, qui *Gaza & Io*, inquit, *duo sunt vrbis nomina, siquidem ab Io, quæ ad eam appulit, sic vocatam scribit Stephanus.* Arbusculam a tergo interpretari vitem possis. Gazam enim prouentu vini celebrat Abulfeda in Geographia nondum typis exscripta apud Relandum, qui de vrbe hac post Norrisium & Cellarium plura haud protrita congessit.

Norris. de Epoch. Syr. Mar. p. 509. sqq.

L. c. p. 266. In litteris ad Reland. insert. Palæstin. p. 798.

Voce Γάζα & Ἰόνιον πέλαγος.

L. c. p. 792. L. c. T. II. Lib. III. c. 13. p. 602. seqq.

§. IX.

De numo Græco Veſpaſiani.
Tab. XV. p. 158.
T. II. p. 281.

Antequam Claudium miſſum facio, monendi ſunt lectores, numiſma eius ſingulare, quo liberi eius, Britannicus, Antonia & Octauia exhibentur, quodque ex propria ſuppellectile in ſpecimine ſuo Morellius noſter vulgauit, vnde eius ectypum poſtea Ill. Spanhemius in præſtantiſſimum Opus ſuum tranſtulit, quo numorum Præſtantiam atque Vſum demonſtrauit, in noſtro iam theſauro reperiri. Miror vero, vnde aduerſæ partis inſcriptionem integram dare vir optimus potuerit, cum temporum iniuria legi ea ex parte nihil poſſit, niſi . . . . . ESAR AVG. P. M. . . . . . I. Hæ enim duæ litteræ apparent in numo ipſo, non, quod delineatio eius habet, GERM. Aduerſa pagina nomina ANTONIA, BRITANNICVS, OCTAVIA iuxta cum figuris tribus ſatis manifeſte expreſſa ſeruat. Sed ad Veſpaſianos, parentemque ante omnia tranſeo, cuius numiſma ſequens ſe mihi ex penu hac noſtra offert, haud ſcio an alibi deſcriptum.




Capiti Veſpaſiani laurea ornato addita eſt inſcriptio: ΑΥτοκράτωρ ΚΑΙσαρ ΟΥΕΣπασιανὸς ΥΠΑΤος ΤΟ. Η. h. e. *Imperator Cæſar Veſpaſianus Conſul VIII.* Auerſa in parte figura ſeminuda, Iouis nempe, dextra fulmen, ſiniſtra haſtam tenens, ſine epigraphe. Iupiter is videtur Capitolinus, cuius templum a Vitellianis exuſtum Veſpaſianus reſtituit, Dione e Xiphilino & Suetonio teſtibus. Non diſſimile certe ſimulacrum eius exhibet numus Vitellii argenteus, quem primo Ill. Spanhemius ex icone Chiffletiana, ſed deinde emendatiorem longe & prototypo omni ex parte reſpondentem edidit Cl. Vaillantius. In eo hinc caput Vitellii laureatum cum inſcriptione: VITELLIVS AVG. IMP. GERMAN. illinc cella *Iouis optimi maximi*, quam appellationem Ioui Capitolino propriam fuiſſe, præclare oſtendit ante laudatus Spanhemius, in quo idem ſedet dextra fulmen, ſiniſtra haſtam tenens, inſcriptione addita, I. O. MAX. CAPITOLINVS. Quem numum rariſſimum, noſtræ quoque gazæ ornamentum ſingulare, mirum eſt Ill. Spanhemium in nouiſſima operis ſui toties laudati editione ex icone Chiffletii, quæ aduerſa in parte caput Vitellii barbatum & inſcriptionem manifeſte vitioſam: VITELLIVS GERMANICVS IMP. AVG. P. M. TR. S. in auerſa Iouem ſine fulmine, & epigraphen pariter ſuſpectam exhibet, quam ex Vaillantio aut ex aliquo prototypo, cuius adipiſcendi facultas ei deeſſe non poterat, repræſentare maluiſſe.

Lib. LXVI. p. 749.
Veſpaſ. c. 8.
De Vſu & Præſt. numiſ. p. 894. Edit. ſec.
Præſtant. Num. T. II. p. 85.
L. c. T. II. p. 644.
T. II. p. 644.

§. X.

§. X.

ΠΟΜΠΗΙΟΥΠΟΛΙΣ, inquit Stephanus, *πόλις Παφλαγονίας. Τινὲς δὲ δίχα τοῦ Υ Πομπηιόπολιν λέγουσιν καὶ Πομπηιοπολίτης*, h. e. *Pompeiopolis, vrbs Paphlagoniæ. Aliqui ſine Ypſilon ſcribunt Pompeiopolin & Pompeiopolites.* [*De numo Græco Titi.* Voce Πομπηιοπ.] De eadem Strabo: Κἀνταῦθα δ᾽ ἀπεδείχθη πόλις ἡ Πομπηιόπολις. Ἐν ᾗ τῇ πόλει ταύτῃ τὸ Σανδαρακούργιον, [Lib. XII. p. 562.] h. e. *Ibi quoque* (ſermo ei de eadem Paphlagonia) *vrbs eſt condita Pompeiopolis, in qua eſt Sandaracurgium.* De ſitu eius Ptolemæo & Peutingerianæ Tabulæ minus inter ſe conuenire obſeruat Cellarius, qui ex monimentis Eccleſiaſticis Sophronium [Geogr. Lib. III. c. 8. T. II. p. 318.] Arginumque, vrbis eius epiſcopos commemorat. *Metropolis Paphlagoniæ* appellatur in numo præclaro M. Aurelii, in quo Fortunam dextra temonem, ſiniſtra cornucopiæ, cui aries inſiſtit, tenentem, Cl. Vaillantius, qui & ectypum eius in appendice altera operi de numis [Num. Græc. p. 57.] Imperatorum Græcis repræſentauit, Annonam cum Cornucopiæ Cl. [De num. Vrb. & pop. Opp. Sell. p. 139.] Harduinus agnoſcit cum inſcriptione: ΜΗΤΡ. ΠΑΦΛ. ΠΟΜΠΗΙΟΠΟΛΙΣ. Numi eius indicium ex Vaillantio depromtum ſuo quoque operi intexuit Ill. Spanhemius, [T. I. p. 593] recteque monuit, non confundendam eſſe hanc Pompeiopolim Paphlagoniæ, cum alia huius nominis vrbe in Cilicia ſita, Soli prius dicta, prout factum ab Holſtenio, qui eo [Ad Steph. p. 259.] loco, vbi Stephanus de Paphlagoniæ vrbe agit, notam de Pompeiopoli Ciliciæ, quaſi vna illa eademque eſſet, ſubiecit, alterius in Paphlagonia ſitæ nulla prorſus facta mentione. Huic Pompeiopoli Paphlagoniæ, ſed nondum metropoli, quam dignitatem illi ab Hadriano demum conceſſam Vaillantius coniectat, ob typi ſimilitudinem tribuo [L. c. p. 209.] numum ſequentem Titi.



Aduerſa in parte caput Titi laurea cinctum cum inſcriptione: . . . . Τίτος ΦΛΑΥιος ΟΥΕΣΠασιανος . . . . . h. e. *Titus Flauius Veſpaſianus.* Auerſa exhibet figuram ſtantem, cuius in dextra temo, in ſiniſtra cornucopiæ. Inſcriptio tota fere exeſa non ſeruat niſi litteras ΠΟΜΠ . . . . . Cl. Harduinus, qui ex Pompeiopolitarum numis, non [Hiſt. Aug. p. 686. Opp. Sell. conf. Spanh. T. II. p. 430.] ante Antonini Pii principatum cuſis, illi poſteriſque hereditarium fuiſſe cognomen Pii fruſtra colligit, hanc Pompeiopolim eſſe Amiſum ſibi perſuadet, auctoritate Plinii motus, qui *Amiſo*, inquit, *iunctum op-* [Num. antiqu. Opp. Sell. p. 139.] *pidum Eupatoria a Mithridate conditum. Victo eo vtrumque Pompeiopolis appellatum eſt.* Sed de nomine eo Amiſi, de quo Strabo diligentiſſi- [Lib. 27. Sect. 2. T. I. p. 302.] mus harum regionum ſcriptor ſilet, penes Plinium ſit fides. In numis quidem Amiſum diuerſam eſſe a Pompeiopoli Paphlagoniæ, vel

 æra,

æra, quæ in illius numis comparet, in huius non item ſatis arguit.

§. X I.

De numo Græco Traiani. Numiſm. Græc. p. 30. Traiani numum ab Seleucienſibus Pieriæ cuſum cum nota numeri ſenarii ϛ e regio Gallorum theſauro protulit Cl. Vaillantius. Similis gazæ noſtræ litteram Δ profert.



Aduerſa pars caput Traiani laureatum exhibet cum inſcriptione: Αὐ-ΤΟΚΡάτωρ ΚΑΙCαρ ΝΕΡουα ΤΡΑΙΑΝΟC ΑΡΙCΤος CΕΒαστος Γερμανικος, h. e. *Imperator Cæſar Nerua Traianus Optimus Auguſtus Germanicus.* In auerſa, templum Iouis Caſii quatuor columnis innixum, cuius in vertice aquila, mediam partem occupante monte, cuius forma Jupiter Caſius colebatur. Inſcriptio CΕΛΕΥΚΩΝ ΠΙΕΡΙΑC Δ h. e. *Seleucenſium Pieriæ anno Traiani quarto.* Infra ΖΕΥC ΚΑCΙΟC, *Iupiter Caſius.* In aliis huius vrbis numis perpetuo legas: CΕΛΕΥΚΕΩΝ, ſed hic CΕΛΕΥΚΩΝ, vltima & penultima ſyllaba contracta. De vrbe hac earum, quæ nomen Seleuciæ tulerunt, quarum nouem numero fuiſſe Appianus docet, iuxta cum Seleucia ad Tigridem, prout idem teſtatur, principe, videndi Geographi. Iouem Caſium duplicem ſibi ſuperſtitio gentilis finxit, a monte Caſio duplici. Alter in limitibus Aegypti & Palæſtinæ, de quo Strabo: Ἔστι δὲ τὸ Κάσιον θινώδης τὶς λόφος ἀκρωτηριάτων, ἄνυδρος ὅπου τοῦ Πομπηΐου τοῦ Μάγνου σῶμα κεῖται, καὶ Διός ἐστιν ἱερὸν Κασίου, h. e. vt interpres vertit: *Caſius eſt mons aggeribus arenarum ſimilis, inque mare procurrens, ipſe aquarum inops. In eo Pompeii Magni corpus iacet, & Iouis Caſii templum.* Iouis huius Caſii ſimulacrum Peluſii fuiſſe adoleſcentis figura malum Punicum geſtantis, Achilles Tatius tradit. Verba ſunt: Ἔστι δὲ ἐν τῷ Πηλουσίῳ Διὸς ἱερὸν (deeſt, vt videtur, καὶ) ἄγαλμα Κασίου. Τό δὲ ἄγαλμα νεανίσκος ἦν. Προβέβληται δὲ τὴν χεῖρα καὶ ἔχει ῥοιὰν ἐπ' αὐτῇ, τῆς δὲ ῥοιᾶς ὁ λόγος μυστικός. h. e. *Peluſii Iouis Caſii templum & ſtatua eſt. Statua quidem iuuenili ætate, dextram protendens, qua punicum malum tenet, cuius ratio myſtica.* Iouem eum duplici forma cum ea, qua in monte Caſio Aegypti, tum qua in templo apud Peluſiotas colebatur, in numo gazæ Palatinæ, in quo hinc figura ſedens, cum inſcriptione ΖΕΥC ΚΑCΙΟC, illinc ſtans, dextra tenens malum punicum, exhiberi, ex alio eiuſdem gazæ, cuius auerſa in parte vox ΑΓΡΕΥC expreſſa, coniectat nobiliſſimus vir Iacobus de Bary. Qui vero numi, ſi in inſula Corcyra, ac præcipue circa rudera vrbis *Caſſopo*, olim *Caſſiope* dictæ, quotidie effodiuntur, quod vir doctiſſimus tradit Iacobus Sponius, qui plurimos, cum illac pertransiret, ſe contrectaſſe & comparaſſe

Syriac. p. 124. ſq.

Lib. XVI. p. 760.

Lib. III. p. m. 65.

Epiſt. ad Reland. inſert. Palæſt. p. 934.

Miſcell. Sect. III. p. 75.

comparasse docet, quo pacto ad Aegyptum Arabiamue reuocari possint, vix equidem intelligo, tametsi fortasse concedi potest, ex Aegypto ad Corcyrenses manasse cultum Iouis Casii, cuius templum apud eosdem Plinius, aram Suetonius commemorat. Quod autem ad vocem ΑΓΡΕΥΣ attinet, si Pan displicet, teste Hesychio ΑΓΡΕΥΣ dictus, quem in his numis agnoscit Sponius, videndum annon locum habere possit Agreus heros, de quo Auctor Etymologici magni: ΑΓΡΕΥΣ ὁ ἥρως. Εἴρηται παρὰ τὸ ἐν ἀγρῷ γεγενῆσθαι· ἀπὸ τῆς Κυρήνης καὶ Ἀπόλλονος, ἦν h. e. *Agreus heros. Dictus est, quod in agro eum parentes genuerunt, quos habuit Cyrenem atque Apollinem.* Non alius ille nempe quam Aristæus, quem Ἀγρέα καὶ Νόμιον appellat Pindarus, ad quem locum Scholiastes: Τινὲς τὸν Ἀρισταῖον Ἀγρέα φασί καλεῖν, h. e. *quidam Aristæum Agreum aiunt appellari Pindaro;* tametsi & paulo post addit: Ἔνιοι διὰ τὴν κτηνοτροφίαν καὶ κυνηγρίαν εὑρηκέναι, Ἀγρέα καὶ Νόμιον, Δία καὶ Ἀπόλλωνα προσηγόρευον, h. e. *quidam propter pecoris pastum & venationem inuentam, Agreum & Nomium, Iouem & Apollinem vocabant.* Fugit hoc, quod miror, doctissimum Munckerum, qui ad Hyginum, vbi de Aristæo agit, nihil aliud monet, quam tradere Etymologici auctorem, Agreum ex Apolline & Cyrene natum.

Lib. IV. Sect. 19. c. 12. T. I. p. 207.
Nero cap. 22.
Voce Ἀγρεύς.
Pyth. 9. ψ. 115.
Tab. CLXI. T. I. Mythol. p. 231.

§. XII.

Sed ad Iouem Casium Pelusiotarum redeo, cui Traianum argenteos crateres & maximum bouis cornu inauratum, primitias victoriæ a Getis reportatæ, dedicasse Suidas tradit, tametsi apud eum legitur: Κάσιον ὄρος πρὸς τῷ Εὐφράτῃ καὶ Κάσιος Ζεὺς ἔνθα Τραϊανὸς κ. τ. λ. Nam Κ. Ο. πρὸς τῷ Πηλουσίῳ scribendum esse monet Cl. Kusterus, ea cumprimis ratione, vt videtur, motus, quod Suidas eodem loco Κασίους Πηλουσιώτας memorat. Sed ab hoc Ioue Casio Pelusiotarum differt, cuius templum numenque Seleucienses Pieriæ numis suis insculpserunt, ad quem male superiora verba Strabonis trahit Cl. Harduinus. Ibi enim de Ioue Casio Pelusiotarum sermo; de Ioue Casio Seleuciæ Pieriæ silet Strabo, tametsi montem eiusdem nominis commemorat, in quo Antiochenses festum Triptolemo diem egisse docet. Iouem hunc suum sub montis cognominis forma coluere Seleucienses Pieriæ. Inde eum, prorsus vt Ammiano Marcellino describitur, nempe *tereti ambitu in sublime porrectum*, in templo exhibent. Neque enim insolens apud gentiles, montes cultu diuino afficere. Libyæ incolæ Atlantem coluere, vt auctor est Maximus, & de Cappadocibus idem ille: Ὄρος Καππαδόκαις καὶ Θεὸς καὶ ὅρκος καὶ ἄγαλμα, h. e. *Mons Cappadocibus & Deus & iusiurandum & statua est.* Idem in Seleucienses nostros iure quadrat, quibus montem & Deum & statuam fuisse hi numi docent. Iouem lapidem alii iurauere; Iouem Casium sensu prope eodem fortasse nostri. Quod ad litteras numerales attinet, quæ in Begeri numo est Α in nostro Δ, in regio quem Vaillantius describit ς, iis annos imperii Traiani denotari non posse, vel ex Begeriano numo patet, in quo Traianus Dacicus dicitur, littera Α notato: Alio igitur hi numeri pertinent, ac forte nouam designant æram, cuius initium repetendum a Traiani pietate, quam Ioui Casio in iis partibus probauit. Sed ita, quæ de Ioue Casio Pelusiotarum, muneribus a Traiano

De eodem plura.
Voce Κάσιον ὄρος.
L. c. p. 152.
Lib. XVI. p. 750.
Lib. XXII. c. 33.
Differt. XXVIII. p. 398. 400.
Cic. ep. ad Fam. Lib. VII. ep. XI.
Thes. Brand. T. II. p. 643.

no culto, Suidam tradere contendit Cl. Kusterus, de Seleucienſium potius cum eodem cognomine Ioue accipienda, prætereaque duplex cum Tillemontio profectio Traiani in Orientem admittenda eſt, ſtatuendumque in priori, anno Chriſti nempe CVII. V. C. DCCCLIX. donaria ſua Ioui Caſio Imperatorem hunc obtuliſſe.

Hiſtoire des Empereurs T. II. Premiere Partie p. 311. ſqq. Troiſieme Partie p. 865. ſqq.

§. XIII.

De numo Hadriani Græco.

Aſcalonitarum numi Romanorum Imperatorum vultu inſignes, proſtant plurimi a viris doctis vulgati. Hadriani ſimilem qui protulerit, neminem inueni. Sequentem gaza noſtra ſeruat.



Anterior eius pars caput ſiſtit laureatum, quod Hadriani eſſe ægre agnoſcas, adeo a vero eius vultu recedit, niſi id barba, quam is primus Imperatorum nutriuit, quodammodo declararet. Epigraphe vna conſtat voce ΣΕΒΑCΤΟC, h. e. *Auguſtus*. Hoc enim nomine Aſcalonitæ Imperatores primorum ſaltem temporum promiſcue, vt ſupra iam vidimus, deſignabant. Titum primum proprio eos nomine appellaſſe Vaillantius obſeruat: quod ſi ita eſt, necdum tamen a veteri more perpetuo receſſerunt. Eiusdem enim Titi numum ex Muſeo Pollaci commemorat Norriſius, in quo eandem inſcriptionem CEBACTOC, ſine addito proprio Imperatoris nomine legi obſeruat. Poſt Titum igitur Hadrianus etiam ſimili ratione in numo hoc deſignatur; certe ne minima quidem adiecti nominis eius veſtigia comparent. Poſteriori in parte, quæ in aliis plurimis Aſcalonitarum numis cernitur, figura muliebris, capite turrito, proræ inſiſtens, dextra haſtam, ſiniſtra acroſtolium, vel vt Saluinius apud Ill. Spanhemium coniectat, cepam Aſcaloniam tenens, cuius ad dextram in area figura, aræ in ectypis, inprimis Norriſii, non abſimilis, quam tamen ſceptrum interpretatur Vaillantius, ad ſiniſtram columba. Inſcriptio ΑCΚΑΛΩνιτῶν, h. e. *Aſcalonitarum*, & in area hinc Ε, illinc æra ΕΛC, h. e. *CCXXXV.* Aſcalonitæ, vt eminentiſſimus Norriſius demonſtrauit, quem Vaillantius ſequitur, tempora ſua numerant ab autumno anni primi Olympiadis CLXIX. V. C. DCL. Huic epochæ ſi iungas annos CCXXXV, peruenies ad annum ab vrbe condita DCCCLXXXIV. & DCCCLXXXV. qui quidem decimus quintus & ſextus eſt imperii ab Hadriano geſti, vnde patet, litteram Ε, quæ in dextra numi area cernitur, de anno imperii Hadriani quinto accipi non poſſe, ſed aliam indicare epocham, cuius initium in annum V. C. DCCCLXXX. incidit, quo Hadrianus Orientem inuiſit, prout colligitur ex

§. VII.

L. c. p. 508.

L. c. T. I. in addendis p. 723.

L. c. p. 505. ſq. conf. 514. Hiſt. Seleuc. p. 353. & Numiſm. Græc. p. 258.

ex numis cum LIA, h. e. anno Hadriani XI. in Oriente cuſis. Quod ad typum attinet, figuram illam ſtantem vrbis genium potius, cum L. c. Saluinio & Spanhemio, quam Semiramidem, cum Patino & Vaillantio, Numiſm. Imp. p. 45. ſq. Numiſm. Græc. p. 258. ſq. interpretor. Columba adiecta eſt, quarum multitudo infinita erat apud Aſcalonitas, quippe ſacrarum Veneri cœleſti ab iisdem cultæ. Herodotus de fano eius in vrbe Aſcalone, quod Scythas ſpoliaſſe refert: Ἔστι δέ, inquit, τοῦτο τὸ ἱρὸν (ὡς ἐγὼ πυνθανόμενος εὑρίσκω) πάντων ἀρχαιότατον ἱρῶν ὅσα ταύτης τῆς θεοῦ· καὶ γὰρ τὸ ἐν Κύπρῳ ἱρὸν ἐνθεῦτεν ἐγένετο ὡς αὐτοὶ λέγουσι Κύπριοι· καὶ τὸ ἐν Κυθήροισι, Φοίνικές εἰσιν οἱ ἱδρυσάμενοι, ἐκ ταύτης τῆς Συρίης ἐόντες. Lib. I. c. 105. h. e. *Eſt vero illud, quantum ſciſcitans intelligo, inter omnia huius deæ fana vetuſtiſſimum. Siquidem quod in Cypro eſt fanum, hinc prodiit; quod ipſi etiam Cyprii referunt. Quin etiam illud in Cytheris delubrum, Phœnices ex hac Syriæ regione orti condiderunt.* Et de cultu eiusdem Pauſanias: Πρώτοις ἀνθρώπων Ἀσσυρίοις κατέστη σέβεσθαι τὴν Οὐρανίαν (Ἀφροδίτην) μετὰ δὲ Ἀσσυρίους Κυπρίων Παφίοις, καὶ Φοινίκων τοῖς Ἀσκάλωνα ἔχουσιν ἐν τῇ Παλαιστίνῃ· παρὰ δὲ Φοινίκων, Κυθήριοι μαθόντες σέβουσιν. Attica. p. 14. quod male reddidit interpres: *Quam* (Venerem cœleſtem) *primi omnium Aſſyrii coluere: a quibus Paphii in Cypro acceptum ſacrorum ritum cum Phœnicibus, qui in Palæſtina Aſcalonem vrbem incolunt: Phœnices cum Cytheriis communicarunt.* Neque enim docet Pauſanias, Phœnices hunc Veneris cœleſtis cultum Paphiis Aſcalonis incolis acceptum referre. Vertendum igitur: *Primi omnium mortalium Aſſyrii Venerem cœleſtem coluere; Iuxta eos ex Cypri incolis Paphii, & ex Phœnicibus ii, qui Aſcalonem in Palæſtina incolunt. Phœnicibus autem Cytherii cultum eiusdem debent.*

§. XIV.

Antinoi numum ex gaza illuſtriſſimi ducis Deuonienſis exhibet Cl. Haymius, *De numo Antinoi ſingulari.* L. c. T. II. p. 213. Tab. VIII. cuius auerſa in pagina Antinoum equitantis habitu, velut alterum Alabandum, ab Alabandenſibus, quorum litteras initiales AA. in eo ſibi agnoſcere videtur, expreſſum ſtatuit. Sed enimvero aut omnia me fallunt, aut numum hunc, quem ceteroqui ab integritate ſua non minus, quam artificio laudat, minus integrum nobis repreſentauit, rubigine illa nigricante, qua eum obductum affirmat, fortaſſe nonnulla, & inprimis litteras quaſdam, conſpectui ſubducente. Neque enim diuerſus eſt, vt arbitror, cuius delineationem ex theſauro noſtro ſubiicio.



Quod ad partem aduerſam attinet, nihil prorſus eſt, in quo Cl. Haymii delineatio abeat a præſenti. Caput Antinoi, verſus dextram expreſſum. Inſcriptio: ANTINOOC. Aduerſa pars numi haud vna com-

complectitur, quæ in ectypo Cl. Haymii desideres. Præter enim figuram illam equestrem Antinoi, manum extendentis, ædificium ex parte cernitur, cuius in limine illa consistit. Sub equo duobus versibus vel lineis, vt vulgo loquuntur, clarissime legitur ΡΕΣ / Τ.ΑΔ. Quæ inscriptio cum omnino has litteras exhibeat, non ΑΛ, vt est apud Cl. Haymium, patet sane, Alabandenses Alabandumue, pro Deo apud eosdem habitum, ad numum hunc explicandum frustra in subsidium vocari. Nec tamen in procliui est, aliam huic & scripturæ numi magis consentaneam interpretationem substituere. Ῥεσαίνα [nam ita lectionem vulgatam Ῥαισένα corrigendam esse ex Palatinis & Barberinis MSS. obseruat Holstenius] Ptolemæo commemoratur in descriptione Mesopotamiæ, vbi & eiusdem prope nominis vrbs, sed cum priore non confundenda, Ῥίσινα, quæ eadem forte cum ea, quæ Ῥέσινα Stephano dicitur, occurrit. Ad illam referunt viri docti numos CΕΠ. ΚΟΛ. ΡΗΣΑΙΝΗΣΙΩΝ, quorum cum Alexandri Seueri, Deciorum, Patris & filii, vt & Etruscillæ vultu numi vulgati prostant. Neque id immerito, cum littera illa Ε in voce ῬΕσαίνα successu temporis æque in Η mutari potuerit, atque in vocibus ΑΘΗΝΑΙΩΝ, ΘΗΒΑΙΩΝ, pro quibus antiquiores numi exhibent ΑΘΕναίων ΘΕβαίων. Eidem vrbi vindicari numus hic, & cum litteræ Τ. ΑΔ assumtam aliarum vrbium, cuiusmodi ΑΔΑΝΑ, ΜΟΨΟΥΕΣΤΙΑ & ΤΑΡΣΟΣ in Cilicia, ΑΜΑΣΙΑ in Ponto, ΒΕΙΘΥΝΙΟΝ in Bithynia, & ΠΕΤΡΑ in Arabia vicina, exemplo appellationem ΑΔΡΙΑΝΗΣ haud obscure arguant, tota inscriptio legi possit: ῬΕΣαίνης Τῆς ΑΔριανῆς, h. e. *Rhesainæ Hadrianæ.*

Ad Steph. p. 271 Geogr. Lib. V. c. 18.

§. XV.

De eodem pluribus agitur.

Equidem Septimiam se deinceps illa a Septimio Seuero, qui coloniam eo deduxit, appellauit Rhesaina, prout ex numis, quos supra citauimus, apparet. Sed nihil obstat, quominus ante, quam colonia facta esset, aliud cognomen gerere potuerit. ΑΔριανὴν certe appellatam fuisse ob accepta ab Hadriano beneficia, quo pertinet, quod Spartianus narrat, a *Mesopotamiis eum non exegisse tributum, quod Traianus imposuerat*, tanto magis fit credibile, quod eandem ob causam nouam epocham instituerunt Rhesainenses, de qua viri doctissimi Norrisius & Vaillantius consulendi. Equidem fatendum, non eam esse sculpturam huius numi, quæ in vrbem Mesopotamiæ, qualis Rhesaina, cadere videatur. Tantam enim in cælando eo artem sculptor adhibuit, vt elegantiorem numum ab florentissimis Græcorum vrbibus vix expectare possis. At Rhesainensium coloniæ numismata rudiori ac pene barbara monetariorum arte sculpta esse affirmat Norrisius, qui falli ea in re tanto minus videtur potuisse, quod simile ex gaza Medicea, quæ ad manum ei erat, laudat. Sed de vno alteroue verum id fortasse est, inprimis si litteras spectes, de omnibus non item. Seruat enim gaza nostra numum Decii ab Cl. Vaillantio inter numos a colonia Rhesaina cusos vltimo loco recensitum, cuius aduersa in parte caput Decii, & in auersa vexillum cum aquila tanta elegantia expressum est, vt numus ille ne optimis quidem Græcarum vrbium numis magnopere concedat. Quodsi igitur Rhesainenses Traiani Decii ætate numismata

Hadrian. c. 21.

De epoch. Syr. Maced. p. 348. sq.

De num. Colon. T. II. p. 198.

L. c. p. 346.

L. c. p. 199.

numismata tam proba ac minime barbara sculpsere, Hadriani tempore, quo artium haud paulo cultura maior, multo etiam elegantiora haud dubie cudere potuerunt. De hoc numo per litteras egi cum nobilissimo viro, quem honoris causa nomino, Iacobo de Bary, qui Hadriani numum publici iuris fecit, in quo litteræ PE eandem forte vrbem Rhesaiam designant. Exhibet ille hinc caput Hadriani laurea cinctum cum epigraphe: ΑΥ. Κ. ΤΡΑΙ. ΑΔΡΙΑΝΟΣ, & infra PE. Auersa in parte Serpens cum litteris ΛΙΔ. Quid responderit, ad vberiorem rei lucem affundendam, bona lectorum venia subiungam: „Vous „ croiez montrer, que ma medaille d'Adrien inserée dans ma lettre à „ feu Mr. Reland est de ΡΕΣΑΙΝΑ. Ie ne m'y oppose pas & l'Epo„ que du Cardinal Noris non plus. Cet Empereur aïant des le com„ mencement de son regne borné par l'Euphrate son Empire de ce „ côté, ne laissa pas de prendre sous sa protection cette ville & la „ franchit de tout tribut tant des Romains que des Parthes & roite„ lets voisins. Elle auoit done raison de le considerer comme leur „ Agathodæmon sur ma medaille. Il faudroit voir l'Antinous, dont „ vous parlez pour en iuger, & ie n'ay point le Tesoro Britannico de „ Haymius. Mais si ΡΕΣ s'y trouve distinctement, ie ne balancerois „ plus à l'attribuer à ΡΕΣΑΙΝΑ". h. e. *Numum Hadriani, quem litteris ad Relandum inserui, Rhesainæ esse statuis. Non repugno equidem, quo minus eo referatur, neque obstat epocha Norisii purpurati. Tametsi enim Imperator hic sub initium regni sui iis in partibus imperii Romani fines Euphrate terminauit, vrbem tamen hanc in clientelam recepit, eamque omni tributo, quod vel Romanis vel Parthis ac regulis vicinis pendebat, liberauit. Ea causa est, cur tanquam Agathodæmonem suum coluerit in numo meo. Vt sententiam de numo Antinoi, quem laudas, ferre liceat, necesse esset oculis eum subiicere; Thesaurus Britannicus Haymii mihi ad manus non est. Veruntamen si litteræ ΡΕΣ distincte ibidem leguntur, Rhesainæ eum tribuere non vererer.* Hactenus vir doctissimus & rei numariæ peritia nemini hodie secundus. Cum non tantum litteræ ΡΕΣ sed & Τ. ΑΔ. distinctissime in numo hoc legantur, lectorum, his rei antiquariæ mysteriis initiatorum, erit statuere, vtrum in hanc sententiam, iudicis harum rerum haud pœnitendi suffragio comprobatam, concedere, an de noua in consilium ire malint.

In litteris ad Reland. p. 948.

§. XVI.


Aeliæ Capitolinæ numos haud paucos recenset Cl. Vaillantius, sed inter eos desiderantur sequentes duo, Antonino Pio imperante, cusi. Prior

De numis duobus Antonini Pii. In Op. Colon.



hinc caput Antonini Pii laureatum sine vlla inscriptione, illinc caput muliebre turritum exhibet, quo pacto notum est, genium vrbis in numis

mis expreſſum ſiſti. Adſcripta verba: CO. AE. CA. facile produnt, COloniam AEliam CApitolinam eſſe intelligendam. In poſteriori



eadem hæc inſcriptio auerſæ partis ab initio haud paulo plus habere videbatur difficultatis. Aduerſa quidem pars, in quo caput eiusdem Antonini, parum diſcriminis præfert, niſi quod, quæ in priori aberat, hic adiecta comparet epigraphe: IMP*erator* ANTONI*nus*......... Quod autem ad auerſam partem attinet, cuius aream Dioſcuri occupant, cum aquila, medium inter eos locum occupante, inſcriptio eius in catalogo noſtro ita litteris conſignata legebatur, quaſi Græce ſcriptum eſſet: ACK. COA. Id vero minime ita ſe habere, accuratiori examine inſtituto inſpectoque propius numo, facile deprehendebam. Neque enim reapſe aliæ adſunt litteræ, quam ad dextram: ECA & ad ſiniſtram: COA. Sed nec vnde ordirer lecturus, illico odorabar, & poſtea ipſæ litteræ minus conuenienti ratione collocatæ, animum conturbabant. Tandem, contrectato ſuperiori numo, agnoui, incipiendum legenti a ſiniſtra parte, & coniungendas eſſe diuiſas litteras AE, quo pacto prodiit epigraphe eadem, quæ ſupra: CO. AE. CA. h. e. CO*lonia* AE*lia* CA*pitolina*. Mirifice illuſtrat hanc inſcriptionem
Lib. LXIX. p. 793. Xiphilinus ex Dione, qui docet, Hadrianum Hieroſolymis coloniam, euerſæ vrbis loco, condidiſſe, eamque appellaſſe Aeliam Capitolinam, ac quo in loco templum Dei fuerat, alterum Ioui, nempe Capitolino, ædificandum curaſſe. Inde patet, cur Aelia appelletur, nempe ab Hadriano, Aeliæ gentis propagine, cur Capitolina, a Ioue nempe Capitolino, cuius templum templo veri Dei ſubſtituit Hadrianus, quo ſpectat aquila inter Dioſcuros expreſſa, quæ numen illius & cultum, quo ſe, frementibus licet Iudæis, iactabant noui Coloni, declarat. Ipſum autem nomen Coloniæ, quod Aeliæ Capitolinæ tribuitur, manifeſto indicio eſt, diuerſam eam eſſe a Capitoliade Cœle-Syriæ vrbe, tametſi, vt vnam eandemque fuiſſe nobis perſuadeat, nihil non agit
Chronol. V. T. Opp. Sell. p. 638. nobis ſæpe laudatus Cl. Harduinus. Capitolias enim erat ἀυτονόμος, vt docent numi; at colonias a Romanis deductas non vixiſſe ſuis legibus, ſed Romanis, ac proinde nullam coloniam fuiſſe ἀυτονόμον recte
L. c. p. 325. obſeruat Noriſius. Dioſcuros iuxta cum Iouis, cuius illi ex Leda filii, alite, in Romanæ coloniæ numo expreſſos cerni nemo mirabitur, qui tutelaria ea Romanorum numina fuiſſe, peculiari templo culta, me-
Ad Callimach. p. 559. minerit. Dioſcuria, iisdem ſacra, ſibi videre expreſſa viſus eſt Ill. Spanhemius in numo Laodicenorum cum vultu Domitiæ, cuius auerſa in parte Iupiter Φιλαλήθης, dextra aquilam tenens cum inſcriptione: ΔΙΟΣΚΟΥΡΙΑ ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. Sed legendum ibi ΔΙΟΣΚΟΥΡΙΔΗС, quod
Num. Græc. p. 25. & 326. fuit nomen ſcribæ apud Laodicenos, prout Vaillantius obſeruat, non ΔΙΟΣΗΟΥΡΙΑ; atque id vel ipſius typi ratio docet, in quo nihil eſt, quod

quod ad ludos generatim, nedum eos, qui Dioſcuris ſacri erant, pertineat.

§. XVII.

Succedant duo L. Veri numi, quorum vterque Vaillantii, qui numos Imperatorum Græcos ex inſtituto recenſuit, diligentiam effugit. *De duobus Veri numis Græcis.*



Aduerſa pars vtrobique eadem, niſi quod in altero vetuſtas litteras poſtremas aliquantum abſumſit. Caput L. Veri laureatum, comparet. Inſcriptio: ΑΥΤοκράτωρ ΚΑΙσαρ Λούκιος ΑΥΡΗΛΙΟΣ ΟΥΗΡΟΣ, h. e. *Imperator Cæſar Lucius Aurelius Verus.* Sed auerſæ paginæ typus non idem. Prior Iſidem exhibet ſtantem, dextra ſiſtrum ſiniſtra ſitulam gerentem; poſterior Cybelen, quæ dextra facem, ſiniſtra cornucopiæ tenet. Inſcriptio vtrobique: CΕΡΔΩΝ. Σέρδοι, gens Thracum, cuius mentionem prætermittunt Geographi. Meminit tamen eius Dio Caſſius, vbi ille de M. Craſſo ſub Cæſare Auguſto: Ὡς δ' ἅπαξ τῶν ὅπλων αὖθις ἥψατο, (Lib. LI. p. 462.) ἐπεθύμησεν ἀμύνασθαι τοὺς Θρᾶκας τοὺς ἐν τῇ ἀνακομιδῇ τῇ ἐκ τῆς Μυσίας λυπήσαντας αὐτόν· καὶ γὰρ τότε χωρία τε ἐντειχιζόμενοι καὶ πολεμησείοντες ἠγγέλλοντο. Καὶ σφῶν Μέρδους μὲν καὶ Σέρδους μάχαις τε καταχρατῶν, καὶ τὰς χεῖρας τῶν ἁλισκομένων ἀποτέμνων οὐκ ἀπόνως μὲν, ἐχειρώσατο δ' οὖν. h. e. *Quod ſemel arma cepiſſet, vlciſci Thracas ſtatuit, qui redeuntem ex Myſia laceſſierant, ac tum quoque regiones muris circumdare, ac bellum moliri nuntiabantur. Atque ex his ipſis Mardos ac* SERDOS, *ſuperior pugnis, captiuorum manibus amputatis, tametſi non ſine magno labore perdomuit.* Ab iis condita vrbs ΣΕΡΔΙΚΗ, quæ in numis ΟΥΛΠΙΑΝΗ dicitur, ob beneficia ab Vlpio Traiano accepta, (Theſ. p. 230.) cuius incolæ ΣΕΡΔΙΚΕΙΣ, tametſi in numo Golzii non ΣΕΡΔΙΚΕΩΝ, ſed ΣΑΡΔΙΚΕΩΝ legitur, quemadmodum & ipſa ΣΕΡΔΙΚΗ Ptolemæo aliisque ΣΑΡΔΙΚΗ dicitur. (Lib. III. c. 11 p. 80.) Hi Serdi, vt in M. Aurelii & alio L. Veri numo apud Vaillantium Serapidem, ita in priori horum Iſidem expreſſerunt, eo habitu, quo frequentiſſime in antiquis monumentis cernitur, cum ſiſtro & ſitella. (Numiſm. Græc. p. 56. 65.) Quæ eius ſymbola, cum aliis ei Numinibus Aegyptiis communia, id quod, ſui quondam Belgii decus, Ill. Cuperus vberius demonſtrat, phyſice interpretatur Seruius: „ Iſis, inquit, „ eſt genius Aegypti, qui per ſiſtri motum, quod gerit in dex- „ tra, Nili acceſſus receſſusque ſignificat; per ſitellam, quam ſiniſtra (Harpocr. p. 45. ſq.) (Lib. VIII. p. 696.)

„ manu retinet, ostendit affluentiam omnium lacunarum". Ab Iside non diuersa nisi nomine Cybele, quæ in posteriori numo expressa cernitur. *Me primigenii Phryges*, inquit illa Apuleii verbis, *Pessinuntiam nominant Deum matrem.* Hæc, vt cum Nasone loquar,

Metamorph. Lib. XI. c. 5.
Fast. Lib. IV. ẏ. 219.

—— *Turrifera* caput est *ornata corona*,
Quod primis *turres* vrbibus illa *dedit*.

Facem gestat dextra, Lunæ luciferæ instar; Veteres enim vt omnes Deos ad Solem, ita Deas ad Lunam retulerunt, docente id pluribus, quem supra laudaui, Cupero. Cornucopiæ in sinistra arguit fertilitatem rerum omnium, quas tellus, quæ non diuersa a Cybele vel Rhea, profert, vnde idem illud magnæ Deum matri vna cum canistro frugum pleno tribuitur in numo Antonini Pii apud Oiselium.

L. c. p. 108.
Tab. XLV. n. 7.

§. XVIII.

De duobus Commodi numis Græcis.

Græcis Commodi numis, quos Vaillantius longe plurimos exhibet, vna cum aliis duo addendi sequentes. Prior



est Hadrianopolitarum Thraciæ. Anteriori in parte caput Commodi iuuenile, cum inscriptione: ΑΥτοκράτωρ ΚΑΙσαρ Λούκιος ΑΥρήλιος ΚΟΜΟΔΟC, h. e. *Imperator Cæsar Lucius Aurelius Commodus.* In posteriori Bacchus seminudus, stans ad columnam, dextra thyrsum gerens cum litteris: ΑΔΡΙΑΝΟΠΟΛΕΙΤΩΝ, h. e. *Hadrianopolitarum.* De Hadriano Spartianus: *Cum titulos in operibus non amaret*, inquit, *multas ciuitates Adrianopolis appellauit.* Inter eas præcipua Thraciæ, quæ numum hunc cudendum curauit. Quo nomine prius vsa fuerit incertum reddunt Ammianus & Lampridius, quorum ille Vscadamam, hic Orestam dictam refert. „ Orestam vrbem" verba sunt Lampridii, „ Hadrianus suo nomine vindicari iussit, eo tempore, quo furore cœperat „ laborare, vt ex responso; cum ei dictum esset, vt in furiosi alicuius „ domum vel nomen irreperet". Egerat ante Lampridius de alia Oresta ab Elagabalo condita, vnde ridicula nata est ἀνιστορησία Thomæ de Pinedo ad Stephanum Byzantinum, qui „ Lampridius, inquit, in „ Heliogabalo auctor est, Heliogabalum condidisse vrbem circa Hebrum Thraciæ, & Orestam nominasse, quam postea Hadrianus Cæsar suo nomine vindicari iussit, vt idem auctor loquitur, id est, de „ suo nomine Adrianopolin iussit vocari". Lampridio consentit Zonaras, qui vrbem eam ante Ὀρεστιάδα appellatam fuisse testatur. Contra Ammianus: *Post hanc Aemimontus Hadrianopolim habet, quæ dicebatur Vscudama.* Cui gemina apud Sextum Rufum leguntur. Hos scriptores ita conciliat Cl. Harduinus, vt statuat, vrbem hanc primo Orestam deinde Vscudamam, ac denique Hadrianopolim esse dictam, quam tamen coniecturam labefactat situs. Vscudama enim in Bessis, Hadrianopolis

c. 20.
Elagab. c. 7.
Voce Ὀρέστ.
Annal. T. II. p. 251.
Lib. XXVII. c. 4.
Breuiar. c. 9.
De num. Vrb. & pop. p. 7. Opp. Sell.

drianopolis in Odryſis Thraciæ potius ſita erat, quemadmodum obſeruat Cellarius. Sed quoquo pacto res de veteri nomine habeat, recentius hodienum durat; dicitur enim, vt notum eſt, *Andrinople*. Bacchus, qui expreſſus cernitur, numen Thraciæ, quem Θρήϊκα Thracem appellat epigramma, quemque & Edonium ab Edonis gente Thraciæ, dictum conſtat. Ab iisdem Thracibus Sabazii nomen manauit teſte Scholiaſte Ariſtophanis, qui Σαβάζιον, inquit, τὸν Διόνυσον οἱ Θρᾶκες καλοῦσι καὶ Σαβοὺς τοὺς ἱερεῖς αὐτοῦ, h. e. *Sabazium Bacchum Thraces appellant & Sabos ſacerdotes eius*. A ſacris & cultu eius ſuperſtitionis & furoris pleno Edonidibusque & Threſſis Hæmum accolentibus, vnde ad vicinas partes manauit, familiari, originem vocis θρησκεύειν repetit Plutarchus. Poſterior

L. c. Lib. II. c. 15. p. 1324.

Anthol. L. I. c. 39. Epigr. 11. p. m. 82.

Ad Veſp. 9.

Alexandr. T. I. p. 665.



eſt Theſſalonicenſium. Aduerſa pars eius caput Commodi nudum ſiſtit cum inſcriptione, in qua notatu dignum, nomen Imperatoris accuſandi caſu poni: ΑΥΤοκράτορα ΚΑΙσαρα ΛΟΥΚιον ΑΥΡΗλιον ΚΟΜΟΔΟΝ, h. e. *Imperatorem Cæſarem Lucium Commodum*. Auerſa in parte Victoria gradiens dextra lauream, ſiniſtra palmam gerens. Inſcriptio: ΘΕϹϹΑΛΟΝΙΚΕΩΝ, h. e. *Theſſalonicenſium*. Pertinet forte numus ad victoriam triumphumque de Germanis, de quo Lampridius: „ Bellum etiam, „ quod pater pene confecerat, regibus hoſtium remiſit ac Roma reuer„ ſus eſt. Romam vt rediit, ſubactore ſuo Antero poſt ſe in curru loca„ to, ita triumphauit, vt eum ſæpius ceruice reflexa publice oſcularetur.

c. 3.

§. XIX.

Quam rari ſint Peſcennii numi, inprimis ex ære, nemo, qui vel obiter hoc ſtudiorum genus attigerit, hodie ignorat. Patinus „ æreos, „ inquit, Peſcennii numos ſupra argenteos raros eſſe certum eſt, cum „ in cimeliarchiis aſſeruatos compererim ſupra viginti ex argento, & „ vnus tantum aut alter occurrat in ære". Nefas proinde ſit, eiusdem Imperatoris, quem gaza noſtra ſeruat, numum a nobis indictum hoc loco dimitti.

De numo Græco Peſcennii Nigri. Numiſm. Imp. p. 274.



Caput Peſcennii laureatum comparet cum epigraphe . . . . . . Καίσαρ

 ΠΕϹ-

ΠΕΣΚέννιος ΝΙΓΡΟΣ ΙΟΥΣΤΟΣ ΣΕΒαςός, h. e. (Imperator) *Cæſar Peſcennius Niger Iuſtus, Auguſtus.* Auerſa in parte Aeſculapius, dextra baculum tenens, cui ſerpens circumuoluitur. Inſcriptio: ΚΑΙΣΑΡΕΙΑΣ ΓΕΡΜΑΝΙΚΗΣ, h. e. *Cæſareæ Germanicæ.* Similem ex argento numum commemorauit pridem Occo, ex ære Strada, & qui eum inde repetit, Triſtanus, ita tamen, vt cuiusnam ſit magnitudinis, non indicarint. Nec magnopere diuerſum exhibet Vaillantius, niſi quod tertiæ formæ eſt, & inſcriptio aduerſæ partis vocem Græcam ΔΙΚαιος, non Latinam Græcis litteris ΙΟΥΣΤΟΣ ſiſtit; de qua vir celeberrimus: „ Obſeruandum, inquit, plurimos reperiri huius Imperatoris numos „ cum verbo ΙΟΥΣΤΟΣ, quos omnes hactenus arte factos obſeruaui". Sed quod nihilominus a Patino, Spanhemio & Harduino vulgatus proſtat numus, in quo idem Peſcennius, Latina voce in Græcam transformata, ΙΟΥΣΤΟΣ dicitur, præſentem etiam luce non indignum putaui, tametſi ceteroqui ingenue fateor, fidem eius, vtcunque Morellio forte probati, mihi extra omnem dubitationis aleam haud poſitam videri. Typum auerſæ partis explicauit Triſtanus. ΚΑΙΣΑΡΕΙΑ ΓΕΡΜΑΝΙΚΗ, h. e. *Cæſarea Germanica* viris doctis eadem viſa, quæ Ptolemæo & Stephano ΓΕΡΜΑΝΙΚΕΙΑ, *Germanicia*, cuius haud infrequens mentio in hiſtoria Eccleſiaſtica, vrbs Euphrateſiæ, ſiue, vt dicta quondam ea Prouincia, Commagenes. Nomen, vt cenſet Noriſius tulit a Caio Cæſare Germanico impoſitum illi ab Antiocho filio, Commagenorum rege, vt gratum Imperatori ei animum ob regnum reſtitutum probaret. In alia tamen omnia diſcedendum ſibi putauit Cl. Harduinus. In prima operis ſui de numis vrbium & populorum editione numos hos Cæſareæ Euphrateſiæ adſignarat. Sed poſtea monitus a Noriſio, Cæſaream hanc potius Neocæſaream dici, eosdem numos ad Cæſaream Palæſtinæ reuocauit, quam altero anno Claudii Imperatoris Germanicæ cognomen a fratre Germanico accepiſſe ſtatuit. Quam ſententiam viri doctiſſimi excutient alii, quibus numos, quorum auctoritate nititur, propius inſpiciendi facultas obtigerit.

p. 339. De vit. Imp. p. 81. T. II. p. 39. Numiſm. Græc. p. 78. Numiſm. Imp. p. 273. de Vſ. & præſt. num. Edit. Amſtel. p. 591. Num. Vrb. & pop. Opp. p. 40. Cellar. Geogr. Lib. III. c. 12. p. 401. De Epoch. Syro Maced. p. 143. p. 252.

§. XX.

De numo Caracallæ Græco. Numiſm. Græc. p. 114.

Numum ΚΡΗΤΙΕΩΝ ΦΛΑΥΙΟΠΟΛΕΙΤΩΝ Antonino Seueri filio, quem Caracallam vulgo appellant, Imperatore cuſum, cuius in parte auerſa Pallas, exhibet Cl. Vaillantius. Addendus illi ſequens e gaza noſtra.



Capiti Imperatoris laureato adiecta eſt epigraphe: ΑΥΤοκράτωρ Καίσαρ Μάρκος ΑΥΡήλιος ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΣ ΑΥΓουςος, h. e. *Imperator Cæſar Aurelius Antoninus Auguſtus.* Auerſa pars Capripedem ſiſtit, cornutum

tum ac barbatum, qui dextra pedes hinnuli arrecti anteriores arripit, ſiniſtra pedum pellemque tenet. Inſcriptio: ΚΡΗΤΙΕΩΝ ΦΛΑΟΥΙΟπολιτῶν, h. e. *Cretienſium Flauiopolitarum.* Κράτειαν Ptolemæus commemorat in mediterraneis Bithyniæ, eamque & Φλαυιόπολιν dictam refert. Φλαυιόπολις, inquit, ἡ καὶ Κράτεια, h. e. *Flauiopolis, quæ & Cratia.* Nempe Flauiopoleos nomen recentius eſt, inditum vrbi a Flauio Veſpaſiano, qui eam beneficiis ornauit. Vetuſtius Κράτεια, vel Κρατία, prout in notitia Hieroclis ſcribitur, Latine *Cratia.* Inde Κρατιεῖς incolæ, vel, vt in numo eſt ΚΡΗΤΙΕΙΣ, a quibus diuerſi ΚΡΗΤΕΣ vel ΚΡΗΤΑΙΟΙ, h. e. *Cretenſes*, quibus numum huius vrbis adſcribit Triſtanus, pridem caſtigatus eam ob rem ab Holſtenio ad Stephanum. Idem Holſtenius obſeruat in alio apud Franciſcum Gottifredum numo fuiſſe ΚΡΙΤΙΑ ΦΛΑΥΙΟΠΟΛΙΣ, vnde ſequeretur, eandem vrbem quoque Critiam dictam. Veruntamen monet, in numo excuſum fuiſſe ΚΡΗΤΙΑ, ſed eum, qui ab ærugine numum expurgauit, crus inter Ρ & Η compendio hoc Ħ factum ſuſtuliſſe; eiusque rei adhuc veſtigia apparere accuratius conſideranti. Capripes, Pan ſcilicet, origines vetuſtas vrbis eius ob oculos ponit, coloniæ, vt videtur, Arcadicæ, perinde vt vicinum Bithynium, de quo diſerte id teſtatur Pauſanias. Pan enim Deus Arcadiæ, quem proinde τοῖς Ἀρκάσιν ἐπιχώριον, *Arcadibus inquilinum* idem ſcriptor appellat. Comparet autem eo habitu Pan, quo pingi eum ſculpique obſeruat Herodotus, αἰγοπρόσωπος καὶ τραγοσκελὴς, h. e. *Caprina facie & hircinis cruribus*, ἔχων νεβρίδιον καὶ καλαυρόπιον, *in humeris geſtans pellem hinnuli & pedum*, quod addit Suidas. Loco autem συρίγγος *fiſtulæ*, quam alias geſtat, hinnulum apprehendit, quo pacto & Faunum cum hinnulo ludentem dextra, ſiniſtra nebridem gerentem & pedum, ex gemma veteri exhibet Begerus.

Lib. V. p. 117. Cell. Geogr. Lib. III. c. 8. p. 306. T. II. p. 94. p. 174. Arcad. p. 244. p. 257. Lib. II. c. 46. voce Πᾶν. L. c. T. I. p. 18. ſqq.

§. XXI.

Eundem Caracallam, quem in ſuperiori numo vidimus, iunctim cum vxore Plautilla, exhibet apud nos Smyrnæorum numus Vaillantio prætermiſſus. *De eiusdem & Plautillæ numo alio Græco.*



Capita Caracallæ & Plautillæ ſe mutuo reſpiciunt: Alterum laurea, alterum ornamento ſibi peculiari, quod vnis crinibus conſtabat, ſuperbit. Inſcriptio ex parte rubigine abſumta: ΑΥΤοκράτωρ Καίσαρ Μάρκος Αὐρήλιος ΑΝΤΩΝΕΙΝΟϹ . . . . h. e. *Imperator Cæſar Marcus Aurelius Antoninus.* Auerſa pars Herculem exhibet, qui dextra ſcyphum geſtat, ſiniſtra clauam & exuuias leoninas, cum epigraphe: ΕΠΙ ΚΡΗΤΑΡΙΟΥ ϹΜΥΡΝΑΙΩΝ, h. e. *Sub Cretario Smyrnenſium.* Smyrnæ, vrbium Ioniæ ſplendidiſſimæ, & hodienum celeberrimæ Στρατηγοὶ, *Prætores*

tores quondam præfuerunt, qui primum ab Athenienſibus, vt Archontum auctoritatem minuerent, inſtituti, inde ad colonias in Ionia transiere, tametſi aliæ ex iis Archontes retinendos duxerunt. Στρατηγοὶ Smyrnæis placuere, ex quibus ΚΡΗΤΑΡΙΟC *Cretarius* fuit, cuius integrum nomen: ΤΙΒΕΡΙΟC ΚΛΑΥΔΙΟC ΚΡΗΤΑΡΙΟC, *Tiberius Claudius Cretarius*, quod exhibet numus maximæ formæ apud Vaillantium, cuius inſcriptio auerſa in parte: ΕΠΙ СΤΡΑΤΗ. ΤΙΒΕΡΙΟΥ ΚΛ. ΚΡΗΤΑΡΙΟΥ CΜΥΡΝΑΙΩΝ ΠΡΩΤΩΝ Γ ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΤΩΝ CΕΒΑCΤΩΝ ΚΑΛΛΕΙ ΚΑΙ ΜΕΓΕΘΕΙ. A quo non diuerſum eſt numiſma eiusdem molis, quod ex gaza Deuonienſi protulit Cl. Haymius, niſi quod voces alio ibi ordine ac loco poſitæ cernuntur. Sed perperam ibi legitur: ΕΠΙ СΤΡΑΤΗ. ΤΙΒΕΡΙΟΥ ΚΛ. ΚΡΗΤΑΙΟΥ, *ſub Prætore Tiberio Claudio Cretenſi.* Cretarii ceteroqui nomen perrarum in antiquis monumentis, quod in Gruteriano opere ſemel legitur, in quo C. Cretarius Erucius occurrit. Typus Herculis cum ſcypho haud infrequens in numis Smyrnæorum. Reperitur enim in Neruæ, Seueri Alexandri, Maximinique & Maximi numis, vt alios taceam. Nec dubito, quin idem ille occurrat in Tranquillinæ numo apud Begerum, tametſi is, ſub perſona Archæophili, figuram ibi expreſſam Omphalen interpretatur, ratus, eam Tranquillinæ propiorem eſſe, quam Herculem. Hercules vero is ſcyphum tenet, vnde quærit Patinus, quid Baccho cum Hercule? At nota eſt bibacitas Herculis, qua æque ac voracitate excelluit, noti ſcyphi Herculei, nota fabula, qua poculo vectus Hercules Oceanum traieciſſe dicitur, cuius hanc rationem reddit Athenæus: Μήποτε, ἐπεὶ μεγάλοις ἔχαιρε ποτηρίοις ὁ ἥρως, διὰ τὸ μέγεθος παίζοντες οἱ ποιηταὶ καὶ γραφεῖς (ita legendum cenſet Cauſaubonus) πλεῖν αὐτὸν ἐν ποτηρίῳ ἐμυθολόγησαν, h. e. *Annon propterea quod magnis delectabatur poculis Heros, propter magnitudinem ludentes Poëtæ & pictores eum in poculo nauigantem finxere?* Neque vero minus nota conuenientia Bacchi cum Hercule, qua de videndus Ill. Cuperus; adeo vt dubitandum vix ſit, quin iſto Herculis οἰνοπότου ſymbolo, Smyrnæi vini præſtantiſſimi, quo gaudebant, prouentum deſignarint. Pramnium vinum apud eos celebre, de quo Plinius: „ Et Pramnio, quod idem Homerus celebrauit, etiam nunc hos durat. Naſcitur Smyrnæ regione, iuxta delubrum Matris Deum".

Numiſm. p. 111.
L. c. T. II. p. 245. Tab. XVI. n. 1.
p. MLXXVII.
Patin. numiſm. Imp. 167. 343.
Teſor. Britann. T. II. p. 260. Tab. IX.
T. II. p. 729.
L. c. p. 168.
Lib. X. p. 412. Lib. XI. p. 500. 469. conf. Macrob. Saturn. Lib. V. c. 25.
Harpocr. p. 97.
Lib. IV. c. 4. ſect. 6. T. I. p. 714.

§. XXII.

De eiusdem Caracallæ numo Latino.

Numis Græcis Antonini Caracallæ Latinum ſubiungo a Stobenſibus percuſſum.



Capiti laureato Antonini adiecta eſt inſcriptio: IMP*erator* C*æſar* M*arcus*

cus A*u*R*elius* ANTONINVS. Auerſa in parte Iupiter ſedet dextra Victoriam, ſiniſtra haſtam gerens. Epigraphe: MVNICIP*ium* STOBE*nſi*VM. Stobi Ptolemæo Pelagoniæ, Liuio Pæonum vrbs. Nempe, vt eſt apud Strabonem, οἱ Παίονες Πελαγόνες ἐκαλοῦντο, h. e. *Pæones vocabantur Pelagones.* Et inter Pæoniæ gentes Pelagones recenſet Plinius. Vnde patet, quam recte de hac ipſa vrbe ſcripſerit Cl. Wildius: „ Stobi „ Macedoniæ vetus vrbs Liuio, nempe Pœnum in Pelagonia". Vbi, errore vix ferendo typothetarum, quem in indice ſubiecto non animaduertit vir doctiſſimus, Pœnum excuſum eſt pro Pæonum. Neque enim Pelagonia nomen generale eſt, quod Pæones complectatur, ſed Pœonum, quando Pæonum gentibus Pelagones Plinius attribuit. Vnde ſcribendum potius fuerat: Stobos vrbem eſſe Pelagonum in Pæonia, non vice verſa. Situm eius vrbis ad duos fluuios Erigonum, nempe & Rhœdiam vel Ludiam (nam ita apud Plinium pro Rhœdias ex Strabone, qui Erigonum & Ludiam coniungit, legendum cenſet celeberrimus Harduinus) quorum poſteriorem influere in priorem Baudrando id affirmanti credi tanto facilius poteſt, quod Erigonum multos recipere fluuios Strabo teſtatur, docet numus Getæ apud Vaillantium, in quo duo fluuii decumbentes barbatus alter, nempe Erigonus, alter imberbis, Rhœdias vel Ludias, qui in alterum influit. Conditionem vrbis declarat vox MVNICIP*ii*, vnde Plinius diſcrimen inter coloniam & *municipium* ob oculos poſiturus, *Pella*, inquit, *colonia. Oppidum Stobi ciuium Romanorum.* Stephanus diſcrimine eo neglecto: Στρόβος (ita ille corrupte pro Στόβοι) πόλις Μακεδονίας, Ρωμαίων ἄποικος. *Stobi vrbs Macedoniæ Romanorum colonia.* Incolæ corrupte Stobenſes appellantur Paulo: *In Prouincia Macedonia*, inquit, *Dyrracheni, Caſſandrenſes, Philippenſes, Dienſes, Stouenſes Iuris Italici ſunt.* Ioannes Stobæus, Stobis, vt viſum poſt Triſtanum & Holſtenio, oriundus, ex Græco gentili Στοβαῖος, quod Stephanus ſeruauit, ita dicitur, cum alias Latine Stobenſis dicendus foret, quemadmodum legio XXXII. Lanicaria Stobenſis (Scobenſis corrupte legitur) in veteri inſcriptione, quam laudat Goltzius, appellatur. Iupiter ſedens in auerſa parte IVP*iter* VICTOR eſt, de quo ad numum Domitiani cum auerſa parte ſimili plura congeſſit Oiſelius. Idem is videtur cum Ioue Nicæo, cuius templum in Epiro commemorat Liuius. Ceterum typum hunc in nullis adhuc, qui editi proſtant, Stobenſium numis reperire mihi licuit.

Lib. XIII. c. 13. — Lib. XLV. c. 29. — Exc. Lib. VII. p. 331. — Lib. IV. c. 16. ſect. 17. T. I. p. 201. — Select. Numiſm. p. 271. — L. c. — L. c. p. 202. — L. c. p. 330. — L. c. p. 327. — Num. Colon. T. II. p. 59. — L. c. — v. Στρόβος. — Digeſt. Lib. L. tit. XV. — Comment. T. II. p. 175. — Ad Steph. p. 304. — Theſaur. p. 155. — Tab. XXXVI. n. 5. p. 175. — Lib. XLIII. c. 21.

§. XXIII.

Numos Coloniæ Aeliæ Capitolinæ, Antonino Pio Imperatore cuſos, ſupra exhibui, viroſque doctos, Noriſium inprimis, ſecutus monui, eam vrbem cum Capitoliade, Cæle-Syriæ oppido, non eſſe permiſcendam. Quo iure id factum a me ſit, docere poterit numus eiusdem Capitoliados Getæ, Matriſque Iuliæ vultu ſignatus, quem gaza noſtra ſeruat.

De numo Getæ Iuliæque matris. §. XIII.



Prior numi pagina caput Getæ exhibet cum epigraphe: Πέβλιος CΕΠτίμιος ΓΕΤΑC, h. e. *Publius Septimius Geta:* in posteriori caput Iuliæ cum inscriptione, si nomen Augustæ spectes, lectu paulo difficiliori, si nomen vrbis litteris longe integerrimis expressa. Ita enim habet: Ι. Μ. Α. Κ. Γ. ΚΑΠ. Ι. Α. Α. quod interpretor: Ἰέλια, Μήτηρ Ἀντωνείνε Καὶ Γέτα. ΚΑΠιτωλιάδος Ἱερᾶς Ἀσύλε Αὐτονόμε, h. e. *Iulia Mater Antonini & Getæ, Capitoliados sacræ, inuiolabilis, suis legibus vtentis.* In area ad vtrumque latus Augustæ ΗΡ. h. e. *anno CVIII.* ΚΑΠιτολιὰς Ἱερὰ, Ἄσυλος, Αὐτόνομος dicitur hoc in numo, perinde atque in aliis, quos præclara numophylacia complectuntur, quæ elogia, in primis titulus Αὐτονόμε, in Coloniam, qualis Aelia Capitolina, quemadmodum supra iam vidimus,
Chronol. V. T. p. 638. non cadunt. Sed quid ad hæc vir doctissimus Cl. Harduinus vt elabatur? Contendit vnam eandemque vrbem ex parte ab Græcis incolis habitatam suique iuris fuisse, ex parte coloniam. „ Qui primum dicti „ sunt, inquit, Capitolienses, in eorundem ciuitatis partem deductis „ colonis ab Aelio Cæsare, Aelia Capitolina dicta ciuitatis portio quæ„ dam est, nec duo sunt oppida, sed vnius oppidi duæ regiones". Quæ quidem gratis comminisci virum doctissimum, ne diuersas ab se inuicem vrbes Capitoliada & Aeliam Capitolinam fateri cogatur, quis non videt? Veruntamen quærit, „ quænam potuerit alia Καπιτωλιὰς „ esse ἱερὰ, ἄσυλος, αὐτόνομος, aut templo se iactare Iouis Capitolini, „ aut omnino nomine Capitoliadis Romæ, vt arbitratur, affini, nisi „ primaria ciuitas prouinciæ, cuiusmodi Capitolias Cœle-Syriæ non „ fuit". Vbi vt mittam, quod de templo Iouis Capitolini aut nomine Capitoliados nulli, nisi primariæ prouinciæ ciuitati concedendo affirmat vir doctissimus, scire velim, cur tituli ἱερᾶς, ἀσύλε, αὐτονόμε Capitoliadi Cœle-Syriæ magis neganda, quam Mocæ oppido Arabiæ, quod
Lib. V. c. 17. p. 142. Ptolemæus commemorat, cuius numi sub Antonino Pio & Seuero cusi idem elogium præ se ferunt, inscripti: ΜΟΚΑ ΙΕΡ. ΑCΥ. ΑΥΤΟ. Hos enim numos reapse ad Mocam Ptolemæi, non ad Samosata, quod in
p. 456. priori de numis vrbium & populorum editione statuerat Cl. Harduinus, neque ad hanc ipsam, de qua ago, Capitoliadem, pertinere, pro-
Opp. Sell. p. 108. vt visum eidem in posteriori, totam inscriptionem legenti ΜΟκων ΚΑΠιτολιέων ἹΕΡὰ ΑCΥΛος ΑΥΤΟνόμος, probatione non eget, nisi forte apud eos, qui fidem habendam duxerint viro celeberrimo, statuenti, Ptolemæum ex numis his praue intellectis finxisse Mocam suam, aut Capitolienses se ΜΟκυς, solos nempe, Capitoliensium nomine nuncupatos, inscripsisse vnquam, quorum neutrum sibi persuaderi temere patientur, qui in sententiis diiudicandis quid verosimile potius, quam quid nouum aut paradoxum sit, spectare solent. Mirum vero, difficultatem Cl. Harduinum serere inde, quod quam Cœle-Syriæ Ptolemæus adscribit Capitoliada, alii deinde Palæstinæ secundæ adscribunt, cum pridem ob-

ſeruauerit Noriſius, Ptolemæi Capitoliada in ea parte Cœle-Syriæ ſitam L. c. p. 323.
fuiſſe, quæ poſtea ſub Chriſtianis Imperatoribus nomen Palæſtinæ ſecundæ obtinuit. Ceterum Capitoliada hanc ab Aelia Capitolina diſtinctam eſſe præter titulum αὐτονόμου, docet & ſitus, quem ei itinerarium Antonini inter Gadara & Damaſcum aſſignat, & quod vtriusque vrbis
diſtincti Epiſcopi commemorantur, prout celeberrimus Relandus obſer- Palæſt. p. 693.
uat. Aeram Capitoliados Noriſius anno vrbis DCCCXLIV. vel ſe- L. c. p. 331.
quenti aſſignat, atque adeo annum eius CVIII. cum DCCCCLII. vel
ſequenti vrbis concurrere hariolatur. Vaillantius eandem repetit ab au- Num. Græc. p. 275. ſq.
tumno anni DCCCXLVI. annumque illius VIII. cum anno vrbis DCCCCLIV. connectit, quo anno Capitolienſes Seuero, Vxori eius liberisque cudiſſe numos arbitratur, vt iis de Parthia capta & vaſtata gratularentur, quæ res ſi ita habeat, mirum eſt, victoriæ ſymbolum in his numis nullum deprehendi.

§. XXIV.

Marcianopolitarum numos cum vultu Macrini & Diadumeniani *De numo Græco Macrini & Diadumeniani.*
haud vnos vulgauit Cl. Vaillantius, quibus addas licet, iuxta cum
Begeriano, ſequentem cum dracone, iis geminum, quos Elagabali & T. III. p. 138.
Iuliæ Soëmiados vel Mæſæ, Alexandri item Seueri Mamææque matris
vultu ſignatos Cl. Haymius produxit, ex quibus tamen poſteriorem T. II. p. 254. 258.
pridem & Vaillantius & Spanhemius laudarunt. Numiſm. Græc. p. 137. L. c. T. I. p. 220.



Aduerſam partem iniuria temporis haud parum corrupit. Ex oris tamen habitu capita Macrini & Diadumeniani ſatis agnoſcuntur. Inſcriptio mutila: ..... ΟΠΕΛΙ. CΕΥ.....: h. e. ..... *Opelius Seuerus*..... Auerſa pars æquiorem paulo ſortem experta eſt. Clariſſime enim expreſſus cernitur draco capite arrecto, plurimosque in gyros contortus. Inſcriptio: ΥΠ. ΠΟΝΤΙΑΝΟΥ ΜΑΡΚΙΑΠΟΛΕΙΤΩΝ, h. e. *Sub Pontiano Marcianopolitarum.* In area E. Μαρκιανόπολις, quæ Μαρκιανούπολις, & diuiſa voce Μαρκιανοῦ πόλις ſcriptoribus dicitur, vrbs Myſiæ inferioris mediterranea
potius quam maritima, docente id pluribus Cellario noſtro. Id nomi- Geogr. Lib. V. c. 8. p. 590. ſq.
nis, teſte Ammiano, obtinuit a Marciana, Traiani optimi Principis
optima ſorore, cuius numum ab his ipſis Marcianopolitis cuſum cum Lib. XXVII. c. 4.
typo Cybeles ſedentis & inſcriptione: ΜΑΡΚΙΑΝΟΠΟΛΙΤΩΝ ex gaza
Deuonienſi protulit Cl. Haymius. Occaſionem eius rei narrat Iornan- T. II. p. 209.
des: „ Quia Marcianopolim nominauimus, inquit, libet aliqua de De reb. Getic. cap. 16.
„ eius ſitu breuiter intimare. Nam hanc vrbem Traianus Imperator „ hac re ædificauit, vt fertur, eo, quod Marcianæ, ſororis ſuæ, puella, dum lauat in flumine illo, quod nimiæ limpiditatis ſaporisque „ in media vrbe oritur, Potami cognomento, exindeque vellet aquam „ haurire, caſu vas aureum, quod ferebatur, in profundum cecidit „ metalli pondere grauatum, & longe poſt emerſit; quod certe non erat

 vſitatum,

„ vſitatum, aut vacuum ſorberi, aut certe ſemel voratum vndis re„ ſpuentibus renatare. His Traianus ſub admiratione compertis, fonti„ que numinis quiddam ineſſe credens, conditam ciuitatem germanæ „ ſuæ in nomine Marcianopolim appellauit". Quod de puella Marcianæ tradit Iornandes, ipſi Marcianæ adſcribit Io. Magnus, ſed quo auctore incertum. Id mireris, quo pacto ex Iornandis, ad quem prouocat, narratione haurire potuerit, quod de eadem vrbe hac refert Cl. Wildius: „ Marcianopolis, inquit, ab Imp. Traiani ſorore Marciana „ nomen nacta........ Illius enim puella in flumine (quod in media „ vrbe oritur, Potami cognomento) lauans & aquam hauriens eſt ſub„ merſa". Admodum feſtinanter Iornandis verba legerit oportet, qui, pro vaſe aureo puellam Marcianæ fingit ſubmerſam, ex eoque caſu, cui certe nihil miri ineſt, vrbem Marcianopolim dictam putat. De dracone, qui auerſa in parte ſculptus cernitur, dictum, ad ſimilem Pautaliæ numum. Eum non magnitudo tantum ſua, verum & barba ſub mento prominens vna cum criſta ſpectabilem in hoc numo reddit. De criſta draconum, quod tradiderat Iuba, parum videri Plinio veriſimile, cum ceteroqui & criſtam & barbam draconi mari Aelianus tribuat, Ill. Spanhemius obſeruauit. Sed de draconibus Aethiopiæ ſermo hiſtoriæ naturalis ſcriptori, quos, vt Cl. Harduinus ad eum locum monet, criſtatos fuiſſe, nemo veterum ſcriptorum memoriæ prodidit. Pontiani Præſidis nomen & alii Marcianopoleos numi ſeruant, Macrino imperante cuſi. Legitur vero: ΥΠ. ΠΟΝΤΙΑΝΟΥ, non ΕΠΙ, quod frequentius: Prius in ſolis Thraciæ vrbibus reperiri Vaillantius obſeruat. Littera Ε in area expreſſa in aliis Marcianopolitarum numis ſimilem Draconem exhibentibus, quales Elagabali & Soëmiados vel Mæſæ, & Alexandri Seueri, Iuliæque Mamææ apud Cl. Haymium, perinde atque in gemino numo Dionyſopolitarum apud Patinum occurrit. Ac ne forte propria illa credatur Draconis Symbolo, eadem Mercurio in ſimili numo Macrini & Diadumeniani, & Palladi ac Fortunæ in numis Gordiani Pii iuncta reperitur. Annum quintum imperii, prout ſtatuit Cl. Haymius præeuntes ea in re duces, Cl. Vaillantium & Celeberrimum Harduinum, ſecutus, haud denotari, Macrini numiſmata quarto decimo menſe imperii interfecti, luculenter docent.

Hiſt. Goth. Lib. VI. c. 8.
Sell. Numiſm. p. 148.
Cap. VIII. §. VII.
Lib. VIII. c. 13. ſect. 13. T. I. p. 446.
T. I. p. 221.
L. c. p. 315.
L. c.
Numiſm. Imp. p. 370.
Beg. Theſ. Brand. T. III. p. 138. 145.
Vaill. Numiſm. Gr. p. 133.
Teſor. Britann. T. II. p. 254. 258.
L. c.
Num. Vrb. & pop. Opp. Sell. p. 101.

§. XXV.

De numo Græco Tranquillinæ. L. c. p. 151.

Gordiani Pii numum, in quo templum cum inſcriptione: ΘΕCCΑΛΟΝΙΚΕΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ, ΠΥΘΙΑ, recenſet Cl. Vaillantius. Similem coniugis eius Tranquillinæ in theſauro noſtro reperias, cuius delineationem lectoribus tanto gratiorem futuram ſpero, quanto rarius Auguſtæ huius numiſmata inueniuntur.



Aduerſa pars caput Tranquillinæ exhibet, & inſcriptionem, neſcio an integram:

integram: CABINIA TRANKYΛΛΙΝΑ Αυτοκράτωρ@ vel Αντωνίε ΓΟρδιανε, h. e. *Sabinia Tranquillina Imperatoris* vel *Antonii Gordiani.* Dixi ignorare me, vtrum inſcriptio integra ſit, nec ne. Voces enim, quas dixi, equidem diſtincte admodum expreſſæ comparent: Sed cum ab inferiori ſui parte numus aliquantum detritus ſit, vtrum prænomen ΦΡΟΥΡΙΑ, vel ΦΟΥΡΙΑ (vtrumque in numis inuenitur, tametſi prius monetariorum incuriæ adſcribit Ill. Spanhemius) adfuerit nec ne, non facile dixerim. Proſtant enim & alii eius numi Græci in quibus idem illud deſideratur. CABINIA autem, h. e. *Sabinia*, dicitur Tranquillina noſtra, quam ſcribendi rationem Ill. Spanhemius in altera operis ſui de Præſtantia & Vſu Numiſmatum editione, quod vel ex tertia patet, in qua eadem verba, inſertis quibusdam aliis, repetuntur, adeo veram cenſuit, vt alteram SABINA prorſus improbarit. Idem viſum & Cl. Vaillantio haud vno loco, & Mediobarbo, non Occonis, quod coniectat Spanhemius, cui liber eius ad manus non erat, apud quem SABINA, ſed Vaillantii forte auctoritate adducto. Eos vero ſimul ac ſe ipſum correxit idem, quem paulo ante laudaui, vir ſummus, oſtendendo, *Sabinam* æque ac *Sabiniam* appellari Tranquillinam, prioremque ſcribendi rationem poſteriori eſſe veriorem. Quod ſi tamen adeo conſtans in pluribus probique omnino commatis Græcis Romanisque numis, prout contendit Ill. Spanhemius SABINAE non SABINIAE appellatio, mirum eius generis nullum prorſus exhiberi a Cl. Harduino, qui & ipſe SABINIAM eam, non SABINAM, perpetuo nuncupat. Fuit hæc Tranquillina Αυτοκράτωρ@ vel Αντωνίε Γορδιανε, h. e. *Imperatoris vel Antonii Gordiani coniux*; ita enim interpretor litteras ΑΓΟ ſub finem inſcriptionis, quas ΑΥΓΟΥΣΤΑ explicarem, prout Ill. Spanhemius numos Domitiæ & Iuliæ Domnæ, & Cl. Harduinus alium Lucillæ commemorat cum inſcriptione: ΔΟΜΙΤΙΑ ΑΥΓΟΥCΤΑ, ΙΟΥΛΙΑ ΑΥΓΟΥCΤΑ, ΛΟΥΚΙΛΛΑ ΑΥΓΟΥCΤΑ, niſi littera Υ diphthongum efficiens, deſideraretur. Auerſa in parte templum comparet quinque columnarum: Inſcriptio ΘεσσαΛΟΝΙΚΕΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ, h. e. *Theſſalonicenſium Neocororum.* Infra ΠΥΘΙΑ, h. e. *Pythia.* Templum non Gordiani Pii eſt coniugisue eius, ſed Apollinis, id quod arguit vox ΠΥΘΙΑ, qua certamina Poëtica, Muſica, atque alia, deſignantur, Apollini ob cædem Pythonis ſerpentis inſtituta, & in templo eius ſingulis quinquenniis, vnde iis nomen Pentaëtericorum, celebrari ſolita, idque primo Delphis, deinde & alibi, vnde eorum non tantum in Theſſalonicenſium, ſed Philippopolitarum, Perinthiorum, Hierapolitanorum, Pergæorum, Emiſenorum, Trallianorum, & Magnetum numis mentio occurrit. De iis aliisque huiusmodi certaminibus conſulendus omnino Ill. Spanhemius in egregiis ad Morellium epiſtolis. ΝΕΩΚΟΡΩΝ dignitatem Theſſalonicenſes prima vice ſub Gordiano, Tranquillinæ marito, altera, cum Valerianus rerum ſummæ præeſſet, obtinuere, prout ex numis eorum obſeruat Cl. Vaillantius.

Ap. Goltz. Theſ. p. 105. — p. 302. ſq. — T. II. p. 129. — T. II. p. 102. ſq. — p. 342 — p. 438. — Hiſt. Aug. Opp. Sell. p. 828. ſq. — T. II. p. 385 — Opp. Selle. Hiſt. Aug. p. 778. — Subi. Specim. conf. inprimis p. 12. — Numiſm. Gr. p. 218.

§. XXVI.

Gallieni numum a Smyrnæis cuſum, in quo figura muliebris ſedens, quæ dextra templum, ſiniſtra haſtam tenet, cum inſcriptione: CΜΥΡΝΑΙΩΝ ΝΕΩ. ΕΠΙ Μ. ΑΥΡ. CΕΞΤΟΥ. ex Foucaltino theſauro & Vaillan-


De numo Græco Gallieni.

Numism. Imp. T. I. p. 207. Vaillantio commemorat Cl. Bandurius. At vero, vbi Vaillantii numismata Græca euolueris, frustra similem quæres numum: Qui enim ibi ex Foucaltina gaza recensetur, & typo & inscriptione differt. Consimilis tamen inter alia præclara huius generis monumenta, apud nos reperitur.



Caput Gallieni laureatum ad pectus vsque prominet. Inscriptio: ΑΥΤοκράτωϱ Καίσαϱ Πϐβλι۞ ΛΙΚίνι۞ ΓΑΛΛΙΗΝΟϹ, h. e. *Imperator Cæsar Publius Licinius Gallienus.* In aduersa numi pagina figura muliebris galeata sedens, ædiculam dextra, sinistra hastam tenet, clypeo ad sellam, cui insidet, reclinato. Inscriptio duplici litterarum ordine expressa: ϹΜΥΡΝΑΙΩΝ Γ ΝΕΩκόϱων ΕΠΙ Μάϱκϐ ΑΥϱηλίϐ ϹΕΞϹΤΟΥ, h. e. *Smyrnæorum ter Neocororum sub Marco Aurelio Sexto.* Figura muliebris haud dubie Roma, quæ templum sibi a Smyrnæis ædificatum dedicatumque manu porrecta ostentat. Nempe „ primi illi templum vrbis Romæ statuere „ M. Porcio consule, magnis quidem iam populi Romani rebus, non„ dum tamen ad summum elatis, stante adhuc Punica vrbe, & vali„ dis per Asiam regibus", prout illi ipsi in oratione ad Tiberium affirmant. (Apud Tacit. Annal. Lib. IV. c. 56.) ΝΕΩΚΟΡΩΝ dignitatem Γ. h. e. tertia vice gestam iactant in hoc numo. Prima nempe eis Neocoria obtigit Tiberio imperante. Rogati enim Patres in celebri illa Asiæ vrbium contentione, quanam in ciuitate templum Tiberio matrique eius ac Senatui statueretur, Smyrnæos prætulerunt. (Tacit. l. c.) Secundam iis sub Hadriano Antonius Polemo procurauit, docente id luculenter marmore Oxoniensi. (Marm. Oxon. p. 95. 97. sq.) Tertiam eos non Caracallæ demum, vt Vaillantio visum, (L. c. p. 221.) sed Seueri iam tempore obtinuisse Cl. Bandurius ex numo Iuliæ Domnæ cum epigraphe: ϹΜΥΡΝΑΙΩΝ Γ ΝΕΩΚΟΡΩΝ, (Numism. Imp. T. I. p. 116.) demonstrare conatur, satisne recte, infra, data occasione, disquiremus. (C. IX. §. X.) Μ. ΑΥΡ. ϹΕΞϹΤΟΥ nomen Prætoris est, quod noua ratione scribitur ϹΕΞϹΤΟΥ pro ϹΕΞΤΟΥ, littera C intrusa. Constat veteres Græcos ante inuentam litteram Ξ duplici littera ΧΣ vsos, ita vt pro vocibus ΑΜΦΙΑΝΑΞ & ΞΕΝΟΧΑΡΗΣ scripserint ΑΜΦΙΑΝΑΧΣ ΧΣΕΝΟΧΑΡΗΣ. Illam scribendi rationem numus præsens imitatur, perinde atque apud Romanos vox PAXS expressa occurrit in numis æreis Galbæ, Vitellii, Vespasiani & Domitiani. Ita denarii in numis familiarum inscriptio: AXSIVS ALEXSANDRIA, & in gente Egnatia: MAXSVMVS, cui similem in gente Iulia ornamento fuisse gazophylacio reginæ Christinæ Ill. Spanhemius obseruat. (T. I. p. 121.) Similia exempla suppeditant lapides antiqui, quibus, cum in præclaro Inscriptionum opere, beneficio indicis, nullo negotio inueniri possint, huc transscribendis immorari non vacat.

CAPVT



CAPVT X.

DE TERTIÆ MAGNITVDINIS NVMIS IMPERATORVM ÆREIS.

§. XIII. *De*

§. XIII. *De numo Gallieni cum symbolo Centauri & inscr.* LEG. II. PART. VII. P. VII. F.

§. XIV. *De numo Claudii Gothici cum inscript.* MARTI PVTOR.

§. XV. *De numo Diocletiani cum inscript.* P. M. TR. P. VIII. COS. IV. P. P. *Infra* A.

§. XVI. *De numo Carausii cum inscript.* VIRTVS AVG.

§. XVII. *De numo Licinii cum typo Solis & inscript.* COMITI AAVVGG.

§. XVIII. *De numis Constantini cum inscript.* GLORIA PERPETVA.

§. XIX. *De numo Delmatii cum inscript.* GLORIA EXERCITVS. *Infra* S. M. T. B.

§. XX. *De numis duobus Constantii, quorum alterius inscriptio:* SECVRITAS REIPVB. *alterius :* VICTORIA AVG.

§. XXI. *De numo Faustæ cum typo Stellæ in laurea.*

§. I.

De numis Imperatorum æreis III. magnitudinis in genere.

POst duas iam numorum ex ære classes, quarum altera primæ, altera secundæ magnitudinis numismata complectitur, quoad eius per instituti huius rationes licuit, perlustratas, tertia nunc restat minimorum huius generis monumentorum; ad quæ pernoscenda harum rerum studiosis via munienda est. Series eorum omnibus numeris absoluta quousque conquiri possit, nemini eorum, qui huic supellectili numariæ comparandæ vnquam operam dedere, ignotum est. Vnde si fatear, eam a Iulio inde Cæsare vsque ad Postumos neque nimis vbique esse numerosam, & quibusdam insuper, tametsi non ita multis hiatibus interstingui, idemque rursus post Theodosii magni tempora nobis, atque adeo haud paulo crebrius, vsu venire largiar, nemo, puto, erit, nisi iniquus forte rerum æstimator, qui de thesauri nostri magnitudine & præstantia minus præclare sentiat. Hanc enim vel ex numero huius moduli numorum, quos ille a Gallieni inde ætate peculiari scrinio inclusos complectitur, satis metiri, licebit. Sunt enim illorum propemodum mille ac nongenti, quibus si cusi sub primis Imperatoribus ad Gallieni vsque tempora addantur, non equidem dixero, bis mille eorum apud nos reperiri, bona tamen fide confirmare possum, non adeo multos, procedente, vt spes est, tempore comparandos, quo minus tot numerare liceat, desiderari. De elegantia, raritate ac pretio eorum nihil addo; quæ speciminis causa tametsi tumultuaria fere opera conquisita subiicio, satis, vt spero, docebunt, inter plurima quantumuis obuia, non deesse, quæ, si non omnino nusquam, certe rarius alibi prostent, & propiorem vtique considerationem mereantur.

Seriem

§. II.

Seriem vniuerſam perſpicere ex indice ſequenti licebit, quem præmitto. *Ind.*

Iulius Cæſar
Auguſtus
Liuia
Caius & Lucius
Tiberius
Germanicus
Caligula
Claudius
Agrippina
Nero
Vitellius
Veſpaſianus
Titus
Iulia Tit.
Domitianus
Domitia
Nerua
Traianus
Hadrianus
Antoninus Pius
Fauſtina
M. Aurelius
Veriſſimus
Verus
Commodus
Peſcennius Nig.
Seuerus
Iulia
Caracalla
Plautilla
Geta
Macrinus
Elagabalus
Seu. Alexander
Gordianus Africanus
Balbinus
Gordianus Tert.
Tranquillina
Philippus P.
Otacilia
Traianus Decius
Gallus
Valerianus
Mariniana
Gallienus
Salonina
Valerianus
Trebellianus
Poſtumus
Macrianus
Victorinus
Marius
Claudius Gothicus
Aurelianus
Aurelian. & Vabalathus
P. Piueſ. Tetricus
Tetricus iunior
Quintillus
Seuerina
Domitius Domitianus
Tacitus
Florianus
Probus
M. Aur. Carus
Magnia Vrbica
M. Aur. Numerianus
M. Aur. Carinus
Diocletianus
Val. Maximianus
Aelianus
Val. Conſtantius
Flau. Helena
Flau. Max. Theodora
Carauſius
Allectus
Flau. Val. Seuerus
Gal. Val. Maximianus
Maxentius
M. Aur. Romulus
Gal. Val. Maximinus
C. Val. Licinius
Licinius Iun.
Conſtantinus M.
Fl. Max. Fauſta
Criſpus.
Fl. Val. Delmatius
Hanniballianus
Conſtantinus Iun.

Fl. Iul. Conſtans	Honorius
Fl. Iul. Conſtantius	Iouinus
Vetranio	Anaſtaſius
Magnentius	Iuſtinianus
Decentius	Baduela
Iulianus	Mauricius
Fl. Iouianus	Focas
Fl. Valentinianus	Heraclius
Fl. Valens	Conſtantinus Pogonat.
Gratianus	Mich. Balbus
Valentinianus iun.	Theophilus
Theodoſius M.	Ioannes Zemiſces
Ael. Flacilla	Ioan. Comnenus
Mag. Maximus	Manuel Comnenus
Fl. Victor	Iſaac. Angelus
Fl. Arcadius	Alexius Angelus

§. III.

De numo cum effigie populi Senatusque Romani.

Inter exempla, quæ ſpeciminis iam porro loco producenda ſunt, initium faciat numus, quo Senatus populusque Romanus, quos, etiam Imperatorum Romanorum tempore, Numinum inſtar, colendos externi populi duxere, expreſſi comparent.



Aduerſa in parte caput iuuenile, quod populo perpetua iuuenta florenti optime congruit, cum inſcriptione: ΔΗΜΟC ΡωΜΑΙωΝ, h. e. *Populus Romanorum* vel *Romanus.* In auerſa figura ſtolata ac velata ſedens, capite, vt videtur, laureato, globum tenens. Epigraphe paululum detrita, ita tamen, vt paulo propius intuentibus facile ſuboleat, legendum eſſe: ΙΕΡΑ CΥΝΚΛΗΤΟC ΔΑΜ. Υ. h. e. *Sanctus Senatus Damaſcenorum* anno CD. ΔΗΜΟΣ & ΙΕΡΟΣ ΔΗΜΟΣ, h. e. *populus & ſanctus populus* ſubinde in Græcarum vrbium numis occurrit, quo populum Romanum illico deſignari, non equidem certo affirmari poteſt, tametſi ita viſum Patino, quem refellit Ill. Spanhemius. Vbi enim is intelligendus, addita eſt vox ΡΩΜΑΙΩΝ, quæ tamen ipſa cum clariſſime rem exprimat, rurſus tenebras offudit Patino, qui numum Neronis cum epigraphe: ΔΗΜΟΣ ΡΩΜΑΙΩΝ, ad Byzantios in Thraciæ parte, quæ *Romania* dicitur ſitos, vnde, Conſtantinopolitanos poſtea *Romæos* appellatos putat, puerili errore, idque non aliam ob cauſam, quam quod inſcriptio Græca eſt, ablegat. „ Certe Roma, in„ quit, in Italia Latine ſcribebatur: numus Græcis characteribus in„ ſcriptus coniecturam facit, Byzantii in Thraciæ parte, quæ Roma„ nia

Numiſm. Imp. p. 8.
T. I. p. 136.
L. c. p. 118.

„ nia dicitur, ſignatum fuiſſe, quare Conſtantinopolitani dicti ſunt Ro- „ mæi". Quæ quidem verba, irato prorſus Apolline effuſa, ac, ſi ab homine meritis in hæc ſtudia minus claro profecta eſſent, venia vix digna, viro tam variæ doctrinæ excidere potuiſſe, ſatis mirari nunquam potui. Romaniam enim Neronis æuo quis vnquam ſomniando finxit in orbe antiquo, aut quis affirmet ſerio, Conſtantinopolitanos a Romania Thraciæ parte, Romæos dictos? Ad eundem lapidem offendit Cl. Vaillantius, ſed ita, vt lapſus haud paulo ſit leuior, atque vltro ſibi veniam depoſcat. ΔΗΜΟΣ enim ΡΩΜΑΙΩΝ illi populus Alexandrinus in numis Claudii & Neronis, quod Alexandriam ipſam ΡΩΜΗΣ nomine appellari crederet in numo Antonii IIIviri, quem Patinus pridem exhibuit, cuius auerſa in parte nauis cum inſcriptione: L. A. ΡΩΜΗC, & alio Galbæ, in quo Roma galeata cum haſta & clypeo, addita inſcriptione: ΡΩΜΗ L. A. Sed probandum ante fuerat viro celeberrimo, ΡΩΜΗΝ his in numis eſſe Alexandriam, id quod inde colligere non licet, quod perinde atque ſuperiores Claudii & Neronis numi in Aegypto cuſi ſunt, quando vrbis & populi terrarum principis nomen typusque, ſiue æræ peculiaris, ſiue cultus teſtandi gratia ſignari in iisdem potuit. Merito igitur hanc Vaillantii ſententiam repudiauit Cl. Harduinus, qui inſcriptionem in numo Antonii IIIviri paulo ante laudato: L. A. ΡΩΜΗC reddit *Anno primo* (nempe æræ Aegyptiacæ) *Roma* victrice. Quodſi igitur ΡΩΜΗ in numis his Alexandriam non denotat, nec ΔΗΜΟΣ ΡΩΜΑΙΩΝ Alexandrinum populum ſignificare poteſt, recteque adeo ea de cauſa Vaillantium notat Ill. Spanhemius, tametſi is, quod mirum, numos, quibus, quemadmodum ipſe haud obſcure declarat, innititur vir clariſſimus, tacitus præteriit. ΙΕΡΑ CΥΝΚΛΗΤΟC, *Sanctus Senatus*, in auerſa numi parte haud dubie eſt Senatus Romanus, non populi eius, qui numum percuſſit, tametſi Ill. Spanhemius obſeruat, Συγκλήτȣ nomen nonnunquam de Græcorum *Bule* ſeu *Curia* accipi. Docet id typus figuræ ſtolatæ ſedentis capite laureato, globumque dextra tenentis, qui Senatui Romano vni congruit, vt taceam, non potuiſſe auerſa in pagina numi quemcunque alium iungi populo Romano Senatum, præterquam Romanum, de cuius, vt & populi Romani, cultu, plura Ill. Spanhemius congeſſit. Numum Damaſco, antiquiſſimæ Syriæ vrbi, vindicant, niſi fallor, litteræ ΔΑΜ. quod interpretor ΔΑΜασκηνῶν, *Damaſcenorum*, quorum æra, quæ Seleucidarum eſt, docente id Noriſio, cœpit a. v. CDXLII. Hinc numus, in quo, niſi omnia me fallunt, Υ, h. e. annus epochæ huius, vt videtur CD, cuſus ſit oportet A. V. DCCCXLI. anno octauo imperii Domitiani. Ceterum ſimilem prope cum Sacri Senatus Populique Romani imagine & inſcriptione numum commemorat Holſtenius his verbis: „ Rurſus illuſtris Daniel Heinſius numum mihi oſtendit, in quo „ circum caput muliebre laureatum: ΙΕΡΑΝ ΣΥΝΚΛΗΤΟΝ ΣΥΝΝΑ- „ ΔΩΝ; Auerſa circum figuram mulieris ſtolatæ habet: ΔΗΜΟΣ „ ΡΩΜΑΙΩΝ". Quæ deſcriptio num per omnia recte ſe habeat, ii, quorum in poteſtatem forte peruenerit numus, viderint.

Numiſm. Græc. p. 14. 17. conf. p. 204.

Numiſm. Imp. p. 21. ſq.

Vaill. Præſtant. numiſm. T. II. p. 81. Chronol. V. T. Opp. Sell. p. 615.

L. c. p. 136.

L. c. p. 139.

T. I. p. 188. ſqq. & ib. p. 136.

L. c. p. 91.

Ad Steph. p. 30.

§. IV.

Tiberii numum a Smyrnæis percuſſum fruſtra quæras apud Vaillantium; ſequentem ſeruat theſaurus Gothanus.

De numo Tiberii Græco.




Caput Tiberii laurea cinctum: Inſcriptio: ΤΙΒΕΡΙΟΣ CΕΒΑCΤΟΣ, h. e. *Tiberius Auguſtus*. Auerſa numi pars aram exhibet, in qua corona cum epigraphe: ΣμΥΡΝΑΙΩΝ ΙΕΡΟΝΥΜΟC, h. e. *Smyrnæorum Hieronymus*. Ara haud dubie templum arguit, quod ob beneficia in ſe collata *Tiberio matrique eius ac Senatui* Aſiæ vrbes decreuere, cuiusque apud ſe ædificandi facultatem ex vndecim Aſiæ populis, magna ſibi contentione eam depoſcentibus, Smyrnæi, prælati ceteris omnibus, impetrarunt. Tacit. Annal. IV. c. 15. & 56. Quod cum honorificum ſibi inprimis ducerent, mirum non eſt, huius rei memoriam eos, variorum numorum beneficio, ad poſteros transmittere ſtuduiſſe. Pertinet huc numus ex gaza Gallorum regia, tanto minus hic reticendus, quod eiusdem Hieronymi, qui in noſtro, Prætoris nempe, mentio in eo occurrit, in quo, vt nos docet Ill. Spanhemius: T. I. p. 139. „ CΕΒΑCΤΗ CΥΝΚΛΗΤΟC ΖΜΥΡΝΑΙΩΝ (ita enim legendum ex veteri Amſtelodamenſi præclari operis editione, p. 412. non vt nouiſſima habet ΖΜΥΡΝΑΙΟΝ)" ΙΕΡΟΝΥΜΟC, h. e. *Auguſta* nempe Liuia, (quo loco pro eo, qui ceteras eius virtutes comitabatur, candore, ſe ipſum correxit vir ſummus, qui ante CΕΒΑCΤΗ CΥΝΚΛΗΤΟC verterat *Auguſtus Senatus*) „ *Senatus Smyrnæorum Hieronymus*, vrbis „ nempe Prætor vel Prytanis, ſignatis ibidem Liuiæ Auguſtæ & Ro„ mani Senatus capitibus: in auerſa autem parte templum & inſcri„ ptio: CΕΒΑCΤΟC ΤΙΒΕΡΙΟC ΕΠΙ ΠΕΤΡΩΝΙΟΥ, *Auguſtus Tiberius ſub Petronio*. Numus is, quod non obſeruauit Ill. Spanhemius, deſcriptus quoque extat apud Patinum, L. c. p. 55. vnde patet, eum ex Lomeniano theſauro, quem Patinus comparauerat, in Regium transiiſſe; ſed inſcriptionem vtriusque partis vir clariſſimus affert diuerſam. In aduerſa enim legit: ΣΕΒΑΣΤΗ ΣΥΝΚΛΗΤΟΣ CΜΥΡΝΑΙΩΝ ΙΕΡΟΝΥΜΟΥ pro ΙΕΡΟΝΥΜΟC, in auerſa: ΤΙΒΕΡΙΩ CΕΒΑCΤΩ ΕΠΙ ΠΕΤΡΟΝΙΟΥ pro ΤΙΒΕΡΙΟC CΕΒΑCΤΟC κ. τ. λ. Vter emendatiorem ſcripturam exhibeat, Spanhemius an Patinus, viderint, quibus numi inſpiciendi facultas propitia ſe fortuna obtulerit. Quod vero Patinus ſub altero capite non Senatum, cui id vindicat inſcriptio, ſed Auguſtum ſub ſpecie Senatus agnoſcit, haud iniuſta, vt videtur, cenſura notat Cl. Harduinus. De num. vrb. & pop. Opp. Sell. p. 158. Sed nec iniuria retorquere eandem Patinus, ſi viueret, poſſit, & reprehendere, quod voci ΙΕΡΟΝΥΜΟΥ vocem ΝΕΟΚΟΡΩΝ ſubſtituit Cl. Harduinus ac vertit: *Auguſta, Senatus, Smyrnæorum Neocoris.* Tametſi enim Smyrnæi ſibi hanc ΝΕΟΚΟΡΩΝ dignitatem primum ſub Tiberio peperere, titulo tamen eo, teſte Cl. Vaillantio, Differt. du titre de Neocor. T. IV. Memoire de l'Acad. de bell. lettres p. 206. ante Traianum non vtuntur in numis, de quibus adhuc conſtet, niſi ſuſpicione νοθείας laborantibus. Ceterum diuerſus ab hoc numus, qui delineatus deſcriptusque extat in Sylloge Numiſmatum antiquorum, quæ Londini lucem adſpexit. Tab. III. 3. p. 4. Symbola quidem eadem, perinde vt inſcriptio auerſæ partis, quæ, perinde vt apud Patinum, L. c. habet: CΕΒΑCΤΩ ΤΙΒΕΡΙΩ ΕΠΙ

ΕΠΙ ΠΕΤΡΩΝΙΟΥ; sed differt aduersa pars, in qua legitur, litteris ΙΟΥΛΙΑ voci ΙΕΡΩΝΥΜΟΥ substitutis: ΙΟΥΛΙΑ ϹΕΒΑϹΤΗ ϹΥΝΚΛΗΤΟϹ ΖΜΥΡΝΑΙΩΝ, quod Cl. Editor vertit: *Iulia Augusta, Senatus Smyrnæorum*, persuasus, sed perperam omnino, caput Augusti sub specie *Senatus Smyrnensis* exhiberi.

§. V.


Iisdem Smyrnæis acceptum referimus numum Caii Cæsaris atque Agrippinæ matris, quem, quod antiquarios adhuc præteriit, nefas sit, indictum hoc loco prætermittere.

De numo Caii & Agrippinæ matris, itemque alio Tiberii, Drusi f.



Aduersa pars capita Caii & Agrippinæ matris iugata exhibet vultu eo, qui sine titulo etiam, qui nullus comparet, quorumnam sint, facile declarat. Ad latus vtrumque litteræ, tametsi admodum detritæ: ΖΜΥΡναίων, h. e. *Smyrnæorum.* Auersa in parte Cybele expressa cernitur sedens capite turrito, dextra pateram tenens, læua innixa tympano, ad pedes adsidente leone. Inscriptio: ΕΠΙ ΦΙΛΙΣΤΟΥ ΕΙΚΑΔΙΟϹ, h. e. *Philisto Prætore Icadius.* Magnam Deum matrem coluisse Smyrnæos Μητρῷον, *Matroum*, h. e. delubrum eius testatur, quod celebrat Strabo & Plinius, cuius locum ea ex parte minus sanum ex manuscriptis codicibus integritati suæ feliciter restituit celeberrimus Harduinus. Scribitur vero ΖΜΥρνα per Ζ loco Σ, qua de permutatione litterarum harum post Tristanum videndus Ill. Spanhemius. Apud Lucianum littera Σ. Ὅτι ἀνεξίκακόν εἰμι γράμμα, μαρτυρεῖτέ μοι κὴ αὐτοὶ μηδέποτε ἐγκαλέσαντι τῷ ζῆτα σμάραγδον ἀποσπάσαντι, κὴ πᾶσαν ἀφελομένῳ τὴν Σμύρναν. h. e. ***Litteram me esse patientem ipsi testes estis, quandoquidem litteræ Z nunquam dicam scripsi, quæ*** Σμάραγδον ***mihi atque omnem*** Σμύρναν ***surripuit.*** Equidem Luciano, quod & satis liquet, & obseruat Gilbertus Cognatus, non de vrbe sermo, sed de Myrrha, quæ Græcis Σμύρνα, tametsi duumviri illi id de vrbe acceperunt. Sed quod ille de Σμύρνη, *Myrrha*, affirmat, idem de vrbe eiusdem nominis numorum, quibus alia vetustatis monimenta apud Gruterum consentiunt, beneficio docemur. Ceterum Prætoris Philisti nomen Icadiique in alio numo Smyrnæorum occurrit, quem Cl. Haymius primus in lucem produxit. Cumque idem nonnihil diuersus in gaza nostra reperiatur, nihil impedit, vt arbitror, quo minus eum, qualis apud nos cernitur, superiori adiungere liceat.

Lib. XIV. p. 646.
Lib. XVI. Sect. 50. T. II. p. 20. & 44.
Comment. Hist. T. I. p. 188. sq.
T. I. p. 116. sq.
Dialog. de initio vocalium T. I. p.m. 13. sq.
p. m. 86.
Tesor. Brit. Lib. I. II. Tab. II. 7. p. 179.



Aduerſa in parte caput nudum cum litteris ΖΜΥΡναίων, h. e. *Smyrnæorum*; in auerſa Victoria cum tropæo, & inſcriptione: ΕΠΙ ΦΙΛΙΣΤΟΥ ΕΙΚΑΔΙΟΣ, h. e. *Philiſto Prætore Icadius*. Cl. Haymius caput aduerſæ paginæ Lucio Cæſari tribuit. Sed nomen Philiſti Icadiique, quod paulo ante in Caii & Agrippinæ matris numo expreſſum vidimus, numum ad Caii Imperatoris tempora reuocat, quibus cum pridem fatis perfunctus eſſet Lucius Cæſar, vultus eius inſculpi numis non potuit. Videndum igitur, an forte Tiberii ſit, Druſi filii, Tiberii Imperatoris nepotis, quem is prætextatum Caio cohæredem dedit, quemque Caius die virilis togæ adoptauit, appellauitque Principem iuuentutis, tametſi poſtea inopinantem, repente immiſſo tribuno militum, interemit. Tiberium hunc Druſi iunioris filium in alio iam ſculptum numo agnoſcit Cl. Vaillantius, ſed de quo ſupra pluribus iam dictum eſt. Icadii nomen numi a Wildio exhibiti memoriam mihi refricat, cuius in aduerſa pagina caput turritum in laurea, in auerſa figura ſtolata ſtans, dextra haſtam, ſiniſtra Victoriolam gerens cum epigraphe: ΣΜΥΡΝΑ ΝΙΚΑΔΙΟΣ, quod ille interpretatur: *Smyrna Victoria Iouis*. Sed fuit haud dubie in numo idem nomen viri, quod in noſtro ΕΙΚΑΔΙΟΣ, fefellitque virum optimum littera Ε, quam minus clare expreſſam in Ν conuertit.

Suet. Calig. c. 14. 15. 23.

Cap. VIII. c. 5.

Num. Select. Tab. XXIV. n. CXIII. p. 194.

§. VI.

Duos numos vir celeberrimus, Io. Harduinus Nyſæis Decapolitanæ regionis, qui & Scythopolitani dicti, aſſignat: alterum Elagabali ex muſeo collegii, quod a Ludouico magno nomen habet, cum inſcriptione: ΝΥΣΑΕΩΝ; alterum Gordiani Pii e gaza regia cum inſcriptione: ΝΥC. CΚΥΘΟ. ΙΕΡΑC. Neuter quidem dubitatione omni vacat: alter, quod rationem nullam reddit vir eruditiſſimus, cur Nyſæ huic potius, quam alii, quandoquidem decem earum Stephanus enumerat, ſit vindicandus; alter, quod eius inſcriptionem diuerſam exhibet Vaillantius, vt, qui legit: ΝΥCC. ΚΥΘΟ. ΙΕΡΑΣ, numumque ad vrbem Cariæ prouocat, vnde Cl. Harduinus: *Caue ei credas, qui Nyſſam Cariæ hic iubet intelligi & legi:* ΚΥΘΟπολιν. Tametſi quod ad poſteriorem hunc numum attinet, verior omnino Cl. Harduini cenſenda eſt lectio, quæ ſi locum habet, nullam vim Stephani contextui infert, vbi vocem Πυθόπολις, litterarum initialium ordine & etymologia, quam ſubiungit vrbium ſcriptor, quantumuis repugnante, ex numo perperam lecto in Κυθόπολις mutandam cenſet Vaillantius. Sed Nyſæ huic Decapolitanæ Syriæ certiſſime debetur numus, vt arbitror, Neronis, quem gaza noſtra ſeruat.

De numo Neronis ſingulari. L. c. p. 127. Opp.

Voce Νύσαι.

p. 154.

L. c.

Aduerſa



Aduerſa pars caput Imperatoris corona hederacea cinctum, ſub quo minuſculum caput, numo iam cuſo inpreſſum exhibet, nulla inſcriptione inſigne, niſi quod notæ numeri L. EIP. h. e. *anno CXV.* expreſſæ comparent. Auerſa in parte corona, intra quam epigraphe: ΝΥΣΑΙΕΩΝ ΤΩΝ ΚΑΙ ΣΚΥΘΟΠΟΛΙΤΩΝ, h. e. *Nyſæeorum, qui & Scythopolitæ.* De vrbe hac vel inprimis audiendus Plinius, vbi Decapolitanæ regionis vrbes enumerat: „ Iungitur ei (Iudææ) latere Syriæ „ Decapolitana regio a numero oppidorum, in quo non omnes eadem „ obſeruant. Plurimi tamen Damaſcum . . . . Scythopolim (antea Nyſam a Libero Patre, ſepulta nutrice ibi) Scythis „ deductis, *reliqua*". Nyſa igitur antiquitus frequentatum vrbis nomen quod & Stephanus ſeruauit: Σκυθόπολις, inquit, Παλαιστίνης πόλις, ἢ Νύση (ita legendum non Νύσσης) κοίλης Συρίας, Σκυθῶν πόλις πρότερον λεγομένη (non λεγομένων) Βαίσων ὑπὸ τῶν βαρβάρων; h. e. *Scythopolis Palæſtinæ vrbs, ſiue Nyſa, Cœle-Syriæ; Scytharum vrbs, antea dicta Baiſon a barbaris.* Tertium nomen adiungit Βαίσων, quod antiquiſſimum haud dubie fuit, nempe *Betſcheam*, Græcis interpretibus ſacrarum litterarum, & Ioſepho Βηθσὰν, vnde nata haud dubie Stephano vox Βαίσων. Frequentatiſſimum ſcriptoribus nomen Scythopoleos, a Scythis deductis, vt Plinius memoriæ prodidit. Cui nominis origini conſentiunt, quæ Herodotus de Scytharum in Aſia imperio, expeditione in Aegyptum & transitu per Palæſtinam tradit; qua occaſione fieri vtique potuit, vt pars eorum in vrbe Palæſtinæ ſedem figeret, atque illa inde Scythopolis diceretur. Diſerte quidem id tradit Georgius Syncellus: Σκύθαι τὴν Παλαιστίνην κατέδραμον καὶ τὴν Βασὰν κατέχον τὴν ἐξ αὐτῶν κληθεῖσαν Σκυθόπολιν, h. e. *Scythæ Palæſtinam incurſionibus infeſtam reddiderunt, & Baſan* (quæ Βαίσων Stephano, verius Bethſan) *tenuere, ab iisdem dictam Scythopolin.* In alia tamen omnia discedunt Bochartus & Relandus, qui, origine ea vrbis tanquam fabuloſa reiecta, longe aliam nominis rationem comminiſcuntur. Alter enim a voce שטה *ſpina*; alter a loco *Succoth* Συκυθόπολιν, ac deinde Σκυθόπολιν appellatam contendit. Dirutam hanc vrbem A. Gabinius A. F. Proconſul Syriæ inſtaurari iuſſit, prout docet Ioſephus, qui alio loco μεγίστην τῆς Δεκαπόλεως, *maximam Decapoleos* appellat. Hieronymus de eadem: „ Bethſan nunc appellatur Scythopolis, vrbs no„ bilis Palæſtinæ". Seculo quarto Palæſtinæ ſecundæ adſcripta, habuit epiſcopos, quorum catalogum ex conciliorum actis dedit Relandus, qui & plura de hac vrbe congeſſit.

Lib. V. c. 18. ſect. 16. T. I. p. 262.

Lib. I. c. 105. ſq.

Chronograph. p. 214.

Hierozoic. Lib. II. c. 31. Palæſtin. p. 992. ſqq.

Antiquit. Lib. XIV. ✝. 10. p. 476.

De bello Iud. Lib. III. c. 16. p. 856.

De locis Hebraicis Opp. T. II. p. 418. Edit. Martianay.

L. c.


§. VII.

In numo eius, quem exhibui, Nero Imperator capite hederaceo cinctus velut alter Bacchus comparet, cui ſubiectum minuſculum cernitur

De eodem plura.

nitur caput, velut Sileni. Scythopolis enim antea Nyſa a Libero patre, ſepulta nutrice ibi, dicta eſt, teſte, vt vidimus, Plinio, tametſi Liberum potius patrem a Ioue parente & Nyſa, vbi natus & educatus, nomen Διονύσυ traxiſſe Diodorus Siculus tradit. Eius cultum proinde apud Scythopolitanos floruiſſe dubitari non poteſt, vnde nec mirum, Imperatorem eos Neronem, velut alterum Bacchum colendum ſibi duxiſſe, præſertim cum idem honos iam antea non tantum regibus haud vnis, ſed & Antonio IIIviro obtigiſſet. Quod ad epocham attinet, cuius in numo noſtro numeratur L. EIP. h. e. annus CXVI. ad eam inveſtigandam nullam prætulit lucem vir ſummus, Henricus Noriſius, qui vrbis ipſius vix obiter mentionem fecit: „ Quæ, inquit ibi, (nempe in itinerario Hieroſolymitano) „ Sciopoli dicitur, eſt Scythopolis, vrbs „ vetuſta in Cœle-Syria, Plinio, Ioſepho, aliisque memorata, quæ „ in poſteriori trium Palæſtinarum diuiſione conſtituta fuit Metropolis „ Palæſtinæ ſecundæ". Videndum igitur, an epochæ initium ſuggerat forte annus, quo vrbs ea inſtaurata eſt Gabinii proconſulis iuſſu. Id factum A. V. DCXCVII. quo Syriæ ille præeſſe cœpit. Cui ſi iungamus annum CXV. qui in numo expreſſus cernitur, annum vrbis DCCCXI. Neronis quintum habebimus. Ceterum Nyſa hæc Decapolitanæ regionis in Palæſtina, cuius gentile Νυσαιεὺς, quod & Stephanus memorat, non permiſcenda cum Nyſa Cariæ, cuius incolæ Νυσαεῖς, quorum numum ex Triſtano profert Cl. Harduinus, quemque ad prototypon gazæ noſtræ accuratius delineatum ſubiungo.

L. c. | Biblioth. Lib. III. p. 138. | Vid. Spanh. L. c. T. II. p. 433. | L. c. p. 542. | L. c. T. I. p. 730. T. II. p. 209. | L. c. p. 126.



Auerſa in parte caput Pacis, non tamen ſpicis ornatum, vt in numo Agrippinæ Claudii apud Spanhemium, cum inſcriptione: ΕΙΡΗΝΗ ΝΥСΑΕΩΝ, *Pax Nyſæorum.* In auerſa non Bacchus, quod perſuadebat ſibi Triſtanus, ſed Apollo nudus dextra ſublata, & ſiniſtra impoſita tripodi, ante quem lyra. Inſcriptio: ΕΠ. ΑΙΑ. ΠΑΙΑΝΙΟΥ *ſub Aelio Pæanio.* Apollinis typo alludi ad nomen Pæanii Prætoris coniectat Cl. Harduinus, quod ei non inuitus dederim, modo largiatur viciſſim eundem Apollinem & Nyſæorum numen tutelare fuiſſe, cuius ſymbolum, tripos, in alio eorundem Nyſæorum numo ſub Auguſto cuſo, quem & laudat celeberrimus vir, expreſſum cernitur. Id vero haud iniuria mireris, eundem eruditiſſimum virum, vbi inſcriptiones vtriusque paginæ huius numi attulit, ſcripſiſſe: *Commodi numus apud Triſtanum Tom. I. & Caracallæ T. II. p. 209.* Vnde incauti ſibi perſuadere poſſint, duplicem Commodi & Caracallæ numum exhiberi a Triſtano, cum idem bis ſub vtroque Imperatore compareat, idque obiter ad illuſtrandos alios eorundem Imperatorum numos, neutri autem ex iis vel tribuatur a viro illo doctiſſimo, vel tribui poſſe videatur.

In Callim. p. 748.

§. VIII. Domi-

§. VIII.

Domitiani numum a Sebaſtenis Palæſtinæ cuſum commemorant Vaillantius pariter atque Harduinus. Ei addendus e gaza noſtra, cuius iconem ſubiicio.

De numo Græco-Latino Domitiani. Numiſm. Græc. p. 24. Num. vrb. & pop. p. 351. Opp.



Aduerſa pars Domitiani caput laurea cinctum exhibet, cum inſcriptione Latina: IMP. DOM........ h. e. *Imperator Domitianus.* In auerſa cernitur galea, cuiusmodi in Herodis magni numis occurrit, cauda equina inſignis. Inſcriptio Græcis litteris expreſſa: ΣΕΒΑCΤΗΝΩΝ, h. e. *Sebaſtenorum*, & in area PI..... h. e. *anno centeſimo decimo......* Sebaſteni haud vni Geographis memorantur. Hoc in numo, Sebaſtenos Palæſtinæ, qui alibi ΣΕΒΑCΤΗΝΩΝ ΣΥΡΙΑΣ, *Sebaſtenorum Syriæ* nomine appellantur, deſignari, non tantum ſculpturæ ac typi ratio & in auerſa parte inſcriptio Latina, qualis in Sebaſtenorum Palæſtinæ numis, eoque proinde etiam, quem ex Vaillantio laudaui, cuius aduerſa pars, docente Noriſio, habet epigraphen: IMP. DOMIT. CAESAR, ſed & æra PI clariſſime euincit, cuius initium, poſt Noriſium, Vaillantius repetit ab A. V. DCCXXIX: Inde PI h. e. *annus CX.* incidet in annum vrbis DCCCXXXIIX per DCCXXXIX vſque ad autumnum decurrentem, quo imperii annum Domitianus quintum ſextumque egit. Sebaſte hæc Palæſtinæ non alia quam Samaria quondam, vrbs vel ex ſacris litteris notiſſima, quam cum Hircanus annua obſidione cinctam tandem expugnaſſet, expugnatamque ſolo æquaſſet, Herodes nouam vrbem in ruinis condidit, conditamque, ab Auguſto, Sebaſten nominauit. Amplitudo nouæ vrbis Auguſto nomini reſpondit, tametſi πολίχνιον eam appellat Stephanus, ſed quem in vrbe ea commemoranda plus ſemel lapſum viri docti pridem obſeruarunt: Quo digniorem eam redditurus Herodes, templum in media ea, & magnitudine & pulchritudine inſigne, Auguſto dicauit. Tradenti id Ioſepho, more ſuo, fidem abnuit Cl. Harduinus, dignus qui viciſſim, vbi alia omnia nobis perſuadere conatur, & æram biennio antiquiorem ſtatuit, fidem non inueniat. Ceterum profert idem vir celeberrimus ex Occone numum, cum epigraphe hinc: ΑΥΤ. ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΑΡΧΙΕΡ. ΜΕΓ. ΟΥΠΑΤΟΣ ΔΗ ΕΞ ΙΖ, illinc: ΣΕΒΑΣΤΑ ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΣ, vbi aduerſæ partis inſcriptionem vertit: *Imperator, Cæſar Auguſtus Pont. Max. COS. Trib. Pot. XVII.* eumque numum his ipſis Sebaſtenis Palæſtinæ tribuit. Sed vt de titulo ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ taceam, cum illi Imperatorum capita inſcriptione Latina ornarint, id quod non tantum in præſenti, ſed & in aliis a Noriſio & Vaillantio vulgatis, obſeruare licet, haud ſcio, an numum hunc, in quo inſcriptio aduerſæ partis

Conf. Cap. III. §. 16.
Epoch. Syr. Maced. p. 534.
L. c. p. 533.
L. c. p. 284.
Ioſeph. Antiq. Lib. XIII. c. 18. p. 452. Lib. XV. c. 11. p. 535. de bell. Iudaic. Lib. I. c. 16. p. 746. conf. Strab. Lib. XVI. p. 760.
V. Σεβάστη.
De num. Herd. p. 333. 348. Opp. Sell.
Num. Vrb. & pop. p. 150. Opp. Sell.
p. 64.
L. c. p. 527. & 534.
Numiſm. Græc. p. 73.

Ad Goltz. August. p. 79.

Græca, iisdem liceat tribuere, tametſi ita & Nonnio ad Goltzium viſum eſt. Neque litteræ numerales IZ ad tribunitiam poteſtatem pertinent, ſed annum epochæ peculiaris deſignant, non additæ quippe vocibus ΔΗμαγωγικῆς ΕΞυσίας, ſed in area vna cum littera L ſeparatim ſcriptæ. Id docere virum celeberrimum quodammodo poterant Paralipomena Occoni ſubiecta, vbi eadem inſcriptio emendatius ita exhibetur:

p. 589.

„ ΑΥΤ. ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΑΡΧΙΕΡ. ΜΕΓ. ΟΥΠΑΤΟΣ ΔΗ ΕΞ „ LIZ. Goltz. theſ". multo autem rectius Goltzius, qui vtramque eius numi partem ſub Auguſto delineatam exhibet.


Auguſt. Tab. XVI. n. 5. LIII. n.

§. I X.

De numo Hadriani Græco ſingulari.

Sequens Hadriani numus longe rariſſimus diu inter incertos gazæ noſtræ locum tenuit, non agnitus niſi ex parte capitis, quod Hadriani eſſe, & vultus ratio, & inſcriptio facile docet. Suſpicatus ego, eum haud paulo plus momenti trahere fortaſſe, quam primo intuitu præ ſe ferat, attentius eum conſiderare cœpi, nec depoſui de manibus, dum, quid inſcriptio auerſæ partis ſibi vellet, aſſequerer. Inde numum eſſe Tentyritarum intellexi, quorum vnus tantum cum Antonini Pii vultu e regio Gallorum theſauro a Vaillantio vulgatus proſtat.

Aegypt numiſm. ſubi. Hiſt. Ptolem. p. 217. & Num. Græc. p. 46.



Aduerſa pars exhibet caput Hadriani laureatum cum inſcriptione: ΑΥΤοκράτωρ ΚΑΙσαρ ΤΡΑΙανὸς ΑΔΡΙΑΝὸς, h. e. *Imperator Cæſar Traianus Hadrianus:* Auerſa Venerem ſtolatam, columbam dextra, ſiniſtra haſtam tenentem, prorſus qualis in numo Fauſtinæ iunioris apud Oiſelium occurrit. Epigraphe: ΤΕΝΤΥΡιτῶν LIA, h. e. *Tentyritarum anno XI.* Tentyris, vel Tentyra, nam vtrumque dici monet Stephanus, vrbs Aegypti, Plinio teſte, in inſula Nili ſita iuxta Diospolim, vnde & Nomos vel præfectura dicta Tentyrites. De Tentyritarum aduerſus Crocodilos odio eosque inſectandi peritia, vnde Τέντυρις καθαρτικὴ τῶν Κροκοδείλων, Stephano appellatur, plura apud Strabonem legas. Audiamus ea de re Plinium, qui, vbi de Crocodilis agit: „ Quin & gens hominum eſt, inquit, „ huic belluæ (Crocodilo) aduerſa in ipſo Nilo, Tentyritæ ab inſula, „ in qua habitat, appellata. Menſura earum parua, ſed præſentia „ animi, in hoc tantum vſu, mira. Terribilis hæc contra fugaces bellua eſt, fugax contra inſequentes: ſed aduerſum ire hi ſoli audent. „ Quin etiam flumini innatant, dorſoque innatantium impoſiti hiantibus reſupino capite ad morſum, addita in os claua, dextra ac læua „ tenentes extrema eius vtrinque, vt frænis, in terram agunt captiuos, „ ac voce etiam ſola territos cogunt euomere recentia corpora ad ſepulturam. Itaque vni ei inſulæ crocodili non adnatant; olfactuque

Tab. XLVIII. p. 281. — v. Τέντυρις. — L. III. c. 25. ſect. 38. T. I. p. 413. — L. c. — Lib. XVII. p. 814. — L. c.

„ eius

„ eius generis hominum, vt Psyllorum serpentes, fugantur". Inde Tentyritæ aliis Aegyptiorum, qui crocodilum religiose colebant, in primis Ombitis inuisi; qua de re Iuuenalis: Satyr. XV. 33.


Inter finitimos vetus atque antiqua simultas,
Immortale odium & nunquam sanabile vulnus.
Ardet adhuc Ombos & Tentyra, summus vtrinque
Inde furor vulgo, quod Numina vicinorum
Odit vterque locus, cum solos credat habendos
Esse Deos, quos ipse colit.

Inter quatuor lini Aegyptiaci genera Tentyriticum refert Plinius. Venus in numo hoc expressa, quam Tentyritæ, teste Strabone, qui templi eius meminit, colebant. Aera L. IA vndecimum imperii annum arguit, quo primum in Orientem iter suscepit Hadrianus, quoque omnes fere ciuitates Aegypti, quas ordine recenset Cl. Harduinus, tametsi Tentyritarum ibi ciuitas desideratur, ei, vt lætitiam suam de aduentu eius, & inito altero imperii decennio testatam redderent, numos cuderunt. Quod in Tentyritarum numo, quem ex regio thesauro protulit, & Antonino Pio tribuit Vaillantius, eiusque exemplo Cl. Harduinus, idem non modo numerus LIA, sed & typus occurrit, suspicari haud iniuria possis, numum Hadriani eos Antonino Pio male adscripsisse. Sed viderint ea de re, quibus facultas obtigerit thesaurum eum propius adeundi. Id certum, numum gazæ nostræ Antonini Pii non esse, sed Hadriani, quem & vultus & inscriptio clarissime expressa ita arguit, vt dubitationi locus superesse nulli possit.

Lib. XIX. c. 1. sect. 2. T. II. p. 156. L. c. Histor. Aug. Opp. Sell. p. 759. Num. Vrb. & Pop. Opp. Sell. p. 167.

§. X.

Commodi sequentem numum tribuo Pergamenis, tametsi nomen eorum, iniuria temporis, vt videtur, absumtum, desideratur. *De numo Commodi Græco.*



Caput Commodi iuuenile & nudum. Inscriptio: . . . . . ΑΥΡήλιος ΑΙΛιος ΚΟΜΟΔΟC, h. e. . . . . *Aurelius Aelius Commodus.* Auersa in parte Aesculapius prodit seminudus, dextra tenens baculum serpente inuolutum. Epigraphe maximam partem detrita seruat litteras: . . . . . . CΤΡΑτηγοῦ ΠΟβλίου ΑΙΠΙου, h. e. . . . . . *Prætore Publio Aepio.* Hunc Aepium alii Commodi numi a Pergamenis cusi, Prætorem eorumdem perhibent: Vnde præsens numus iisdem haud dubie debetur, id quod tanto firmius mihi persuadeo, quod Aesculapii effigiem præfert, quem inscriptiones apud Gruterum & Reinesium, Pergamenum appellant. Apud priorem est sequens: Ap. Vaill. L. c. p. 72. p. MLXXIII. 5.

 ΑΣΚΛΗ-

ΑΣΚΛΗΠΙΩ		*Aesculapio*
ΠΕΡΓΑΜΗΝΩ		*Pergameno*
ΥΓΕΙΑ		*Saluti*
ΤΕΛΕΣΦΟΡΙΩΝΙ		*Telesphorioni*
ΘΕΟΙΣ	h. e.	*Diis*
ΣΩΤΗΡΣΙ		*Seruatoribus*
ΠΟΛΙΣ.		*Vrbs.*

Synt. Class. I. CXV. p. 154.

Apud posteriorem hæc posteriori sui parte mutila, vbi tamen nomina COSS. *Sex.* N*on.* *Cele*RE & I*unio* Q*uinti*L*i*ANO ex Frontino restituit Reinesius.

AESCVLAPIO PERGA
MENO SACRVM
L. ANTONIVS
......RVSCVM
......L. POLNA
......RE ET
......ANO
COSS.
L. D. D. D.

Lib. IX. epigr. 17.

Quem Pergamenum lapis, Pergameum noua flexione, vt vox metro quadraret, nominauit Martialis:

Consilium formæ, speculum, dulcesque capillos
PERGAMEO posuit dona sacrata DEO,
Ille puer tanto domino gratissimus aula, reliqua.

Tacit. Annal. Lib. III. c. 63. Corinth. Lib. II. p. 69. Ep. IV. p. 211. sqq. T. II. p. 679. Numism. Imp. p. 262. De Sanit. tuend. Lib. I. c. 8. T. VI. p. 53. De Libris Propr. c. 2. T. I. Ed. Paris. p. 38. Lib. de Prænotione ad Posthum. c. 9. T. IV. p. 843. Ibid. p. 849.

Templum eius sollennesque Θεωξίαι siue ΑΣΚΛΗΠΙΑ, prout in numis appellantur, omnem olim Asiam Pergamum conciuere. *Aesculapii apud Pergamum compertum asylum* retulerunt olim Consules in celebri illa de Græcarum vrbium asylis controuersia Tiberii temporibus agitata. Sed de Aesculapio eiusque cultu, quem Archias Aristæchmi filius, teste Pausania, Pergamum transtulit, plura ex Philostrato & inprimis Aristide petas licet, ad quos & ablegat lectorem Ill. Spanhemius in egregiis ad Morellium nostrum epistolis, vbi de hoc ipso Pergamenorum Deo eiusque baculo haud perfunctorie agit. Similem fere Pergamenorum numum cum Aesculapio & Commodi vultu iuuenili exhibet Begerus. Sed diuersum ibi nomen Prætoris, quod plane desideratur in alio eiusdem Commodi apud Patinum, in quo ceteroqui eadem Pergameni Dei figura occurrit. Tametsi autem Aesculapius persæpe in Pergamenorum numis exhibetur, in Commodi tamen, præsertim vbi caput eius vultu iuuenili comparet, numis, peculiarem fortasse rationem habet. Refert Galenus ipse Pergamenus, vnde Aesculapium haud semel Deum patrium ab eo appellari videas, ab Imperatore Aurelio Antonino iussum se acciri ad curationem Commodi, si quando ægrotaret; tradit idem pluribus, quo pacto inflammationem faucium Commodo puero obortam subodoratus ex voto depulerit. Dexteritate hac ciuis sui sese iactant Pergameni, ita tamen, vt recuperatam a Cæsare pristinam valetudinem non tam Galeno ipsi, quam, cuius ille numen in cognoscendo depellendoque morbo propitium senserat, Aesculapio acceptam ferant, cui & salutem Commodi vlterius, votis eam ob causam nuncupatis, commendant.

mendant. Id certe niſi omnia me fallunt, veroſimilius, quam quod Patinus exiſtimat, Commodum ipſum his numis gratam mentem Galeno, cuius ope conualuerat, teſtari. L. c.

§. XI.

Getæ ſuccedat numus, perinde vt alii multi, quos adhuc protuli, Cl. Vaillantio prætermiſſus. *De numo Græco Getæ.*



Caput Getæ iuuenile ac nudum. Inſcriptio: ΠΟβλιος CΕΠΤίμιος ΓΕΤΑC Καῖσαρ h. e. *Publius Septimius Geta Cæſar.* Auerſa in parte ciſta comparet, vnde ſerpens erumpit cum epigraphe: ΑΓΧΙΑΛΕΩΝ *Anchialenſium.* Αγχιάλη vel Αγχίαλος triplex nota ex orbe veteri. Prima Ciliciæ ſiue ab Anchiale, Iapeti filia, ſiue a Sardanapalo condita; altera Epiri, vulgo minus nota, quam commemorat cum Strabone Procopius, Lib. III. de Rebus Goth. vrbs epiſcopalis: quod ex ſubſcriptione Concilii Chalcedonenſis oſtendit Holſtenius; tertia Thraciæ quam Πολίχνιον Ἀπολλωνιατῶν, *oppidum Apolloniatarum* appellat Strabo, Ad Steph. p. 7. Vrbem porta ornatam ſcriptor anonymus Lib. VII. Peripli Ponti Euxini & Mæotidis paludis. p. 319. Cis montem Rhodopen ad p. 14. T. I. Ergini fluminis oſtia non procul ab Apollonia ſitam eam tradit Cl. Geogr. min. Wildius. Numiſm. De poſtremo res dubio caret, cum Apolloniatarum oppidum a Strabone, vt vidimus, appelletur, ſelect. p. 150. & Naſo in itinere ſuo Tomos ſuſcepto poſt Apolloniam illico Anchialum nominet his verbis: Triſt. I. 8. 9.

—— Et ab his per APOLLINIS VRBEM
Alta ſub ANCHIALI mœnia tendat iter.

Sed quod cis montem Rhodopen ad Ergini fluminis oſtia ſitam ſcribit, ea in re paulo incautius Baudrandum ſequitur. Dict. Geogr. v. Anchiales. Neque enim ad Rhodopen ſed Hæmum potius quærenda illa eſt, & Ergino fluuio ſitum longe diuerſum nempe in Propontidis ora adſignant Mela & Plinius. Lib. II. c. 2. p. m. 134. Traianus Imperator eam familiæ ſuæ nomine decorauit, vnde in numis Lib. IV. c. 11. ſect. 18. T. I. p. 206. ΟΥΛΠΙΑΝΗ dicitur. Neque perpetuo tamen cognomine eo vtitur, quod vel ex numis ΑΓΧΙΑΛΕΩΝ liquet cum ΗΓΕΜΟΝΟC mentione, Thracum, apud quos vnos noti ΗΓΕΜΟΝΕC, vrbi haud dubie vindicandis. Vnde &, tametſi idem illud abeſt a duobus aliis ΑΓΧΙΑΛΕΩΝ cum Getæ vultu numis, quorum in altero Diana venatrix, in altero Luna creſcens cum tribus ſtellis expreſſa, eosdem tamen Anchialo Thraciæ tribuere non verentur clariſſimi viri Vaillantius & Wildius, L. c. Numiſm. Sell. p. 150. ea, vt arbitror, ratione potiſſimum moti, quod ſymbola in iisdem expreſſa Thraciæ vrbi haud male congruunt. Sic & Cl. Harduinus Marci Num. Vrb. & pop. Opp. Sell. p. 23. ſq. Aurelii, Fauſtinæ iunioris & Getæ numos cum inſcriptione: ΑΓΧΙΑΛΕΩΝ & typo Dianæ venatricis Anchialo huic vindicat, qui alios Se-

 ueri,

ueri, Plautillæ & Getæ cum ſimili quidem epigraphe, ſed diuerſo typo Herculis vel Cybeles Anchialo Ciliciæ aſſignat. Ad Anchialum Thraciæ præſens quoque numus referendus, in quo ſculpta ciſta myſtica Liberi patris, cuiusmodi bacchantes circumferebant; de quibus Catullus:

De Nupt. Pel. & Thetid. ℣. 279. ſqq.

> *Pars ſeſe tortis ſerpentibus incingebant,*
> *Pars obſcura CAVIS celebrabant orgia CISTIS,*
> *Orgia, quæ fruſtra cupiunt audire profani.*

Diſſ. de Numo Aſia recept. T. XI. Antiq. Rom. p. 1371. ſqq. Protrept. p. 19. Edit. Potterian. In Alexand. p. 665.

Sed de ciſtis his videndus Albertus Rubenius, in quibus quid repoſitum fuerit, docet Clemens Alexandrinus, vbi inter alia recenſet, qui hic e ciſta prorumpens cernitur, δράκοντα, ὄργιον Διονύσου Βασσάρου, *draconem vel ſerpentem Bacchi Baſſari ſacramentum*, quemadmodum idem alibi σημεῖον ὀργίων βακχικῶν ὄφιν τετελεσμένον, *ſignum orgiorum bacchicorum ſerpentem initiatum* appellat. Simili ratione Plutarchus, vbi de Olympiade, Orgia celebrante, agit, ὄφεις μεγάλους πολλάκις ἐκ τοῦ κιττοῦ καὶ τῶν μυστικῶν λίκνων παραναδυομένους, *magnos ſerpentes ſæpe ex hedera & myſtica vanno prorepentes*, commemorat. Atque ea cauſa eſt, cur ciſta hæc cum ſerpente proſiliente ſculpta cernatur. At, vt alibi iam dictum, ſacra hæc Bacchi, quæ ciſta myſtica indicantur, familiaria Thracibus, ab Orpheo quippe Thrace reperta. Mela de Thracia agens: „ Montes, inquit, „ interior attollit Hæmon & Rhodopen & Orbelon ſacris Liberi patris „ & cœtu Mænadum, Orpheo primum initiante, celebratos". Vnde ſpero non ſine ratione a me numum hunc Thraciæ vrbi vindicari.

Lib. II. c. 2. p. m. 139. ſq.

§. XII.

De numo Maximini & Maximi.

L. c. p. 145.

Smyrnæorum numum eumque maximi moduli, quos *Medaglioni* vulgo Itali appellant, ex ſupellectile numaria Caſſagnolea commemorat Cl. Vaillantius, cuius aduerſa pagina Maximinum & Maximum filium ſedentes exhibet. Huic mole quidem, ſed præſtantia non magnopere cedit ſequens eidem Vaillantio prætermiſſus.



L. c. T. II. p. 446.

Aduerſa pars capita exhibet Maximini & Maximi, Parentis quidem laurea cinctum, Filii nudum, prout expreſſa comparent in numo Phocæenſium apud Triſtanum. Inſcriptio tota fere temporis iniuria abſumta eſt. Superſunt litteræ: ..... ΜΑ..... ΚΑΙ. ΙΟΥ. Μ...... h. e. *Maximinus & Iulius Maximus.* Auerſa in parte Hercules dextra ſcyphum, ſiniſtra clauam & exuuias gerens, cum inſcriptione: ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ Γ ΝΕΩΚΟΡΩΝ, h. e. *Smyrnæorum ter Neocororum.* De Neocoratu triplici Smyrnæorum alibi dictum eſt. Tertio dignitatem hanc non Caracallæ demum, ſed Seueri iam tempore Smyrnæos obtinuiſſe, Cl.

Cap. IX. §. XXVI.

Cl. Bandurius ex numo Iuliæ Domnæ, vt vidimus, euincere conatur. *Num. Imp. T. I. p. 116. L. c.* Sed numus is, qui, mortuo iam Seuero, ſub Caracalla cudi potuit, quo pacto rem conficiat, non ſatis intelligo. Neque enim nullo poſt fata mariti loco fuit Iulia apud Caracallam filium, qui nomen eius in litteris ad Senatum, perinde ac ſuum exercitusque, dum omnes valere conſueta formula nuntiaret, μετ' ἐπαίνων πολλῶν, *multa cum laude*, adſcripſit. *Dio Lib. LXXVII. p. 878.* De typo Herculis cum ſcypho, in numis Smyrnæorum obuio, ſupra dictis nihil nunc eſt, quod addam; niſi forte typum hunc admodum congruere Maximino, *C. IX. §. XXI.* qui *Herculis*, vt Iulius Capitolinus docet, *c. 4.* cognomen tulit. Neque immerito: „ Erat enim (vt idem ex Cordo *c. 6.* „ refert) magnitudine tanta, vt octo pedes digito (vel vt cum Caſau- „ bono Salmaſius reſcribit digitis VI.) videretur egreſſus: pollice ita „ vaſto, vt vxoris dextrocherio vteretur pro annulo". Addit Capitolinus „ illa prope in vulgi ore fuiſſe poſita, quod hamaxas manibus at- „ traheret, rhedam onuſtam ſolus moueret" *reliqua*. Vulgari prouerbio, ne Hercules quidem contra duos, dicitur. Sed Maximinus, ſupergreſſus *c. 2. 3.* Herculis robur, nunc ſedecim lixas, nunc ſeptem fortiſſimos milites, vt eſt apud eundem, deuicit. Nec ſcyphus male tribuatur Maximino, cui, *c. 4.* vno ſæpe die, vini Capitolina amphora epota eſt, quique, cum Senatusconſultum de Gordiano Africano, nouo Imperatore creato, accepiſſet, eodem Capitolino teſte, *ita ſe vino obruit, vt, quid geſtum eſſet, ignoraret.* *c. 17.*

§. XIII.

De numo Gallieni. Numi Gallieni, in quibus legiones cernuntur ſculptæ, argentei rari, haud paulo rariores ærei, vtpote quorum duos tantum commemorat Cl. Bandurius, qui argenteos longe plurimos recenſet. *L. c. T. I. p. 218.* An igitur & illi fortaſſe argentei cenſendi, ex argento nempe miſto, quod *billon* Galli vocant, conflati, in quibus cum æs nimis pelluceret, æreis annumerati ſunt? Certe ſi quis ita de ſequenti gazæ noſtræ exiſtimare voluerit, per me quidem licet. Inter æreos tamen repoſitum, quod iis vtique ſimilior, quam argenteis videtur, nihil, puto, criminis erit, hoc loco producere.



Gallieni caput corona radiata cinctum: Inſcriptio: GALLIENVS AVG*uſtus*. Auerſa in parte Centaurus pedibus anterioribus ad curſum incitatis, dextra protenſa; ſiniſtra clauam tenens. Epigraphe: LEG. II. PART. VII. P. VII. F. Quod interpretor: LEG*io* II. PAR*Thica* VII. P*ia* VII. F*idelis*. Legiones tres fuerunt Parthicæ dictæ, quas omnes a Seuero conſcriptas Dio docet: Σεῦηρος, inquit, τὰ Παρθικὰ (στρατόπεδα) τότε πρῶτον καὶ τρίτον ἐν Μεσοποταμίᾳ καὶ τὸ διὰ μέσου τὸ δεύτερον ἐν τῇ Ἰταλίᾳ (συνέταξε) *Seuerus Parthicas* (*LEGIONES*) *primam & tertiam in Meſopotamia, & mediam alteram in Italia* (*INSTITVIT*) *Lib. LV. p. 564.* Altera, quam

poſtremo

poſtremo nominat Dio, in numo hoc notatur, quam ab auctore ſuo Seuerianam appellat; inſcriptio ſequens apud Gruterum: T. DXXVI. 5.

AVRELIO DASVMIO MIL
LEG. PARTHICE SEVE
RIANE P. F. AETERNES AVR
ROMVLVS MIL LEG. SS. ET AE
MILIA LVCIFERA CONIVX
ET CRESCENTIO LIBERT
BENE MERENTI FECERVNT.

Vbi & eandem legionem, non quidem AETERNAM, quod in Indice affirmatur (pro AETERNES enim ATERNENSIS fuiſſe ſcriptum, non ſine ratione Gudius coniicit) ſed P. F. h. e. Piam Fidelem appellari videas, quos titulos & fert in numo præſenti. Eos obtinebant legiones, vbi pietatem ac fidem ſuam Imperatori, ſingulari aliqua occaſione oblata, probaſſent, idque a Senatu. Teſtis luculentus Dio, qui de Claudio, militum fidem, quod Camillo, nouis rebus ſtudenti, dicto audientes eſſe noluerant, remuneraturo: Τότε δὲ ἀναθαρσήσας τοὺς μὲν στρατιώτας ἄλλοις τέ τισιν ἠμείψατο, καὶ τῷ τὰ πολιτικὰ αὐτῶν στρατόπεδα τότε ἕβδομον καὶ τὸ ἑνδέκατον καὶ Κλαυδίεια καὶ πιστὰ καὶ εὐσεβῆ καὶ πρὸς τῆς βουλῆς ὀνομασθῆναι, h. e. *tum animo recepto, militibus cum aliis rebus gratiam retulit, tum, quod effecit, vt vrbanæ legiones ſeptima & vndecima non tantum Claudiæ, verum etiam FIDELES & PIAE, idque a Senatu, appellarentur.* Hæc appellatio, perinde vt Cæſarum, qui Imp. II. III. IV. & ſic porro dicti, occaſione data iterari cœpit, quam ob cauſam numerus illi additur, qui docet, quoties legiones eam ſibi promeruerint: non vero, vt contendit Vaillantius, annos imperii quibus legiones Imperatori fidem ſuam ſacramento obligarint. Sic legio VII. & XI. quæ ſub Claudio vt Claudia, ita & prima vice Pia Fidelis appellata eſt, in Gallieni numis CL. VI. P. VI. F. & CL. VII. P. VII. F. h. e. *Claudia VI. Pia VI. Fidelis & Claudia VII. Pia VII. Fidelis* appellatur. Neque vero mirum omnes fere legiones in Gallieni numis tantum VI. P. VI. F. vel VII. P. VII. F. appellari, eundem vero numerum nec augeri vſquam, & perraro minorem inſcribi. Vt enim taceam, apud Vaillantium quoque numum eiusdem LEG. II. PARTH. V. P. V. F. reperiri, fieri id propterea potuit, quod titulos illos, quos ſub aliis iam tum Imperatoribus non ſemel reportarant, ſub Gallieno demum ſexta & ſeptima vice ſibi peperiſſent. Mouit ea tamen res Cl Harduinum, vt nouam prorſus horum titulorum interpretationem comminiſceretur. Contendit enim legiones VI. & VII. a Marco Antonino Pio, quod eas reſtituerit, *Pias*, a Commodo, quod auxerit, *Felices*, (litteras enim P. F. *Pia Felix* interpretatur) dictas eſſe, earumque, cum exauctoratæ poſtea vel a Seuero vel ab alio ex ſubſecutis Imperatoribus eſſent, nomen & priuilegia Gallienum, quod eſſet P*ius* & F*elix* & conſanguinitate Commodi gloriaretur, cum aliis legionibus communicanda duxiſſe. Sed paradoxam viri celeberrimi ſententiam, quæ vno fere notiſſimi illius Leg. VI. Antonianæ numi, quam M. Antoninus & L. Verus reſtituerunt, quod vnum arguit epigraphe: LEG. VI. ANTONINVS & VERVS

Lib. LX. p. 674. conf. Lib. LV. p. 564.

Num. præſt. T. II. p. 371.


L. c.

Hiſt. Aug. p. 850.

VERVS RESTITVIT, non quod affirmat Cl. Harduinus, legionem VI. eos ipſam reſtituiſſe, teſtimonio nititur, ſatis confutat numus Vaillantii cum inſcriptione, vt dixi, LEG. II. PARTH VP. VF. An enim V quoque legionem reſtitutam a Marco Antonino Pio, auctamque a Commodo Felice, atque inde nomen & priuilegia eius, Gallieni beneficio, ad alias legiones manaſſe ſtatuet? Non puto; vnde asſeuerare non dubitat, numos legionum plerosque inſcribi VI. P. VI. F. quosdam etiam VII. P. VII. F. ſed non alio numero. Quod ad Centaurum attinet, quem, perinde ac cetera animalia in his legionum numis obuia, Ill. Spanhemius & Vaillantius inſigne legionis, cuius nomen expreſſum eſt, interpretantur, ſubſcribo Cl. Bandurio cenſenti, animalia hæc Diis ſacra prorſus alio ac forte eodem conſilio expreſſa in his numis eſſe, quam quo in aliis Gallieni numis ſculpta cernuntur, ad iram nempe Deorum auertendam. L. c. T. I. p. 280. Vaill. l. c. Numiſm. Imp. T. I. p. 166. ſq.

§. XIV.

Subiungo Claudii Gothici numum, ſi typum auerſæ partis ſpectes, obuium; ſi inſcriptionem, ſingularem dignumque omnino, qui locum hic inueniat. *De numo Claudii Gothici.*



Aduerſa in parte caput Claudii, corona radiata cinctum; Inſcriptio: IMP*erator* CLAVDIVS AV*Guſtus*. In auerſa, Mars ſtans capite galeato, dextra ramuſculum oliuæ, haſtam ſiniſtra gerit, cum epigraphe: MARTI PVTOR. Figura quidem paginæ auerſæ eo habitu efficta cernitur, quo MARTIS PACIFERI, quæ, vt in aliorum Imperatorum, ita & in Claudii huius numis haud raro occurrit. Sed litteræ adſcripæ: MARTI PVTOR, tenebras offundunt & flagitant Oedipum, qui, quod complectuntur ænigma, feliciter ſoluat. Ea laus hodie propria eſſe cœpit Cl. Viri Io. Harduini, quo arcanos litterarum ſenſus in numis antiquis nemo vel odoratus eſt ſagacius, vel maiori ingenii felicitate explicauit. Quis perſuaſiſſet ſibi, in numo Claudii eiusdem cum epigraphe: REGI ARTIS, aut alio Iuliani cum inſcriptione: GENIO ANTIOCHENI, latere myſterium, niſi is vidiſſet illud: R*educi* E*x* G*othia* I*mperatori* AR*cum* T*riumphis* I*nſignem* S*truxit*; hoc: GENIO A (*primæ*) N*arbonenſis*, T*utatori* I*mperii*, O*dio* C*hriſtianorum* E*tiam* N*obis* I*rato*, legendum eſſe. Atque in ſimilibus quidem numis, quibus ſenſus per ſe conſtabat, opera viri celeberrimi haud immerito videri ſupervacua potuit. Præſentius auxilium flagitabant inſcriptiones: CAESAR TETRICVS ARPCA, TETRICVS PACI, IMP. C. TETRICVS RDNVIC, IMP. C. TRICVS PLIICVC. aliæque ſimiles, quas ille miro acumine explanatas dedit. Quam in meſſem viri doctiſſimi falcem, meæ hebetudinis conſcius, non equidem immittam: dum peritiores tamen certio- Hiſt. Aug. p. 859. Num. Vrb. & pop. p. 114. In litteris ad Cl. de Balonfeaux Opp. Sell. p. 654.

ra ac verosimiliora afferant, iudicabunt, qui de his rebus iudicium ferre possunt, legine possit: MARTI P*acifero* V*ota* T*errarum* OR*bis*. Cusus videtur numus cum omnia bellis flagrarent, quo tempore vota nuncupabat Romanus h. e. Terrarum ORbis MARTI Pacifero, vt pacem & tranquillitatem imperio redderet, cuius voti damnatos fuisse Romanos, victoriæ loquntur multiplices, quas Claudius a Gothis in primis reportauit. Pollio: *Pugnatum in diuersis regionibus & vbique auspiciis Claudii victi sunt Gothi.* Explicationem non est, puto, quod multis dem probatam. MARTI PACIF*ero* totidem verbis in aliis Claudii numis legitur; & effigies Martis, quæ expressa cernitur, hanc lectionem non suadet, sed imperat. VOTA ORBIS exhibet alius eiusdem Imperatoris, quem, tametsi descriptum Cl. Bandurio, quod nonnihil differt atque illustrando superiori inseruit, hoc loco spectasse non pœnituerit. Numos enim hac epigraphe, qui & in Valeriano & in Gallieno occurrunt, in Claudio rarissimos esse, nec Mediobarbo cognitos, item obseruat vir doctissimus.

c. 9.

L. c. T. I. p. 352.



Aduersa in parte caput Claudii radiatum cum epigraphe: IMP*erator* CLAVDIVS AVG*ustus*. In auersa Victoriæ duæ clypeum, in quo S. C. palmæ affigentes, cum inscriptione: VOTA ORBIS, Infra II. Neque vero V*ota* OR*bis* tantum in numo præsenti legas, sed Vota Terrarum OR*bis*, vbi nemo, credo, reprehendet, Terrarum OR*bem* potius, quam Orbem Terrarum, quod frequentius est, ordine verborum commutato, dici. Nam ita & Plinius, ne alios scriptores nunc aduocem: *Terrarum orbis* vniuersus in tres diuiditur partes. Et alio loco: Ibi loci *terrarum orbe* portis discluso.

Lib. III. sub init. T. I. p. 135.
Lib. VI. c. 11. Sect. 12. T. I. p. 309.

§. XV.

De numo Diocletiani cum Trib. Pot. VIII.
L. c. T. II. p. 427.

Notat illustris Spanhemius „ Tribunitiæ Potestatis minus frequentem „ esse & obliteratam ferme mentionem in numis Imperatorum post Va„ leriani & Gallieni tempora, si vnum & alterum mittas, vt in Claudio „ Gothico: TR. P. II. in Aureliano: TR. P. V. in Probo: TR. P. sine addi„ to numero". His addendus Diocletianus, cuius cum tribunitia potestate VII. & VIII. numi reperiuntur. Posterioris exemplum in gaza nostra:



Aduersa pars Diocletiani caput corona radiata cinctum exhibet cum epigraphe:


epigraphe: IMP*erator* DIOCLETIANVS AVG*ustus*. In auersa, leo capite radiato, fulmen ore gerens, adscriptis litteris: P*ontifex* M*aximus* TR*ibunitia* P*oteſtate* VIII COnSul IIII P*ater* P*atriæ*. Infra A. Tribunitia poteſtas VIII. Diocletiani cœpit A. V. MXLIV. ac finita eſt anno ſequenti XV Kal. Octobr. quem natalem fuiſſe imperii Diocletiani ex Chronico Alexandrino obſeruat Cl. Pagius. COS IIII (Crit. Baron. T. I. p. 304. ſq.) Diocletianus ſcribitur ex anno MXLIII, quo dignitatem eam vna cum Maximiano Herculio geſſit, ipſe quarta, Maximianus tertia vice. Leonem, quo, vtpote rege animalium, ſumma alias poteſtas & inuicta virtus denotatur, vt ex S. Dionyſio ad ſimilem Caracallæ numum obſeruat Triſtanus, (T. II. p. 164.) interpretarer hoc loco ſymbolum Solis, quem Diocletianus more eorum temporum coluit, quod docent eiusdem numi, in quibus Solis effigies cum inſcriptione: SOLI INVICTO & CONSERVAT. AVG. quos recenſet Cl. Bandurius. (L. c. T. II. p. 12. 27. 40.) Docent hoc radii, quibus cinctum eſt caput, quod Sol orbem terrarum radiis ſuis colluſtrat; docet idem fulmen, quod Soli etiam vel Apollini a veteribus tribui, Ill. Cuperus docuit. (Harpocr. p. 9. 98. 102.) Hunc leonem κεραυνοφόρον perridicule gramen vorantem confinxerat, qui numum in catalogum numophylacii noſtri retulit vir ceteroqui in huius generis monimentis antiquis excutiendis diu multumque verſatus, vnde id feſtinationi omnino adſcribendum fuerit. Sed non minus feſtiuum eſt παρόραμα, quod viris doctiſſimis, Mediobarbo & Bandurio, in deſcribendo hoc numo, obrepſit. Nempe ex Patini indice eum Mediobarbus, ex Mediobarbo repræſentauit Cl. Bandurius hac ratione: (p. 30. l. c. p. 426. T. II. p. 42) P. M. TR. P. VIII. COS IIII P. P. LEG. Quod cum primum conſiderarem, mirabar, quid ſibi vellent litteræ LEG. poſt P. P. Atque erant illæ quidem maiuſculæ, cuiusmodi in inſcriptionibus adhibentur, adeo, vt viderentur ad epigraphen omnino pertinere. Sed, conſulto ipſo Patino, deprehendi litteras minores, quæ typum indicare ſolent, tametſi ceteroqui ſcriptum perinde erat *Leg*. Facile igitur ſuboluit, mendum fefelliſſe viros doctos, cum res ipſa loquatur, legendum eſſe *Leo*, cuiusmodi nempe in numo hoc conſpicitur, non LEG. quam vocem viri laudati inſcriptioni lepido, ſed facili, vbi numos ipſos tractare non licet, errore affinxerunt.

§. XVI.

De numo Carauſii.

De Carauſio iam diu expectat eruditus orbis diſſertationes Cl. Genebrier, viri longe doctiſſimi humaniſſimique, cuius amicitiam, litteris illuſtriſſimi Comitis de Winchelſea, cui & ſtudia hæc & cultores eorum mirum quantum debent, ex Anglia mihi conciliatam, ſi negem, longe plurimum & voluptatis & vtilitatis mihi, Lutetiæ quondam Pariſiorum commoranti, attuliſſe, ingrati animi notam nullo modo effugerim. In diſſertationibus illis vir diligentiſſimus numos Carauſii omnes collegit, quotquot vel in libris antiquariorum commemorantur, vel in præcipuis Galliæ Angliæque muſeis, quæ ille miro ſtudio perluſtrauit, extant, collectos, luce, ſi qua egebant, perfudit, & poſtremo vitam Carauſii longe vberrime enarrauit, quam non ſine inſigni voluptate mihi lectam recordor in excurſione illa iucundiſſima, qua vterque Fanum diui Clodoaldi, ſtudio viſendæ gazæ a principe matre Aurelianenſi collectæ, contendebamus. Non dubito, quin præclarus labor interea noua

incrementa ceperit, offerente fortuna subinde in hoc studiorum genere, quæ perpoliendis lucubrationibus susceptis inseruire possint. Reperitur vero in thesauro Fridericiano Carausii numus, quem Cl. Bandurius prætermisit, non indignus, qui hoc loco in lucem prodeat.



Aduersa pars Carausii caput exhibet corona radiata insigne cum inscriptione: IMP*erator* CARAVSIVS P*ius* F*elix* AVG*ustus*. In auersa figura stans, nuda, nisi quod pallium a tergo dependet, capite galeato, dextra tenente hastam, sinistra clypeum. Epigraphe: .... S AVG*usti*, quam integram fuisse: VIRTVS AVG. typi ratio facile declarat. Ita nempe & VIRTVS AVG*usti* expressa cernitur in Victorini numo:



Ceterum VIRTVTEM de se prædicare potuisse Carausium, res gestæ eius satis loquuntur. Eutropius de eo: „ Cum Carausio tamen, „ cum bella frustra tentata essent contra virum rei militaris peritissi- „ mum, ad postremum pax conuenit". Numos Græcos Carausii, in quibus sextus eius annus legatur, commemorat Pagius, vbi Eutropium & Victorem, quorum alter septennium, alter sexennium imperio Carausii adsignat, sibi inuicem conciliat. Sed Græcos Carausii numos ignorant antiquarii, cuiusmodi & quo pacto cudi ei potuerint Britanniæ vni imperanti, non equidem intelligo.

Lib. IX. c. 22.

L. c. T. I. p. 314.

§. XVII.

De numo Licinii singulari.

T. II. p. 174.

Inter Gal. Val. Maximini numismata Latina ærea tertiæ magnitudinis apud Cl. Bandurium primum locum occupat, cuius descriptionem hanc dedit: „ IMP. MAXIMINVS P. F. AVG. Caput „ Maximini laureatum ad pectus cum lorica][COMITI AAVVGG. „ (Sic) Sol capite radiato, cum pallio ex humeris pendente, vultu „ dextrorsum conuerso stans, dextra tenet globum, sinistra flagrum; a si- „ nistris in area stella: in ima parte PLN". Addita his littera B. quæ notat, numum hunc reperiri in supellectile antiquaria Nicolai Boullet, in suprema comitiorum Parisiensium curia Senatoris. Ad illustrandum vberius hunc numum subiicit in notula, quales subinde optimas & vicem

tem commentariorum amplissimorum sustinentes adspergit: „ Noua „ epigraphe, noua etiam scribendi ratio, cui tamen simillima occurrit „ in numo æreo Philipporum olim apud Cl. Seguinum: II MM CC FF ILI PPVS AVGG. h. e. *Imperatores Cæsares Philippi Augusti.* Numus „ rarissimus, imo singularis est, & desideratur in Mediobarbo". Recte hæc omnino, neque succurrit, quod addendum videatur, nisi quod numum Philipporum ante Bandurium pridem ex eodem museo Cl. Seguini laudauit Ill. Spanhemius. Numum vero Maximini, de quo dixi, an satis inspexerit Cl. Bandurius, ita, vt securis nobis liceat esse, Maximini eum, non alius Imperatoris præferre vultum, scire vtique auerem. In gaza enim nostra sequens Licinii numus deprehenditur, alteri illi Maximini ita similis, vt ouum ouo similius esse nequeat. L. c. T. I. p. 123.



Numi huius descriptione facile supersedere licet. Quodsi enim in superiori a Cl. Bandurio suppeditata voci MAXIMINVS, LICINIVM substituas, ita illa in numum præsentem quadrat, vt ei propria videatur. AAVVGG. vero hoc est, *Augusti duo*, quorum COMES sol, in area numi expressus, notissima horum temporum & in numis passim obuia loquendi ratione, haud dubie non alii, quam Licinius & Constantinus, qui sublatis Maxentio & Maximino æqua potestate Romano orbi præfuerunt, dum interemto etiam Licinio Constantinus solus rerum potiretur. Ceteroqui nihil omnino prohibet, quo minus similes Maximini numi cudi potuerint, AAVVGG. h. e. *Augustos duos* in inscriptione memorantes. Nam & eiusdem Maximini Augusti a Cl. Bandurio vulgatus prostat aureus numus cum inscriptione: T. II. p. 163. IOVI CONSERVATORI AVGG. ad quem Cl. Bandurius notat, „ sibi eum vel Romæ Maxentii iussu, vel a Maximino tum, „ cum fœdus cum Maxentio fecit, cusum videri; ideo enim duorum „ tantum Augustorum mentionem fieri, quia hi duo principes simultatem cum Constantino & Licinio gesserint". Similes ex ære idem L. c. p. 172. 175. commemorat Bandurius, qui proinde numum supra laudatum cum inscriptione: COMITI AAVVGG eadem ratione necesse est interpretetur, tametsi in notula subiecta nihil ea de re monuit.

§. XVIII.

Constantini Magni iam numum ex gaza nostra promo cum parte auersa bis expressa: *De numis Constantini M.*



Conſtantini capiti addita eſt inſcriptio: IMP*erator* CONSTANTINVS P*ius* F*elix* AVG*uſtus*. Auerſa pars vtraque Victorias duas gradiuas ſiſtit, quæ dextris corollas, ſiniſtris palmas humeris impoſitas geſtant, medio inter eas locum occupante labaro. Inſcriptio prioris: COI P. R. Infra R. Cum litteræ illæ, præter quas aliarum veſtigia nulla ſe offerunt, coniunctim ſenſum nullum gignant, diuiſas ita forte exponat coniector Cl. Harduini, de cuius in his ænigmatibus ſoluendis
§. XIV. dexteritate & ἀγχινοίᾳ ſupra dictum, æmulus: *Conſeruatori Orbis Imperii Propugnatori Romani.* CONSERVATOREM VRBIS numi Conſtantinum crebro appellant, qui eodem iure CONSERVATOR ORBIS dici potuit. Eum certe titulum Aureliano vindicat
p. CCLXXVI. vetus inſcriptio apud Gruterum:

MAGNO
AVGVSTO
PRINCIPI MAX.
IMP. FORTISSIMO
CONSERVATORI. ORBIS
L. DOMITIO AVRELIANO
P. F. PONT. MAX. TRIB. POT. V.
P. P. COS III. PRO. COS. GOTH. MAX.
PALMYR. MAX. GERM. MAX.
ORDO BRIXIANORVM

Porro IMPERII PROPVGNATOREM ROMANI dici Conſtantinum in hoc numo, fidem facere quodammodo poterat alia
p. CCLXXXIII. 4. apud eundem Gruterum inſcriptio ipſius Conſtantini.

PROPVGNATORI. IMPERI. ROMANI. FVNDATO
QVIETIS. PVBLICAE. D. FL. CONSTANTINO. MAX
VICT. SEMP. AVG. D. CLAVDI. NEPOTI. DIVI
CONSTANTI. FILIO. SERTORIVS. SILLANVS
V. P. PRAEPOSITVS. FABRICAE. DEVOTV
N. M. Q. E.

Sed ne ſpuria interpretatio fucum cuiquam faciat, prohibet eadem pars auerſa ex numo integriori, quem gaza noſtra pariter ſeruat, depromta, vnde liquet, inſcriptionem eſſe: GLORIA PERPET*ua* in alterius parte

parte auersa litteris nonnullis mulctatam, quas adfuisse vel interuallum residuarum litterarum satis euincit. Numum hunc & Cl. Bandurius memorat, docetque „ epigraphen esse nouam, numos vero rarissimos „ esse, & videri ad annum CCCXXII. pertinere, geminam de Go„ this & Sarmatis victoriam Constantini prædicantes. L. c. T. II. p. 273.

§. XIX.

„ Duos fratres, inquit Ill. Spanhemius, eosque Magni Constantini e „ fratre filios, *DELMATIVM vt bene Victor in Epitome, non vt Vi„ ctor Schotti, Eutropius, aliique DALMATIVM & HANNIBA„ LIANVM*; illum CAESAREM, hunc vero REGEM a Con„ stantino, quod in dictis modo excerptis, ac apud Ammianum Mar„ cellinum legitur, appellatos adstruunt veteres ac singulares numi, „ a præstantibus antiquariis iam descripti". Non licet vtique inficias ire, prioris illius Constantini e fratre nepotis numos, qui quidem adhuc noti sunt, descriptiue prostant, DELMATII, non DALMATII, illi nomen tribuere. Neque aliter appellat Victor laudatus Spanhemio, cuius verba mendum, pridem obseruatum viris doctis, Tristano aliisque, in præclara Annæ Tranquilli Fabri filiæ editione obsidere miror. Ita enim ille: „ Hi singuli has partes habuerunt: CON„ STANTINVS iunior cuncta trans Alpes: CONSTANTI„ VS a freto Propontidis Asiam atque Orientem: CONSTANS „ Illyricum Italiamque & Africam, DELMATIAM (hic legen„ dum vtique DELMATIVS) Thraciam Macedoniamque & Achaiam: „ ANIBALIANVS, Delmatii Cæsaris consanguineus, Armeniam „ nationesque circumsocias". Sed ab hoc vno scriptore si discedas, perpetuo is DALMATIVS dicitur perinde ac parens, Constantini Magni frater, de quo Ausonius: *De numo Delmatii.* T. II. p. 266. sq. Com. T. III. p. 497. De Profess. Burdigal. ep. 98.

—— —— Narbo inde recepit,
Illic Dalmatio genitos, fatalia regum
Nomina. —— ——

Neque dissentiunt ea in re Latini Græcique scriptores. Vt enim scriptor anonymus de gestis Constantini de eo: *Dalmatium filium fratris sui Dalmatii Cæsarem fecit*; ita, vt alios nunc taceam, compilator Chronici Paschalis Alexandrini vulgo dicti: Δαλμάτιον, inquit, τὸν υἱὸν τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ Δαλματίου τοῦ Κένσορος, Καίσαρα ἀνηγόρευσεν πρὸ η' Καλανδῶν Ὀκτωβρίων. Ἦν δὲ Δαλμάτιος ὁ υἱὸς Δαλματίου τοῦ ἀδελφοῦ Κωνσταντίνου τοῦ εὐσεβοῦς, Στρατηγὸς Ῥωμαίων καὶ Ὕπατος πρὸ τοῦ αὐτὸν ἀναγορευθῆναι Καίσαρα. h. e. *Dalmatium, fratris Dalmatii Censoris filium, Cæsarem renuntiauit ex a. d. VIII. Kal. Octobr. Erat autem Dalmatius filius Dalmatii fratris Constantini Pii, dux Romanorum & Consul, priusquam Cæsaris dignitatem esset consecutus.* At perpetuo a tot scriptoribus aberratum esse in ratione scribendi huius nominis, nemo sibi facile, vt arbitror, persuaserit. Accedit, Dalmatii nomen alibi inueniri, vt in codice, vbi Imperator CONSTANT*inus* rescribit A. Dalmatio, ne nunc commemorem *Dalmatii* presbyteri epitaphium apud Gruterum. Sed & hanc scripturam præter alios Ducangio laudatos, seruat clarissime numus thesauri nostri. Post Ammian. p. 508. Sed desunt ibi ex scriptoris incuria verba: *Cæsarem fecit*, quæ restituit Valesius in Not. ad Ammian. p. 2. p. 286. Lib. V. Tit. XVII. T. 7. p. MCLXIX. 8. Fam. Byzant. p. 49.

Capiti




Capiti enim aduersæ partis laureato addita est epigraphe : FL*auius* DALMATIVS NOB*ilissimus* C*æsar*. Auersa numi pagina milites duos sistit, stantes inter duo signa militaria, dextris tenentes clypeos, sinistris hastas. Inscriptio virtute optimi Cæsaris digna, tametsi obuia in eius numis: GLORIA EXERCITVS. Infra: SMTS B. Similem fere, nisi quod ibi in area auersæ partis SMTSE. nobilissimus du Cange exhibet, vnde repetit Cl. Bandurius, qui recte monet, in descriptione Ducangium prænomen FL. omisisse. Sed & notare debuerat in numo, DALMATIVS; in descriptione vero DELMATIVS legi.

Fam.Byzant. Tab. VII. p. 25. L. c. T. II. p. 223. conf. p. 207.

§. XX.

De Constantii numis duobus. T. II. p. 362.

Inter Constantis numismata ærea tertiæ magnitudinis apud Cl. Bandurium numus reperitur, quem ita describit: „ DN. FLAV. CONSTANS AVG. Caput Constantis, vt supra][SECVRITAS „ REIP. Figura muliebris *galeata* ac *paludata*, sinistro cubito columnæ „ innixa, dextra tenet hastam: in ima parte R. Q. palmæ ramo inter- „ medio F*rad*. In subiecta nota addit: *numum hunc & sequentem ra-* „ *rissimos, imo singulares esse, & desiderari in collectione Mediobarbi*". Idem numus longe minimus reperitur in gazophylacio nostro, sed in quo figura muliebris *galeata* haud comparet, nedum *paludata*. Verosimile igitur videtur, festinantius quam verius descriptum esse typum hunc a viro eruditissimo, cuius limato ceteroqui operi vt doctrinæ, ita & diligentiæ haud vulgaris laudem facile relinquo. Neque vel galeatam vel paludatam eandem SECVRITATEM agnoscas in simili Constantii numo, quem gaza nostra seruat.



Aduersa in parte caput Constantii cernitur, laurea gemmis distincta cinctum, cum epigraphe: D*omi*N*us* FL*auius* ..... C*onst*ANTIVS AVG*ustus*; in auersa, figura muliebris dextra hastam tenens, sinistro cubito innitens columnæ, cum eadem inscriptione: SECVRITAS REIPVB*licæ*. Infra RVS. In præclaro Bandurii opere typus & in-

scriptio

ſcriptio auerſæ huius paginæ bis tantum inter Conſtantii numos occurrit, altera vice inter aureos (ſed ibi figura muliebris cippo innixa dextram capiti imponit, non haſtam tenet) altera, inter numiſmata ærea incerti moduli, vbi deſcriptio in præſentem numum ſatis quadrat, ita vt idem ille deſignari videatur: Sed diuerſa inſcriptio capitis: D N FL. CONSTANTIVS N..... Addo huic alium Conſtantii numum, cuius inſcriptio quidem apud Cl. Bandurium extat; ſed non æque typus. p. 371. p. 394.



Caput Conſtantii a ſuperiori non differt, niſi inſcriptione, quæ hoc loco eſt: CONSTANTIVS P*ius* F*elix* AVG*uſtus*. Auerſa in parte victoria gradiens, vtraque manu corollam tenens. In ſiniſtra parte areæ monogramma Chriſti ☧. in baſi, cui inſiſtit ad vtrumque latus ſtella; Inſcriptio: VICTORIA AVGG. Infra: ASIS. Monogramma nos pietatis optimi Imperatoris admonet, qui victorias ſuas Chriſto, cuius fidem profitebatur, acceptas refert. Hoc enim ſibi vult monogramma ☧, quod indicium Chriſtianiſmi in numis huius ſæculi ita agnoſcit Cl. Harduinus, vt non aliud fere eſſe contendat. Numiſm. Sec. Conſtantin. Opp. Sell. p. 478.

§. XXI.

Conſtantius, cuius vidimus numos, tres vxores duxit. Alteram ac tertiam nominant ſcriptores; illi Euſebiæ, huic Fauſtinæ nomen fuit. Prima quid nominis tulerit, cum ſileant hiſtoriarum monumenta, difficile dictu eſt. Cl. Bandurius coniectat, FAVSTAM eam eſſe, cuius ſingularem numum Fittonus olim, magni Hetruriæ ducis Antiquarius, poſtea vir celeberrimus Carolus Cæſar Baudelot inter præclara ſupellectilis ſuæ antiquariæ ornamenta numerauit, cuius quidem ſupellectilis hæredem ſcriptam conſtat Academiam bonarum litterarum, quæ Lutetiæ Pariſiorum floret. Cum idem ille numus inter theſauri noſtri cimelia rariora haud poſtremum ſibi locum iam pridem vindicet, & numariæ rei ſtudioſorum interſit id noſſe, non male, vt arbitror, locauero operam, ſi eundem, vt eſt apud nos, vulgatum dedero. *De numo Fauſtæ.* L. c. p. 394.



Aduerſa numi pagina caput iuuenile fœminæ exhibet, cum inſcriptione:

FAVSTA NF h. e. N*obilissima* F*œmina.* Auersa inscriptione caret, vtpote in qua nihil cernitur præter stellam in laurea. Dixi, Bandurium FAVSTAE huic primum locum assignare inter vxores Constantii; sed obseruandum, neque intercedere eum, quo minus Constantini Iun. vxor habeatur. Id vero non displicebit iis, qui Tristano assentiuntur, existimanti, primam Constantii, Constantini F. vxorem fuisse filiam Constantii patruelis & Gallæ, eandemque matris nomine Gallam dictam, quam sententiam viri eruditissimi sicco prorsus pede transiisse Cl. Bandurium, haud iniuria mireris. Ex typo stellæ in laurea, qui in numo hoc æque ac duplicis Helenæ, Crispi & Iuliani numis occurrit, intelligitur, quid statuendum sit de Cl. Harduini sententia, qui hanc formam numi, vtpote & in Crispi quodam numo occurrentem, suadere arbitratur, Crispi vxorem fuisse Flauiam Maximam Helenam, quam Iuliano Imperatori viri docti cum Tristano tribuunt. Litteras N. F cum Cl. Bandurio interpretor: N*obilissima* F*œmina*, non N*obilissima* F*elix*, neque N*urus* F*austi*, quas ille viri docti explicationes affert, cui non absimilis est Cl. Harduini: N*epotiani* F*ilia*, vnde noua illi nata de Parente Faustæ huius sententia, Nepotiani eam nempe filiam esse, qui, vt Victor de eo tradit, Eutropiæ Constantini sororis filius, hortantibus perditis, Augusti nomen rapuit, octauo die vicesimoque a Magnentio oppressus. Sed in littera initiali N nomen latere N*urus*, verosimile non est, nedum N*epotiani* tyranni. Nescio vero, cur numum Faustæ ex supellectile Cl. Baudelotii argenteum citet, quem æreum ibidem laudat Cl. Bandurius. Ex eodem metallo & constitit, quem describit Tristanus, & constat, quem ex gaza nostra delineatum dedi.

L. c. T. III. p. 683. sq.

L. c. p. 477.

T. II. p. 325.

Ad Plin. Lib. XXXIV. c. 6. Sect. 14. T. II. p. 645. Epit. p. 226.

Addit. pour le III. Tome de ses Commentaires p. 4.



CAPVT



CAPVT XI.

DE NVMIS IMPERATORVM MAXIMI MODVLI, VVLGO *MEDAGLIONI*, AVREIS, ARGENTEIS ET ÆREIS.

§. X. *Cl. Piouenii de eius inſcriptionis ſenſu coniectura expenditur.*

§. XI. *Valeſiana de eadem inſcriptione ſententia defenſa.*

§. XII. *De numiſmate Conſtantii argenteo cum inſcr.* TRIVMFATOR GENTIVM BARBARARVM.

§. XIII. *De numiſmate Commodi æreo cum inſcript.* ΚΥΖΙΚΟϹ ϹΜΥΡΝΑ ΟΜΟΝΟΙΑ.

§. XIV. *De eiusdem Commodi nummo æreo cum inſcript.* ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ ΝΕΟΚΟΡΩΝ.

§. XV. *De numiſmate eiusdem ſimili cum litteris:* P. M. TR. P. XI. IMP. VII. COS. V. P. P.

§. XVI. *De numiſmate Seueri æreo cum inſcr.* ΑΔΡ. ϹΕΥΗΡΙΑΝΗϹ ΤΑΡϹΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩϹ. Γ. Β.

§. XVII. *De numiſmate Caracallæ æreo cum epigraphe:* ΚΟΙΝΟΝ ΘΡΑΚΩΝ ΑΛΕΖΑΝ ΠΥΘΙΑ ΕΝ ΦΙΛΙΠΠΟ.

§. XVIII. *De numiſmate eiusdem æreo cum inſcriptione:* ΕΠΙ ϹΤΡ. ΙΟΥΛ. ΑΝΘΙΜΟΥ ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ. ΠΡΩΝΤΩΝ ΤΡΙϹ ΝΕΩΚΟΡΩΝ.

§. XIX. *De numiſmate Maximini æreo cum litteris:* ΤΑΡΣΟΥ ΤΗϹ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕωϹ. Α.Μ.Κ.Γ.Β.

§. I.

De numis maximi moduli in genere.

HActenus numiſmata Cæſarea ſpectauimus, quæ monetæ loco populis Romano imperio ſubiectis inſeruiiſſe, inter rei numariæ peritos conſtat. Sane contrariam ſententiam pridem Sebaſtianus Erizzo, nobilis Venetus, & noſtris temporibus, qui antea diuerſum ſenſerat, vir celeberrimus, Ioannes Harduinus ſæpe iam in hoc opere laudatus, propugnarunt, exiſtimantes, quæcunque ſuperſunt Romanorum numiſmata, vel certe pleraque memoriæ aut honoris cauſa conflata, monetam hodie vel plane non ſuperſtitem, vel rarius obuiam, alterius longe generis fuiſſe. Argumenta, quibus vel illi, vel aſseclæ eorum, ſi qui ſunt, vtuntur, vna cum reſponſionibus, quibus diluuntur, collegit inſigne harum litterarum decus Cl. Stephanus Chamillardus S. I. qui dum eandem operam præſtitit in contrariis rationibus, quæ monetæ omnino vſum veteres numos præbuiſſe euincunt; breuiter exponendis, neque quidquam eorum reticuit, quæ ad infringendas eas obiici poſſe videbantur; & illam, quæ ab omni veri ſpecie abhorret, ſententiam refellit; & hanc, doctiſſimo cuique probatam, abunde vindicauit. Sebaſtiano Erizzo quidem dudum iam reſpondit Ludouicus Sauotus, idque non perfunctorie, ſed accurate atque ex inſtituto. Quem cum eo labore perfunctum non ignoraret Cl. Harduinus, affirmat tamen, quo iure alii viderint, *perſuaſiſſe Erizzum viris doctis, memoriæ tantum, honori & venerationi Principum deſtinatos veteres numos fuiſſe, in monetæ publico vſu non fuiſſe.* Sed & virum celeberrimum ex ſociis Ludouicus Iobertus, qui ceteroqui placita eius non tantum maximi facit, ſed

Diſcorſo ſopra le Medaglie p. m. 7. ſqq.
V. de re monetaria Veterum ex Plinii ſententia Opp. Sell. p. 185. ſq.
De num. Gratian. Opp. Sell. p. 506. ſq.
Diſſertations ſur pluſieurs Medailles & Pierres grauées de ſon Cabinet & autres Monuments d'Antiquité A Paris 1711. 4. p. 1. ſqq.
De num. antiqu. T. XI. Antiquit. Rom. p. 1105. ſqq.
La ſcience des Medaill. Instruct V. p. 103. ſqq.

sed & haud raro pro verissimis venditat, & maiorem in modum commendat, ita confutauit, vt verendum non sit, ne multos ea sententia sectatores nanciscatur. Neque vero nulla reperiuntur numismata, quæ in censum monetæ vulgaris referri non possint. Pertinent huc, quæ vulgo appellantur, *Medaglioni*, cuiuscunque metalli, eo consilio cusa, vt esset, quo vel Imperatores liberalitatem suam testatam facere, vel priuati, militesque inprimis, qui iis signa sua exornabant, reuerentiam Augustis & obsequium probare possent. Hos numos vulgari monetæ, quam non pondere tantum, sed & artificio longe vincit, annumerare non licet, tametsi expensos vulgo, idque pro ratione ponderis, affirmat Cl. Harduinus, loco supra laudato, quo statuit „ monetæ præbuisse, „ pecuniæque vsum numos ex auro quidem argentoque, quotquot in „ cimeliis asseruantur, quoque iure, vt tum credebat, & summorum „ virorum auctoritate & ratione id suadente, postulat, id vnum extra „ controuersiam poni, quantumuis sit de pretio æreæ monetæ haud „ procliue statuere, aut nullam vtique apud veteres Romanos mone- „ tam fuisse, aut certe fuisse æream hanc vel maxime, quæ Senatus- „ consulto in gratiam Principum cusa stante imperio est: multoque „ eam magis, quæ Senatus auctoritate velut capite deminuta, a Prin- „ cipibus deinde ipsis circa Diocletiani vel Constantini tempora cusa „ est, & in prioris illius vicem substituta, quæ & locum præferat Pa- „ latinæ monetæ, vbi signata est, Narbonem, Treuiros aliasque ciui- „ tates, in quibus procuratores Monetæ suæ Principes statuissent". Quæ quidem ipsius viri celeberrimi verbis paulo vberius exposuisse, non abs re fuerit, vt pateat, vsque quaque φροντίδας δευτέρας σοφωτέρας non esse, tametsi ille postea contrariam sententiam ita defendit, vt nullam vnquam aliam secutus esse videatur. Idem igitur ibidem de hoc numismatum genere hæc litteris prodidit: „ Quin & prægrande illud genus „ nummorum, quod *Medaglioni* vocant, vt diximus, siue congiarii „ vice populo distribueretur, siue militibus ducibusque pro donatiuo, „ siue in theatro, circoue, ac triumphalibus pompis spargeretur, ex- „ pendi postea publice pro ratione ponderis solitum putamus, vel ob id „ solum, vt omittamus cetera, quod apud intentam vnice rei atque „ vtilitati suæ multitudinem venisset demum haud dubie in contem- „ ptum Principis effigies, ni distrahi eam in commercia fas fuisset". Qua ratione cum vir celeberrimus nulla non numismata ad monetam referat, mirum sane est, qui adduci eo potuerit, vt monetam nullam prorsus inter numismata antiqua admitteret deinceps, sed mera monumenta memoriæ Principum & honori dicata statueret.

L. c.

L. c.

§. II.

Index.

Sed huius instituti ratio non fert, vt de horum numismatum ratione atque vsu generatim plura nunc a me disputentur. Ostendendum potius iam porro est, antequam argumento huic finem imponam, quantam eorum supellectilem thesaurus Fridericianus seruet, & quid in ea præcipue notatu digni reperiatur. Seriem quidem eorum contendere non licet cum ea, quæ vel in regis Christianissimi vel Serenissimi Parmensium ducis thesauro collecta prostat. Nec tanta est sane, vt appa-

 ratui,

ratui, qui museum quondam Reuerendissimi Abbatis de Camps ornabat, nouissime autem gazæ Etreësianæ, qua nulla in vrbe Gallorum regia maior, accessit, par poni vlla ratione possit. Fatendum est enim, qui gazæ huic extruendæ operam dederunt, eos in aliis numorum veterum generibus conquirendis nihil equidem magnopere desiderari a se passos, sed in hac classe adornanda reliquisse non vna, quibus in posterum oblata occasione supplendis inuigilandum erit. Adhuc enim non inueniuntur huius generis numismata apud nos, nisi quæ index docebit; quem pro more subiungo.

Augustus	☾	
Caligula	☾	
Nero	☾	♀
Vespasianus	☾	
Domitianus	☾	
Traianus	☾	♀
Hadrianus	☾	
Antinous	♀	
Antoninus Pius	♀	
Faustina	♀	
M. Aurelius	♀	
Verus	♀	
Commodus	♀	
Seuerus	♀	
Caracalla	♀	☾
Iulia Mamæa	♀	
Seu. Alexander	♀	
Maximinus	♀	
Gordianus	♀	⊙
Otacilia	♀	
Traianus Decius	♀	
Postumus	♀	
Probus	♀	
Macrinus & Diadumenianus	♀	
Constantinus M.	⊙	
Fl. Iul. Constans	⊙	☾
Fl. Iul. Constantius	⊙	☾
Valens	⊙	
Gratianus	⊙	

§. III.

De numismate aureo Gordiani Pii.

Ex auro quidem, vt patet, perpauca monstrare licet huius generis numismata, quod non mirabuntur, qui nouerint, quam rara sint, & quam pauca in amplissimis quibusque thesauris reperiantur. Sunt tamen apud nos, quos vix alibi spectandi facultas dabitur, iique & magnitudine sua & typorum elegantia insignes; tametsi fatendum est, posteriorem, pro temporum illorum ratione, iure desiderari posse in Gordiani Pii numismate sequenti quod, haud pridem thesauro nostro accessit.

Auersa



Auerſa in parte caput Gordiani corona radiata cinctum, cum inſcriptione: IMP*erator* GORDIANVS PIVS FEL*ix* T. AVG*uſtus*. Quid littera T. ſibi poſt FEL. velit, alii viderint. Ab initio putabam litteram I. eſſe, pro more illorum temporum minus concinne ſculptam, interpretabarque vel particulam vocis FELIX vel I*nuictus*, quo pacto Gordianum apud Gruterum inſcriptiones appellant, cuiusmodi: p. CCLXXII. 6.

FVRIÆ. SABINÆ TRANQVILLINÆ. SANCTISS. AVGVSTÆ
CONIVGI. D. N. M. ANTONI. GORDIANI. PII. FEL.
INVICTI. AVGVSTI.
DECVRIALES. AEDIL. PLEB. ET. CERIAL. PLEB
DEVOTI. NVMINI. MAIESTATIQVE
EIVS.

Sed littera I haud paulo aliter efficta in hoc numo cernitur, vnde dubitari vix poteſt, quin T ſit, de cuius vero litteræ vi ac ſenſu nihil decerno, rei eius definiendæ arbitrio ad feliciores litterarum, quas numi præferunt interpretes, reiecto. Auerſa pars Martem gradiuum ſiſtit, dextra haſtam; ſiniſtra clypeum tenente. Inſcriptio: MARTEM PROPVGNATOREM PII. Noti eiusdem Gordiani numi argentei atque æneι cum inſcriptione: MARTEM PROPVGNATOREM, cui ſimiles Treboniani Galli extant, quos recenſet Cl. Bandurius. Sed T. I. p. 60. MARTEM PROPVGNATOREM PII exhibet numus præſens, tanto maioris faciendus, quod inſcriptionem numorum ſuperiorum ſupplet. Ad eundem, puto, Martem ſpectat inſcriptio apud Gruterum: p. LVII. 5.

MARTI. AVG.
PRO. SALVTE. IMP. CAES
M. ANTONINI
GORDIANI. PII. FELICIS
AVG.
M. ANTONIVS
VALENTINVS
EQ. R. DEC. COL. APVL
SACERDOS. ARAE
AVG. N.
CORONATVS. DAC
III. D. D.

Quæ

p. LXXXIX. II. Quæ inſcriptio in eodem opere Gruteriano paululum mutata recurrit hoc modo:

MATRI. AVG.
PRO. SALVTE IMP.
CAES. M. ANTONI
GORDIANI. PII
FELICIS AVG.
M. ANTONIVS
EQ. R. DEC. M. APVL
SACERDOS. ARAE
AVG. N.
CORONATVS. DAC
III. D. D.

T. II. p. 406. Vbi Matrem Gordiani Pii deſignari ſibi perſuadet Triſtanus: ſed inſcriptionem eandem prorſus eſſe, & proinde ex ſuperiori corrigendam & ſupplendam, manifeſtius eſt, niſi omnia me fallunt, quam vt longa probatione indigeat.

§. IV.

De numiſmate ſingulari Conſtantis. Numiſm. Sæcul. Conſtant. Opp. Sell. p. 475. T. II. p. 350.

Omnium maximum præſtantiſſimumque ex aureis numisma publici iuris iam fecit Cl. Harduinus, ectypum eius, vt ſcribit, nactus a D. Dronio, quo cum eum Morellius noſter communicarat. Inde repetiit deſcriptionem eius celeberrimus Bandurius in præclaro opere sæpius iam a me laudato. Sed cum & aduerſæ partis inſcriptio minus integra ibidem reperiatur, neque auerſæ typus, vt ab Cl. Harduino deſcribitur, dubio careat, eundem hunc numum, quam accuratiſſime fieri potuit, delineatum ſiſto.



Aduerſa pagina caput Conſtantis cinctum non corona ex gemmis, quod tradunt Harduinus & Bandurius, ſed laurea exhibet, ad pectus cum paludamento, dextra elata. Inſcriptio: FL*auius* CONSTANS NO*Biliſſimus* CAES*ar*. Harduinus & Bandurius vocem NOB. omittunt.

omittunt. In auerſa quatuor figuræ ſtantes ac paludatæ. Prima ceteris omnibus maior capite laureato, dextra tenet labarum, ſiniſtra clauam ſuperiori ex parte latam, apicibus quibusdam ornatam, infra anguſtiorem & in acumen deſinentem. Vitisne illa claua ſit, ſignum centurionum, de quo Plinius: *Centurionum in manu vitis, & optimo præmio tardos ordines, ad lentas perducit aquilas, atque etiam in delictis pænam ipſam honorat*, definire non auſim. Id certum, ſpiculum hic nullum reperiri, quod ſuſpicatur clariſſimus Bandurius. Proxime ad ſtaturam huius figuræ accedunt illæ, quæ extremas areæ partes occupant, dextra haſtam, ſiniſtra clypeum tenentes, nudis capitibus, vt videtur, non minus ac tertia, omnium minima, quæ maximæ adſtat ſine haſta & clypeo, vt ætas illius, armis tractandis nondum apta, indicetur. Inſcriptio: SECVRITAS PERPETVA. Infra CONS. Et breuiſſime & veriſſime, vt arbitror, quid ſibi typus hic velit, explicauit Bandurius. „ Conſtantinus magnus, inquit, ſtans inter Conſtantinum Iun. & „ Conſtantium ab aliquot annis Cæſares, Conſtantem anno 333. Con- „ ſtantio adſtantem, & ipſum in Cæſares cooptat; itaque quatuor „ principibus, vno Auguſto, tribus Cæſaribus, Auguſti filiis, ſecu- „ ritas publica nititur". Cl. Harduinus hic Criſpum, Conſtantium, Conſtantem & Dalmatium, Cæſares nempe, vt arbitratur, omnes gentis Fl. Iuliæ agnoſcit, quæ quidem interpretatio numi, paradoxis viri celeberrimi ſententiis nititur. Ceterum de dignitate Cæſaris, Conſtanti oblata, ita Aurelius Victor: *Filius cunctorum minor, Conſtans nomine, Cæſar fit; cuius gratia reipublicæ permiſtionem fore oſtentorum mira prodidere: quippe ea nocte, quæ commiſſi imperii diem ſequebatur, igni continuo cæli facies conflagrauit.*

H. N. Lib. XIV. c. 1. Sect. 5. T. I. p. 708.

L. c.

p. 177.

§. V.

Begerus de Conſtantii numo aureo „ eius fulgidiſſimum numiſma", inquit, „ non metallo tantum, ſed & magnitudine & typo produci- „ mus. Siue aurum reſpicias, ſiue maximum, quo ſignatum eſt, mo- „ dulum, ſiue denique figurarum magnificentiam; vbique reſplendet „ Romanorum gloria". Rem fortaſſe in maius auxiſſe videbitur nonnullis vir optimus, inprimis vbi figurarum magnificentiam in numo ſæculi Conſtantiani iactitat; ſed nihil hic datum amori, quo ille in huius generis monumenta ferebatur. Auerſa inprimis pars numiſmatis, in qua figura muliebris apta membrorum omnium ſymmetria, totiusque corporis habitu ac veſtitu ſpectabilis, ſellæ artificioſiſſime elaboratæ inſidet, altera manu Victoriolam globo inſiſtentem, altera haſtam tenens, pedemque ſiniſtrum roſtro nauis imponens, habet ſane non vna, quibus ſpectantium oculos rapere ad ſe ac tenere poſſit. Nec tamen delineatio Begeriana elegantiam numi omni ex parte æquat, prout ille in theſauro noſtro, ſed alia matrice, neque cum litteris iisdem in areola inferiori auerſæ partis excuſus, reperitur.

De numiſmate Conſtantii. L. c. T. II. p. 817.



Aduerſa pars a delineatione Begeriana non magnopere recedit; in vultu tamen omnia magis accommodata ad fidem Ammiani Marcellini, qui lucem oculorum editam; mollem capillum, raſas aſſidue genas lucentes ad decorem Conſtantio tribuit. Deinde & ornatus capitis haud parum differt. Apud Begerum diadema duobus ordinibus margaritarum conſtans, cuius filamenta tria margaritis ornata ad collum dependent; hic corona laurea gemmis vnionibusque diſtincta cum filamentis quatuor. Quod ad vniuerſum oris habitum attinet, luculentius in hoc numiſmate expreſſa comparet ſingularis illa grauitas, quam Conſtantius affectabat. Cernitur enim perinde atque olim, cum Romam triumphali habitu ingrederetur, *velut collo munito, rectam oculorum aciem tendens, nec dextra vultum nec læua flectens, tanquam figmentum hominis*; quo pacto eum Ammianus idem nobis deſcribit. Inſcriptio eadem: FL*auius* IVL*ius* CONSTANTIVS PERP*etuus* AVG*uſtus*. Sed ad auerſam paginam pergo. In hac, figuram muliebrem paludatam ac ſtolatam capite nudo non reperias, vt apud Begerum, quemadmodum eam deſcribit Cl. Bandurius. Caput enim nudum non eſt, ſed diademate cinctum; veſtimenta tunica & palla. Notatu præterea dignus torques in collo & cingulum; quorum neutrum in delineatione Begeriana comparet. Victoria globo inſidens & coronam porrigens, quam figura hæc dextra tenet, eadem; verum in ſiniſtra non ſceptrum, ſed haſta, vnde duæ tæniolæ pendent. Sella inſuper longe ornatior, vt cetera taceam, quæ longum ſit omnia perſequi. Inſcriptio: GLORIA ROMANORVM. Infra: SMANH. Figuram hanc ſedentem recte Conſtantinopolim interpretatur Begerus, tametſi Fauſtinam, tertiam Conſtantii coniugem, non excludit, cuius tamen rei ratio non æque euidens atque in numis, qui cum inſcriptionem CONSTANTINOPOLEOS præferant, Conſtantini Magni vultum ſiſtunt. Ille enim ex aliis numis facile agnoſcitur; ſed Fauſtinæ non extant numi, vnde ſimile iudicium ferri poſſit. Idem Begerus, quo pacto Conſtantinopolis GLORIA ROMANORVM dici potuerit, vberius docet; deque laudibus vrbis eius lectores ad Triſtanum ablegat, ſed apud quem Conſtantini Manaſſis verſus de eadem admodum vitioſe excuſi. Tertio enim verſu eorum, qui ita ibi legitur ſine ſenſu:

Lib. XXI. c. 16. p. 226.

Lib. XVI. c. 10. p. 101.

T. II. p. 370.

T. III. p. 557.

Compend. Chronic. p. 48. Edit. Pariſ. 1655.

Ἤπιας ἀγκαλίζονται παλάμης τῆς Εὐρώπης,

legendum:

legendum:

Ἡσίως ἀγκαλίζονται παλάμαι τῆς Εὐρώπης. h. e.

[*Quam*] *iucunde amplectuntur manus Europæ.*

§. VI.

Superior numus in eadem vrbe bis, ſed diuerſa matrice expreſſus, nempe Antiochiæ, idque in officina monetaria octaua, quod arguit H in numo noſtro, in quo S. M. AN. H. h. e. *Signata, Moneta Antiochiæ in octaua.* Sequitur alius Gratiani eodem typo diuerſis in locis ſignatus. Eum enim cum litteris in area inferiori partis auerſæ TR. OBS. h. e. TR*euiris* OBS*ignata*, pridem in lucem protulit eruditiſſimus du Cange. At extat idem, aut certe non magnopere diuerſus, in gaza noſtra cum litteris AQ. OB. quæ eum AQ*uileiæ* OB*ſignatum* declarant, niſi audiendus Cl. Harduinus, qui AQ*uileiæ* AQ*uas*, h. e. Aquis granum, prout hodie dicitur, ſubſtituit, cauſſatus, neque Aquileiam, neque vllam omnino in Italia ciuitatem, extra Romam vrbem, numos Auguſtis dicaſſe. Delineationem eius, vt fidem dictis faciam, ſubiungere non abs re fuerit.

De numiſmate Gratiani.

Famil. Byzant. p. 56.

Numiſm. Secul. Conſtant. Opp. Sell. p. 438.



Caput Gratiani ſiniſtræ obuerſum, diademate ſuperiori haud disſimili, vt videtur (nam iniuria temporis id detriuit nonnihil) fulget. Inſcriptio: *Dominus Noſter* GRATIANVS *Pius Felix* AVG*uſtus*, vbi notanda peculiaris litteram G ſcribendi ratio per ϵ, virgula nempe ex C ducta, eadem fere ratione, qua in ſequioris æui monumentis Græcis τὸ E ſcriptum reperitur per ϵ. In auerſa numi parte duæ figuræ muliebres ſedentes, quarum ea, quæ dextram occupat, galeata, dextra Victoriolam cum laurea globo inſidentem, ſiniſtra haſtam tenet, ea, quæ ſiniſtram, turrito capite, dextra ſimilem Victoriolam, ſiniſtra cornucopiæ geſtat, pede non vtroque, vt apud Cl. du Cange, ſed dextro tantum proræ nauis impoſito. Inſcriptio: GLORIA ROMANORVM. Infra, vt dixi, AQ. OB. Non vtique acu rem tetigit eruditiſſimus du Cange, qui arbitratur, alteram figuram ad dextram eſſe Imperatoris paludati, alteram Romæ. Nempe ita & alibi vir optimus in typo huiusmodi explicando a vero aberrat, prout Cl. Bandurio recte obſeruatum. Neque enim dubitari poteſt, quin vtraque figura muliebris ſit, quarum altera galeata Romam, altera turrita, quæ pedem dextrum roſtro nauis imponit, Conſtantinopolim deſignat. Hæ duæ demum vrbes, vetus ac noua Roma, iuſta ac ſolida GLO-

Famil. Byzant. p. 57.

L. c. p. 570.

RIA ROMANORVM, non vna tantum Conſtantinopolis, quam ita in ſuperiori numo appellari vidimus. Magnifice de iis, nec minus vere tamen, Gregorius Nazianzenus:

De vita ſua Opp. T. II. p. 9.

Δύω μὲν οὐ δέδωκεν ἡλίους φύσις,
Δισσὰς δὲ Ῥώμας, τῆς ὅλης οἰκουμένης
Λαμπτῆρας, ἀρχαῖόν τε καὶ νέον κράτος,
Τόσον διαφέροντας ἀλλήλων, ὅσον
Τὴν μὲν προλάμπειν ἡλίου, τὴν δὲ ἑσπέρας,
Κάλλει δὲ κάλλος ἀντανίσχειν συζύγως.

quæ ita vertit interpres:

Natura quidem binos haud Soles dedit,
Dedit ipſa binas attamen (mundi faces)
Romas, vetuſtam ſcilicet Romam ac nouam?
Hoc diſcrepantes inuicem, quod, qua cadit
Sol, illa fulget, lucet hæc, qua ſe exerit,
Par vtriusque pulchritudo, par decus.

§. VII.

De numiſmate argenteo ſingulari Augusti.

Ab aureis, qui ad hunc cenſum pertinent, numis ad argenteos transeo, quos inter iure ſuo familiam ducit Auguſti numiſma rariſſimis annumerandum, quod Theſauro Fridericiano haud ita pridem e muſeo, ſiue hanc numariam ſupellectilem, ſiue bonos libros eorumque numerum æque ac ſelectum ſpectes, nulli in Germania noſtra ſecundo Gottfridi Thomaſii, quem identidem honoris cauſa appello, vnici prope harum litterarum in Germania hodie vindicis atque arbitri, vna cum aliis priſci æui reliquiis rarioribus acceſſit.



Aduerſa pars caput Diui Cæſaris Auguſti radiatum exhibet cum inſcriptione: ΘΕΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΚΡΗΤΩΝ ΕΠΙ ΚΟΡΝΗΛΙΟΥ, h. e. *Diuus Auguſtus Cretenſium ſub Cornelio*; auerſa caput Iouis barbatum cum epigraphe: ΙΕΡΑ . . . . . . ΤΑΝ. ΚΡΗΤΑΓΕΝΗΣ, h. e. *Sancta . . . . Critagenes.* Auerſa in parte omnia plana & expedita. Diuum Auguſtum Cretenſes aliis quoque numis coluere, qualis apud Vaillantium, hinc cum capite Auguſti radiato, & inſcriptione: ΘΕΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΣ, illinc cum capite Tiberii nudo & litteris: ΤΙΒΕΡΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. Cornelii alibi quoque mentio, vt in numis duobus Seguini, in quibus litteræ ΕΚΟΡΑΤ, quas ſe non intelligere ingenue

Præſtant. Num. T. II. p. 42.

Selelect. Numiſm. p. 124.

genue

genue fatetur vir eruditiſſimus, ſed eas Επὶ ΚΟΡνηλίϐ ΛΥπϐ legendas [Vaill. ad Seguin. p. 408.] eſſe alii viderunt. Eiusdem Cornelii nomen præfert numus Patini, [Harduin. Num. Antiq. Opp. Sell. p. 86.] cuius altera in parte caput Auguſti corona radiata cinctum cum epigraphe: ΘΕΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΕΛΕΥΘ. h. e. ΕΛΕΥΘερναίων in Creta, [Theſ. p. 51.] & in altera caput Tiberii laureatum cum inſcriptione: ΤΙ. ΚΑΙ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΕΧΟΡΑ corrupte perinde atque apud Occonem [p. 95.] pro Ε. ΚΟΡ. ΛΥ. vt recte animaduertit vir doctus, quem laudat Cl. Harduinus in prima operis ſui de numis vrbium editione. [p. 260.] Cognominis quidem ΛΥΠΟΥ in præſenti numo nec vola nec veſtigium apparet, quod tamen Cornelium hunc geſſiſſe, nullus dubitauerim, quando & Tacitus [Annal. Lib. XIII. c. 43.] Cornelii Lupi meminit, P. Suillii, cuius cum prænomine M. numos affert Seguinus, [L. c. p. 101.] dolo vna cum Valerio Aſiatico & Lucio Saturnino circumuenti. Eum ipſum in numo hoc deſignari Cl. Harduinus in priori operis paulo antea laudati editione affirmat, [L. c.] vbi & plura de eo reperient lectores; nam in poſteriori operibus ſelectis præmiſſa, totum illum locum reſecuit. Sed auerſa pars numi haud paulo dignior notatu, in quo caput Iouis barbatum, nempe Cretagenis, h. e. Creta geniti, vt docet inſcriptio, quæ eſt ΙΕΡΑ..... ΤΑΝ ΚΡΗΤΑΓΕΝΗΣ, quam ita ſupplendam puto: ΙΕΡΑ ΒΟΥΛΗ ΙΤΑΝΙων, ΚΡΗΤΑΓΕΝΗΣ h. e. *Sanctum concilium Itanenſium* Cretagenes. De Ἱερᾷ βȣλῇ, *Sancto concilio*, in numis Græcarum vrbium, Aſiæ inprimis, videnda, quæ eam in rem obſeruat illuſtriſſimus Spanhemius. [T. I. p. 132. ſqq.] ΙΤΑΝΙΩΝ in Creta numum & Goltzius laudat & gaza noſtra complectitur ſupra a me, [Theſ. p. 217.] cum de numis vrbium agerem, loco ſuo productum. [Cap. V. §. XXII.] Quod ad ΚΡΗΤΑΓΕΝΕΑ, *Iouem Creta genitum*, attinet, idem occurrit in rariſſimo Titi numo, qui a Triſtano pridem vulgatus [T. II. p. 250.] Lutetiæ in collegio Claromontano aſſeruatur, cuius in parte altera caput Titi cum inſcriptione, vt eam integriorem exhibet Cl. Harduinus: [De num. vrb. & pop. Opp. Sell. p. 62.] ΘΕΩ ΑΥΤΟ. ΤΙΤΩ. in altera Iupiter dextra fulmen vibrans inter ſidera ſeptem errantia, cum inſcriptione: ΖΕΥΣ ΚΡΗΤΑΓΕΝΗΣ. Ad quem numum præclara ſunt, quæ de Ioue Cretagene apud Gazæos culto, ex Stephano & Marco Diacono potiſſimum obſeruat eruditiſſimus Triſtanus. [L. c.] Sed cum is *Marnas*, qui Syris eſt *Deus hominum*, diceretur Gazæis, eorumque numi haud paulo aliam ſculpturam vulgo præferant, mirum eſt, perſuadere ſibi potuiſſe virum doctiſſimum, numum illum apud Gazæos fuiſſe percuſſum. Neque enim dubitari poteſt, quin perinde ac præſens Cretenſium ſit, Cretagenem tanto impenſius colentium, quanto honorificentius ſibi ducebant, communem ſe cum Ioue patriam incolere. Hinc in fœdere illo Latiorum atque Olontiorum notarum eiusdem inſulæ ciuitatum, iureiurando confirmato, poſt ΕΣΤΙΑΝ, *Veſtam*, primum ille locum occupat. Verba ſunt: [Reineſ. Syntagm Cl.VII. 26. p. 501.]

ΟΜΝΕΩ ΤΑΝ ΕΣΤΙΑΝ ΚΑΙ ΤΟΝ
ΖΗΝΑ ΤΟΝ ΚΡΗΤΟΓΕΝΙΑ (Scribendum ΚΡΗΤΟΓΕΝΕΑ)
κ. τ. λ. hoc eſt:

Iuro per Veſtam &
Iouem Cretagenem.

Patet vero hinc, quid ſtatuendum ſit de explicatione vocis ΚΡΗΤΑΓΕ-


Ad Plin. Lib. V. c. 13. Sect. XIV. T. I. p. 260.

ΝΗΣ in numo Titi ſupra laudato, quam Cl. Harduinus haud ita pridem protulit, qui in ſingulis litteris peculiarem ſenſum venatur, & voce ΖΕΥΣ præmiſſa, hanc ex iis ſententiam elicit: ΖΕΥΣ Καταςήσας Ῥωμαίων Ἡγεμόνα Τῖτον Ἀνθρώπων Γένει Ἔνειμεν Ὀγδόον Σέλας, h. e. *Iupiter conſtituens Romanorum Rectorem Titum humano generi dedit octauum lumen vel ſidus.* An enim in Auguſti quoque numo litteram tertiam & quartam ΗΤ, Ἡγεμόνα Τῖτον interpretabitur vir celeberrimus? Cui interpretatio de Ioue Creta genito cur diſpliceat, ſi quæras, cauſa eſt, quod habitus Iouis in laudato numo natales eius in Creta haud prodit, quod item Iouis effigies rarius occurrit in numis Cretenſium, ac denique, quod ΚΡΗΤΑΓΕΝΗΣ potius, quam ΚΡΗΤΗΓΕΝΗΣ ſcriptum eſt. Quæ quidem rationes quanti apud alios futuræ ſint ponderis, neſcio; ego quidem lubens fateor, me vim earum perſpicere non poſſe.

§. VIII.

De Numiſmate Neronis.

Neronis ſuccedat numiſma ex argento mixto conflatum.



Aduerſa pagina caput Neronis corona cinctum exhibet, cum inſcriptione: ΝΕΡΩν ΚΛΑΥδιος ΚΑΙΣαρ ΣΕβαςος ΑυτοκΡΑτωρ, h. e. *Nero Claudius Cæſar Auguſtus Imperator.* In area ad latus dextrum ΛΙΔ h. e. *anno imperii XIV.* In auerſa pagina caput muliebre velatum & epigraphe: ΗΡΑ ΑΡΓΕΙΑ, h. e. *Iuno Argiua.* Auerſam numiſmatis huius partem ære expreſſam ex Theſauris Mediceis & Pariſienſibus exhibet Ill. Spanhemius. (Ad Callimach. p. 373.) Sed præter Iunonem, Iouis coniugem, apud Argiuos ritu maxime ſolemni cultam, nihil ibi agnoſcit, vnde, velut mirabundus, obſeruat, non eſſe hic eundem huius Deæ Argiuæ habitum, quem ei tribuunt veteres Grammatici ac Pauſanias. At inde, niſi omnia me fallunt, colligere pronum erat viro ſummo, non tam hanc ipſam Deam, quam ſub eius nomine Auguſtam aliquam in numiſmate hoc expreſſam ſiſti. Id enim præterea vel ipſe aſpectus numi docet, quando capita vtriusque partis magnitudine & forma ita ſibi inuicem reſpondent, vt facile pateat, duo eiusdem generis capita hic exhiberi. Quænam vero Auguſta hoc vultu & nomine deſignetur, non eſt, quod multum disquiramus. (T. I. p. 243.) Vulgauit equidem Triſtanus numum, quo Sabinam Poppæam, alteram Neronis vxorem, ΗΡΑΝ *Iunonem* dici contendit; ſed dubitari haud immerito poteſt, non tantum, an recte legerit ſcripturam numi, ſed &, annon litteræ ΗΡ vel potius ΡΗ, vt eas in textu exhibet, aliam æque interpretationem admittant, quam &, quod ſcriptis his obſeruaui, haud paulo veriorem ſuppeditat Ill. Spanhemius. (T. II. p. 283.) Quid igitur ſupereſt, niſi vt dicamus, quod res ipſa flagitat, Liuiam vel Iuliam, prout poſt adoptationem ſui, ab Auguſto factam, appellari cœpit, ſub hoc nomine Iunonis Argiuæ latere, quando Iunonem eam non

ſcriptores

ſcriptores tantum, Ouidius inprimis ac Prudentius, ſed & numi appellant, in quibus ΗΡΑ ΛΙΒΙΑ nuncupatur. Addicit hoc caput Liuiæ ſimilitudo vultus, addicit temporis ratio, Poppæa eo tempore, quo numus hic cuſus, pridem fatis ſuis perfuncta, addicit denique ſimilium numiſmatum eodem tempore percuſſorum ratio, in quibus nunc Augusti caput, nunc Tiberii, capiti Neronis iungitur, vt adeo mirum non ſit, Neronem in ſimili numo Liuiæ vultum vna cum ſuo ſignaſſe. Cur vero ille ſub finem imperii ac vitæ Imperatorum priorum capita ſuo in numis iungenda curauerit, rationem hanc reddit Triſtanus, veritum eum, ne Senatus numos ſuos, perinde ac Caligulæ vſu venerat, fundi curaret, vultui ſuo eorum Imperatorum vultus conſociaſſe, quorum reuerentia, ne quid auderet ſimile, prohibere poſſet. Sed verſimilior eſt ratio, quam ſubiungit, Neronem memoriam familiæ Iuliæ, vnde ortus erat, cum, ſe extincto, nulla eius propago ſupereſſet, his monumentis ſeræ poſteritati commendaſſe. Numiſmatum horum mentio quoque in Hiſtoria Auguſta Cl. Harduini, qui ſingularem ex iis profert, in quo hinc caput Auguſti radiatum cum inſcriptione: ΘΕΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΣ, illinc Iuno Argiua capite radiato pariter, cum epigraphe: ΗΡΑ ΑΡΓΕΙΑ, LΙΓ & in alio LΙΔ. Vbi vir celeberrimus ſubdit: „ Sub effigie & nomi- „ ne *Iunonis Argiuæ*, Liuia Auguſta, coniux Auguſti, deſignari creditur". Similem alibi ex Occone & gaza regia Gallorum, muſeoque Collegii Claromontani commemorat, in quo tamen mulierem velato capite ipſam Iunonem Argiuam, nulla Liuiæ ratione habita, interpretatur.

Lib. III. ep. 1. Lib. I. adu. Symmach. Morell. Specim. p. 203.

L. c. p. 237.


Opp. Sell. 724.

Numiſm. Vrb. & pop. Opp. Sell. p. 27.

§. IX.

Inter argentea maximi moduli numiſmata & locum apud nos occupat ſequens didrachmus Domitiani.

De didrachmo Domitiani.



Capiti Domitiani laureato adſcripta ſunt verba: ΔΟΜΙΤΙΑΝΟϹ ΚΑΙϹΑΡ, *Domitianus Cæſar.* Auerſa pars numiſmatis Iouem exhibet ſtantem, cum patera & haſta, cui aquila inſidet. Inſcriptio: ΕΤΟΥϹ ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ Θ. h. e. *anno nouo ſacro nono.* In theſauro Mauroceno cum eodem anno reperitur numiſma Domitiani argenteum maximi itidem moduli, ſed præterea multis modis diuerſum. Inſcriptio enim aduerſæ paginæ longe amplior: ΑΥΤ. ΚΑΙϹ. ΔΟΜΙΤΙΑΝΟϹ ϹΕΒΑϹΤΟϹ ΓΕΡΜ. In auerſa aquila fulmen pedibus tenens. Epigraphe, omiſſa nota numerali: ΕΤΟΥϹ ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ ΕΝΑΤΟΥ. Quænam hæc epocha ſit ΕΤΟΥϹ ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ, non vna omnium ſententia, qui huius generis numos deſcribendos ſibi ſumſerunt. Sebaſtianus Erizzo, ſerione, aut ut aliis ridendi materiam præberet, difficile dictu eſt,

p. 17. ſq.

L. c. p. 252.

con-

contendit, æram hanc ab ædificatione templi Salomonei esse computandam. Vertit nempe ETOYC NEOY IEPOY H. Θ. *anno sacri templi*, octavo, *nono*. Excusat tamen Erizzum Cl. Haymius erroris typographici obtentu, ratus Erizzum non ab ædificatione, sed a subversione eius templi æræ huius initium repetendum duxisse, quam recte, ipse viderit. Petrus Seguinus vir lectissimi ingenii, retinet versionem hanc, sed Salomoneo templum Iouis Capitolini substituit, ratus, ab restauratione eius (conflagrauerat enim a Vitellianis accensum) epocham hanc esse institutam. Atque hanc ipsam sententiam suam, quam, explosa Erizziana, Ill. Spanhemius auctoritate non minus sua, quam rationibus propugnauit, in noua libri lectissimi editione repetendam duxit vir doctissimus, eo tamen candore, vt minime dissimularit veriorem dari, ab Henrico nempe Valesio prolatam. Is nempe verba ETOYC NEOY IEPOY interpretatur: *anno nouo sacro*, censetque, ita appellari annos imperii Vespasiani, Titi, Domitiani, Neruæque, quod rem Romanam vel restaurassent revera, vel restaurasse ab adulatoribus dicerentur. Qua quidem sententia, eruditissimis harum litterarum arbitris Vaillantio & Norisio comprobata, nouisque rationibus firmata, acquiescere sibi viri eruditi posse videbantur. Sed nouam nihilominus exprомsit celeberrimus Io. Harduinus, cui ETOYC NEOY IEPOY est *anno nouo Augusti*. Statuit enim, numos hos cusos a Cypriis esse, vt anno ineunte, Kalendis Ianuariis, Augustum, quem voce IEPOY designari arbitratur, (Ἱερὸς enim, vt contendit, Augustus & sacrosanctus) salutarent, quemadmodum in numis Hadriani, & Antonini Pii cum epigraphe: S. P. Q. R. A. N. F. F. OPTIMO PRINCIPI, *Senatus Populus Que Romanus Annum Nouum Faustum Felicem* OPTIMO PRINCIPI precatur.

T. II. Thes. Brit. p. 201.

Sel. Numism. p. 135. edit. vet.

De vs. & præst. Numism. p. 881. Edit. Amstel. 4. p. 144.

Numism. Imp. T. II. p. 96, sq. Epist. ad Toinardum in Crit. Baron. Pagii. T. I. p. 71. Hist. Aug. Opp. Sell. p. 733.

§. X.

De eodem plura.

Nouissimam omnium de hac inscriptione sententiam debemus Cl. Petro Piouenio S. I. cui Serenissimus Parmensium Placentinorumque dux, viro doctissimo, Paulo Pedrusio, e viuis erepto, thesauri sui, luculenta gazæ Foucaltinæ accessione haud ita pridem aucti, curam mandauit. Numi hi, prout ille contendit, sunt didrachmi, quos captis deletisque Hierosolymis oportuit Iudæos patriarum legum tenaces Ioui Capitolino quotannis persoluere; vnde fiscus Iudaicus ortum traxit. Inde illi argentei tantum prostant, tametsi & subæratum in gaza Farnesiana reperiri non inficiatur. Inde auersa in parte eorum vel Iupiter, vel ales eius comparet, tametsi & sunt, qui templum Veneris Paphiæ exhibent, id quod errori tribuit doctissimus vir, vel potius peculiari consilio Iudæorum Cyprum incolentium (nam ab his cusa hæc numismata statuit) quos typo eiusmodi Cypriorum beneuolentiam captasse arbitratur. Inscriptionis duas agnoscit partes, seorsim explicandas. NEOY IEPOY significat, *Templi noui*, nempe Capitolini, hanc esse monetam. ETOYC A. B. & sic porro, notat annum imperii eius Imperatoris, cuius caput aduersa in parte expressum cernitur. Hæc est sententia viri doctissimi de numis cum inscriptione: ETOYC NEOY IEPOY, cui non officere putat similem Vespasiani, in quo est: ETOYC NEOY IEPOY

T. IX. Mus. Farnes. p. 29. sqq. Xiphil. e Dione p. 748.

ΙΕΡΟΥ Α, atque adeo, ex viri doctiſſimi ſententia, annus imperii Veſpaſiani primus, vnde manifeſtum redditur, didrachmum Iudaicum eum numum eſſe non poſſe, quem pendere anno demum ſecundo Veſpaſiani gens recutita cœpit. Contendit enim primo fieri potuiſſe, vt tributum illud, anno ſecundo Veſpaſiani impoſitum, vel Titi iuſſu, vel ſponte etiam, in annum præcedentem ſoluerint Iudæi; deinde eſſe qui ſtatuant, didrachmum iam a Pompeii & Auguſti inde tempore exigi a Iudæis cœpiſſe; hoc ſi ita ſit, qui ſuperiori anno, quo bello Iudaico ardebant omnia, tributum illud pendere haud potuerint, id finito illo, ſecundo nempe Veſpaſiani anno, ſoluiſſe; ita tamen, vt primum Veſpaſiani annum didrachmis a ſe oblatis inſcripſerint. Sententia hac admiſſa, non mirandum eſſe arbitratur, cur ſimilia numiſmata ſub Traiano & ſequentibus imperatoribus cuſa nulla occurrant, ſed deſinant Neruæ temporibus. Neruam enim, id quod præclari numi teſtimonio conſtat, FISCI IVDAICI CALVMNIAM SVSTVLISSE, hoc eſt, vt ille interpretatur, *tributum hoc Iudæis remiſiſſe.* Hæc viri docti de numis cum inſcriptione: ΕΤΟΥϹ ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ, ex quibus Cl. Piouenii ſententiam paulo vberius exponendam duxi, vt, de ea quid ſtatuendum ſit, facilius pateat. Mihi quidem illa grauiſſimis laborare difficultatibus videtur. Vnde euincet vnquam vir doctiſſimus, Iudæos didrachmum vt penderent Romanis, peculiaria numiſmata percuſſiſſe? Romanine ea poſtulabant, an Iudæi ſponte obtulerunt? Prius affirmare eſt fingere, cuius nec vola nec veſtigium apud ſcriptores reperitur: poſterius nullo modo credibile. An enim Iudæi ſuæ, aut potius omnis religionis ita obliuiſcerentur, vt fictitia numina eorumue templa numis inſculperent? Penderentne tributum patrii cultus retinendi cauſa, eodemque tempore patrios ritus legesque turpiter migrarent? Idemne tributum duobus denariis Romanis, qui tantundem valent ac didrachmus, repræſentatum, Romani repudiaſſent? Epigraphen vero ΕΤΟΥϹ ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ Α. Β. κ. τ. λ. vno nexu ſcriptam quis perſuaderi ſibi vnquam patietur, ita accipi poſſe, vt extremæ eius partes ΕΤΟΥϹ Α. Β. κ. τ. λ. *annum imperii I. II.* reliqua; & mediæ ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ *monetam noui templi* notent? Quis credat tributum recens impoſitum in annum præterlapſum vel Iudæos ſoluiſſe, vel poſtulaſſe Romanos? Nam didrachmum hunc Iudæos, tametſi ab aliis haud quaquam tributis immunes, antea ſoluiſſe, non, puto, affirmabit vir doctiſſimus, ſiquidem fidem habendam arbitratur Dioni, qui vbi de Veſpaſiano agit ἀπ' ἐκείνου, inquit, δίδραχμον ἐτάχθη τοὺς τὰ πάτρια αὐ- L. c. p. 748.
τῶν ἔθη περιστέλλοντας τῷ Καπιτωλίῳ Διῒ κατ' ἔτος ἀποφέρειν, h. e. *ab illo tempore ſancitum fuit, vt ii, qui patrios mores amplecterentur, Ioui Capitolino quotannis didrachmum penderent.* FISCI autem IVDAICI CALVMNIAM, vt eſt in veteri numo, SVBLATAM a Nerua non euincere, id quod perſuadet ſibi vir doctiſſimus, didrachmum Iudæos Neruæ temporibus non amplius ſoluiſſe, facile intelliget, vbi, quæ Ill. Spanhemius de numo hoc Neruæ commentatur, paulo dili- L. c. T. I.
gentius ſecum expenderit, neque adeo inde colorem ſententiæ ſuæ quæ- p. 570. ſq.
ret, quod ea demum, cur nulli huius generis numi reperiantur poſt Neruam, reddat rationem.

§. XI.

Eiusdem argumenti continuatio.

Quod ad me attinet, ſuum equidem iudicium cuique facile relinquo; fateor tamen, Valeſianam ſententiam, quam viri in his litteris principes, Vaillantius & Noriſius, calculo ſuo haud indignam cenſuere, ceteris omnibus videri præferendam. Nempe ΕΤΟΥϹ ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ Α. Β. κ. τ. λ. eſt *anno nouo ſacro primo, ſecundo*, reliqua. Coniunctim enim hæc, prout vna ſerie ſculpta ſunt, accipienda eſſe, res ipſa loquitur. Anni autem Imperatorum Veſpaſiani, Titi & reliquorum *noui* dicuntur, eadem ratione, qua GLORIA NOVI SAECVLI in numis Gratiani commendatur; *ſacri*, h. e. cum aliqua generis humani vtilitate coniuncti, frugiferi; ita enim criticos veteres vocem ἱερὸς explicare obſeruat Ill. Spanhemius, qui & ex iisdem docet, epitheton hoc aliquando ſolius ornatus gratia adhiberi. Aliam ob cauſam ſacros dictos annos Flauiorum Neruæque arbitratur Cl. Haymius, nempe propter euerſum templum Hieroſolymitanum, religionemque Iudæorum hoc pacto quodammodo extirpatam. Dictos vero ita eſſe a vicinis Syriæ & Phœniciæ ciuitatibus, quibus, vt cenſet, omnia huius generis numiſmata debentur, quod ii religionem Iudæorum deteſtarentur, quodque, oppreſſa illa, cultui Deorum ſuorum nouum robur acceſſurum ſperarent. Sed prout haud facile euicerit, hæc numiſmata in vna Syria Phœniciaque cuſa fuiſſe, quandoquidem dubitari vix poteſt, quin illud, in quo templum Veneris Paphiæ ſculptum cernitur, Cyprii percuſſerint; ita minus attendiſſe videtur vir optimus, cum anni imperii Imperatorum Veſpaſiani, Titi, Domitiani Neruæque numero addito haud dubie deſignentur, extare tamen nummum Veſpaſiani cum inſcriptione: ΕΤΟΥϹ ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ Α. h. e. *anno nouo ſacro primo.* At hoc Veſpaſiani anno ſtabat adhuc ædes cum vrbe Hieroſolymitana, ſequenti demum anno euerſa, vnde eius rei in epigraphe hac ratio haberi nulla potuit. Præterea ſi huc animum intendebant, qui numiſmata hæc cuderunt, cur epocham hanc ſuam toties interrupere, quoties nouus Imperator gubernacula reipublicæ capeſſiuit, quam longe rectius ſub diuerſis etiam Imperatoribus continuaſſent? Sed ſatis dictum de Valeſiana hac ſententia, cui parum obeſt, niſi fallor, quod admiſſa illa, non ſatis patet, cur Traiani optimi Imperatoris numi cum ſimili inſcriptione nulli reperiantur, quo telo, vt ceteras, ita & hanc ſententiam iugulare conatur Cl. Piouenius. Poteſt enim ignota eſſe huius rei ratio, vt multa nos in huiusmodi monumentis hodie fugiunt. Poteſt & fieri, vt hanc annos imperii numerandi rationem, quod in Domitiano, peſſimo Imperatore, euiluerat, vrbes, quæ ea vti conſueuerant, transferre ad imperium Traiani feliciſſimum noluerint.

L. c. T. I. p. 661.

Teſor. Britann. T. II. p. 200. ſq.

§. XII.

De numiſmate Conſtantii.

Conſtantii, Conſtantini & Fauſtæ filii natu ſecundi, numiſmata argentea maximæ molis, quorum auerſa in parte ille TRIVMFATOR

TOR GENTIVM BARBARARVM dicitur, produxerunt Patinus & Begerus, quæ vna cum similibus more suo perquam diligenter recenset Cl. Bandurius. Ab iis diuersum thesaurus noster seruat, vnde eius ectypum subiungo. Thes. p. 95. L. c. T. III. p. 187. L. c. T. II. p. 375.



Caput Constantii, corona ex lauro & gemmis ornatum, prominet ad pectus vsque cum paludamento. Inscriptio: FL*auius* IVL*ius* CONSTANTIVS PIVS FELIX AVG*ustus*. In auersa numismatis parte idem Imperator paludatus stans, dextra labarum (in quo non monogramma Christi, sed laurea) sinistra globum tenet. Epigraphe: TRIVMFATOR GENTIVM BARBARARVM. Infra TR. Cl. Bandurius ad hæc numismata ita commentatur: „ Hæc L. c. „ epigraphe in Constante primo occurrit, in quem magis conueniebat, „ quam in hunc Principem; nam, vt iam monuimus, bellum admo„ dum iniquum aduersus Persas gessit, in eoque propius victo fuit, „ quam victori". Quibus verbis in sententiam Archæophili apud Begerum concedit vir clarissimus, statuentis, „ cum huius numismatis L. c. „ auersa pagina Constanti propria eiusque meritis conueniens sit, ean„ dem Constantio (Constantino perperam legitur) non nisi honoris „ gratia esse tributam". Sed vero, si non Persas, tamen alias barbaras gentes deuicit Constantius, vt recte monuit Cl. Begerus, titulumque adeo TRIVMFATORIS BARBARARVM GENTIVM iure meritoque sibi vindicare potuit. Audiamus ipsum eum post impetratum secundo Sarmatici titulum, ita legiones suas alloquentem: *Visis terris hostilibus & calcatis, obstinatis ad mortem animis conatos* Ammian. Lib. XIII. c. 13. *resistere Sarmatas absque nostrorum dispendio strauimus: parique petulantia ruentes in agmina nobilium legionum Quados, Sarmatis adiumenta ferentes, attriuimus, qui post ærumnosa dispendia inter discursus & repugnandi minaces halitus, quid nostra virtus valeat, experti, manus ad dimicandum paratas, armorum abiecto molimine, pone terga vinxerunt: restareque solam salutem contemplantes in precibus, affusi sunt vestigiis Augusti clementis, cuius prælia sæpe compererant exitus habuisse felices. His sequestratis Limigantes quoque fortitudine superauimus pari: interfectisque pluribus alios periculi declinatio adegit suffugia petere latebrarum palustrium*, & quæ sequuntur. Ceterum hoc æuo recepta demum videtur in numis orthographia, vt TRIVMFATOR pro TRIVMPHATOR scriberetur. Quos enim priorum temporum numos cum eadem F pro PH scribendi ratione laudat Ill. Spanhemius, ii, vno forte Philipporum, in quo II MM CC F FILIPPVS AVGG, excepto, suspicione non carent.

p. 176. carent. Domitiani enim numum apud Occonem, in quo: IOVI IVVENI TRIVMMFATORI, ita exhibet Mediobarbus: IOVI IVVENI TRIVMPHATORI, neque in Numeriani numiſma-
Numiſm. præſtant. T. I. p. 243. te æreo maximi moduli, quod Cl. Vaillantius deſcribit, legitur, TRIVMFVS QVAD. tametſi hanc eius inſcriptionem ex ſimili numiſmate Chriſtinæ, Suecorum reginæ, affert vir ſummus, ſed TRIVMPHVS QVADORVM, quo pacto & inſcriptionem hanc
L. c. T. I. p. 516. Cl. Bandurius repræſentauit, tametſi idem inter numiſmata ærea incerti moduli etiam Spanhemianam ex Mediobarbo epigraphen huius
L. c. p. 525. numi repetendam duxit.

§. XIII.

De numiſmate æreo Commodi Græco. Spec. T. I. II. III. Sed pergo ad numiſmata ærea, quorum aliquot, cum potior gazæ huius pars Arnſtadii adhuc deliteſceret, iam protulit Morellius. Ex reliquis primum ſibi locum iure quodam ſuo depoſcit ſequens Commodi, cuius contemplatio harum deliciarum cupidos haud exigua, vt ſpero, voluptate perfundet.



Commodi caput laureatum ad pectus vſque prominet; Inſcriptio: ΑΥτοκράτωρ ΚΑΙσαρ Μάρκος ΑΥΡΗλιος ΛΥκιος ΚΟΜΜΟΔΟC, h. e. *Imperator Cæſar Marcus Aurelius Lucius Commodus.* Auerſa in parte a dextra ſtat

——— ——— ——— rex diuitis agri
Cyzicus,

Argonaut. Lib. II. ſub. fin. vt eum appellat Valerius Flaccus, Euſori filius, qui Argonautas liberali hoſpitio excepit, a quo dimiſſi illi, cum tempeſtate oborta noctu præter opinionem rediiſſent, pro Pelasgis habitos Cyzicus oppugnauit, ſed inferior diſceſſit ab Iaſone interfectus, qua de re videndi Mythologi. Eum in numo Antonini Pii, iuxta cum Epheſo, vnde Ephe-
L. c. p. 116. ſq. ſiorum vrbi nomen, videre ſibi videbatur Cl. Morellius noſter; ſed figuras illas duos Ioues, alterum Epheſium, alterum Cyzicenum Cl.

Vail-

Vaillantius potiori, vt videtur, iure interpretatur. Haud paulo certe alio eum habitu numiſma præſens exhibet, in quo ille non nudus cum haſta, ſed veſtitus Græco more comparet. Ab eo vrbi Cyzico nomen, quod Mela teſtatur. *Trans amnem*, inquit, *ſedet in ceruice peninſulæ Cyzicum: Nomen Cyzicus indidit.* Ipſa vrbs Straboni inprimis laudata, antiquior, de qua Flaccus, paulo ante ſuperiora, ſed ſine nomine: L. c. c. 19. L. c.

Nec procul ad tenuis ſurgit confinia ponti
Vrbs placidis demiſſa iugis.

Ouidius quidem: Triſt. L. I. 9.

Cyzicon Hæmoniæ nobile gentis opus

appellat; oppidum Mileſiorum, Strabonem, qui inter colonias Mileſiorum Cyzicum recenſet, ſecutus Plinius, quo teſte, id antea vocitatum *Arctonneſos* & *Dolionis* & *Dindymis*. A dextra ſtat Smyrna Amazon, bipenni clypeoque armata, quo habitu Amazones nobis antiqua monumenta exhibent, vnde Smyrna vrbs nomen traxit, quam ab Amazone conditam affirmat Plinius. Stantes vero dextras iungunt concordiæ, quæ inter Cyzicum & Smyrnam intercedebat, innuendæ cauſa. Vnde, vt ſua illis adſcripta cernuntur nomina: ΚΥΖΙΚΟϹ, ϹΜΥΡΝΑ, h. e. *Cyzicus*, *Smyrna*, ita infra comparet vox: ΟΜΟΝΟΙΑ, h. e. *Concordia.* Smyrnam ſub Aurelio & Commodo ingens terræ motus vna cum omnibus ornamentis ſubuerterat, ſed cum eorundem Imperatorum munificentia, tum impenſo Græcarum in Aſia ciuitatum ſtudio & ſumtibus mox pulchrior reſurrexit, quod ex Ariſtide pluribus oſtendit Ill. Spanhemius. Prætoris nomen exeſum eſt iniuria temporis; ſupereſt tamen, ita, vt ſatis clare legi poſſit, ΕΠΙ ϹΤΡΑΤΗΓΟΥ . . . . ΚΥΙΝΤΟΥ ΜΑΞΙΜΟΥ. Exhibet Cl. Vaillantius ſimile Commodi numiſma ex gaza Foucaltina, cuius auerſa in parte duæ mulieres ſtolatæ & turritæ coronam Commodo porrigunt, cum epigraphe adſcripta: ΕΠΙ ϹΤΡΑ. ΝΑΙΒ. ΚΟΥΙΝΤΟΥ ϹΜΥΡΝΑ ΚΥΖΙΚΟϹ, quod Cl. Vaillantius vertit: *Sub Prætore Næuio Quinti F. Smyrna Cyzicus.* Ex hac inſcriptione ſupplenda haud dubie noſtra eſt, quæ tamen Næuium non tantum Quinti filium, ſed Maximum appellat, quod cognomen eius in numiſmate Foucaltinæ quondam, hodie Parmenſis gazæ deſideratur. Lib. XIV. p. 941. H. N. Lib. V. c. 32. ſect. XL. T. II. p. 289. T. I. p. 649. ſq. L. c. p. 74.

§. XIV.

Eiusdem Commodi Imperatoris aliud numiſma adhuc non obſeruatum antiquariis ſubiicio, quod Cyziceni ei conſecrarunt. *De alio eiusdem Imperatoris.*



Aduerſa in parte caput Commodi imberbe, laurea cinctum. Inſcriptio: ΑΥΤοκράτωρ ΚΑΙσαρ Λούκιος ΑΥΡήλιος ΚΟΜΜΟΔΟC ΓΕΡμάνικος, h. e. *Imperator Cæſar Lucius Aurelius Commodus Germanicus.* Auerſa numiſmatis pars raptum Proſerpinæ ob oculos ponit, Plutone in quadrigis tenente eam, incitatoque maiorem in modum equorum curſu ad inferorum regiam feſtinante. Infra, Proſerpinæ quaſillus, vel calathus, vt videtur, quo flores in pratis Hennenſibus colligentem cum ſociis Pluto rapuit. Epigraphe: ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ ΝΕΟΚΟΡΩΝ, h. e. *Cyzicenis Neocoris.* Raptum Proſerpinæ in numo Cyzicenorum expreſſum cerni non mirum. Probe enim Cl. Harduinus ad numum ſimilem Aurelii, „ Deam eſſe Cyzicenorum Proſerpinam & apud ſcriptores tralatitium „ eſt, & numi clamant". Raptus illius admodum frequenter in numis vrbium Aſiæ proconſularis expreſſus cernitur. Teſtes Σαρδιανῶν, Νυσαέων, Ἱεραπολειτῶν, Τραλλιανῶν, Μιδαέων, Ὀρθωσιέων, Ἑρμοκαπηλείτων, Ἑρμοπολείτων, Κυζικηνῶν, Θυατειρηνῶν, Ιελιέων, Γορδηνῶν, Μαγνήτων, Κασάτων, & plures forte aliorum numi, quos Cl. Vaillantius in præclaro opere de Numis Imperatorum Græcis enumerat. Cauſa eius rei, iudice Ill. Spanhemio, quod Græci Aſiatici ſibi perſuaſere, in patria ſua raptum eum contigiſſe. Neque enim Siciliæ, aut circa Hennam in illa inſula locis raptæ huius a Dite virginis ſcenam tribui, ſed modo Atticæ, modo Argolidi, modo Cylleni, monti Arcadiæ, adſcribi præclare obſeruat, vnde eandem in ipſam etiam Aſiam transferre haud veretur, Charoniumque antrum in Lydia prope Nyſam in ſubſidium vocat, cui raptum eum aſſignatum fuiſſe ab Aſiaticis tanto veriſimilius cenſet, quod templum ibi Plutonis & Proſerpinæ, lucumque & annuas πανεγύρεις fuiſſe, Strabo memoriæ prodidit, quodque numus Νυσαέων ΘΕΟΓΑΜΙΑ ΟΙΚΟΥΜΕΝΙΚΑ, h. e. *ſolennia in memoriam nuptiarum Plutonis & Proſerpinæ totius orbis concurſu peracta*, repræſentat. De qua ſententia viri illuſtris exiſtimet quisque, vt volet. Id certum, potuiſſe Proſerpinam ab his populis coli, potuiſſe celebrari ΘΕΟΓΑΜΙΑ eius, quamuis opinione ea de raptu illius, in patria ſua potius, quam Sicilia peracto, non imbutis. Ceterum ΝΕΟΚΟΡΟΥC ſe appellant Cyziceni in hoc numiſmate, qui titulus Cyzicenorum cum in numis Hadriani primum obſeruetur, coniectat Vaillantius, ei Imperatori dignitatem hanc eos primum acceptam retuliſſe. Vox ΝΕΟΚΟΡΟC ſecunda ſyllaba per Ο ſcribitur, non Ω, quod vſus fert communis, obſeruatque Cl. Haymius, ſe eam perpetuo ſcriptam hoc pacto in numis Cyzicenorum offendiſſe.

De num. Vrb. & pop. p. 88. Opp. Sell. conf. ſupra Cap. V. §. XXIV.

Ad Callimach. p. 667.

Lib. XIV. p. 649. Conf. Spanh. Epiſt. II. Specim. Morell. ſubiunctam p. 100. ſqq.

Num. Græc. p. 218.

Teſ. Britann. T. II. p. 8.

§. XV. Duo

§. XV.

Duo Græca Commodi numiſmata ſequatur Latinum, cuius auerſam partem deſcriptam ex Indice Cauotortæ dedit Mediobarbus. Sed quod hæc ipſa numos ex catalogis recenſendi ratio haud iniuria minus probatur viris doctis, prætereaque ex Mediobarbo, maximine ſit moduli numiſma, haud apparet, illud ipſum ad fidem archetypi expreſſum ſpectaſſe operæ pretium, ſpero, fuerit. *De alio numiſmate eiusdem.* P. 251.



Capiti laureato Commodi addita eſt inſcriptio: M*arcus* COMMODVS ANTONINVS PIVS FELIX AVG*uſtus* BRIT*annicus*. Auerſa pars Romam galeatam & ſeminudam exhibet, ſedentem ad clypeum, dextra Victoriolam, ſiniſtra haſtam tenente. Epigraphe: P*ontifex* M*aximus* TR*ibunitia* P*oteſtate* XI. IMP*erator* VII. CO*n*S*ul* V. P*ater* P*atriæ*. Cuſum eſt numiſma A. V. DCCCCXXXIX, quo Commodus Conſulatum V. vna cum M. Acilio Glabrione iniit, cuius proceſſum Conſularem quadrigarum, quibus nouus conſul cum ſcipione eburneo inſiſtit, ſymbolo expreſſum cernas in alio eiusdem moduli numo ſupellectilis olim Ill. Abb. de Camps, hodie Etreëſianæ. Num. Abb. de Camps. p. 47. Refert ad eundem annum Mediobarbus, & ex eo Pagius, numum cum epigraphe auerſæ partis: P. M. TR. P. XI. IMP. VIII. COS. VI. P. P. S. C. PROVID. AVG & typo nauigii velis inſtructi, L. c. Pag. L. c. T. I. p. 179. ſed absque remis, interpretaturque de claſſe Africana inſtituta. Cuius numi inſcriptio, tametſi ita & Vaillantius eam exhibet, perperam vtique Commodum COS. VI. appellat. Præſtant. numiſm. T. I. p. 216. Sextus enim Commodi conſulatus non in decimam tertiam, ſed decimam quintam eius tribunitiam poteſtatem incidit, vnde pro COS VI. ſcribendum V. prout etiam in ſimili & regiæ gazæ & Foucaltinæ, hodie Farneſianæ, Cl. Harduino teſte, legitur. Idem vir doctiſſimus obſeruat „ eſſe plerosque Commodi ex ære maximo numos adulterinos, fictos ab Antiquariis imperitis, ad pecuniam virorum illuſtrium emungendam, ad hiſtoriam & Chronologiam perturbandam, ad multiplicem figendam crucem eruditis". Hiſt. Aug. Opp. Sell. p. 790. Ex horum numero præſens ac ſuperiora duo Commodi numiſmata non eſſe, vel primus eorum adſpectus docet; adeo omnes in iis γνησιότητος notæ conſpirant.

§. XVI. Idem

§. XVI.

De numismate Seueri
L. c. p. 165.

Idem Cl. Harduinus ex thesauro regio Gallorum Seueri ex ære maximo numisma commemorat, in quo altera ex parte Seuerum capite radiato cum inscriptione: ΑΥ. ΚΑΙCΑΡ. CΕΠΤ. CΕΟΥΗΡΟC ΠΕΡ. CΕΒ. Π. Π. ex altera Victoriam cum palma regentem quadrigas cerni ait, addita epigraphe: ΑΔΡ. CΕΥΗΡΗΑΝΗC ΤΑΡCΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩC. Γ. Β. Simile inter maximi moduli numismata Ill. Abbatis de Camps exhibuit Cl. Vaillantius. Ab vtroque recedit geminum numisma gazæ Fridericianæ:

p. 59.



Capiti laureato Seueri, ad pectus vsque expresso, addita est inscriptio: ΑΥΤοκράτωρ ΚΑΙσαρ Λέυκιος CΕΠτίμιος CΕΥΗΡΟC ΠΕΡΤιναξ Πατὴρ Πατρίδος, h. e. *Imperator Cæsar Lucius Septimus Seuerus Pertinax Pater Patriæ.* Auersa in parte Victoria in quadrigis cum inscriptione: ΑΔΡιανῆς CΕΥΗΡΙΑΝΗC ΤΑΡCΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩC Γράμματι Βυλῆς, h. e. *Hadrianæ Seuerianæ Tarsi Metropoleos Decreto Senatus.* Dubitari non potest, quin numo hoc respiciatur ad victoriam, qua Seueri copiæ, cum Pescennio Nigro ad Pylas Cilicias congressæ, superiores discesserunt, & cuius causa Tarsenses ΕΠΙΝΕΙΚΙΑ celebrasse patet e numismate Seueri ab iisdem cuso, cuius in auersa parte vrna cum inscriptione: ΑΔΡ. CΕΥΗΡΙΑΝΗC ΤΑΡCΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩC ΕΝ ΚΟΔΡΕΙΓΑΙC CΕΥΗΡΙΑ ΟΛΥΜΠΙΑ ΕΠΙΝΕΙΚΙΑ ΟΡΟΙC ΚΙΛΙΚΩΝ. h. e. *Hadrianæ Seuerianæ Metropoleos in quadrigis Seueriana Olympia victricia intra terminos Ciliciæ*, vt vertit Vaillantius, vel vt alibi idem postrema reddit: *Seuerea Epinicia ad fines Cilicum.* Numus hic pridem ex regia Gallorum gaza vulgatus prostat in Spanhemianis ad Morellium epistolis, cui postea similem ex penu sua vna cum eodem descripsit Vaillantius, docuitque legi in auersa parte: CΕΥΗΡΙΑ ΟΛΥΜΠΙΑ ΕΠΙΝΕΙΚΙΑ. In ambitu ΑΔΡ. CΕΒ. ΤΑΡ. ΕΝ ΚΟΔΡΕΙ: infra ΓΑΙC ΑΜΚ Γ. Β. In corona ΟΡΟΙC ΚΙΛΙΚΩΝ. De quibus quidem numis qui legerit, quæ Ill. Spanhemius ad prioris illustrationem congessit, viri summi ingenium & eruditionem iure meritoque suspiciet, nec vitio ei vertet, quod lectionem veram litterarum ΕΝ ΚΟΔΡΕΙΓΑΙC, pro quibus in Morelliano ectypo fuerat ΕΝ ΚΟΔΡΙΓΕC, assequi non potuit. Duo tamen in iisdem numis vberiorem explanationem requirere videntur. Alterum est, quid sibi velint verba: ΟΡΟΙC ΚΙΛΙΚΩΝ. Ill. Spanhemius ea refert ad vocem ΕΠΙΝΕΙΚΙΑ, vertitque *Epinicia* (seu in victoriæ memoriam)

Dio. Lib. XXI. p. 843.

Numism. Græc. p. 88. conf. p. 334.

Spanh. Ep. ad Morell. V. subiecta Specimini vniuers. rei num. p. 267.

L. c.

L. c. p. 300.

moriam) *in finibus Cilicum*, putatque respici *ad Cilicias Pylas seu portas*, ad quas victoriam de Pescennio Nigro Seueri duces retulisse Dio testatur. Lib. LXXIV. p. 843. Spanhemium sequitur Vaillantius, qui, „ad Olympia, inquit, L. c. p. 352. „ certamina videtur spectare numus, quæ in Seueri honorem ideo *Se-* „ *uerea*, & victoriam, quam reportauit de Pescennio, vnde Epinicia, „ ad Cilicias portas, ideo ὅροις Κιλίκων, *in finibus Cilicum*, quasi aliud tro- „ phæum, cum eodem loco Alexander Darium vicisset". Ex quibus postrema verba nonnihil impedita & hiulca, vt fluere fere impura solet viri ceteroqui doctissimi oratio, alibi clarius ita effert. „ Quasi L. c. p. 340. „ esset Alexander, qui Darium vicerat, locum eundem, vbi Pescen- „ nium fugauit, exprimere voluit: ΕΠΙΝΕΙΚΙΑ ΟΡΟΙC ΚΙΛΙΚΩΝ. Quam interpretationem, quæ nescio quid contorti habet, & exemplis destituitur, non miror displicuisse Cl. Harduino, qui ΟΡΟΙC ΚΙΛΙΚΩΝ vertit: *legibus Cilicum*, vt sensus sit, certamina illa peculiaribus Cilicum legibus peracta esse. Sed annon & ΣΕΥΗΡΕΙΑ ΟΛΥΜΠΙΑ ΕΠΙΝΕΙΚΙΑ ΟΡΟΙC ΚΙΛΙΚΩΝ dici simpliciter potuere, Certamina Seueriana Olympia Epinicia in finibus Cilicum celebrata, voce ΟΡΟΙC sensu latiori accepta, quo quicquid in Cilicia gestum est, in finibus eorum gestum dicitur? Nam si verbis illis respiceretur ad locum, in quo, fuso Nigro, victoriam Seueriani reportarunt, cur voce ΠΥΛΑΙC illi propria Tarsenses sese abstinuissent, alia ambigua ei substituta, qua & alii fines Ciliciæ, quam ad quos pugna inter Nigri & Seueri copias commissa est, intelligi possunt? Firmat hanc interpretationem numus Augusti e museo Francisci Gottofredi, quem laudat Vaillantius, in quo: Num. Gr. p. 6. ΤΑΡΣΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ, & in frontispicio templi: ΟΡΕΟΙΣ ΚΙΛΙΚΙΑΣ, pro quo Ill. Spanhemius reponit: ΟΡΟΙΣ ΚΙΛΙΚΙΑΣ, quod T. I. p. 590. reddendum: *Tarsi Metropoleos*, non *Montanis Ciliciæ*, cum Vaillantio, sed *in finibus Ciliciæ*, vt idem ille obseruat. Alterum eorum, quod maiori luce in his numismatum inscriptionibus indigere puto, sunt litteræ: ΕΝ ΚΟΔΡΕΙΓΑΙC, quæ, cur additæ sint, haud immerito quærit Vaillantius, putatque indicari, Seuerum ipsum quadrigis victorem L. c. p. 340. euasisse. Sed vnde constat, ipsum his ludis interfuisse Seuerum? An igitur forte ratio, quod, Dione teste, sub Imperatoribus equestria Lib. II. c. 29. certamina, idque ex consilio Mæcenatis, vulgo haud licuit, nisi Romæ, instituere. Ἐχέτωσαν, inquit ille apud Dionem, πανηγύρεις καὶ θεωρίας τινὰς Lib. LII. p. 485. χωρὶς τῆς ἱπποδρομίας τῆς παρ᾽ ἡμῖν ποιουμένης; h. e. *Ludos & spectacula quædam habeant, excepto nostro equestri certamine.* Et paulo inferius: Τὰς ἱπποδρομίας, τὰς ἄνευ τῶν γυμνικῶν ἀγώνων ἐπιτελουμένας οὐχ ἡγοῦμαι δεῖν ἄλλῃ τινὶ πόλει ποιεῖν ἐπιτρέπειν· Ὅπως μήτε χρήματα παμπληθῆ εἰκῇ διαπολλύηται, μήθ᾽ οἱ ἄνθρωποι κακῶς ἐκμαίνωνται, καὶ τὸ μέγιστον, ἵνα οἱ στρατευόμενοι τοῖς ἀρίστοις ἵπποις ἀφθόνως χρῆσθαι ἔχωσι. Τοῦτο μὲν δὴ διὰ ταῦτα ἀπαγορεύω παντάπασι μηδαμόθι ἄλλοθι, πλὴν ἐνταῦθα γίγνεσθαι. h. e. *Ludos equestres, qui sine gymnicis certaminibus fiunt*, (pro certaminibus mallet Faber, voce ἀντὶ pro ἄνευ re- Agonist. Lib. II. c. 29. scripta) *nulli alii vrbi exhibendos censeo, ne vel multæ pecuniæ abs re in-* T. VIII. Antiqu. Græc. *sumantur, vel homines ad malum furorem exagitentur, ac præcipue ideo, vt* p. 2068. *militantibus copia optimorum equorum sufficiat. Hi itaque ludi non alibi, quam Romæ edi debent.* Hinc facultatem eorum celebrandorum peculiari indultu nacti Tarsenses, quibus numis celebrata a se Seueria Olympia Epinicia testantur, iisdem forte declarant, præter morem quadrigis ea se peregisse.

 §. XVII. Se-

§. XVII.

De numismate Caracallæ. Seueria Olympia Epinicia in Seueri numo, tametſi id obiter tantum, neque enim ille ipſe in gaza noſtra reperitur, vidimus. Alexandria
Numiſm. max. mod. Abb. de Camps. p. 85. Græc. p. 113. Theſ. Brit. Vol. II. p. 243. Tab. 15. Pythia in filii Antonini numis expreſſa cernuntur. Adductis a Vaillantio & Haymio addas liceat maximæ molis numiſma æneum, quod gazam noſtram ornat.



Antonini Caracallæ caput laurea cinctum comparet ad pectus vſque. Vultus per omnia ſæuus, frons caperata, & crudelitatis index, *βλέμμα δριμὺς*, *aſpectus truculentus*, quali Getæ e medio ſublati amicos tremen-
Lib. IV. c. 11. p. 150. tes pallentesque ea de cauſa, vt Herodianus docet, intuebatur, labia exſerta, barba hirſuta. Pectus, cetera nudum, munit, vt videtur, θώραξ λινοῦς τρίμιτος, *thorax ex lino triplex*, quo eum velut alterum
Lib. XXII. p. 873. Alexandrum vſum Dio tradit. Inſcriptio: ΑΥΤοκράτωρ Καίσαρ Μάρκος ΑΥΡήλιος CΕΥΗρος ΑΝΤΩΝΕΙΝΟC, h. e. *Imperator Cæſar Marcus Aurelius Seuerus Antoninus.* In aduerſa idem Imperator equo incitato barbarum proſternens cernitur; Epigraphe: ΚΟΙΝΟΝ ΘΡΑΚΩΝ ΑΛΕΞΑΝδρεια ΠΥΘΙΑ ΕΝ ΦΙΛΙΠΠΟπόλει, h. e. *Commune Thracum Alexandrea Pythia Philippopoli.* Alexandrea Pythia certamina quænam ſint, in laudatis nobis ſæpius epiſtolis luculenter docuit Ill. Spanhemius. In aliis apud
L. c. Vaillantium numis Philippopolitarum Alexandrea vna voce appellantur, quæ non Philippopoli tantum celebrabantur quondam, neque in vnius
L. c. p. 574. Caracallæ, quem φιλαλεξανδρότατον appellat Dio, gratiam, ſed & alibi, Byzantii nempe & Odeſſi ſub Gordiano, & multo ante ὑπὸ τοῦ Κοινοῦ Ἰώνων, *a communi Ionum* (vt hic a Communi Thracum) in Ionia ad lucum Alexandro conſecratum ſupra Clazomenios Chalcidenſes, prout
Lib. XIV. p. 644. Strabo teſtatur. Cuiusmodi hæc certamina fuerint, vox ΠΥΘΙΑ, vt in aliis, ita & in noſtro numiſmate addita, declarat, vnde conſtat Pythia fuiſſe, perinde atque in Ancyranorum numis, qui ΑΣΚΛΗΠΙΑ ΣΩΤΕΙΡΕΙΑ, h. e. *Ludos Aeſculapii Seruatoris* exhibent, ex vocibus adiectis ΙCΘ. ΠΥΘΙΑ patet, *Iſthmios* ac *Pythios* fuiſſe. Nempe alibi quoque, quam Delphis, neque in vnius Apollinis, tametſi ei, vt vulgo notum, & originem & nomen debent, ſed alius quoque ſubinde Dei,
L. c. p. 12. aut heroïs honorem celebrata fuiſſe Pythia, Ill. Spanhemius demonſtrat,
L. c. p. 339. cui præclare de hoc argumento obſeruata ſi expendiſſet Cl. Vaillantius, non ſcripſiſſet, Philippopolitas Alexandrea a ſe in Alexandri honorem edita,

edita, cum Pythiis coniunxisse. Pythia vero cum fuerint hæc Alexandrea certamina, vltro iam patet, quod docet idem vir summus toties nobis laudatus, præcipuam eorum celebritatem musicis agonibus constitisse. Id nempe consentaneum maxime erat ludis in Alexandri honorem institutis, quem πλείστους ἀγῶνας οὐ μόνον τραγῳδῶν καὶ αὐλητῶν καὶ κιθαρῳδῶν, ἀλλὰ καὶ ῥαψῳδῶν, h. e. *plurima certamina non tantum Tragœdorum, tibicinum & citharœdorum, sed & rapsodorum* exhibuisse, ab athleticis ludis alieniorem Plutarchus tradit. Neque dubitari potest, quin, vt aliis in rebus, ita & hac ex parte, Alexandrum æmulatus sit Caracalla, simul in Thraciam Macedonibus conterminam venerat, statim Alexander factus. Inde arrepta Thracibus occasio Alexandrea Pythia celebrandi in primaria prouinciæ vrbe Philippopoli, quæ quondam Datus vel Datum, prout contendit Holstenius, Collectionis Geographicæ MS. in bibliotheca Vaticana testimonio nixus; cui tamen Dato diuersum a Philippopoli situm tribuunt veteres Geographi, si Rufo Festo & Ammiano fides, Eumolpias dicta, postea, a Philippo Amyntæ filio restauratore, Philippopoleos nomen tulit. Poneropolim antea appellatam contendit Plinius, cuius nominis originem ex Theopompo tradit Suidas. Ita enim ille: Ἔστι δὲ τις καὶ περὶ Θρᾴκην Πονηρόπολις, ἣν Φίλιππόν φασι συνοικίσαι, τοὺς ἐπὶ πονηρίᾳ διαβαλλομένους αὐτόθι συναγαγόντα, συκοφάντας, ψευδομάρτυρας, καὶ τοὺς συνηγόρους, καὶ τοὺς ἄλλους πονηροὺς ὡς δισχιλίους· ὡς Θεόπομπος ἐν τῇ μγʹ τῶν Φιλιππικῶν φησί. h. e. *Erat & alia quædam Poneropolis in Thracia, quam Philippus, vt ferunt, condidit, conductis eo hominibus, qui flagitiis infames erant: veluti calumniatoribus, falsis testibus, causidicis & aliis huius generis hominibus ad duo millia, vt ait Theopompus rerum Philippicarum Lib. XIII.* Idem Plinius a situ, quod triplici monti insideret, Trimontium dictam fuisse, testatur, cui consentit ea ex parte Ptolemæus, sed eidem Philippopolis cum Hadrianopoli confunditur: nisi, quod Cellario nostro suboluit, mendum subest, aut glossema alienæ manus in textum irrepsit. Sub Seuero illa titulo ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ vtitur, vnde verosimile fit, ab Imperatore illo hanc ei dignitatem concessam. Similis ceteroqui typus Caracallæ equitantis barbarumque prosternentis, qui hic expressus cernitur, in Amisenorum quoque numo occurrit, de quo supra dixi.

L. c. p. 43. sqq. — Alexandr. T. I. p. 666. — Herodian. Lib. IV. c. 13. — Ad vocem Φιλιππόπολις p. 745. — Cell. Geogr. Antiqu. T. I. p. 1298. — Breviar. inf. Histor. Rom. Epitom p. 405. Amm. Lib. XXII. c. 3. — Lib. IV. c. 11. sect. 18. T. I. p. 203. — Voce Δαλνοπόλις. — L. c. — Lib. III. c. 11. p. 180. — L. c. — Cap. VIII. §. XII.

§. XVIII.

Ab numismatis, quod vidimus, auersa parte non multum abludit, si typum spectes, auersa pars sequentis a Pergamenis cusi, quod, Vaillantio hoc typo non memoratum, thesaurus noster seruat. Acceptum id, vt alia pleraque, refert gazæ Arnstadiensi, huc translatæ, vnde & inter selecta eius numismata delineatum descriptumque prostat. Sed quod ectypus ille prototypi elegantiæ minus respondet, curatiorem, vna cum breui explicatione, subiiciendum duxi.

De alio eiusdem Imperatoris numismate. — Vid. Tab. II. numism. æreor. maximi moduli n. VIII. p. 97 sqq.



Caput Caracallæ laureatum ad pectus vſque, vt in ſuperiori, expreſſum. Pectus thorax munit, in quo caput Meduſæ. Inſcriptio: ΑΥΤΟΚΡΑτωρ Καίσαρ ΜΑΡΚΟC ΑΥΡήλιος ΑΝΤΩΝΕΙΝΟC, h. e. *Imperator Cæſar Marcus Aurelius Antoninus.* Auerſa pars eundem Imperatorem equitantem exhibet, dextra ſublata, laxatisque frænis curſum quam maxime incitantem. Infra leo iaculo transfixus in anteriores pedes procumbens. Epigraphe: ΕΠΙ CΤΡΑτηγȣ̃ ΙΟΥΛίȣ ΑΝΘΙΜΟΥ ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΠΡΩΤΩΝ ΤΡΙC ΝΕΩΚΟΡΩΝ, h. e. *Prætore Julio Anthimo Pergamenorum primorum ter Neocororum.* Pergameni in hoc numo ΠΡΩΤΟΙ ΤΡΙΣ ΝΕΩΚΟΡΟΙ appellantur, quod coniunctimne, an diuiſo ſenſu accipiendum ſit, incertum relinquit Cl. Harduinus. Primo enim, ita appellari contendit eos „ qui primi a tota prouinciæ „ communitate delecti, ludos & ſacra fecere tertium in illo tractu pro „ ſalute principis". Mox ſubiungit: „ Vel fortaſſis illud ΠΡΩΤΩΝ „ prærogatiuam eius ciuitatis ſignificat; quod totius circumiacentis „ tractus iuriſdictionem obtineret", quod poſterius Plinii teſtimonio firmare conatur. Fluctuat etiam Ill. Spanhemius, qui, poſt recenſitos Pergamenorum ſub Caracalla numos cum inſcriptione: ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΠΡΩΤΩΝ Γ. vel Β. ΝΕΩΚΟΡΩΝ, „ ad Neocoratum, inquit, „ ut ea voce mihi vti liceat, illius vrbis, quo bis terue functa primum „ eſſet ſub Caracalla Pergamus, referendi viderentur iidem & ſimiles „ numi, aut alii Smyrnæorum, qui in maximis Caracallæ & Alexan„ dri Seueri numis dicuntur: CΜΥΡΝΑΙΩΝ ΠΡΩΤΩΝ ΑCΙΑC Β. „ vel Γ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ, *Smyrnæorum Primorum Aſiæ bis vel ter Neocoro„ rum.* Adeo vt Pergameni Primi ſub Caracalla eſſent ter Neocoratum „ adepti; Smyrnæi vero ſub Caracalla ſecundo; tertio autem ſub Ale„ xandro Severo demum conſecuti". Sed Pergameni, qui Neocoratum tertium ſub Caracalla accepere, iactitare equidem potuerunt, ter functos eo ſe primum eſſe ſub eodem Imperatore, at bis tum primum eam ſe dignitatem obtinuiſſe iactitare non potuerunt. ΔΙΣ enim ΝΕΩΚΟΡΟΙ iam appellantur in numis Aurelii. Diuiſo igitur ſenſu hæc accipienda duxerim, ita, vt diſtincte ΠΡΩΤΟΙ, deinde & ΤΡΙΣ ΝΕΩΚΟΡΟΙ Pergameni nuncupentur. Priori titulo ſolo etiam vtuntur in numo gazæ quondam Foucaltinæ, hodie Farneſianæ, quem deſcribit Cl. Vaillantius, in quo: ΕΠΙ CΤΡ. ΤΙΒ. ΚΛ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΘΕΟΛΟΓ. & in area ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΠΡΩΤΩΝ. Hunc primatum eos, perinde ac tertium Neocoratum, ſub Caracalla demum conſecutos, plus vna vice contendit Vaillantius, quem refellit cum ex marmore antiquo,

De num. vrb. & pop. Opp. Sell. p. 135.

T. I. p. 642.

Numiſm. Græc. p. 108.

L. c. p. 92. 107. 210.

quo, tum aliunde Ill. Spanhemius, qui, ſub examen vocata Cl. Harduini Vaillantiique ſententia, qua in re ſita fuerit vis primatus illius, de quo nobiliſſimæ Aſiæ proconſularis vrbes Epheſus, Smyrna & Pergamus contendebant, ad quam inter eas controuerſiam componendam peculiarem, quæ hodienum extat, Ariſtides orationem conſcripſit, præclare demonſtrat. Quod ad typum auerſæ partis attinet, qui equitantem Imperatorem cum leone iaculo transfixo exhibet, referendus ille haud dubie ad ſtudium venandi eſt, cui deditum Caracallam fuiſſe Herodianus docet, & de quo Spartianus: „ Excepit apros frequenter, „ CONTRA LEONEM ETIAM STETIT: *quo etiam miſſis* „ *ad amicos litteris gloriatus eſt, ſeque ad Herculis virtutem acceſſiſſe ia-* „ *ctauit.*

L. c. p. 641.
T. II. p. 302.
Lib. IV. c. 21.

§. XIX.

Tarſenſium numiſma maximi moduli, capite Maximini inſigne cum Hercule ſtante, dextra innixa clauæ, in templo tetraſtylo recenſet Vaillantius. En aliud eiusdem Imperatoris ab iisdem cuſum, in quo Hercules haud paulo diuerſo habitu comparet.

De numiſmate Maximini.
L. c. p. 145.

Caput Maximini corona radiata cinctum. Inſcriptio ex parte obliterata: ΑΥΤοκράτωρ . . . . . ΜΑΞΙΜΕΙΝΟϹ ϹΕΒαστὸς Πατὴρ Πατρίδος, h. e. *Imperator . . . . . Maximinus, Auguſtus Pater Patriæ.* Auerſa pars Herculem non in templo, ſed in libero ſpatio ſtantem exhibet. Dextra tenet clauam, ſub qua caput bouis; ſiniſtra ſpolia leonis & puerulum abblandientem cani, capite arrecto ad eundem reſpicienti. Supra puerulum auis expanſis, vt videtur, alis volantis habitu. Epigraphe: ΤΑΡϹΟΥ ΤΗϹ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕωϹ, h. e. *Tarſi, Metropoleos.* In area: Α. Μ. Κ. Γ. Β. Hercules in plurimis Tarſenſium numis occurrit. In Antonini Pii numo inſidet rupibus cum grypho ad pedes, in Caracallæ numis modo pugnans cum hydra & Antæo, modo, velut peracto labore, dextra clauæ innixus, ſiniſtra pomum & ſpolia gerens ſiſtitur. Alexandri Seueri numo, ramum vt Pacifer dextra, ſiniſtra arcum tenet; in Gordiani numis ante ſtantem cum claua & ſpoliis arbor vel baculus, cui ſerpens inuolutus, quem poſteriorem Herculem Tarſenſem, neſcio quo iure, appellat Clariſſimum Benedictinæ familiæ in Gallia decus, Bernh. Montfauconius. Sed nulla eiusdem icon notatu dignior præſenti, quæ & heroem eum, rebus geſtis inclytum, & bonum patrem familias

Suppl. de l'Antiquité expliquée T. I. p. 136.

familias exhibet. Caput bouis ſub claua pugnam cum Acheloo; pellis leonina, cædem leonis Nemæi; ales, quæ aquila videtur, liberationem Promethei, cuius cor, quotidie renaſcens, aquila deuorabat, deſignat: vnde Heroem eum nemo non agnoſcit; patrem familias declarat puerulus, Hyllus nempe filius, quem cum cane ludentem ſiniſtra geſtat. Similem Herculis typum in numis Μιδαέων cum vultu Iu-
Num. Græc. p. 92. liæ Domnæ cuſo, obſeruauit Vaillantius, ſed ibi Hylas per errorem
Quæſt. Rom. 89. appellatur, qui Hyllus dici debuerat. Quærit Plutarchus, cur in ſacris Herculis intra ſepimenta canis haud conſpiciatur, reſpondetque, nullum animal cane eum habuiſſe infeſtius, eundemque plurimum ei negotii faceſſiſſe, ac prouocat ad Cerberum, itemque alium, cuius cauſa Oeonus, Licymnii filius, ab Hippocoontidis interfectus Herculi pugnandi cauſam præbuit, qua in pugna cum plurimos alios ſociorum, tum Iphiclem amiſit. Veramne rationem ritus eius tradiderit Chæronenſis ſcriptor, alii viderint; Herculis quidem, dum in viuis eſſet, latus ſtipaſſe canem fidem facit vel notiſſima fabula de cane Herculis,
Lib. I. c. 4. ſegm. 43. p. 31. Edit. Hemſterhuſ. purpuræ inuentore, quam narrans Pollux: Ἕιπετο δὲ ἄρα, inquit, τῷ Ἡρακλεῖ καὶ κύων, κατὰ τὸν παλαιὸν τρόπον. Οἶσθα δὲ ὅτι τοῖς Ἥρωσι συνεισῆσαν μέχρι τῆς ἐκκλησίας οἱ κύνες, h. e. *Sequebatur autem Herculem canis veteri more. Scis enim, canes vna cum Heroibus vſque in concionem proceſſiſſe.* Litteras
C. VIII. §. XIII. A. M. B. Γ. B. vt alio iam loco dictum, cum Cl. Vaillantio interpretor A (h. e. πρώτης) Μόνης Κιλικίας Γερυσίας Βυλῇ, h. e. *Primæ Solius* (Metropoleos) *Ciliciæ, Senatus Conſulto.* Nouam harum litterarum explicationem, quam in medium affert Cl. Haymius, Αγχιάλυ, Μοψυεςίας, Κοινὸν, Γερυσιάς Βυλῇ, (ita enim ſcribendum haud dubie, pro Αγχίαλυ Μοψυεςίας Κοινομ, Βυλῇ Γερυσίας, quod ibi legitur) an probaturus ſit cuiquam, neſcio.



CAPVT



CAPVT XII.

DE SELECTIORIBVS, QVI THESAVRO FRIDERICIANO E MVSEO CELEBERRIMI POLYHISTORIS GOTTFRIDI THOMASII, NORINBERGENSIVM MEDICI FLORENTISSIMI, ACCESSERVNT, ITEMQVE ALIIS QVIBVSDAM NVMIS.

mitoriæ, æreo altero, altero argenteo.

§. X. *De numo gentis Porciæ cum litteris* S. CAO.

§. XI. *De numis duobus Rubriæ & Semproniæ gentis.*

§. XII. *De aliis totidem Sosiæ Titurïæ familiæ numis.*

§. XIII. *De numo Iulii Cæsaris cum epigraphe:* LAVS IVLIA CORNT.

§. XIV. *De numo Thessalonicensium cum inscriptione aduersæ partis:* M. A. N. T. ΑΥΤ. Γ. ΚΑΙ. ΑΥΤ.

§. XV. *De numo Augusti cum litteris:* C. I. A. D.

§. XVI. *De duobus eiusdem Augusti numis cum litteris:* C. I. N. C. NO.

§. XVII. *De numo Polemonis summi sacerdotis & Dynastæ Mylasensium, cum capite Augusti.*

§. XVIII. *De numis Liuiæ cum templo, cuius in fronte litteræ:* LENTVL.

§. XIX. *De numo singulari Agrippæ, cuius in auersa parte capita Augusti nepotumque* C. & L. CAESARVM.

§. XX. *De numo Tiberii a Corinthiis cuso, cum statua sedentis Liuiæ.*

§. XXI. *De numulo hinc Drusi, illinc Germanici caput exhibente, cum* PVL*chri &* CIP*ii* V*ari* IIV*irorum nominibus.*

§. XXII. *De Germanici numo primi moduli.*

§. XXIII. *De numo Claudii, cuius aduersa in parte Nero & Britannicus.*

§. XXIV. *De numis* M. AC. CANDIDI *Agrippinæ & Neroni cusis, vbi obiter de numo Neronis cum inscriptione:* ΕΠΙ ΣΕΡΟΤΗΝΙΟΥ ΚΑΠΙΤΩΝΟΣ ΚΑΙ ΙΟΥΛΙΑΣ ΣΕΟΥΗΡΑΣ ΑΚΜΟΝΕΩΝ.

§. XXV. *De tribus aliis Neronis numis Corinthi cusis.*

§. XXVI. *De numo Neronis cum inscriptione:* PORTVS FRVCTIF. P. R. C. P.

§. XXVII. *De numo Galbæ cum symbolo dextrarum iunctarum & inscr.* L. CANINIO AGRIPPA IIVIR. COR. *vbi obiter de numis Græcis aliquot, qui vulgo Patrensibus tribuuntur.*

§. XXVIII. *Plura de iisdem, vbi ostenditur, vocem* ΠΑΤΡΩΝ *esse nomen proprium viri.*

§. XXIX. *De primi moduli numo sub M. Aurelio a Corinthiis cuso.*

§. XXX. *De Plautillæ numo eoque secundæ formæ, qui iisdem Corinthiis debetur.*

§. XXXI. *De Tranquillinæ numo, cuius ad caput litteræ* Π. Π.

§. XXXII. *De numo Hostiliani, qui filiusne Decii an gener fuerit, disquiritur.*

§. XXXIII. *Epilogus.*

§. I. Omnes

§. I.

OMnes iam claſſes numorum veterum, quos ambitu ſuo THESAVRVS FRIDERICIANVS complectitur, percenſitæ mihi atque ita deſcriptæ ſunt, vt ſperem, lectorem, non nimis moroſum, poſſe hac opera qualicunque mea, præſertim ſi temporis habeatur ratio, quo ea mihi, & aliis negotiis diſtricto, neque ea corporis valetudine vtenti, quæ continuatos diu labores ferat, defungendum fuit, tantiſper acquieſcere in præſenti, dum retexere omnia ex voto, atque adeo prætermiſſa ſupplere, ſuperflua reſecare, obſcuriora luce vberiori perfundere, dubia firmare, incerta aut erronea expungere mihi per otium liceat. Neque tamen ipſe a me impetrare poſſum, vt finem faciam, labore a me exantlato, tametſi illo mihi, perinde atque aliis fortaſſe, dudum in hac palæſtra exercitatis robuſtioribusque, haud quaquam leui, ſed graui ſatis difficilique contentus. Dum enim feſtinantius omnia perago, non pruritu aliquo inepto ſcripturiendi, a quo longiſſime abſum; ſed ingenti illo deſiderio, quo SERENISSIMVM PRINCIPEM ardere perſpiciebam, tandem aliquando, vt nonnihil de collecto a ſe theſauro ampliſſimo in lucem prodiret optantem, adductus, haud vna ſe mihi, quæ commemorari in ſcriptione hac ante omnia oportuerat, ſubduxiſſe intelligo, praetereaque alia ex eo tempore, quo ſuperiora congeſſeram, gazæ noſtræ acceſſiſſe, quae vel maxime ſibi in ſimili opere, quo, obuiis & vulgaribus vt plurimum neglectis, rariora & ſelectiora memoriæ mandare adgreſſus ſum, locum depoſcebant. De cimeliis Thomaſianis ſermo mihi eſt, Theſauro Fridericiano illatis, ex quibus nonnulla iam ſupra attigi, pleraque autem reliqui intacta, quod ſpem fecerat Vir celeberrimus, cuius illa muſeum quondam ornabant, fore, vt luculentam de iis commentationem operi huic ſubiiciendam transmitteret. Nempe eandem huic lucubrationi felicitatem augurabar, quæ obtigit Morelliano Specimini in vniuerſam rem numariam antiquam, cui ab additis quinque Viri illuſtris, Ezechielis Spanhemii, epiſtolis tantum ornamenti acceſſit, vt illud non magis ob Morellii diligentiam, diuturna numorum tractatione commendabilem, quam diffuſam variamque epiſtolarum Spanhemianarum doctrinam ab lectoribus expetatur. Sed decolauit hæc ſpes, viro laudatiſſimo clinicæ praxeos occupationibus ita præpedito, vt in hanc meſſem, tametſi haud quaquam alienam, cum numis enim res ei erat quondam ſuis, & quorum apices ſingulos ſiue inſitæ doctrinæ vi, ſiue ex vſu tot annorum, ſiue ex ſermonibus virorum rei numariæ peritiſſimorum, qui eos ſpectatum venerant, perſpectos atque exploratos penitus habebat, falcem ei immittere in præſenti haud licuerit. Relictam igitur ab eodem ſpartam potiſſimum hoc loco, quoad eius fieri poteſt, ornare conabor, id quod ſi minus mihi feliciter per omnia ſuccedat fortaſſe, politiora omnia aliquando a cultiſſimi ingenii ſummæque doctrinæ viro lectores expectabunt. Neque enim ſupellectilem hanc quondam ſuam, ex quo ad alium illa dominum tranſiit adeo odiſſe cœpit, vt arbitror, fraudare vti perpetuo lectores velit iis, quæ ad illuſtrandam eam pridem magna induſtria nec minori iudicio collegit. Ceterum cum plerique

Inſtituti ratio.

numi ex iis, ad quos iam promendos me accingo, Thomaſiani ſint, ſuffecerit generatim id monuiſſe hoc loco, ne cum ventum mihi fuerit ad ſingulos, toties idem, non ſine tædio lectoris, mihi ſit iterandum.

§. I I.

De numo gentis Aeburiæ.

Numaria vero ſupellex omnis, de qua in hac tractatione agendum eſt, partim Romanarum, quæ libera potiſſimum republica floruerunt, familiarum, partim Imperatorum, qui, mutata priſtina eius facie, rerum ſunt potiti, monimenta complectitur. Priora iure quodam ſuo, primo vt loco percenſeantur, flagitant; proinde initium faciat numus gentis Aburiæ Vaillantio prætermiſſus.



Aduerſa in parte caput galeatum Romæ cernitur cum punctis quatuor, in auerſa roſtrum nauis, cum punctis itidem quatuor. Inſcriptio: C. ÆBVRI GEM. Infra: ROMA. Numus ea parte, qua puncta, notas ponderis ac pretii, habet, detritus nonnihil incertum me initio, quadransne an triens eſſet, reliquit. Poſt quadrantem eiusdem Aburii, quem pariter gaza noſtra ſeruat, hinc capite Herculis leonina pelle cooperto & claua tribusque punctis, illinc totidem notis minutis, & litteris iisdem, quæ in præſenti comparent, C. ABVRI GEM. ROMA. inſignem conſideranti mihi, cum eum magnitudine & pondere ſuperaret, facile ſuboluit, trientem eſſe aſſis vncialis. Ceteri numi ærei huius gentis Aburiæ, qui quidem editi adhuc proſtant, omnes quadrantes ſunt, ne eo quidem excepto, cuius aduerſa pars Mercurii caput oſtentat, tametſi eum, poſt Antonium Auguſtinum & Patinum, qui duobus eum notatum punctis ſiſtunt, pro ſextante venditat Cl. Vaillantius. De eo numo pridem Morellius: „ Sint ergo ſpeciminis „ ſaltem loco Tabulæ I. numus quintus in gente ABVRIA, qui „ argenteus nobis repræſentatur pro æreo, &, quod mireris, peſſime „ inſuper delineatus, & longe maiori cum accuratione ab Antonio Au„ guſtino in ſuis dialogis in lucem iam productus". His monitus Vaillantius equidem, nota Æ, quæ apud Patinum in numi ectypo extat, cum Æ permutata, in ſubiecta illius explanatione æreum eſſe docuit, tametſi, cur eundem primæ formæ appellandum duxerit, non ſatis intelligo: ſed & cognomen GEM. quod tamen Antonii Auguſtini ectypus exhibet, prætermiſit, & ſextantem fecit numum, quem Morelliana delineatio tribus punctis notatum, vt pateat quadrantem eſſe, exhibet. Neque dubitari poteſt, quin Morelliana icon, ea, quam Vaillantius dedit, longe curatior ſit ac verior, præſertim cum vel ex verbis ſupra adductis appareat, in numi huius ectypis cum archetypo ſuo

Dialog. V. p. 172.

p. 1. Famil. Rom. T. I. p. 2.

Epiſtol. ad Perizon. p. 170.

T. I. Tab. I. n. 4. p. 2.

ſuo contendendis elaboraſſe vel maxime diligentiam viri artificio exprimendorum ad numorum ipſorum fidem ectyporum parem vix vnquam habituri. De gente Aburia, in primis de nominis eius etymo, videnda, quæ idem Morellius & Cl. Perizonius præclare diſputant contra Pighium, quem ſequendum tamen Cl. Vaillantius duxit, quo iure alii viderint. Id hoc loco addidiſſe non abs re fuerit, miratum me pridem eſſe, qui factum ſit, vt cum Aburiæ familæ ſex numos exhibeat vir celeberrimus, eorum quinque tantum in commentariis ſubiectis illuſtrauerit. Re minus attente conſiderata, putaui deſcriptionem poſtremi eorum deſiderari. Sed enim vero, quod vix in mentem cuiquam veniat, (certe mihi haud venit ab initio) primi omnium illuſtrationem tacite prætermiſit, ita vt ne verbo quidem eius mentionem faciendam putarit. Quid ea res monſtri aleret, præſertim cum littera V. ectypo adiecta, eundem ex Vaillantii prodire penu, teſtari videretur, vix asſequi mihi licuit, dum, quæ ſequuntur, legerem in litteris Morellii ad Perizonium: „ABVRIA. Gentem hanc ab Aburendo dictam fuiſſe docuit Pighius Tom. II. p. 278. falſo nixus fundamento, nam errore calami numum citat, qui nunquam in rerum natura fuit, eoque opinionem ſuam probare conatus eſt: ex cuius verbis tamen dehinc auctor quidam eiusmodi effinxit numum, & æri incidi curauit, prout illam propediem videbimus. Nempe citat Pighius numos argenteos a M. Aburio Gemino in quæſtura, vt affirmat, cuſos, habentesque ab vno latere Solis caput, coronatum radiis, & ab altero quadrigam eius". Ex hac ipſa deſcriptione, haud dubie erronea, Cl. Vaillantius primum gentis Aburiæ numum confinxit, ærique incidi iuſſit. Sed monitus ab amicis, ac forte ipſo Morellio, M. Aburii Gemini numos, cuiusmodi Pighius, ſed feſtinantius quam verius, deſcribit, nusquam reperiri, ectypum eorum ſuo quidem loco reliquit, quod eradi e tabula commode haud poſſet, ſumtusque in aliam de intergo cælandam bibliopola facere grauaretur; verum in deſcriptione intactum prætermiſit, atque adeo ne numerauit quidem, ita vt ex hoc ſilentio, pro ſpurio numum eum haberi a viro celeberrimo, colligere lectores poſſent. Ceterum quauis laude digniſſimam cenſeo modeſtiam Morellii, παρόραμα Cl. Vaillantii ita notantis, vt nomini tamen eius, quod in litteris, priuatis præſertim, neque eo conſilio ſcriptis, vt in publicum prodirent, neceſſe non erat, parceret. Vtinam idem a ſe impetrare potuiſſet Vaillantius, qui quanta animi intemperie Morellium perſtringendum duxerit, alio loco vidimus.

Marginalia: L. c. p. 152. 192. — T. II. p. 278. — Cap. II. §. 12. p. 35. — L. c. p. 291. — Annal. T. II. p. 278. — Cap. I. §. 9.

§. III.

In eodem Vaillantii opere ſequentem familiæ Anteſtiæ numum fruſtra quæſiueris.

De numo æreo gentis Anteſtiæ.



Exhibet ille hinc caput Herculis cum tribus punctis, illinc rostrum nauis cum litteris: C. ÆST. ROMA. Supra adiectus cernitur canis, ad latus tria puncta. Quadrantem esse apparet, hoc est, quartam partem assis eius, quem eiusdem Antestii nomine notatum exhibet Cl. Vaillantius. Is & in gaza nostra extat, sed non sextantarius vel duarum vnciarum pondere, verum vnius, hoc est, as vncialis. Id ita se habere, as libralis antiquissimus eiusdem thesauri nostri confirmat, cuius ille non sextam pondere, sed duodecimam demum partem exæquat. Sane sextantarii asses vel nulli vel paucissimi ad nostra tempora peruenerint, necesse est, si quidem non cusi illi sunt, nisi inde a tempore belli Punici primi, vsque ad secundum, Festusque adeo septennio eos tantum in communi vsu fuisse contendit, tametsi id refellit Cl. Harduinus. Sed quoquo pacto res ea se habeat, id certum ex pondere assis libralis, numum illum inter sextantarios locum tueri haud posse. Pono enim, librales asses hodienum exstare, virorum clarissimorum, Claudii Molineti, Ezechielis Spanhemii, Laurentii Begeri, Bernardi Montfauconii aliorumque auctoritatem secutus. Equidem dubitat ea de re Cl. Vaillantius: „ Satis diu, inquit, solo ex ære Romana moneta cusa est. Non quod carerent omnino auro vel argento, vtrumque enim afferebant vicini populi, sed prisco more solum æs sibi signandum putabant. Igitur grandioris æris frustis redimebant necessarias ad victum pecudes, quo putatur factum, vt moneta pecunia diceretur: quamuis melius forte sentiant, qui ab impressa pecudis imagine natum id nominis censuere. Collecto etiam in massam & non signato ære vsos fuisse Romanos, testis est Liuius. Denique cusi sunt asses librales, hoc est 12 vnciarum pondo, vnde nota assis in duodecim partes æquales diuisio. Tales an supersint etiamnum multi, dicere non ausim, quandoquidem nullos vidisse me memini supra trientem, vncias scilicet admodum quatuor, ceteris, vtpote sua mole incommodis, conflatis statim eo tempore, quo monetæ pondus imminutum fuit. Itaque non amplius pecude, sed hinc Iani facie, inde naui aut rate notati sunt .... Et alibi: „ Aes graue quidem a quinquaginta annis, quibus rei numariæ studemus, & post duodecim Romam peregrinationes, quo antiqui pro moneta vtebantur, in museis non obseruauimus; sed æs, cui bos aut vacca erat insculpta ex vnciis duodecim, & alterum, cui porcus erat insculptus ex pondere sex vnciarum, vnde hæc moneta, ita pecu signata, dicta est pecunia, quæ Romæ in vsu fuit vsque ad tempora Seruii Tullii regis, quibus Plinius monetam cum Iano bifronte atque Saturni naui fuisse signatum refert. Nunquam duodecim vnciarum illa fuit, sed tantum ex vnciis quatuor & ex vetustissimis a nobis obseruatis

T. I. p. 69. Tab. X.

Plin. Lib. XXXIII. sect. 13. T. II. p. 611. Edit. Harduin. nou.

De num. Vrb. & pp. p. 189. Opp. Sell.

Præfat. ad numis Rom. famil. §. X.

T. I. p. 69.

„ numis

„ numis (constat) quales hodie etiam occurrunt Ptolemæorum".

§. IV.

Sententia Vaillantii de assibus libralibus sub examen vocatur.

Hæc si consideremus paulo curatius, non vna reperiemus, quæ cum veritate scriptorumque veterum testimoniis, imo & secum inuicem vix satis consistant. Primo grandioris æris frusta, a collecto in massam & non signato ære distincta, ac pecudis imagine notata, in vsu fuisse arbitratur, ac denique cusos esse asses librales, hoc est, duodecim vnciarum pondere. At vero vbi primum signari æs cœpit, vnde constat, grandioris tantum æris frusta, non etiam asses librales ac partes eius, cœpisse statim signari? An non porro & grandiores illæ massæ certum atque ad libram exactum pondus habuere, ita vt aliæ dupondium, aliæ quadrussem, quales hodienum extant, aliæ plus etiam fortasse penderent? Porro quid est, quod negat, dari hodie asses librales, diserte professus, nullos se vidisse supra trientem, vncias scilicet admodum quatuor, ac postea affirmat tamen, esse obseruatum a se æs, cum bouis aut vaccæ symbolo, ex vncis duodecim. Etenim si duodecim vncias pependit, an non as libralis fuerit necesse est, qualem tamen a se visum inficiatur? Deinde idem æs illud duodecim vel sex vnciarum pondere, boue aut vacca insigne, vnde pecunia nomen traxit suum, Romæ in vsu fuisse vsque ad tempora Seruii Tullii, qui potest affirmari, si, quod Plinius docet, quem Cl. Vaillantius sequitur, *L. c. p. 610.* Seruius ille, Romanorum Rex tertius, primus Romæ æs signauit? Qui potest, eodem Plinio auctore, affirmari, temporibus eiusdem Seruii Tullii monetam cum Iano bifronte ac Saturni naue fuisse signatam, quando ille hæc symbola potius ad tempora, quo sextantarii asses cudi cœperunt, reiicit, pecudis autem notam assignat Seruii ætati? Sed, missis ceteris, id vnum mirari subit, qui factum sit, vt negare potuerit vir clarissimus, visos sibi vsquam asses librales esse, quibus vix vlla, quæ quidem nomen hodie ferunt, musea destituuntur. An putauit, asses librales non posse haberi, qui hodie obseruantur, propterea quod nota pecudis carentes Iani bifrontis fere ac nauis symbola præferunt? De ea enim moneta diserte affirmat, nunquam duodecim illam vnciarum fuisse, sed tantum ex vnciis quatuor, eamque ob causam ad vetustissimos huius generis numos a se obseruatos prouocat, quos cum numis æneis Ptolomæorum grandioribus contendit. Sane Plinius statuere videtur, *L. c. p. 611.* post asses demum sextantario pondere cusos notam æris fuisse ex altera parte Ianum geminum, ex altera rostrum nauis. Ad quæ verba Cl. Harduinus: „ In asse nimirum recens cuso, mutata priore „ illa nota, quam æri Seruius impresserat. Mutato æris pondere & „ notæ mutatæ". Sed possunt non incommode verba Plinii ita explicari, vt non neget ille, iam ante asses imminutos vna cum pecudis symbolo notam illam Iani nauisque obtinuisse, tametsi ab eo demum tempore, quo sextantarii cusi sunt, notam illam, omissa fere altera, inualuisse affirmat. Nam ceteroqui Iani illam nauisque effigiem antiquissimis iam temporibus, atque adeo multo ante quam assium libralium pondus imminueretur, numis æreis Romanos impressisse & scriptores testantur, & ipsa res loquitur. Neque enim ii, quos viri docti ediderunt,

runt,

runt, aſſes forma longe maxima & quosuis Ptolomeorum numos longiſſime ſuperante, non aſſes librales exiſtimandi, ex quibus is, quem Begerus edidit, viginti tres ſemuncias, alius, quem ex muſeo Eſtræano produxit Cl. Montfauconius, vncias vndecim & dimidiam drachmam, noſter decem pene vncias æquat. Certe ex iis aſſes quatuor vnciarum nemo vnquam faciet, opinor, niſi qui vnciæ Romanæ veteris, inter quam & noſtram hodie parum fuiſſe discriminis Cl. Montfauconius oſtendit, pondus minus perſpectum exploratumque habuerit.

T. III. p. 76.

Supplem. Antiqu. T. III. p. 98. Tab. XLI.


L. c.

§. V.

De numis duobus gentis Caniniæ.

T. I. Tab. 35. n. 6.

Caniniæ Familiæ numum L. CANINII AGRIPPAE IIVIRI de ſuo adiecit Cl. Vaillantius, cuius aduerſa in parte caput muliebre turritum cum litteris: ROMAE ET IMPERIO, in auerſa Victoria cernitur dextra coronam, ſiniſtra palmam tenens, adiecta inſcriptione: L. CAN. AGRIPPA IIVIR. Quæ in vno hoc numo reperiuntur paginæ, eas duobus diuerſis, quos gaza noſtra humanitati celeberrimi Thomaſii acceptos refert, impreſſas ſubiicere lectorum oculis liceat.



Prioris aduerſa pars idem caput turritum exhibet, quod eadem in pagina numi a Cl. Vaillantio editi, cernitur, cum eadem epigraphe, tametſi non nihil oblitterata: ROMAE ET IMPERIO. Sed auerſa in parte loco Victoriæ templum comparet, idque columnarum, niſi omnia me fallunt, octo ſerie ſuffultum, cum gradibus haud vnis in veſtibulo, quibus id adituros adſcendere oportuit. Inſcriptio: L. CAN. AGRIPPAE IIVR COR. Templum id idem Caninius in duobus aliis numis, altero Neronis, Galbæ altero, ſculpi iuſſit, quos in opere ſuo Coloniarum luce donauit Cl. Vaillantius. Sed miror, qui factum ſit, vt in numo Neronis id quatuor columnis tantum ſuffultum ſcribat, cum ipſe id poſtea ſub Galba *templum quatuor columnarum ET PLVRIMIS ALIIS CIRCVMDATVM gradibusque ornatum* appellet. Idem vir clariſſimus hariolatur, hoc templum a Caninio Aedile mulctaria pœna reſtauratum eſſe. Legit enim in numo Neronis: L. CAN. AGRIPPA AED. hoc eſt AED*ilis*. Quod

T. I. p. 121. 127.

Quod vt fortaſſis largiare, ita haud iniuria, cuiusnam Dei Deæue id fuerit, quæras. Cl. Vaillantius vno eodemque loco id modo Neroni, modo tutelari vrbis Numini ſacrum fuiſſe ſtatuit. Ita enim ille: „ L. „ Caninius Agrippa templum hoc cura ſua reſtitutum cum ædilis eſ- p. 127. „ ſet, Neroni dedicauit; idem duumvir, ſeu vt Corinthi ſuperbiſ- „ ſimum, ſeu vt tutelari Numini conſecratum, in Galbæ numis ite- „ rum cælauit". Sed rectius illud fortaſſe ex hoc numo ROMAE ET IMPERIO, quæ inſcriptio capiti turrito altera in parte adiecta cernitur, aſſignari poterit, niſi malimus id Iouis Capitolini interpretari templum, de quo Pauſanias: Ὑπὲρ τὸ θέατρόν ἐστι ἱερὸν Διὸς Καπετωλίου φωνῇ τῇ Ῥωμαίων, κατὰ Ἑλλάδα δὲ γλῶσσαν Κορυφαῖος ὀνομάζοιτ' ἄν, h. e. *Supra theatrum templum eſt Iouis, quem Capitolinum Romanorum lingua, Græca Coryphæum recte appellaueris.* Lib. II. p. 121. Edit. Lipſ. Vidimus aduerſam numi a Cl. Vaillantio editi partem in numo noſtro priori: iam auerſam in poſteriori conſiderabimus, in quo hinc caput velatum cum litteris: SENATVS P. Q. R. illinc Victoria gradiens, lauream altera manu, altera palmam geſtans cum litteris: L. CAN. AGRIPPAE IIVR. Ex inſcriptione hac, qua L. CAN. AGRIPPAE numus a Corinthiis dicatus videri poteſt, colligit Cl. Vaillantius, illum Romæ ho- L. c. p. 228. noris cauſa Duumviratum Corinthi geſſiſſe. Sed quem ædilitatis munere Corinthi functum ſtatuit vir celeberrimus, ita, vt mulctaria pœna eum templum ibi reſtauraſſe credat, eundem quid eſt, quominus & duumuiratus munia ibidem præſentem obiiſſe cenſeamus. Ceterum Senatus Populique Romani caput nomenque in numo Coloniæ Romanæ cerni non magis mirum, quam ROMAE ET IMPERII, putemque, cuſos eſſe hos numos, cum, Nerone ſublato, Reſp. Romana, a fœda eius tyrannide liberata, veterem dignitatem libertatemque recuperaſſe velut poſtliminio videretur, vnde & Galba, qui Neroni ſucceſſit, conſalutatus *IMPERATOR, legatum ſe SENATVS AC POPVLI ROMANI profeſſus eſt*, docente id Tranquillo. Galb. c. 10.

§. VI.

Extat apud Vaillantium, quem & Fuluius Patinusque ante exhibue- De numo C. FABI. C. F. T. I. Tab. LXXII. n. 21. rant, gentis Fabiæ denarius, in quo hinc caput velatum & turritum cum litteris EX A. PV. illinc Victoria bigis inſiſtens, ſub iisque auis & inſcriptio C. FABI C. F. In eo, qui plurimis iisque diuerſis matricibus expreſſus reperitur, id quod vel duodecim eius exempla, quæ in gaza noſtra extant, vt Morellianos nunc ectypos taceam, abunde docent, explicando Pighium fere ſequitur celeberrimus vir, Annal. T. II. p. 453. L. c. p. 427. ita vt C. Fabii, C. F. Pictoris Conſulis auctoritate & auſpiciis in ipſo eius conſulatu, qui in annum CD$^{xxxciv}_{xxxcv}$. incidit, eundem cuſum ſibi perſuadeat, & caput velatum turritumque Alexandriam Aegypti interpretetur, auem autem Ibin, ſymbolum Aegypti, qua quidem buteonem Fuluius, aliquando ciconiam repræſentari Patinus exiſtimat. Vnas litteras EX A. PV. aliter explicandas cenſet. Neque enim cum Pighio Fuluioque, quibus & Cl. Harduinus ſubſcribit, ſignificari iis Ad Plin. Lib. XXXIII. ſect. XIII. T. I. p. 636. putat EX *Argento* PV*blico*, ſed EX *Argento* PV*ro*. Quæ omnia rectene ſe habeant, atque an, vt duo ſaltim obiter attingam, veroſi-

mile

mile omni ex parte ſit, C. Fabio Conſule hos denarios ſignatos, quos
L. c. triumuiro monetali ex gente Fabia Cl. Harduinus probabilius, vt puto, aſſignat, itemque, an non litteræ: EX A. PV. in numis argenteis tum primum cuſis, interpretandæ potius ſint: EX *Auctoritate* PV*blica*, quemadmodum in antiquis Romanorum ponderibus ſcriptum legitur: EX A. Q. I. R. P. V. h. e. E*x* *Auctoritate* Q. I*unii* R*uſtici* P*rætoris* V*rbani*, itemque EX. A. D. C. A. h. e. EX. *Auctoritate* D*iui* C*æſaris* *Auguſti*, in præſenti fuſius disquirere, huius inſtituti non eſt. Id videndum, idemne ſit C. FAB. C. F. qui in laudatis denariis nomen inſcripſit, cum eo, quem as vncialis exhibet, cuius delineationem ex gaza noſtra ſubiicio.

Gruter. inſcript. p. CCXXI.



Prior numiſmatis pagina caput Iani cum nota aſſis I, poſterior roſtrum nauis ſiſtit cum litteris: C. FABI C. F. Infra: ROMA. Cl. Vaillantius, auctoritate Fuluii & Pighii nixus, C. FABI*um*, C. F. cuius nomen in denario paulo ante laudato expreſſum cernitur C. Fabii Pictoris, tametſi Pictoris cognomen abeſt, filium ſtatuit, qui, docente id Pighio, anno CDL^{XXIV}_{XXV}. Quæſtor, anno CD^{LXXIX}_{XXC}. (non vt eſt apud Vaillantium CDL^{XXX}_{XXXI}.) Aedilis curulis, CD^{XXCII}_{XXCIII}. Prætor, CD^{XXCIV}_{XXCV}. Conſul ad rem publicam acceſſit. At ſupra iam dixi, aſſem
L. c. hunc eſſe vncialem, quales, Plinio teſte, demum altero bello Punico cudi cœpere, anno circiter DXXXVII. Itaque fieri nullo modo poteſt, vt in hoc ſaltem numo C. Fabius Pictor, qui anno CD^{XXCIV}_{XXCV}. conſulatum geſſit, nomen ſuum inſcripſerit, qui eo tempore, quo cudi aſſes vnciales cœpere, haud dubie in viuis eſſe deſiit. An igitur forte Fabius, triumuir monetæ cudendæ, in numo præſenti quærendus, quem ex denario, in quo hinc caput Romæ galeatum cum nota *, illinc Victoria in quadrigis cum litteris C. F. L. R. Q. M. ROMA expreſſa cernitur, Fuluius commemorat, in quo legendum eſſe contendit: *Caius Fabius*, *Lucius* R*oſcius*, *Quintus* M*arcius*. Sed recte numum
T. I. p. 426. eum ad incertos relegat Vaillantius, cum ad C. Fannium, C. Fuluium aliosque non minus, quam ad C. Fabium referri poſſit. De alio igitur C. Fabio, C. F., in conſilium eundum, ſi tamen memoria eius in tantis rerum, ad priſtinam reip. Romanæ faciem cognoſcendam ſpectantium, tenebris excitari poteſt.

§. VII.

De duobus familiæ Liciniæ & Lolliæ numis.

Familiæ Liciniæ & Lolliæ numos duos iunctim exhibeo.

Liciniæ



Liciniæ gentis numum iam produxit Cl. Vaillantius, qui faſcem cum ſecuri Prætoris ſymbolum interpretatur, quem ex Licinia gente Craſſi cognomine Aegypto ſub aliquo Cæſarum præfuiſſe exiſtimat. E Vaillantio depromtum operi ſuo inſeruit Ill. Spanhemius, recteque notauit ad Aegyptum regendam Prætores, quibus ius faſcium fuerit, haudquaquam miſſos fuiſſe: proinde de hoc numo id vnum liquere, reſpicere illum „ad aliquem Licinium, qui in prouinciam aliquam Po„puli Romani Prætor vel Proconſul fuerit miſſus, aut expeditionem „aliquam militarem, alterutra illa dignitate ornatus, extra vrbem „ſusceperit". An illa forte prouincia Populi Romani, in qua magiſtratum geſſit Licinius hic, Cyrenaica Cretæ coniuncta? Ita ſuadere videtur caput Apollinis, Cyrenis ſummopere culti, vnde Callimachus:

T. II. Tab. LXXXIII. n. 17. p. 39. — T. II. p. 91. — Hymn. Apoll. ℣. 94. ſq.

Οὐδὲ πόλει τόσ' ἔνειμεν ὀφέλσιμα τόσσα Κυρήνῃ
Μνωόμενος προτέρης ἁρπακτύος. οὐδὲ μὲν αὐτοὶ
Βαττιάδαι Φοίβοιο πλέον θεὸν ἄλλον ἔτισαν. h. e.

Neque ciuitati vlli *tot largitus eſt commoda quot Cyrenæ*
Recordatus priſtini Cyrenes *raptus: neque ſane ipſi*
Battiadæ magis quam Phœbum Deum vllum coluerunt.

Sane caput neſcio quod muliebre in numi ſui ectypo agnoſcit Cl. Vaillantius; ſed & laurea cincinnique dependentes Apollinem produnt, & minus curate numum hunc deſcriptum eum dediſſe indicio eſt, quod auerſa in parte non, vt apud virum celeberrimum, eſt CRAS ſed CRA. quo pacto & numus hic delineatus a Morellio noſtro cernitur, cuius in exhibendis ad prototyporum fidem numis diligentiam nemo ignorat. Simile fere caput vna cum littera B. exhibet numus L. Lollii, quem Cyrenaicæ præfuiſſe Perizonius, Ptolomæum Phyſconem, a fratre Philometore pulſum, in Cyrenaicum regnum reſtituiſſe, eoque beneficio ita ſibi deuinxiſſe Ptolomæum Phyſconem, vt numos eius honori dicandos duxerit, Vaillantius coniectat. In auerſa eius parte

Ad Morell. p. 275. ſq. — T. II. p. 63.

expreſſus comparet ceruus cum litteris Græcis ΛΟΛΛΙΟΥ & ſub ceruo E. In aliis huiusmodi numis B. Γ. Δ. IB. IF. K. quibus annos regni ſui denotaſſe Ptolomæum Phyſconem ſtatuit laudatus Vaillantius. Alia de numis his ſententia, vt de Pighio Begeroque taceam, eſt Morellii noſtri, ſed quam locum habere non poſſe, Cl. Perizonius demonſtrauit.

Galland. Epiſt. ad Morell. inſert. Mem. Trev. 1702. Maii. p. 368. L. c. p. 64. Annal. T. II. p. 431. T. III. Theſ. Br. p. 79. ſq. ad Periz. p. 196. Ad Morell. p. 274.

§. VIII.

De numo gentis Marciæ. Gentem Marciam cognomen LIBONIS tuliſſe, non docent ſcriptores, numi docent, quorum poſt Fuluium Vrſinum Patinumque, tres protulit Cl. Vaillantius, quibus quartum ex gaza noſtra addas licet. (L. c. Tab. XCII. n. 14. 15. 16.)



Aduerſa eius pars caput Iouis barbatum laureatumque exhibet cum nota S; auerſa roſtrum nauis cum inſcriptione: Q. MARC. LIBO. Infra: ROMA. Apparet, ſemiſſem eſſe, ex nota S. Cl. Vaillantius ad aſſem eiusdem Q. MARCII LIBONIS, „obſeruandum eſt", inquit, „ærearum monetarum pondus magni ad temporis, quo cuſa „fuerit, diſtinctionem eſſe momenti". Eius moniti memor eundem illum aſſem, qui in gaza noſtra reperitur, vna cum ſemiſſe præſenti ſub examen vocaui, deprehendique, illum circiter vnciæ, hunc ſemunciæ noſtræ reſpondere. Vnde miror, qui duarum vnciarum pondus aſſi tribuere potuerit Cl. Vaillantius, quo pacto ſi res haberet, ſemiſſis noſter vnciam pondere æquaret, neceſſe eſt, qui ne ad dimidiam quidem omni ex parte accedit. Pertinet igitur Q. MARCIVS LIBO, cuius nomen in numis his ſignatum eſt, ad medium illud tempus, quo aſſes vnciales cudi Romæ cœperunt. Factum illud anno circiter DXXXV, Hannibale, vt auctor eſt Plinius, vrgente Marcum, Q. Fabio Maximo Dictatore. Addit, mox lege Papiria Semunciales aſſes factos, vnde colligas, nec vnciales illos aſſes diu obtinuiſſe. Pighius id anno DLXXV tribuit. Ita enim ille: „Cum „hoc quaſi tempore, vt Plinius annotauit libro XXIII. cap. III. „Romæ aſſes ex vncialibus ſemiunciales, lege Papiria, non, vt perpe„ram eſt in exemplaribus, Papiriana, facti ſint, quærendum, quisnam „ille Papirius Trib. pleb. legislator fuerit". Papirianum legis eius auctorem, ipſamque legem Papirianam dictam cenſet Cl. Harduinus, lectionemque adeo dudum proſcriptam a viris doctis atque a ſe ipſo damnatam Plinio ſuo reſtituit, ſubiecta hac annotatione: „Nomina „in *ius* deſinentia apud Romanos primariæ ſunt ſtirpis nomina, vt „Iulius,

L. c. p. 107. L. c. Annal. T. II. p. 343. L. c. p. 612.

„ Iulius, Pompeius, Antonius. At desinentia in *anus* sunt ab vxore „ primum petita, quæ, cum esset hæres ex asse in sua familia, marito „ magnas opes, liberis opimam hereditatem afferret cum nomine. Sic „ Vespasianus a Vespasia coniuge, & filius natu maior, cui addicta „ ea hereditas fuerat, Titus Vespasianus. Sic Domitianus a coniuge „ Domitia, a Seia Seianus; a Valeria Valerianus, Aurelianus ab Au- „ relia Seuerina; & sic alii omnes in numis antiquis. Quamobrem „ interest hoc loco, Papirianum, legis Papirianæ auctorem, a Papirio „ distinguere". Quæ omnia vt iis, quæ in historia Augusta tradidit doctissimus vir, consona, ita admodum paradoxa, imo prorsus aliena a vero nemo sua sponte non facile agnoscet. Cognomina ex propriis gentium suarum tracta nominibus in *anus*, qualia ab Aemilia Aemilianus, a Seruilia Seruilianus adoptatos gessisse constat, neque negari potest, nepotes aliquando ab auis maternis similia tulisse: At similia ab vxoribus nomina maritos sibi adsciuisse, quo tandem argumento constat? An vero, vt cetera mittam, Vespasianus pater cognomen id a coniuge Vespasia, quam fingit Cl. Vir, potius, quam a gente Vespasia, cuius erat mater eius, Vespasii Pollionis filia, Vespasia Polla; Domitianus a Domitia vxore potius, quam a Domitia gente, vnde cognomen maternum Domitillæ, obtinuisse est dicendus? Sed, opinor, periculum non est, ne quis temere persuaderi sibi hæc ac similia patiatur; vnde missis iis, bona lectoris venia, ad alia pergo. Sueton. Vespas. c. 1.

§. IX.

Familiam Numitoriam præter eos, quos Cl. Vaillantius ex Fuluio Patinoque exhibuit, numos, nouis duobus ex gaza nostra ditare licet. *De numis duobus gentis Numitoriæ.* T. II. Tab. CII.



Alter æreus ostentat priori ex parte caput galeatum Romæ cum nota quadrantis, tribus nempe punctis, ex posteriori proram cum iisdem punctis & inscriptione: C. NVMITORI. Infra: ROMA. Ex pondere numi huius constat, asses eo tempore, quo cusus est, vnciales Romæ signari sueuisse. Quo pacto cum res se habeat, referri ille ceterique similes non possunt ad C. NVMITORIVM, cuius Quæstura Prouincialis in annum DCXLVII. Pighio teste, incidit. Eo Annal. T. III. p. 144.

 enim

enim tempore ſemunciales aſſes iam pridem obtinuerant, quemadmodum ex paulo ante dictis facile colligas. Fruſtra igitur Cl. Vaillantius eundem Numitorium, Quæſtura Provinciali ſuſcepta, antequam in prouinciam proficiſceretur, ad ſtipendium militum hos numos Romæ ſignaſſe contendit. Peius etiam Fuluius Vrſinus C. Numitorium huc aduocat equitem Romanum, qui, vt Cicero teſtatur, teſtimonium in Verrem dixit. Verrinæ enim actiones a Cicerone, Aedili deſignato, habitæ ſunt anno vrbis DCLXXXIII. Coſſ. M. Licinio Craſſo & Cn. Pompeio Magno. Ceterum vti in hoc æreo numo, ita & in eo, qui primo loco apud Patinum, ſecundo apud Vaillantium comparet, NVMITORIVM, C. prænomine, non L. notatur. Docent id manifeſte duo eiusdem numi exempla, quæ theſaurus noſter ſeruat, in quibus clariſſime C. NVMITORI, non L. NVMITORI. In ectypo Fuluii expreſſerat chalcographus L. NVMITORI, ſed vitioſe, vt ex eiusdem Fuluii verbis, id quod rectiſſime notauit Cl. Vaillantius, apparet. Ita enim illa habent: „ Numitoriam „ gentem plebeiam fuiſſe, vel ex vno L. Numitorio conſtat, qui „ Trib. pleb. a Liuio deſcribitur Lib. II. & Dionyſ. Lib. XII. C. „ autem Numitorius, qui cudit numum æreum huius tabellæ (vnum „ tantum huius gentis numum protulit Fuluius)" opinor, is eſt, „ qui teſtimonium dixit", *reliqua*. Hæc verba partim truncata, partim mutata exhibuit Patinus, idque non ſatis bona fide. Verba enim, quibus Dionyſii Halicarnaſſenſis teſtimonium aduocatur, in marginem reiecit, & ita Fuluii textum exhibuit: „ Numitoriam gentem.... „ .... plebeiam dictam, vel ex vno L. Numitorio conſtat, qui Trib. „ pleb. a Liuio deſcribitur. C. autem Numitorius, qui cudit po- „ ſtremos numos huius tabellæ" *reliqua*. Alter ex numis ſupra delineatis denarius eſt illi perſimilis, quem ex Patino exhibuit Cl. Vaillantius. Aduerſa eius pars caput galeatum Romæ cum nota denarii * & litteris: ROMA; auerſa quadrigas ſiſtit, quibus Victoria inſiſtit lauream tenens. Infra: C. NVMITORI. Patiniano in denario Cl. Vaillantius Senatorem agnoſcit in quadrigis triumphalibus, cui Victoria per aëra volitans coronam porrigit, ſiniſtra palmam gerens, putatque, indicari numo hoc, magnam a C. Numitorio relatam eſſe victoriam, ob quam triumphus illi fuerit decretus. An igitur in noſtro quoque numo Victoriæ illius triumphique indicium quærendum? Vaillantii quidem auctoritas id ſuadet, qui Victoria, inquit, in bigis (adde: *& quadrigis*) ſolitus erat bigatorum (*& quadrigatorum*) denariorum typus: ſed cum illa lauri ramum, coronam, aut palmam pro flagro gerit, victoriam de hoſtibus relatam ſemper indicat. Sed quam recte ita vir celeberrimus ſtatuat, alii viderint: mihi quidem vti aſſentiar, ægre perſuaſerit.

L. c. p. 179. Lib. VI. in Verrem. L. c. p. 177. p. 192. L. c. p. 180. L. c. T. I. p. 535. V. Memoir. de l'Acad. des bell. lettr. T. I. p. 294.

§. X.

De numo gentis Porciæ. p. 228.

Protulit Patinus ſub familia Porcia numum, cuius aduerſa in parte caput Iouis barbatum cernitur; in auerſa, figura militaris ſtans, dextra pateram tenens, ſiniſtra haſtam cum inſcriptione: CATO. Inde petitum ſuo de numis familiarum Romanarum operi inſeruit Cl. Vaillantius,

lantius, eique alium præmiſit, vnde ei lucem mutuatur. Exhibet ille hinc caput Auguſti nudum, cum litteris: CAESAR TR. POT. illinc ſellam curulem cum inſcriptione : S. CATO PR. Ex hoc ille numo, qui S*extum* CATO*nem* PR*ætorem* nobis ob oculos ponit, Patinianum illuſtrat, ratus, vnum eundemque Catonem vtroque numo exhiberi, Prætorem Ciliciæ, cuius metropolim notari putat monogrammate TAP, quod obſcurius expreſſerat Patinus. Ita enim ille de eodem numo Patiniano: „ Superior Sexti Catonis numus huic lu- „ cem aliquam afferre videtur : ille Catonem fuiſſe Prætorem nobis „ declarat: hic Ciliciam , Prætoris nomine , adminiſtraſſe docet. „ Nam monogramma TAP i. e. Τάρσου, numum Tarſi, Ciliciæ cam- „ peſtris metropoleos, percuſſum arguit". Hic certum ſane, in Patiniano numo monogramma deprehendi, cuiusmodi Cl. Vaillantius obſeruauit, & quo TAPσος videtur poſſe deſignari. Nam idem & Morellianus ectypus exhibet, non hac tantum parte emendatior atque accuratior Patiniana delineatione, ſed &, quod militi clypeum adiungit, Iouisque caput laureatum exhibet, ex quibus, tametſi non adeo magni id momenti videri poteſt, neutrum expreſſum dedit Cl. Vaillantius. Sed quod hinc Catonem Prætorem Ciliciæ elicit , id nollem, viro celeberrimo harumque rerum ceteroqui callentiſſimo excidiſſet. Neque enim in Ciliciam prætores mittebantur , quam non inter Senatus Populique, ſed inter Cæſaris prouincias refert Dio Caſſius. Alium proinde numus Patinianus, ſi Tarſi ille nomen præ ſe fert, ſiſtit Catonem eumque diuerſum a S. CATONE, cuius ſub Auguſto Cæſare numum cum ſella curuli exhibuit Cl. Vaillantius, cui ſi geminus quærendus eſt, gaza eum Fridericiana ſuppeditare poterit.

T. II. Tab. CXVII.

p. 299.

Lib. LIII. p. 505.



Aduerſa pars lauream ſiſtit cum litteris S. CAO. auerſa arietem cum ſtella. Nemo dubitauerit, vt puto, quin idem *Sextus* CATO hoc numo deſignetur, cuius in Cl. Vaillantii numo vna cum ſella curuli. Præturæ inſigni, nomen expreſſum cernitur. Id videndum, an non ex eo colligi poſſit, quamnam prouinciam ille Prætoris nomine rexerit. Eius rei indicium præ ſe fert, quemadmodum arbitror, aries cum ſtella auerſa in parte expreſſus, ſymbolum, vt videtur, Bithyniæ, quo metropolis eius, Nicomedia, in numis Antinoi vtitur, ob præſtantiam paſcuorum. Nam χῶραν ἀρίστην βεβοσιόις; *regionem, vbi optima ſunt boum paſcua*, Bithyniæ tribuit Strabo, id quod ad boum paſcua non minus, quam ouium pertinet. Hinc eiusdem Nicomediæ aliarumque Bithyniæ vrbium numi Mercurium exhibent , cuius ad pedes aliquando aries cernitur perinde vt in ſtatua illa Mercurii apud Pauſaniam qui eius rei rationem reddit, ὅτι Ἑρμῆς μάλιστα δοκεῖ Θεῶν ἐφορᾶν καὶ αὔξειν ποίμνας κτλ. δὴ καὶ Ὅμηρος ἐν Ἰλιάδι ἐποίησεν.

Lib. XII. p. 565.

Corinth. p. 117. Edit. Lipſ.

Υἱὸν

Conf. Hom. H. ξ. ℣. 490.

Υἱὸν Φόρβαντος πολυμήλου, τὸν ῥά μάλιστα
Ἑρμείας Τρώων ἐφίλει καὶ κτῆσιν ὄπασσε.

hoc est; *quod vnus præ ceteris Diis Mercurius gregum curam gerere eosque augere existimatur, vt Homerus in Iliade significat:*

Filius Phorbantis ouium greges maximos habentis, quem maxime Mercurius ex Troianis amauit, ac bonis ditauit.


Id videtur obstare, quo minus Bithyniam rexisse credi possit S. CATO hic, quod, qui iis partibus fungebantur in illa prouincia, ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ, *Proconsulis*, non *Prætoris* nomine in monumentis hisce fere vtuntur, cuius rei exempla collegit vir dignitate non minus, quam doctrina illustris Ezech. Spanhemius. Sed, prout idem obseruat, & Tacitus Marcellum, Bithyniæ Rectorem, *Prætorem*, non Proconsulem rectissime appellat, „ quod Populi, non Cæsaris prouincia foret ex Augusti diuisione Bithynia, quæ vtique vna erat e decem Prouinciis „ Senatui Populoque Romano ab Augusto relictis, ad quas regendas „ mittebantur viri Prætorii, sicut Consulares ad duas nobiliores prouincias, Asiam & Africam, administrandas. Prætor itaque Tacito „ vocatur hic Marcellus, (vt in numo superiori S. CATO) ratione „ Prouinciæ Prætoriæ, qualis erat Bithynia; haud aliter ac Cyprus „ *Prætoria Prouincia* vocatur alibi a Strabone, quod nempe viri *Prætorii* demum ad eas regendas mitterentur, non autem *Consulares:* „ quanquam omnibus prouinciarum Populi Rectoribus, tam Consularibus quam Prætoriis, communis esset illa Proconsulis appellatio, „ vt aperte docet Dio, ac firmant aliunde numi ac lapides antiqui".

T. II. p. 593.
Annal. L. I. c. 74.
Lib. XIV. p. 684.
Lib. LIII. p. 504.

§. XI.

De numis duobus Rubriæ & Semproniæ gentis.

Quos iunctim exhibeo, gentium Rubriæ & Semproniæ numos produxit iam Cl. Vaillantius.



Sed is aduersam partem prioris minus emendatam dedit. Caput enim Iani

Iani cum cippo nescio quo sistit, Fuluium Patinumque secutus, quorum iconem ille repetendam duxit. At monuerat pridem Morellius noster *aram cum imposito serpente* mediam inter duas Iani facies deesse in secundo familiæ EPPIAE numo, idemque & in septimo gentis RVBRIAE, (qui præsens est) accidisse. Hæc nihil moratus Cl. Vaillantius, vt EPPIAE, ita & RVBRIAE gentis numum, vt erat, vitiose delineatum lectori exhibere, quam Morellium audire maluit, ratus, vt arbitror, rem nullius esse momenti, tametsi inde non male, vt puto, coniectat Morellius, fuisse ex hisce familiis legatos ad accersendum ex Epidauro Aesculapium missos. Hausit id ex Fuluio, qui de simili ara cum serpente in duobus eiusdem RVBRII DOSSENI numis expressa, „ videtur, inquit, Rubrius hic quicunque fuerit fami„ liæ suæ monumentum celebrare voluisse, cum anguem aræ inuolu„ tum & attollentem caput, in primo argenteo numo & sexto æreo „ signauit. Aut enim Salutis ædem ipse restituit, aut maiorum suo„ rum aliquis vnus fuit ex iis legatis, qui ad accersendum ex Epidau„ ro Aesculapium missi sunt". Quod enim addit Morellius, videri ad rem Medicam potius numos hosce pertinere, comprobante id Plinii testimonio, Rubrios inter celeberrimos Medicos apud Principes recensentis, ea in re vereor, vt posteriores cogitationes prioribus præferri possint. Cum enim stante republ. numus cusus videatur, Rubrii autem Medici sub Principibus Romanis floruerint, sponte sua consequitur, L. RVBRIVM DOSSENVM, qui ante vixerat, ea re se venditare nullo modo potuisse. Ceterum an hic L. RVBRIVS idem sit, de quo Cæsar in suis de Bello Ciuili commentariis, id quod coniectat Fuluius, ego quidem dubitare nolim cum Cl. Vaillantio, si dubitandi alia nulla sit causa, quam numum hunc assem vncialem esse, qui Rubrium antiquiorem arguere videatur. Neque enim is, quem produxi vncialis, sed semuncialis, perinde atque alter ille gentis Semproniæ, quem & Goltzianum & argenteum notæ G. & Æ apud Vaillantium falso produnt. Neque enim Goltzio ille notus & æreum ipse Vaillantius in explicatione subiecta appellat. Ita enim ille: „ Hic „ numus primi moduli æreus a L. Sempronio Atratino, Augurali „ Sacerdotio prædito & M. Antonii Triumuiri legato percussus est, „ pro asse solito, ad formam illorum, quos Sex. Pompeius in Sicilia „ cum hac epigraphe MAG. PIVS IMP. signauit". Sed neque primi moduli appellari potest numus, cuius magnitudinem veram ectypus supra allatus docet, neque contendi cum Pompeiano, nisi quod ad symbola attinet: vtrobique enim caput Jani imberbe & rostrum nauis. Ceteroqui Sexti Pompeii numus L. ATRATINI AVGVR*is* numum & mole & pondere longissime superat, ita, vt si hic as sit, ille iure meritoque dupondius haberi possit.

Ad Perizl. p. 170. sq.

Lib. XXIX. cap. 1. Sect. V. T. II. p. 494.

Lib. I. c. 23.

T. II. p. 341.


T. II. p. 371.

§. XII.

Neque gentis Sosiæ Titurìæque numos prætermisit Cl. Vaillantius, quos subiicio.

De duobus gentis Sosiæ & Tituriæ numis.

Sosiæ



Soſiæ gentis numus hinc caput M. Antonii Triumuiri exhibet cum litteris: IMP. & ſtella cuſo iam numo impreſſa, illinc aquilam fulmini inſiſtentem, prope quem caduceus, inſcriptionemque C. SOSIVS Q. ΣA. Primus eius adſpectus docet, nihil eum differre magnopere a Goltziano, cuius aduerſa pars ſtellam huic noſtro ſimillimam ob oculos ponit. Eius iconem cur repetere, quam nouam ex numo theſauri regii Gallorum, quem ſe vidiſſe teſtatur, exhibere maluerit Cl. Vaillantius, neſcio. Morellius quidem noſter, cum æque Goltzianum numum repræſentare potuiſſet in ſuo de numis familiarum Romanarum opere, omiſſo eo alium ab ſe viſum, ac forte eum ipſum, qui in gaza Verſalienſi aſſeruatur, delineandum duxit. In eius ectypo nulla ſtella pone caput Antonii, contra littera Q. poſt C. SOSII nomen, perinde vt in noſtro, quæ C. SOSIVM M Antonii triumuiri in Aegypto, vbi cuſum eſſe numum, ſymbolum aquilæ fulmini inſiſtentis, Aegyptiis numis ſolenne, arguit, Quæſtorem fuiſſe declarat. Ceteroqui in eodem ectypo Morelliano obſcurius notatæ comparent litteræ ZA, quas velut clariſſime expreſſas poſt Goltzium ſiſtit Cl. Vaillantius. De his ille: „ Nos paulum torquent litteræ ZA, inquit, quas ipſiſſimis oculis integras in numo theſauri Regis „ Chriſtianiſſimi vidimus: an vrbem, in qua cuſus eſt arguunt? Ioſe„ phus Bell. Iud. Lib. II. c. 22. Zabulon Galilææ ciuitatem nominat, „ de cuius pulchritudine ſic ait, quippe domus habebat ſimiliter, vt „ apud Tyrum & Sidona & Berytum, ædificatas. Soſius in ea pro „ exercitus impenſis, monetam ſignare potuit. Moris erat per ini„ tiales litteras vrbium nomina deſignare". Sed haud immerito hic quæras, nomen vrbis Galilææ quo pacto quadret in numum, quem, iuxta cum ſculptura ſymbolum auerſæ partis Aegypto addicit. Neque ZA, ſed ΣA in numo legitur, vt puto; certe ita noſter clariſſime exhibet, prout omnes fatebuntur, quicunque eum oculis vſurpauerint. Eæ vero litteræ initiales in numis Ptolomæorum haud raro occurrunt, ſiue illa ΣΑλαμῖνα, vrbem Cypri, ſiue, quod mihi veroſimilius fit, ΣΑιτῶν vrbem deſignent, vt mirum proinde videri non poſſit, easdem in numo hoc, quem artificium & effigies aquilæ fulmini inſiſtentis inter Aegyptios referre iubet, expreſſas cerni. Sed hactenus de numo gentis

gentis Sosiæ paulo pluribus: pauciora monenda erunt de familiæ Tituriæ numo, qui caput Iani proramque exhibet, cui Victoria insistit cum inscriptione: L. TITVRI. L. F. SABNVS. Cl. Vaillantius non tantum Victoriam, sed & litteras L. F. quæ declarant, L. TITVRIVM *Lucii Filium* fuisse, omisit. Ceterum as hic, perinde atque alius, qui nomini L. TITVRI litteras ROMA subiungit, pondere non vncialem, sed semuncialem reddit. Posteriorem Romæ, priorem ob omissam eius mentionem in Prouincia signatum censet Cl. Vaillantius, quam recte, alii viderint. L. TITVRII SABINI, sed diuersi haud dubie, mentio in vetere inscriptione apud Gruterum; p. DCCCCLVI.

M. VALERIVS. DIVS
FECIT VALERIAE CHREST
LIB. SVAE. CARISSIMAE ET
M. VALERIO TERTIO LIB. SVO
ET. VALERIAE. PRIMAE. LIB. SVAE
HOC. MONVMENTV. L. TITVRIVS. SABINVS. SE. VIV
O. DONAVIT. L. SALVIO. SYMPHORO. MANCV
PAVITQVE. SESTERTIO. NVMO. VNO.

§. XIII.

Atque hæc ad supplenda, quæ de numis familiarum supra dicta sunt, cuiusdam spicilegii instar subiunxisse satis sit: ad numos Imperatorum pergo, quorum supplementa haud pauciora ad manum sunt, partim recens thesauro nostro ex museo potissimum Thomasiano adiecta, partim ex loculis nostris, postquam superiora iam scripta essent, mihi aliud agenti oblata. Initium faciat rarissimus Iulii Cæsaris numus ex classe æreorum altera. *De numo Iulii Cæsaris.*



Aduersa eius pars caput Iulii laureatum sistit vna cum epigraphe: LAVS IVLIA CORINthus. Auersa in parte Pegasus cernitur. Inscriptio: CERTo MÆFICIO C. IVLIO II. . . . . Geminum numum, nisi quod auersæ typus simul cum Pegaso Bellerophontem sessorem exhibet, pridem edidit Tristanus, suoque more explicatum dedit. T. I. p. 28. De qua quidem explicatione Raphael Fabrettus: „ Frigidulus est in De Col. Trai. p. 11. sq.

 „ suo

„ ſuo numo explanando Triſtanus, qui referens id, quod Appianus „ in fine Punicor. de hac Corinthi reſtauratione tradidit, *Iulium ſcilicet ſomno monitum eam propoſuiſſe, Auguſtum, codicillis patris de ea re repertis, exequutum*, huius rei veſtigium in eodem numo ſeſe reperiſſe iactat, imaginem quippe Cæſaris, quia oculos clauſos oſtendit, „ eum iam fato functum indicare. Proh minutam & contemptibilem in viro docto ſubtilitatem! nec vlli forſan veritatis vmbræ innixam; quia vltra Plutarchum, temporibus Cæſaris proximiorem, „ ſcriptoremque in Græcorum præſertim rebus accuratiſſimum, & Dio „ lib. XLIII. idem prolixe tradit; & (quod maximam apud me auctoritatem obtinet,) Pauſanias lib II. non ſemel, ſed bis hoc idem „ affirmat". Sed videtur iniuriam facere doctiſſimo Triſtano Fabrettus, qui, quæ in priori Tomi primi editione excidere ſibi paſſus eſt peritiſſimus numorum interpres, in poſteriori vero prætermiſit, tam inuidioſe acerbeque ei exprobrat. Nam in hac eandem ille quidem de colonia Corinthi ſub Auguſto demum deducta ſententiam ſequitur, ſed eius rei argumentum ex clauſis Iulii Cæſaris oculis, qui e viuis eum exceſſiſſe arguant eo tempore, quo numum hunc cuderunt Corinthii, nullum petit, tametſi eosdem ibi etiamnum agnoſcit. Eundem vero numum poſtea Patinus primo inter numos familiarum Romanarum, deinde diuerſum nonnihil inter numos Imperatorum mediocris & minimæ formæ produxit. Ibi enim Bellerophon tantum Pegaſo vectus, perinde vt apud Triſtanum, hic præterea Chimæra, quacum pugnat, ſculpta cernitur. Inſcriptio neutro loco emendatior, quam Triſtanus eam dedit, priori tantum: IVLIO IIVIR. poſteriori: L. ATO.., IVLIO IIVIR. Eam ex numo integriori, qui Bellerophontem iuxta cum Chimæra auerſa in parte ſiſtit, ſupplere conatus eſt Cl. Vaillantius legendo: L. CERTO. ÆPPIO C. IVLIO IIVIR. Sed num acu rem tetigerit, haud ſcio: Neque enim ÆPPIO priori Duumviro nomen in numo theſauri noſtri, ſed MÆFICIO, qua in voce vt dem, de littera M dubitari poſſe, quæ minus clare expreſſa eſt, ceteræ tamen: ÆFICIO tam clare extant, vt dubitare de earum veritate nullo modo liceat. Ceterum vnus, quod ſciam, hic numus nomina Coloniæ huius a Iulio Cæſare deductæ diſtincte exhibet: LAVS IVL*ia* CORINT*hus*. Quem enim præterea producit Cl. Fabrettus, ſymbolo Neptuni ſedentis, dextraque Delphinum, ſiniſtra tridentem tenentis, inſignem, in quo legi ait: COL. IVL. LAV. COR. is huc non ſpectat, perperamque ab eo deſcribitur. Domitiani enim eſt, cuius inſcriptio vera: COL. IVL. FLAVIA. COR. in qua IVLIAE cognomini cognomen FLAVIAE Corinthus iunxit.

[Margin: L. c. conf. p. 485. — p. 133. — p. 18. — Num. Colon. T. I. p. 2. Num. famil. Rom. T. I. p. 524. — v. Vaill. L. c. p. 140.]

§. XIV.

[Margin: *De numo Theſſalonicenſium.* Numiſm. Græc. p. 2. Opp. Sell. p. 69.]

Profert Cl. Vaillantius M. Antonii numum, quem ſuum appellat, tametſi eundem ex theſauro Gallorum regio, quo fortaſſe tranſiit poſtea, recenſet Societatis ſuæ ornamentum Io. Harduinus, in quo hinc expreſſa cernuntur capita aduerſa M. Antonii & Auguſti nuda cum inſcriptione: ΑΥΤΟΚΡ. Μ. ΑΝΤΩΝ. ΑΥΤΟΚΡ. ΚΑΙΣΑΡ. Altera eius

eius facies coronam, cuius in vertice aquila, quernam oſtentat, cum inſcriptis litteris : ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ. Huic numo iungendus ſequens, quem gaza Fridericiana ſeruat.



Aduerſa pars exhibet caput fœmineum cum inſcriptione : ..... ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ, h. e. ..... *Theſſalonicenſium* ; auerſa Victoriam gradientem, quæ dextra porrecta lauream tenet, ſiniſtra palmam. Inſcriptio : Μάρκ☉ ΑΝΤώνι☉ ΑΥΤοκράτωρ, Γάϊ☉ ΚΑΙσαρ ΑΥΤοκράτωρ, h. e. *Marcus Antonius Imperator* , *Caius Cæſar Imperator.* Quod matricem parti aduerſæ numi inter cudendum minus recte applicauit monetarius, litteræ pone caput fœmineum haud extant, ita vt legi poſſint. Vnde qui nomina M. Antonii & Caii Cæſaris, qui poſtea Auguſti nomen tulit, auerſæ parti inſcripta, ſuperioremque numum, qui eorundem capita ſpectanda ſiſtit, conſiderauerit, non male coniiciat fortaſſe, caput illud fœmineum Octauiæ eſſe, ſororis Cæſaris, quam poſt Fuluiam extinctam M. Antonius, reconciliata cum Cæſare gratia, in matrimonium duxit. Eius enim vultum numis expreſſum reperiri, nemo iure negauerit, vt puto. Sane in eo, quem Cl. Seguinus edidit, eundem haud quæſierim , tametſi viri elegantiſſimi ſententia ſuffragio ſe illuſtris viri Ezech. Spanhemii tuetur. Ita enim ille : „ OCTAVIA „ ſe quoque numo conſpiciendam præbet, recenti beneficio rariſſimi „ numi , quem Cl. Seguini induſtria detexit. Facile enim optimo „ rei antiquariæ promicondo aſſentior, vt non aliam ſignet expreſſa „ mulieris facies cum iunctis fratris Auguſti & mariti Antonii capiti„ bus". Quæ quidem omnia vt loco ſuo facile relinquo , ita fieri tamen poteſt, vt verior ſit Vaillantii ſententia, qui vultus tres numi illius, quem & in ectypis Morellianis familiarum Romanarum, perinde vt apud Seguinum extat, delineatum reperio, ad Antonios, patrem ac filium, itemque Cleopatram refert. At Octauiam , ne de ſingulari numo nunc loquar , quem vir ſummus paulo ante laudatus apud illuſtrem matronam Fel. Rondanini ſe vidiſſe teſtatur, hinc caput Auguſti, illinc iuncta M. Antonii & Octauiæ capita exhibente, certiſſime exhibet numus in hiſtoria Corcyræ, ab Andrea Marmora edita, vulgatus, qui hinc capita M. Antonii & Octauiæ iuncta cum inſcriptione : M. ΑΝΤΩΝΙΟΣ ΟΚΤΑΒΙΑ, illinc nauem exhibet cum inſcriptione : ΚΟΡΚΥΡΑΙΩΝ ΦΙΛΩΤΑΝ. Ei ſimilem, tametſi, quod ad litteras partis aduerſæ attinet, minus integrum, in Gaza Foucaldina, quæ nuperrime cum Parmenſi felicibus auſpiciis coaluit, reperit Cl. Gallandus, de eoque diſſeruit in conſeſſu illuſtrium virorum, qui regio in Gallia nutu culturam bonarum artium inuidendo exteris nationibus exemplo prouehunt. Vt igitur iunctim cum Antonio in numo

Select. Numiſm. p. 106.

L. c. T. II. p. 276.

v. Not. & Obſerv. ad Seguin. p. 405. ſqq.

L. c. p. 276.

Hiſtoria di Corfu. Lib. III. p. 156.

Vid. Memoir. de l'Acad. de Inſcr. & de bell. lett. ab anno 1711. vſque ad 1718. Tom. II. p. 321. ſeqq.

eo expressa occurrit Octauia, ita fieri potest, vt vnam eam præseris exhibeat, perinde ac superior Vaillantio laudatus fratris ac mariti vultus ob oculos ponit. Templum sane eius non apud Thessalonicenses quidem, qui numum hunc cuderunt, sed apud Corinthios commemorat Pausanias: Ὑπὲρ τε τὴν ἀγορὰν ἐστὶν, inquit, Ὀκταβίας ναὸς ἀδελφῆς βασιλεύσαντος Ῥωμαίων μετὰ Καίσαρα τὸν οἰκιστὴν Κορίνθου τῆς νῦν, h. e. vt vertit interpres, *Vltra forum Octauiæ ædes est sororis Augusti, qui Cæsari in imperium Rom. successit, ei nempe a quo est Corinthus restituta.* Sed eiusdem numi nostri delineationem integriorem ectypi Morelliani familiarum Romanarum seruant, ex qua patet, inscriptionem aduersæ partis esse: ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ ΕΛΕΥΘΕΡΙΑΣ, h. e. *Thessalonicensium libertatis*, vnde patet, caput illud fœmineum Libertatis esse, nisi forte statuendum sit, hoc ipso Libertatis capite Octauiam repræsentari. Libertatem vero merito iactant Thessalonicenses, de quarum vrbe Plinius: „ Thessa- „ lonica liberæ conditionis".

Corinth. p. 116. Edit. Lipf.

Lib. IV. c. X. sect. XVII. T. I. p. 202. Edit. nouiss. Hard.

§. XV.

De numo Augusti cum litteris C. I. A. D.

Succedunt Augusti numi haud vni, ex quibus primo se mihi loco sequens offert, qui perinde ad secundum æreorum numismatum ordinem pertinet.



Aduersa eius pars caput Augusti nudum exhibet, cum inscriptione: AVGVSTVS CAESAR, auersa Palladem stantem, quæ dextra pateram, sinistra hastam tenet: Epigraphe: C. VRMIVS. M. HERENNIVS IIVIR*i* QVIN*Quennales*, & in area numi C. I. A. D. De IIV*iris* Quinquennalibus C. VRMIO, cuius nomen, ita vt scripsi, in numo legitur, tametsi simile, quod sciam, nuspiam occurrit, & M. HERENNIO alii viderint; nos, quid de litteris C. I. A. D. quibus coloniæ nomen, cuius illi duumuiri fuere, delitescit, statuendum sit, disquiremus. Eædem illæ occurrunt in numo, quem & sub Augusto & sub Tiberio exhibet Cl. Vaillantius, interque conspicuos rariores & elegantes referendum censet, cuius altera pars caput Augusti radiatum, altera Tiberii laureatum sistit. Eum Dertosæ, vrbi Hispaniæ Tarraconensis, tribuit celeberrimus vir, litterasque C. I. A. D. interpretatur: *Colonia Iulia Augusta Dertosa*; Dertonæ Italiæ Cl. Harduinus. Sed quod ad posteriorem sententiam attinet, monet Cl. Vaillantius „ numos Imperatorum in Italiæ coloniis signa- „ tos vix ac ne vix quidem reperiri, quod eis monetæ cudendæ fa- „ cultas haud concessa videatur; contra, frequentes Hispaniæ colonia- „ rum numos cum Augusti & Tiberii effigie occurrere, eorumque for- „ mam

Colon. p. 33. 77.

Num. Vrb. & pop. Opp. Select.

„ mam rudem in hoc ipso numo deprehendi". Sed vt celeberrimi Harduini sententiam Cl. Vaillantius oppugnat, ita nec Harduino deest, quo Vaillantii opinionem labefactet. Obseruat enim, Dertosam in Hispania municipium fuisse, minime coloniam, habetque ea ex parte ὁμόψηφον virum summum, Ezechielem Spanhemium, cuius auctoritas in his litteris quanti facienda sit nemo ignorat. „ Vt mittam, inquit ille, T. II. p. 597.
„ qui adducitur a Goltzio in Tiberio, numum cum inscriptione:
„ MVN. DERTOSA, Municipium fuisse Dertosam abunde in-
„ nuit, quod vir eximius non aduertit, Plinius, dum ait: *Tarracone*
„ *disceptant populi LII. quorum celeberrimi ciuium ROMANORVM Der-*
„ *tosani*, quod de municipiis demum ab eo dici sat liquet, vt paulo
„ ante vidimus. Adeo vt alia quaerenda videatur interpretatio initia-
„ lium, in numo ab illo adducto litterarum: C. I. A. D". Quod si igitur neque Dertonam Italiae, neque Hispaniae Dertosam hae litterae designant, quo tandem sensu explicandae erunt? Ego quidem in praesenti eas numo de *Colonia Iulia Augusta Diensi*, Macedoniae vrbe, de qua Geographi videndi, interpretor. Arguit eam typus Mineruae, Macedonum numis admodum familiaris, qui & eadem plane ratione in numis huius coloniae sub Antonio Pio, & Seuero occurit. Mineruam eam Alcidam recte interpretatur Cl. Vaillantius ex Liuio, qui de Perseo, „ Ipse centum hostiis sacrificio regaliter Mineruae, quam vocant „ Alcidam, confecto, cum purpuratorum & satellitum manu profectus „ Citium est". Quin eaedem litterae in superiori Augusti numo, eandem in sententiam explicandae sint, nemo, vt arbitror, dubitauerit.

Vaill. Col. T. I. p. 171. T. II. p. 11. Lib. XLII. c. 51.

§. XVI.

De duobus eiusdem Augusti numis.

Sequentis numi exempla duo, quae thesaurus noster museo Thomasiano accepta refert, mutuam sibi operam praestant, ita vt, cum neutrum, absque altero si sit, explanari recte ac feliciter possit, (neutrum enim vel symbola vel litteras impressas omni ex parte exhibet) iuncta tamen clarissimam sibi lucem affundant. Propitia enim fortuna accidit, vt, quicquid alter numus obscurius ob oculos ponit, alter euidentius exhibeat, quam ob causam & vtrumque delineatum sisto.



Vtrumque aerugo, sed alterum fusca, viridis alterum obduxit. Vtri-

 usque

usque aduerſa pars caput Auguſti nudum ſatis manifeſte repræſentat. Sed litteræ ſuperiores in altera, in altero inferiores vel deſiderantur prorſus, vel ita obliteratæ ſunt, vt oculorum aciem fugiant. Ex vtroque conſtat legendum eſſe: AVGVSTO C. I. N. C. NO. EX. D. D. Quod ad auerſam partem attinet, res perinde ſe habet; Quæ enim in area expreſſa eſt, figura militaris, dextra Victoriam, ſiniſtra haſtam tenens, quid ſibi vellet, vix ſatis pateret, niſi in altero litteræ RO, & MA in altero, id docerent. Ex iis enim coniunctis vox ROMA efficitur, quam figura illa ſtans repræſentat. Quod ſi inſcriptionem ſpectemus, priorem eius partem alter, nempe: C. I. N. NO. CAES. CITER. alter poſteriorem reddit, nempe: PLOTIO PLEB. IIVIR. Numos Coloniæ Romanæ eſſe apparet, cuius IIVIR fuit PLOTIVS PLEBEIVS, quod cognomen in antiquis inſcriptionibus haud ſemel legitur. Inde non mirum, matris ROMAE typum in iis obſeruari. Quænam vero colonia illa ſit, litteræ declarant C. I. N. C. NO. & luculentius auerſæ partis inſcriptio: C. I. N. NO. CAES. CITER. Poſterius legendum haud dubie: *Colonia Iulia Noua* N*Orba* CAES*ariana* CITER*ior*, ac proinde & prius conuerſis duabus vocibus: *Colonia Iulia Noua Cæſariana* N*Orba*. Plinius inter colonias Luſitaniæ N*orbenſem Cæſarianam* cognomine refert, eamque ad Tagi citeriorem ripam ſitam fuiſſe, qua de re, quod Ptolemæus, qui Νώρβην Καισαρείαν, h. e. *Norbam Cæſaream*, a fluuio in Auſtrum reduxit, viri docti dubitarunt, vox CITER. in numo hoc declarat. Hanc ipſam coloniam deſignat C. & L. CAESARVM numus, in quo litteræ: C. C. N. C. quas interpretantur vulgo, *Colonia Concordia* N*orbenſis Cæſariana*. Qua de re vt conſentiunt viri clariſſimi, Vaillantius & Harduinus, ita mirum eſt, in iisdem fere ac poſtremis inprimis litteris N. C. explicandis, vbi ad alios numos deuentum eſt, eos in diuerſum abire. Sic C. I. N. C. in numo Auguſti, cuius auerſa in parte *labyrinthus*, Vaillantio eſt, *Colonia Iulia* N*oua Carthago*; Harduino, *Colonia Iulia Norba Cæſariana*, & in numis Neronis & Druſi itemque Caligulæ, C. V. I. N. C. rurſus Vaillantio eidem, *Colonia Victrix Iulia Noua Carthago*; & Harduino, *Colonia Victrix Iulia Norba Cæſarea*. Sane Carthago fere per litteram K deſignatur in numis, cumque epitheta Iuliæ & Victricis in Norbam Cæſarianam non minus, quam in Carthaginem nouam quadrare videantur, illa etiam Iuliæ cognomen in numis ſuperioribus manifeſte gerat, equidem, cur Vaillantio potius, quam Harduino hac in cauſa aſſentiendum ſit, non video. Ceterum, quod Concordiæ cognomen in his numis non obſeruatur, non magis eos Norbæ Cæſarianæ abiudicat, quam quod idem cognomen in præſenti, qui haud dubie ad hanc coloniam ſpectat, deſideratur.

Lib. IV. p. 229. ſect. 35. T. I.

V Cell. Geogr. antiqu. lib. I. c. 1. T. I. p. 72. Ap. Vaill. Col. T. I. p. 61. ſq.

L. c. p. 26.

Opp. Sell. p. 126. de num. Vrb. & pop.

§. XVII.

De numo Polemonis cum capite Auguſti. Specim. Tab. XV. p. 552. De num. Vrb. & pop. p. 109. Opp. ſell.

Numum ex collegio Ludouici magni in vrbe principe Gallorum Cl. Morellius protulit, quem & laudat Cl. Harduinus, in quo hinc caput Auguſti cum inſcriptione: ΜΥΛΑΛΕΩΝ, illinc corona laurea, in qua: ΓΡΑΜΑΤΕΥΟΝΤΟΣ ΥΒΡΕΟΥ. Ei non abſimilis videtur, quem

quem subiicio, nisi quod litteras ille integras, quantum ex descriptione eius colligere licet, hic mutilas temporisque iniuria corruptas exhibet, id quod monendum ante omnia duxi, vt apud æquos iudices paratior mihi venia sit in descriptione eius forte a vero aberranti.



Caput Augusti aduersa pars, perinde vt laudatus paulo ante numus, nudum exhibet. Sed inscriptio: ΠΟΛΕΜΩΝΟΣ ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ...... h. e. *Polemone summo sacerdote*, ... Auersa in parte sella expressa est, cum epigraphe: K. ENNAT. ΔΥΝΑΣΤΟΥ . . . . . ΗΣ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΚΛ ΜΥΛΑΑΣΣΕΩΝ L. IA. h. e. *& nono Dynasta . . . . . sanctæ & . . . . Myllassensium anno XI.* Inscriptionem neutrius partis integram præfert numus, nihilominus & vrbem tamen, quæ percutiendum eum curauit, & nomen Polemonis dignitatemque eius duplicem, summi sacerdotis nempe, & Dynastæ eiusque noni itemque epocham IA satis manifeste ob oculos ponit. Quod ad vrbem attinet, declarat eam vox ΜΥΛΑΑΣΣΕΩΝ, quæ in aliis numis, eoque ipso etiam, quem supra adduxi, cum nullius litteræ geminationem agnoscat, pridem obseruauit Ill. Spanhemius „ recte Stephano per vnum De Vsu & „ σ scriptum Μύλασα & gentile eius Μυλασεὺς, emendandosque præter præst. num. Edit. Amstel „ Strabonem ac Ptolemæum cum Arrianum, apud quem Μύλασσα scri- p. 905. „ bitur, tum Polybium in Excerptis Valesianis Μυλασσεῖς ϗ Ἀλαβανδεῖς „ pro Μυλασεῖς". Sed numis numum præsentem opponas licet, in quo non tantum littera Σ sed & Α geminatur. Quæ quidem geminatio peculiari forte Carum dialecto debetur, quos βαρβαροφώνους vocat Homerus, quod quo pacto capiendum sit, fuse Strabo docet, qui ἀπὸ τοῦ Lib. XIV. Καρίζειν, *a Carissando* τὸ Βαρβαρίζειν, *barbarissare* in artes Græce loquendi p. 661. sqq. traductum esse obseruat. Eius rei exemplum ex Eustathio producit Ill. Spanhemius, voces masculini generis fœminino ab iis efferri sueuisse L. c. Edit. ac viciſſim. Sed ad Polemonem pergamus, cuius nomen clarissime ex- Lond. T. I. pressum cernitur, non minus ac dignitas duplex, altera ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ, p. 518. ΔΥΝΑΣΤΟΥ altera. Ad priorem quod attinet, ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ quidem titulus fere in Asiæ minoris vrbium numis occurrit, atque aliquando iunctim cum titulo ΑΣΙΑΡΧΟΥ. De vtriusque vi & potestate videnda, quæ post alios collegit vir summus paulo ante laudatus. In T. I. p. 416. numo quidem Mylasensium ΑΡΧΙΕΡΕως dignitas haud dubie ad tem- sq. plum Iouis militaris, cuius sacerdotium nobilissimos quosque ciues per omnem vitam gessisse Strabo docet, eiusque ἐφορίαν potissimum spectat, Lib. XIV. quanquam & ædem Iouis Osogo, qui Ogoa Pausaniæ dicitur, item- p. 650. Lib. VIII. que Iouis Carii etiam idem commemorat Strabo. Haud paulo rariores p. 619. Edit. in numis ΔΥΝΑΣΤΑΙ, quo nomine quondam vsi Cariæ reguli, prout Lipſ. ex Diodoro Siculo constat, qui Hecatomno, Mausolo, Artemisiæ, Lib. XIV. Idrico, Adæ, ac Pixodaro hanc ipsam ΔΥΝΑΣΤΟΥ appellationem, p. 447. 459. 504. 532. 534.

atque 546. 549.

atque adeo, quod inde consequitur, τὸ δυναςεύειν tribuit. Ei ὁμόψηφος numus hic, qui Mylasensium, Cariæ vrbis Dynastam sistit; meritoque adeo suspecta viris doctis visa est numi Goltziani fides, in quo: [Thes. p. 245. sq.] ΜΑΥΣΩΛΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ, ne de alio numo ΜΕΝΑΝΔΡΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ loquar, quem Cariæ regulo asserit Goltzius, de quo Ill. Spanhemius consulendus. [L. c. p. 517.] Neque vero ΔΥΝΑΣΤΗΣ tantum appellatur Polemon, sed &, vti appareat, quotus ordine fuerit, ΕΝΝΑΤΟΣ *nonus*. Nempe ab Hecatomno inde vsque ad Alexandri magni tempora octo Dynastas Caria habuit, si gestam bis distinctamque adeo tempore dynastiam Adæ, Hecatomni filiæ, bis numeremus. [V. Rein. Reinecci Histor. Iul. p. 11. p. 76. sq. Strab. Lib. XIV. p. 656. sq.] Hecatomno enim Mausolus successit, qui sine prole decedens dynastiam Artemisiæ, coniugi itemque sorori, reliquit. Ea extincta, summa rerum ad fratrem Hidricum peruenit, quo rursus mortuo, iterum vxor illius itemque soror, Ada, Cariæ præesse cœpit. Eam dignitate spoliauit Pixodarus, tertius Hecatomni filius, adeoque Adæ frater, cumque Persis faueret, Satrapam in regni partem vocauit, qui Pixodari filiam sibi matrimonio iunxit, eoque fatis suis perfuncto Halicarnassum partemque adeo regni potiorem tenuit. Sed Adæ dignitatem pristinam restituit Alexander Magnus, quæ cum e viuis excessisset, mutato rerum statu Caria Satrapis primo, ac postea Seleuci posteris paruit, vsque ad Antiochum magnum. Quo victo, Rhodii eam tenuerunt permissu Populi Romani, qui tamen eundem illis postea ademit, quod Perseo, vltimo Macedonum regi, studuissent. Igitur post Adam, quæ dignitati restituta suæ octauo ab Hecatomno parente loco Cariæ præfuerat, Dynastæ nulli in Caria, ita, vt Polemon hic iure nonus numerari potuerit. [L. c.] Equidem non ignoro, antiquiores Cariæ regulos a scriptoribus memorari, [V. Reiner. Reinecc.] sed verosimile vix est, antiquiores numerasse Mylasenses, quam qui vrbem eam patriam sedemque regiam habuere, id quod de Hecatomno eiusque posteris Strabo docet. [L. c. p. 659.] Quis vero iam nonus hic dynasta, quem numus prædicat, fuerit, non equidem diu dispiciendum putem, cum Augusti æuo vix alius nomen tulerit, quam celeberrimus ille Zenonis Laodicensis filius, rex Ponti ac Bospori, cuius vultum alii nobis numi sistunt, & de quo plura congessit Cl. Vaillantius. [Achæmen. Histor. p. 223. sqq.] Is cum tota Asia longe plurimum polleret, dignitatem ei sacerdotis dynastæque detulisse videntur Mylasenses eius fortasse beneficiis ornati, non minus ac Laodicenses Phrygiæ, de quibus id memoriæ proditum a Strabone. [Lib. XII. p. 578.] Eius dynastiæ nouæ in numo hoc numeratur annus ΙΑ hoc est, *vndecimus*.

§. XVIII.


[*De numis Liuiæ cum templo.*] [Colon. T. I. p. 32.] Editus a Cl. Vaillantio prostat numus, qui hinc caput Augusti radiatum sistit cum inscriptione: L. FVRIO LABEONE IIVIR. illinc templum sex columnis fultum cum litteris: L. ARRIO PEREGRINO IIVIR. COR. Quod caput illud Augusti, radiata corona cinctum, manifeste arguit, numum post eius Apotheosin cusum esse, coniectat vir paulo ante laudatus, templum auersa in parte expressum eius honori dicasse Corinthios, tametsi nulla eius apud Pausaniam mentio occurrit. Eam coniecturam confirmant similium numorum

morum ectypi in opere numorum Consularium Morelliano sub familia Arria & Furia a viro optimo prolati. Præsens quidem Augusti numus haud paulo ibi emendatior, quam in priori Speciminis editione, quam eo nomine notat Cl. Vaillantius; neque enim aduersæ partis inscriptio: L. FVRIO LAGO habet, sed LABEONE. At præterea ibi in frontispicio templi litteræ: AVGVSTVS leguntur, quæ quidem vox, Vaillantio prætermissa, manifeste declarat, templum id Augusto sacrum fuisse. Delineatum vero in eodem opere cernas similem IVLIAE AVGVSTAE numum, cuius aduersa pars caput muliebre ornatum cum epigraphe: IVLIA . . . . . auersa iuxta cum inscriptione: L. FVRIO LABEONE IIVIR. COR. idem templum ob oculos ponit, cuius frontispicium easdem præfert litteras: AVGVSTVS. Hoc pacto & res habet cum altero Patini sub familia Arria numo, quem ille minus integrum dedit, quando aduersæ partis inscriptio, præter litteras: IIVIR, tota desideratur, quemadmodum & idem fateri non erubuit, quid templum sibi velit, quem referat facies, se ignorare. Eum ita repetit Cl. Vaillantius, vt aduersæ partis hanc det inscriptionem: M. IVNIO BALBO IIVIR, caput vero Augusto tribuat. Sed rectius idem caput Tiberio vindicat Morellius noster: Augusti enim caput radiatum in his numis exhibetur, inscriptionem vero eiusdem duplicem ex duplici haud dubie numo exhibet. Sub Arria enim gente capiti huic Tiberii adscriptum est: L. FVRIO LABEO. IIVIR. Sub Furia: TIBERIO CAESARI. Templi vero frontispicio vtrobique adiecta est vox: AVGVSTVS. Ita vt emendandum hinc sit, quod Cl. Vaillantius descriptioni huius numi subdit: „Corinthus a Iulio Cæsare deducta est colonia, „nil mirum, si Augusto numos dedicant eius duumuiri, & quidem cum „templi in *fundatoris* honorem erecti imagine". Neque enim fundatoris, vt puto, templum statui potest, cuius frontispicio nomen AVGVSTI insculptum cernitur. Mirum vero eidem, vt videtur, ædi non AVGVSTI sed LENTVLI nomen in præclaris LIVIAE numis, quos subiicio, adscriptum legi.

L. c.

Fam. p. 39.

T. I. p. 139.



Præfert alter ab altera parte caput Liuiæ ornatum cum inscriptione: L. FVRIO LABEONE IIVIR. ab altera templum hexastylum cum epigraphe: L. ARRIO PEREGRINO IIVIR. COR

 &

& in fronte ædis clariſſime LENTVL. Alter hinc caput Liuiæ velatum ſiſtit cum inſcriptione: L. ARRIO PEREG. . . . illinc templum, cuius in fronte eædem litteræ LENTVL. tametſi paulo obſcurius expreſſæ, cernuntur, adſcripto alterius Duumviri nomine: L. FVRIO LABEONE IIVIR. COR. Lentulus hic ex familia Cornelia ſub Tiberio, Achaiæ prætorio fortaſſe nomine præfuit, tametſi altum ea de re apud ſcriptores ſilentium. Ceteroqui enim cur nomen eius expreſſum in hoc numo legatur, ac præſertim in frontiſpicio ædis, AVGVSTO, id quod ex aliis numis conſtat, dicatæ, vix ſatis intelligo.

§. XIX.

De numo ſingulari Agrippa.

Henricus Noriſius, vir ſummus, in præclaro, quo Cenotaphia Piſana C. & L. CAESARVM illuſtrauit, opere, vbi ei de Auguſti, quod A. V. DCCXXXVIII. Occidentis prouincias luſtraturus, in Gallias ſuscepit, diuerſoque Agrippæ in Orientem itinere ſermo eſt (p. 93.) „ num Auguſtus, inquit, Caium & Lucium ſecum trans Alpes duxe„ rit, an eosdem Romæ reliquerit, in incerto ponatur. Illos forte a „ matre Iulia in Aſiam delatos mihi videor colligere ex hoc plane ſin„ gulari numo Alabandenſium, qui in regiis cimeliis Reginarum ma„ ximæ CHRISTINAE cuſtoditur". Quo facto eiusdem iconem, quam & Ill. Spanhemius ſuis de numorum Præſtantia & Vtilitate commentariis intexuit (T. II. p. 319.), ſubiecit, hinc Auguſti & Liuiæ capita, illinc AGRIPPAE & filiorum L. & C. CAESARVM ſiſtentem. Sed præſtitiſſet, vt arbitror, rem incertam relinquere, quam hoc argumento, quod longe infirmiſſimum videtur, definire. Nam ſi capita C. & L. Cæſarum numis impreſſa arguunt, ibi eos moratos eſſe, vbi numi illi prodierunt, efficietur perinde, & in Occidentis partes ſecum eos duxiſſe Auguſtum, quandoquidem & earum terrarum atque Hiſpaniæ inprimis numi haud vni eosdem Cæſarum illorum vultus exhibent. Mihi quidem, vt fatear quod res eſt, neque in Aſiam cum Agrippa & Iulia, neque cum Auguſto in Occidentis partes deducti illi videntur. Suadet id tenella puerorum ætas longinquis itineribus vix apta, vix enim tum quatuor annos Caius A. V. DCCXXXIV natus, annuum vitæ ſpatium Lucius, vtpote anno ſuperiori ab Iulia in lucem editus, impleuerat. Id ſingulare numo illi Alabandenſium, quod Agrippæ caput vna cum L. & C. filiorum vultu exhibet, id quod vix aliis in numis vllis obſerues excepto ſequenti.



Aduerſa in parte caput Agrippæ nudum cum inſcriptione: P. QVIN-

C✝LI. VARI AGRIPPA in auerſa tria capita Auguſti duorumque Cæſarum , Caii & Lucii cum litteris AVG. PONT. MAX. Eundem hunc numum Cl. Vaillantius protulit, de quo ille: „ Perrarus „ eſt hic numus, qui Imperatorem & Imperii ſucceſſores deſignatos „ exhibet", & ſub finem: „ Hic numus primæ magnitudinis, in theſau- „ ro regio a Cl. Morellio in ſpecim. Tab. XVII. vulgatus, vtpote vni- „ cus eximiæ elegantiæ, raritatis & præſtantiæ, eſt". Quibus ex verbis quanto luculentius conſtat de pretio ac raritate numi huius, quem poſſeſſor eius celeberrimus Thomaſius, iure meritoque gemmam ceterorum omnium, quos ſeruabat, antiquorum numorum appellabat, tanto gratius me feciſſe arbitror harum rerum ſtudioſis , quod emendatiorem eum ex prototypo noſtro dedi. Neque enim P. QVINCTILIVS VARVS IIVIR appellatur in eo, & AGRIPPAE nomen diſerte additum cernitur: vtraque autem ex parte delineatio Vaillantii peccat, quæ addita perperam voce IIVIR, alteram , AGRIPPA, peius omittit. Ceterum additus AVG*uſti* nomini titulus PONT*ificis* MAX*imi*, quo tempore cuſus ſit numus , manifeſte docet. Neque enim eam dignitatem ſuscepit Auguſtus ante annum DCCXLI. quo τοῦ Λεπίδου μεταλλάξαντος ἀρχιερεὺς ἀπεδείχθη, vt ait Dio Caſſius, h. e. *Lepido defuncto Pontifex maximus creatus eſt.* At mortuus eſt Agrippa anno inſequenti quinquatribus, Auguſto munus gladiatorium filiorum nomine exhibente, hoc eſt, poſt XIII. Kal. April. Vnde intra annuum hoc ſpatium cuſum eſſe hunc numum oportet, qui nomen præfert D. QVINCTILII VARI , quod is duumuiratum forte abſens honoris cauſa in ea colonia, cui numus debetur, geſſit. Is conſul eo anno, quo Auguſtus Romam rediit Pontificisque maximi titulum aſſumſit, ludos votiuos ob reditum Auguſti fecit, qua de re vetus inſcriptio teſtatur, deinde Syriam prouinciam adminiſtrauit, poſteaque in Germaniam miſſus nobili illa clade Variana periit. Equidem Cl. Vaillantius alium huic ſubſtituere P. Quinctilium Varum mallet, non tantum, quod Agrippa, mortuo illo, Syriam acceperit regendam, ſed etiam, quod Syriæ coloniæ duumuirorum nomina in numis haud exprimenda duxerint. Sed neceſſe non eſt, vel tum demum cuſum arbitrari numum, cum Syriæ præfuit Varus, nam multo ante ſignatum eum eſſe ſupra oſtendi, vel in Syria cuſum ſtatuere, quem ſculpturæ ratio Hiſpanicæ potius coloniæ addicit, poteſtque nihilominus ille ipſe Varus, quem dixi, niſi omnia me fallunt, non incommode intelligi.

Colon. p. 56.

Lib. LIV. p. 540. ſq.


Vid. Noriſ. L. c. p. 97.

L. c.

§. XX.

Haud vnos Tiberii numos, quorum auerſa in parte Liuiæ matris ſedentis imago, protulit Cl. Vaillantius. Iis ſequentem ex gaza noſtra adiicias, licet.

De numo Tiberii a Corinthiis cuſo.



Altera pars caput Tiberii nudum ſiſtit cum litteris: P. CANINIO AGRIPPA IIVIR QVINQ. altera ſtatuam Liuiæ ſedentis cum inſcriptione: C. CASTRICIO REGVLO QVINQ. Et in area: COR. Apparet numum ſignatum eſſe Corinthi in Achaia, vnde impetrare a me vix poſſum, quin numum Tiberii cum eadem Liuiæ ſtatua & inſcriptione: PERMISSV P. P. DOLABELLAE PROCOS. C. P. . . . . in eiusdem prouinciæ vrbe *Colonia Patrenſi* cuſum credam. Id enim litteræ C. P. ſuadent, & typum illum Liuiæ ſedentis extra Africam Achaiæ vrbi vindicari recte poſſe, præſens CORinthi numus declarat. Nec male in Patrenſem coloniam quadrat, quod legitur, PERMISſu P. DOLABELLAE PROCOS. numum eſſe ſignatum, cum & alias poteſtate monetam cudendi recens ab Auguſto impetrata ſe venditent in numo Liuiæ, cui adſcripta ſunt verba: INDVLGENTIAE AVG. MONETA IMPETRATA. Neque obeſt ei ſententiæ, quod P. Dolabella Proconſul Africam rexit, tametſi hac ratione nixus Cl. Vaillantius numum illum Africæ vrbi vindicat. Nam & Africæ & Achaiæ præeſſe potuit, tametſi de poſterioris prouinciæ adminiſtratione ſcriptores ſilent. Sane Cl. Harduinus ex numo ſimili, cuius aduerſa in parte caput Tiberii cum litteris: TI. CAES. DIVI AVG. F. AVG. IMP. . . . . & in auerſa Mercurius ſcopulo inſidens cum inſcriptione: PERMIS. P. CORNELI. DOLABELLAE PROCOS. C. P. CAS. D. D. & litteris C. P. in area eundem Dolabellam Proconſulem Achaiæ fuiſſe colligit. Sed de numo eo, quem præter litteras C. P. & typus Mercurii ſcopulo inſidentis, in aliis apud Vaillantium numis Coloniæ Patrenſis obuius, eidem vindicat, alii viderint. Ad præſentem mihi redeundum eſt, qui IIVIROS QVINQ. exhibet P. CANINIVM AGRIPPAM & C. CASTRICIVM REGVLVM. Prior forte parens L. CANINII AGRIPPAE, cuius numos ſupra vidimus. CASTRICII, quod nomen poſterioris duumuiri eſt, non ignoti ſcriptoribus ac marmoribus vetuſtis. Fortaſſe ad rem præſentem pertinet Caſtricius, per quem de coniuratione cognouit Auguſtus, vnde eum de reorum numero, exorato coram iudicibus accuſatore, exemit. Ceterum caput Tiberii tametſi nomen eius adſcriptum non eſt, in numo hoc exhiberi nemo dubitauerit: adeo vultus ratio & omnia oris lineamenta id produnt. Certe in hoc numo labi non æque non potuiſſet Cl. Vaillantius, atque in alio C. LOLLII & M. DOMITII IIVIRI, in quo ille idem Tiberii caput Auguſto tribuit his verbis: „Nullus eſt in re antiquaria tam parum „verſatus, qui Auguſti effigiem etiam ſine epigraphe in hoc numo „non agnoſcat". Notauit id Morellius noſter, idque ea ratione, vt primus

Seguin. Sell. Num. p. 114. edit. recent.

De numis. Vrb. & pop. p. 132. Opp. Sell. Beger. T. III. p. 90.

Col. T. II. p. 39. 84.

Suet. Auguſt. c. 56.

L. c. p. 49.

Ad Perizon. p. 197.

primus Vaillantium de errore hoc admonuiſſe videri poſſit. At vix admiſſum celeberrimus atque in his rebus oculatiſſimus vir ſponte agnouit atque emendauit. Ita enim ille: „ Alterum iam numum ſub C. „ Lollio & M. Domitio Duumuiris percuſſum . . . . inter incerta „ Auguſti numiſmata retulimus; hic vero Liuiæ ſedentis ſtatuam exhibet: ſed cum nulla in his numis circa caput epigraphe Auguſtum „ vel Tiberium certo denominet, vterque forſan Tiberium ob naſi in „ hoc eminentiam repræſentat". *reliqua.* Inde & eadem capita in ſuo de numis familiarum Romanarum opere Tiberio adſignat, tametſi ibidem Suffetes Carthaginienſes minus curate, prout obſeruat Cl. Perizonius, de Senatu Carthaginienſi interpretatur. Sed inſtituti huius ratio non fert, vel ea de re, de qua haud paulo rectius in ſuo de coloniis Romanis opere ſentit vir optimus, vel de litterarum P. S. S. C. in iisdem numis explanatione pluribus disquirere.

P. 91. T. II. p. 66. Ad Morell. p. 276.

§. XXI.

Extant Græci numi, quibus Druſi & Germanici, illius natura, huius adoptione Tiberii filii, adeoque fratrum ſingularis concordia celebratur. In iis ſedentes ambo exhibentur principes, ſimpulum alter, alter lituum geſtantes, cum inſcriptione: ΔΡΟΥΣΟΣ ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΣ ΚΑΙΣΑΡΕΣ ΝΕΟΙ ΘΕΟΙ ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΙ h. e. *Druſus & Germanicus Cæſares noui Dii fratrum amantes.* Non niſi vnum huius generis Cl. Vaillantius, duos in ſuo de numis Conſularibus opere ſub familia Aſinia delineatos exhibuit Morellius, alterum, quem in Specimine ſuo ex muſeo Franc. Dronii depromtum teſtatur, cuius aduerſa pars inſcripta eſt: ΕΠΙ ΓΑΙΟΥ ΑΣΙΝΙΟΥ ΠΟΛΛΙΩΝΟΣ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ ΚΟΙΝΟΥ ΑΣΙΑΣ, alterum in quo caſu dandi: ΓΑΙΩ ΑΣΙΝΙΩ ΠΟΛΛΙΩΝΙ ΑΝΘΥΠΑΤΩ κ. τ. λ. Præter hos reperitur alius, in quo Druſus & Germanicus eadem ratione cum ſimpulo & lituo ſedentes, non iam ΝΕΟΙ ΘΕΟΙ ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΙ, ſed ΑΔΕΛΦΟΙ appellantur, quem ex muſeo S. Genofeuæ publici iuris fecit Cl. Dn. Molinet, ex regia, quo transiit, gaza recenſent clariſſimi viri Vaillantius & Harduinus. Neque vero aliud eum velle arbitror, tametſi in eo Druſus & Germanicus ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΙ haud appellantur, niſi, vt fraternam concordiam celebret*, eodemque refero alios, qui nomina tantum eorum, ΔΡΟΥΣΟΣ ΚΑΙΣΑΡ, ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΣ ΚΑΙΣΑΡ nuda iuxta cum vultibus exhibent. Poſtremos imitatæ ſunt coloniæ Romanæ, id quod vel ex Vaillantio intelligas, qui Germanici numos in Coloniis cuſos rariſſimos eſſe, cum Druſo tamen ex aduerſo facilius parari affirmat, tametſi huius ille generis nullum exhibendum duxit. E theſauro quidem Fridericiano ſequentem monſtrare licet.

De numulo hinc Druſi, illinc Germanici caput exhibente.

Numiſm. Græc. p. 10. p. 156.

Cabin. de S. Geneuieue p. 76. L. c. Opp. Sell. p. 149.

* Vide tamen quæ de hoc ceterisque obſeruat Spanhem. Epiſt. Ep. V. ad Morell. quæ tertia eſt ex ſubiunctis huic operi §. XI. & Vaill. l. c. p. 337. ſq. Col. T. I. p. 94.



Exhibet ille hinc Germanici caput nudum cum inſcriptione: GER*manicus* CÆSAR, PVLCHER IIVIR; illinc Druſi cum epigraphe: DRV*ſus* CÆSAR CIP*ius* VAR*us*, IIVIR. PVLCHER IIVIR ex gente CLAVDIA, cuius, quod illa facile ex cognomine colligi poſſet, nomen monetarius fortaſſe prætermiſit. Non æque illuſtris CIPIA, ex qua alter ex IIVIR*is* his, CIPIVS VARVS, quam ob cauſam gentem hanc e denario, in quo legitur M. CIPI. M. F. perperam conflatam exiſtimauit elegantiſſimi vir ingenii, Nicolaus Heinſius. Miratur id iure Ill. Spanhemius, obſeruatque præter editos adhuc Cipiæ gentis numos extare adhuc alios, prouocatque ad viſum a ſe inter Morellii ſchedas, in quo hinc caput barbatum cum diademate & inſcriptione: M. CIPI. M. F. illinc Pegaſus, infra autem dimidia luna cum epigraphe: M. AIMILI. M. F. SCAVRVS. Sed enim vero eiusmodi numum a Morellio delineatum in opere eius, quo familiarum numiſmata digeſſit, haud reperio, ac vereor prope, vt vſpiam reperiatur, conflatus fortaſſe ex duobus diuerſis numis, altero Cipiæ, altero Aemiliæ gentis, quem protulit Goltzius ex eoque Vaillantius, tametſi eum Pighius quoque & Erizzo commemorant, cum Pegaſi dimidiæque Lunæ ſymbolo, cuius epigraphe: M. AIMILI. M. F. vbi tamen vox SCAVRVS capiti demum aduerſæ partis laureato adiecta cernitur. Quodſi nihilominus reapſe is numus, vt deſcripſit eum illuſtris vir, alicubi deliteſcit (quod fieri poſſe, ſine temeritatis nota quis neget?) dignus eſt profecto, qui lucem adſpiciat quam primum, ceterisque Cipiæ gentis numis accedat.

Ad Ouid. Metam. XI. ỳ. 565
T. II. p. 6.
T. I. Tab. VII. n. 42. p. 47.
Annal. T. III. p. 82.
Dichiaratione delle antiche Monete Conſul. p. 135.

§. XXII.

De Germanici numo primi moduli.
Numiſm. præſt. p. 14.

Germanici Cæſaris numi ad primum æreorum ordinem ſpectantes quam rari ſint, ſi quis ignorat, audiat Cl. Vaillantium: „GERMANICI nulla, licet Cæſaris, & de Germanis triumphantis, numiſ„mata Senatusconſulto cum capite expreſſa videmus. Hæc a Cali„gula filio & a Claudio fratre eius memoriæ percuſſa ſunt, a Tito & „Domitiano reſtituta; primæ formæ rariſſima, mediæ obuia & vul„garia ſunt". Quibus ille deſcriptionem numiſmatis ex hoc primo genere ſubiungit, nempe cerni in eo hinc caput Germanici ſine laurea cum epigraphe: GERMANICVS CAESAR TI. AVG. F. DIVI AVG. N. illinc litteras SC. in area, inſcriptionemque: TI. CLAVDIVS CAESAR AVG. GERM. P. M. TR. P. IMP. P. P. Sed addit, „hunc numum primæ magnitudinis ſummæ rari„tatis & elegantiæ eſſe, niſi ſuſpectus antiquariis haberetur". Nempe idem ille eſt, quem Patinus pridem in lucem produxit, & de quo ille: „Nullum

Theſ. p. 144.

„ Nullum alium eius (Germanici) ex ære magno videre licuit, quam „ hunc, qui poſtea ab eius fratre Claudio Imperatore ſignatus eſt: „ quare eum rariſſimum arbitror". Inde eum, ceu gazæ Harlæanæ quondam cimelium, inter præſtantiora, quæ deſcripſit, Imperatorum numiſmata ex ære recenſuit Cl. Vaillantius, ne minima quidem de νοθείᾳ eius ſuſpicione iniecta. Edit. prim. p. 14. Sed poſtea, haud ſcio an curatiori illius examine inſtituto, de dubia eius fide monendos duxit lectores, eosque ipſos adeo dubios, num primæ formæ numiſma vllum Germanici vspiam reperiatur, reliquit. Neque enim ſubſtituere potuit clariſſimus vir, quod locum eius tueretur, id quod facere eum tamen par erat, qui numiſmata Germanico cuſa, primæ formæ quæ ſint, rariſſima eſſe affirmat, quo ipſo reperiri non plane nulla extra omnem ſuſpicionis aleam poſita manifeſte innuitur. Ac recte id quidem; nam cui tandem tribui numiſma primæ molis, quod ſubiicio, alii poſſit, quam Germanico?



Cernitur aduerſa in parte caput laureatum, quod vultus ratio vnice Germanico Cæſari addicit, tametſi inſcriptio ita obliterata eſt, vt ne veſtigia quidem litterarum deprehendantur. Auerſa pars caput laureatum Claudii exhibet, cum epigraphe haud multum integriori. I. IVS CAESAR . . . . & notis monetariorum poſtliminio impreſſis PRO. IMP. Numiſma, vt patet, Claudius cudi iuſſit, a quo *fratris Germanici memoriam per omnem occaſionem celebratam* Suetonius memoriæ Claud. c. 11. prodidit. In laudibus Germanici decantandis vno fere ore conſentiunt ſcriptores. Velleius ſub exceſſum Auguſti in ſeditione exercitus in Germania militantis pleraque eum ignaue egiſſe affirmat, Lib. II. c. 125. vbi negat eruditiſſimus Boeclerus, Lib. II. c. 125. ita ſcripſiſſe Velleium, vocique *ignaue* ſubſtituendum Ad h. l. *gnaue* arbitratur, non vnis, quæ hanc emendationem ſuadere videantur, rationibus adductis. Nempe concoquere vir celeberrimus non poteſt, Velleium impetrare a ſe potuiſſe, vt Auguſti nepotem, Tiberii filium adoptiuum, quacunque ratione vituperaret. Sed quæſo, ſi *gnaue* aut potius *gnauiter* legamus vel maxime, an vituperatione omni carebit oratio Velleii, pleraque tantum, neutiquam omnia, gnauiter egiſſe Germanicum, ſcribentis? Annon & Tacitus aperte fatetur, *arguiſſe* Annal. Lib. I. c. 40. *Germanicum omnes, quod non ad ſuperiorem exercitum pergeret, vbi obſequia & contra rebelles auxilium; ſatis ſuperque miſſione & pecunia & mollibus conſultis peccatum.* Idem enim eſt, mollibus conſultis peccaſſe, & pleraque egiſſe ignaue, quorum alterum Tacitus, alterum Velleius Germanico tribuit, ne quis forte cum Cl. Boeclero exiſtimet, turpem

ignauiam

ignauiam degeneris timidique animi indicium a Velleio, ſi vetus lectio retineatur, homini, ſi quis vnquam fuit, ſtrenuo fortique tribui.

§. XXIII.

De nummo Claudii cum Nerone & Britannico. Col. T. I. p. 112.

Agrippinæ, Germanici filiæ, Claudii vxoris, nummum recenſet Cl. Vaillantius, cuius auerſa pars Neronem ſiſtit togatum, ſtantem, dextra pateram tenentem, ſiniſtra ſcipionem, cum inſcriptione: M. ACILIO IIVIR. COR, exiſtimatque „ togatum eum, cumque „ ſcipione eburneo, proconſularis imperii ſymbolo, exhiberi, propter- „ ea, quod Tacitus tradit, virilem togam Neroni maturatam, quo „ capeſſendæ reip. habilis videretur, & Cæſarem adulationi ſenatus li- „ bentem ceſſiſſe, vt viceſimo ætatis anno conſulatum Nero iniret; at- „ que interim deſignatus proconſulare imperium extra vrbem haberet". At non vnius Neronis effigies hoc modo inſculpta numis Corinthiorum reperitur, ſed eſt vbi Neroni Britannicum iunxere, vt in præſenti, ſuperiori, de quo dixi, quemque inter rariſſimos computandum cenſet Vaillantius, longe anteferendo.

Annal Lib. XII. c. 41.



Aduerſa pars caput Claudii cum inſcriptione: TI. CLAVDIVS...... auerſa Neronem ac Britannicum ſtantes ac pateras tenentes exhibet, cum epigraphe IIVIR*orum* nomina exhibente; ſed ex quibus nihil niſi PACONIO & ſub finem ...... niſi me omnia fallunt.... CILIO REGVLO legitur. De duumuiris ex integriore numo videndum, ſi quem fortuna obtulerit, tametſi PACONII ex iis nomen ſatis clarum eſt, gentis neque ſcriptoribus neque marmoribus ignotæ. Nam & ſub Nerone Paconius Agrippinus floruit, quem paterni in principem odii heredem Italia depulſum Tacitus teſtatur. Sed ab eo diuerſus haud dubie duumuir Coloniæ Corinthi, cuius nomen in numo occurrit. Quod ad Neronem ac Britannicum attinet, eos, tametſi nomina eorum adſcripta non ſunt, nemo, vt puto, non agnoſcet. Britannicus natura Claudii filius, Nero adoptione, primus in gente Claudia eaque patricia adoptiuus. Vnde Suetonius de Claudio: „ Aſci- „ turus in nomen familiæ ſuæ Neronem, quaſi parum reprehendere- „ tur, quod adulto iam filio priuignum adoptaret, identidem diuul- „ gauit, neminem vnquam per adoptionem familiæ Claudiæ inſertum". Pari ſtatura exhibentur vterque, quod Nero biennio tantum maior eſſet natu, & Britannico ſtatura grandiuſcula obtigiſſet, quare impubi ei teneroque adhuc, quando ſtatura permitteret, togam dare Claudius conſtituit. Diſſimiles figuræ in numo Patrenſium apud Vaillantium, cuius inſcriptio: COL. AA. P. GENIVM, vt quæ dextras iungunt, vnde alteram Claudii, Neronis alteram interpretatur vir celeberrimus,

Lib. XVI. c. 28. 33.

Claud. c. 39.

Tac. Annal. Lib. XII. c. 25. Suet. l. c. c. 43. Col. T. I. p. 114.

rimus, ratus, hoc numo adoptionis monimentum exhiberi. Recte id quidem; nam in numo Agrippinæ priuignum Britannicum vna cum Nerone filio exhibuisse Patrenses, vix satis verosimile videtur, tametsi ita visum viro docto, quem Cl. Vaillantius laudat. Ceterum nollem, ex toga, quam indutus vterque cernitur, argumentum eius rei vir antiquarum rerum peritissimus petiisset. Ita enim ille: „ Amicus duas illas figuras stantes Neronem & Britannicum esse existimat, „ sed vterque hic togatus, nec Britannicus . . . . . togam virilem adhuc acceperat". At non magis acceperat Nero, cum eum Claudius adoptauit, nec toga virilis, quæ alias pura itemque libera dicebatur, a prætexta adeo diuersa est, vt altera ab altera dignosci in numulo hoc possit. Nam & prætexta togæ genus erat, quæ ita appellata est, quod in extrema ora limboque purpuram prætextam siue circumtextam haberet, ceteroqui vero a toga virili, nisi forte magnitudine pro statura hominum prouectæ ætatis, qui ea vtebantur, & quod bullam appensam habebat, quemadmodum prætextati pueri statua apud Begerum docet, nihil differebat. T. III. p. 360.

§. XXIV.

De numis M. A. C. CANDIDI Agrippinæ & Neroni cusis.

M'. ACILII IIVIRI CORinthi sub Agrippina, matre Neronis, numos in opere Coloniarum sæpe laudato Vaillantii reperias, sed in quibus cognomen eius desideratur, inscriptione numorum ea ex parte detrita, qua id signatum præferebant. Puto id fuisse CANDIDVS; nam id similis Agrippinæ numus manifeste exhibet, quem vna cum gemino Neronis, quando vterque Cl. Vaillantii diligentiam fugit, subiungo. T. I. p. 112.



Quod ad aduersas partes attinet, in priori caput Agrippinæ ornatum, in posteriori Neronis, idque laurea cinctum comparet. Ibi inscriptio: AGRIPPINA AVGVsta, hic NERO CLAVdius CAESAR. Auersa pars eadem prorsus in vtroque numo. Venus ibi nuda currui insistit, cui iungitur vna Nereidum, quæ tibiam inflat, vna cum Tritone, qui, conuerso ad Venerem vultu, vel concham marinam, vel, vt mihi videtur, similem tibiam tenet. Typum hunc ex numis Corinthiorum aliis repræsentauit explicatumque vberius dedit Cl. Vaillantius: L. c. p. 118. sq. 119.

 Sed

Sed ibi Duumviri Q. FVLVIVS FLACCVS, L. ANNIVS & M. SILANVS, hic M. (non *MV*, vt in ſuis ACILII numis obſeruauit vir celeberrimus, quem ſæpius honoris cauſa appello) A*Cilius* CANDIDVS. Ita enim habet epigraphe: M. AC. CANDIDO IIVIR COR. Idem Duumvir Corinthi rariſſimum longe Octauiæ Neronis numum ſignauit, quem ex gaza illuſtriſſimi Ducis Deuonien- Teſor. Britan. Vol. II. p. 190. ſis protulit Cl. Haymius, cuius aduerſa in parte ille non Venerem, ſed Amphitriten, in curru a duobus equis marinis tracto ſtantem, agnoſcit, ſub eaque Octauiam cultam a Corinthiis cenſet, perinde, vt illi Venerem in Agrippina venerabantur. Adſcriptæ ſunt litteræ, A. A. CANDIDO IIVIR COR. quemadmodum eas exhibet Cl. Haymius. Sed nemo dubitauerit, quin legendum ſit, æque ac in ſuperioribus: M. AC. CANDIDO. Apud eundem Haymium extat Neronis numus, vnde vera numi Agrippinæ apud Acmonenſes cuſi lectio, de qua non conuenit inter viros doctos, erui fortaſſe poteſt. Exhibet ille hinc Agrippinæ caput cum papaueribus & inſcriptione: ΑΓΡΙΠΠΙΝΑΝ ΣΕΒΑΣΤΗΝ, illinc Dianam Venatricem cum ceruo Numiſm. Imp. p. 109. & Nympha. Sed epigraphen alii aliter legendam cenſent; Patinus quidem: ΕΠΙ ΣΕΡΟΤΗΝΙΟΥ ΚΑΠΙΤΩΝΟΣ ΚΑΙ ΙΟΥΛΙΑΣ ΣΕΟΥΗ- Num. Græc. p. 15. Spanh. T. II. p. 280. ΡΑΣ ΑΚΜΟΝΕΩΝ; Vaillantius, quem ſequitur Ill. Spanhemius: ΕΠΙ ΣΕΡΟΤΙΝΙΟΥ κ. τ. λ; Cl. Harduinus, ſed incertum, vtrum ipſo Num. Vrb. & pop. p. 11. numo conſulto, an coniectura tantum fretus: ΕΠΙ ΣΕΡΟΥΛΙΟΥ ΚΑΙ- Opp. Sell. p. 4. ΠΙΩΝΟΣ κ. τ. λ; Iacobus Gronouius in ſuis ad Stephanum notis: ΕΠΙ ΣΕΡ. ΟΥΙΝΙΟΥ ΚΑΠΙΤΩΝΟΣ. Cum Cl. Haymius in laudato Neronis numo manifeſte legi obſeruet: CΕΡΟΥΗΝΙΟΥ ΚΑΠΙΤΩΝΟΣ, non equidem hæſitandum putem, quo minus Gronouii ſententiam ceteris præferamus, ſtatuentis Capitonem hunc gentis Ouiniæ fuiſſe, cuius nomen litteris ΟΥΙΝΙΟΥ vel ΟΥΗΝΙΟΥ, nam vtroque modo, vt vidimus, ſcribitur in numis his, deliteſcit, a prænomine ΣΕΡουίυ, h. e. Seruii proinde diſtinguendis. Etenim nomen incognitum Serotenii Serotiniiue, itemque Seruenii, quod ei ſubſtituit ex numo ſuo Cl. Haymius, cognomini Capitonis Romanis familiari iunctum quis ferat? Id tamen deſideres, ſi Ouinio hic locus relinquendus, non ſcribi Græce: ΟΟΥΙ- Lib. XLVII. p. 331. ΝΙΟΣ, vt eſt in margine apud Dionem, quod ibidem exponitur *Ouinius*, ſed, vt ibidem in textu eſt, ΟΥΙΝΙΟΣ, quod apertius Viniæ gentis hominem deſignat a ſcriptoribus non minus, quam Ouinia, ce- Ad Attic. Lib. II. ep. 11. Hor. Epiſt. 1. 131. Dio. l. c. Almelov. Faſt. Conſ. p. 77. lebratæ. Vt Vinium Ciceroni & Horatio Dionique memoratum taceam, extat in ipſis Faſtis mentio T. Vinii, qui vna cum Seru. Galba conſulatum geſſit anno vrbis DCCXX. Vnde ſi quis Ouinio, Vinium ſubſtituere in numo laudato malit, me id quidem non inuito fecerit.

§. XXV.

De tribus Neronis numis Corinthi cuſis. Sed dum in Corinthiorum numis producendis verſor, quid impedit tres alios eiusdem Neronis, prætermiſſos Cl. Vaillantio, hoc loco ſpectemus.

Primus



Primus ac secundus aduentum Augusti celebrant. Caput vtrobique idem, laureatum nempe: primo addita monetaria est nota: ☧. Inscriptio eadem in vtroque: NERO CAESAR AV*Gustus* IM*Perator*. Quod ad aduersas eorum partes attinet, altera triremem sistit, altera Neronis statuam. Adscriptum est ibi: ADVE*ntus* AV*Gusti* P*ublio* DOMITIO IIVIR*o* QV*inquennali* COR*inthi*: hic: ADV*entus* CO*rinthi* AV*Gusti* P. MEM*mio* CLEANDRO II *Quinquennali* COR*inthi*. Similes Neronis numos produxit Cl. Vaillantius, sed partium oppositarum epigraphen diuersam prorsus exhibentes. In iis ADVENTVS AVGVSTI celebratur, in gemino musei Wreniani ADVINTVS AVGVSTI C. legit Cl. Haymius, haud scio, vtrum quod sculptor male expressit hanc vocem, an quod numus temporum iniuria litteram E minus integram reliquit. Neque enim verosimile, quod existimat vir clarissimus, de industria litteram I cum E permutasse artificem coloniæ Romanæ, qui in aliis numis rectam scribendi rationem sequebatur, neque ignorabat, Latinam haud ferre linguam, id quod Græci pro varia dialectorum ratione sibi aliquando indulgebant. De peregrinatione Neronis in Achaia videndi scriptores, inprimis Dio Cassius. Ab Imperatore præsente cum alia prouincia hæc beneficia tulit, tum libertatem, quæ tanti visa est Pausaniæ, ut eam ob causam Neronem, vtcunque alias in hac ipsa commoratione sua apud Græcos laudi vix locum relinquentem, suo adhuc tempore collaudandum duxerit: Ἀπιδόντι, inquit, ἐς τοῦτό μοι τοῦ Νέρωνος τὸ ἔργον, ὀρθότατα εἰρηκέναι Πλάτων ἐφαίνετο ὁ Ἀρίστωνος, ὁπόσ' ἀδικήματα μεγέθει καὶ τολμήματί ἐστιν ὑπερηκότα, οὐ τῶν ἐπιτυχόντων εἶναι ταῦτα ἀνθρώπων, ψυχῆς ἢ γενναίας ὑπ' ἀτόπου παιδείας διεφθαρμένης, h. e. *in hoc Neronis factum cum intueor, rectissime mihi videtur Plato Aristonis filius dixisse, grauissima quæque & maxime insignia peccata non esse leuiorum aut mediocrium ingeniorum offensiones, sed ab animi præclara quadam indole, vitiosa educatione deprauata, proficisci consueuisse.* Vbi manifestum est, Neronem mediocrium numero ingeniorum eximi, eique ψυχὴν γενναίαν *generosi animi indolem* tribui. Inde igitur & nauem, qua accessit, triremem nempe prætoriam, numis insculpsere Corinthii, & statuam ei posuerunt, cuius pariter effigies in his numis sculpta cernitur. Ea togatum reddit Neronem, quod toga Imperatores vterentur, sæpius pura & com-

L. c. Vol. I. p. 243.

Lib. LXIII. p. 719. Sueton. Neron. c. 24. v. Philostrat. Vit. Apoll. Tyan. Lib. V. c. 7. p. 192. sqq Edit. Olear. Achaic. p. 564. Edit. Lips.

Ferrar. l. c. Lib. I. c. 26.

communi, aliquando & purpurea ac triumplali. Neque enim paludamento ei opus erat in prouincia pacata, vbi certamina quidem, sed non alia nisi ludicra obiit. Dione enim teste in Græciam transiit, non vt Flaminius, Mummius, Agrippa, Augustus, maiores eius, sed ἐπί τε ἡνιοχήσει καὶ κιθαρῳδήσει κηρύξει τε καὶ τραγῳδίας ὑποκρίσει, h. e. *vt currus agitaret, cithara caneret, præconis officio fungeretur, & tragœdias ageret.* Sed ad tertium numum pergo, qui ab altera parte caput Neronis laureatum cum inscriptione: NERO CAESAR, ab altera coronam lauream exhibet, in qua: P*ublio* VENT*idio* FRONTONE IIV*iro*. Nomen Corinthi non additum est, sed artificium numi huius idem, quod superiorum, quæ ratio si cui satis non est, vt is Coloniæ huic vindicetur, suppetunt alii numi, in quibus duumuiri huius & Corinthi nomen coniungitur, quos ex opere Morelliano de numis Romanarum familiarum decerptos subiungo. Duo sunt illi: vtriusque aduersa pars Neronis caput laureatum cum inscriptione: NERO CAES AVG. exhibet, sed auersa inter se differt. Prior templum tetrastylum, in quo Imperator sistit; posterior eundem exhibet Imperatorem, vna cum figura muliebri turrito capite, qua Corinthus haud dubie repræsentatur, quæ ei lauream imponit. Inscriptio vtrobique: T. VEN. FRONTONE IIVIR. COR. Puto Morellium prænomen T cum P vel errore festinantis manus, vel quod littera ea minus clare in ipsis numis legeretur, permutasse. In nostro enim numo Publii prænomen tam clare sculptum est, vt dubitari de eo nullo modo possit.


Sueton. c. 22. sq.

L. c.

§. XXVI.

De numo Neronis cum insc. PORTVS FRVCTIF. P. R. C. P.

Superioribus Neronis numis quem subiicio tantum abest, vt raritate ac pretio concedat, longissime vt eos post se relinquat.



Cernitur hinc Neronis caput radiatum vna cum inscriptione: NERO CAESAR AVG*ustus* GERM*anicus*, illinc Genius seminudus stans, dextra temonem tenens, sinistra cornu copiæ cum epigraphe: PORTVS FRVCTIF*er* P*opuli* R*omani*, & in area C*olonia* P*atrensis*. Idem typus aduersæ partis occurrit in numo Antonini Pii apud Vaillantium, quem ille Coloniæ Iuliæ Carthagini Antiquæ tribuit ex inscriptione, quæ est in numi quidem ectypo hæc: C. I. A. A. GENIO P. R. sed in subiecta descriptione: C. I. C. A. GENIO P. R. D. D. Nempe maritima vrbs Carthago ac portuosa; eademque laude floruit Colonia Patrensis, cui numum hunc litteræ C. P. in area sculptæ vindicant. Id Genius cum temone & cornucopiæ arguit, multoque luculentius inscriptio: PORTVS FRVCTIF*er* P*opuli* R*omani*, quo quidem Portum Patrensium designari nemo dubitauerit. Strabo equidem

Col. T. I. p. 168.

Lib. VIII. p. 387.

ὕφορμον

ὕφορμον μέτριον, *mediocrem nauium ſtationem* tribuit Coloniæ Patrenſi. Sed veroſimile videtur, Neronem, dum in Achaia moraretur, ſuis in Achaiam beneficiis hoc addidiſſe, vt iuſtum apud Patrenſes portum curaret exſtruendum, quo ex Italia traiectus in Græciam commodior redderetur. Nam & ipſe Imperator, dum in Achaiam transmitteret, Patras haud dubie appulerat, vnde in Coloniæ eius numo triremis exhibetur cum inſcriptione: ADVENTVS AVG. C. P. tametſi ſimilis typus atque inſcriptio in Corinthiorum quoque numis occurrit. Certe inſigni eam Coloniam beneficio ornatam eſſe a Nerone ex numo eius patet, qui hinc Neronis caput radiatum vna cum litteris: NERO CAESAR AVG. GERM. illinc Genium exhibet ad aram ſtantem libantemque ex patera cum inſcriptione: GEN. COL. NER. PATR. h. e. GEN*ius* vel GEN*io* COL*oniæ* NER*onianæ* PATR*enſis*, vnde eam ſibi NERONIANÆ COLONIÆ nomen indidiſſe patet. Eam ob cauſam & Pauſanias iis non ὕφορμον, ſed λιμένα, *portum*, ſuo tempore tribuit, prope quem Neptuni templum ſitum fuiſſe docet, vnde, eos Neptunum numis Domitiani & Seueri inſculpſiſſe, Vaillantius coniectat. Proſtat vero portus eius, vt & adiacentis ſtadii templorumque propinquorum facies in præclaris aliquot numis Commodi, Caracallæ & Gordiani III. repræſentata, quam ex numo Commodi, quod præſens inde haud parum lucis fœneratur, ſubiicere liceat.

Ap. Vaill. Col. T. I. p. 121.
Ap. Vaill. L. c. p. 122.
Achaic. p. 576. Edit. Lipſ.
L. c. T. I. p. 142. T. II. p. 13.
Vaill. Col. T. I. p. 219.

Habemus hic primo portum, quem triremes duæ in area numi expreſſæ declarant. Statua, opinor, Martis eſt, de cuius ſigno Pauſanias: ἔστι δὲ καὶ ἀγάλματα τοῦ λιμένος ἐγγυτάτω χαλκοῦ πεποιημένα Ἄρεως, τόδε Ἀπόλλωνος κ. τ. λ. id eſt: *Sunt & ſimulacra proxime ad portum ærea Martis, Apollinis*, &c. Habemus porro non ſane ædificium columnis ornatum, vel Odeum in theatri formam extructum; id enim non ad portum ſitum erat, ſed ad forum, vt taceam, idem illud omnium, quæ in Græcia fuere, vno Athenienſi excepto, magnificentiſſime exornatum fuiſſe, id quod ſane ex hac eius imagine vix colligas, ſed vt recte vidit Cl. Sponius, ſtadium, cuius vtique Pauſanias meminit, quando ἄλσος ἐπὶ θαλάσσῃ, δρόμους τε ἐπιτηδειοτάτους, h. e. *lucum ad mare & curricula optima* commemorat, ita, vt mirum ſit, negari a Cl. Vaillantio, ſtadii curriculorumque, dum Patras deſcribit, Pauſanian facere mentionem. Habemus denique templa, templum nempe Neptuni iuxta portum, eodem teſte, ſitum, itemque duo propinqua Veneris, de quibus idem Pauſanias: Ἐν Πάτραις δὲ οὐ πολὺ ἀποτέρω τοῦ Ποσειδῶνος ἱερά ἐστιν Ἀφροδίτης. Τὸ δὲ ἕτερον τῶν ἀγαλμάτων γενεᾷ πρότερον ἢ κατ' ἐμὲ ἁλιεῖς ἄνδρες ἀνείλκυσαν ἐν δικτύῳ h. e. *Patris vero non longe a Neptuni æde, Veneris templa ſunt. Deæ ſigna e duobus* (*ibi dedicatis*) *alterum e mari piſcatores extraxerunt vna ante me ætate.* Sed hæc obiter ad portum Patrenſium plu-

L. c. p. 577.
Pauſ. l. c. p. 574.
Itin. T. II. p. 10.
L. c. p. 577.
L. c.

ribus illustrandum, qui singulari elogio PORTVS FRVCTIF. P. R. appellatur, cuiusmodi me alibi legisse haud memini, quoque Patrenses insignia emolumenta ac fructus Populo Romano, qui Patris negotiabatur, id quod de M. Curio testatur Cicero, pollicentur.

Famil. Lib. XIII. ep. 17.

§. XXVII.

De numo Galbæ cum Symbolo dextrarum iunctarum. §. V. Num. Imp. p. 127. Colon. T. I. p. 127.

L. CANINII AGRIPPAE IIVIRI supra iam numos vidimus. Alium sub Galba cusum, cuius auersa in parte templum plurium columnarum expressum cernitur, protulit post Patinum Cl. Vaillantius, eumque inter rarissimos elegantissimosque numerat. Ei iungendus, qui eius diligentiam effugit, sequens.



Præfert ille altera ex parte caput Galbæ nudum cum inscriptione: SVL*picius* GAL*ba* CAE*sar* AVGustus IMP*erator*, ex altera dextras iunctas, e quibus spicæ prodeunt, addita epigraphe: L. CANINIO AGRIPPA IIV*iro* COR*inthi*. Extant numi Galbæ argentei inscripti: CONCORDIA PROVINCIARVM, quibus verbis intelligitur, omnes Romani orbis prouincias in deferenda Galbæ summa potestate conspirasse. Tametsi enim Hispaniarum Galliarumque ciuitates haud vnæ cunctantius ei accesserunt, grauioribus propterea tributis atque ex parte & murorum destructione punitæ, accesserunt tamen, vnde & in alio eiusdem Galbæ numo GALLIA & HISPANIA dextras concordiæ causa iungunt. Vt igitur intelligeret nouus Imperator, prouinciam Achaiam a ceteris nihil diuersum sentire, sed de eo sibi, æque ac ceteræ, gratulari, lætaque omnia sperare, L. CANINIVS AGRIPPA IIVIR CORinthi Concordiæ symbolum, dextras iunctas, vnde spicæ prodeunt omnium rerum abundantiam, quæ concordiam sequitur, designantes, numo huic insculpsit. Achaia ceteroqui prouincia populi Romani prætoria, ordine septima earum, quas recenset Strabo, tametsi ex Augusti instituto, qui mittebantur in eas nihilominus proconsules dicebantur. Equidem sub Tiberio eadem prouinciis Augusti accessit, vt quam, Tacito teste, vna cum Macedonia onera deprecantem leuari proconsulari imperio, tradique Cæsari placuit; sed breui post sub Claudio rediit ad populum, prout Dio & Suetonius testantur. Prouocat ea in re ad numos Ill. Spanhemius, in quibus, apud Patrenses, vt ille arbitratur, vulgoque alii viri docti sibi persuadent, cusis ΑΝΘΥΠΑΤȣ, *proconsulis* mentio occurrit. „De Achaia" (eam vna cum Macedonia sorti atque adeo populo redditam esse) „constare insuper poterat, inquit vir summus, e numo Claudii Mediceo a me pridem eam in rem adducto: Α. ΜΙΝΔΙΟΣ ΑΝΘΥΠΑΤΟΣ ΠΑΤΡΩΝ. „*L. Mindius Proconsul Patrarum*, cuique duo similes sunt insuper a „celebri

Suet. Galb. 12.

Patin. ad Suet. l. c.

Lib. XVII. sub finem. Dio Lib. LIII. p. 504.

Annal. Lib. I. c. 76.

Lib. IX. p. 680. Claud. c. 25.

L. c. T. II. p. 592.

„ celebri Antiquario ſcripti cum addito *Bolani* cognomine: Α. ΜΙΝ-
„ ΔΙΟΥ ΒΟΛΑΝΟΥ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ ΠΑΤΡ. Quod firmat adhuc al-
„ ter huius Achaiæ tum metropoleos, Patrarum nempe vrbis, numus
„ a me olim quoque ex Occone adductus, ac aliunde ab eodem laudato
„ Antiquario deinde memoratus: ΚΛΑΥΔΙΟΥ ΡΟΥΦΟΥ ΑΝΘΥΠΑ-
„ ΤΟΥ ΠΑΤΡ. *Claudii Rufi Proconſulis Patrarum*". Sed, vt fatear, quod res eſt, ex his ego numis vix liquere putem, quod conſtare vir ſine honoris præfatione nunquam appellandus contendit. Cum enim Patrenſes, colonia Romana ad eos deducta, in publicis monumentis Græca lingua vti deſierint, id quod tot eorum numi loquuntur, prætereaque in iis, quos ante hæc tempora Græce inſcriptos cuderunt, ΠΑΤΡΕΩΝ, non ΠΑΤΡΩΝ legatur, vix equidem adduci poſſum, vt ſuperiores iis numos deberi credam. Referrem eos potius ad Aſiæ proconſularis vrbem, ſiue Nicæam ſiue Nicomediam, aliamue eius prouinciæ, cui nunc Λ. ΜΙΝΔΙΟΣ ΒΑΛΒΟΣ, *L. Mindius Balbus*, prout ille in ectypis Morellianis familiarum Romanarum appellatur, tametſi ei Auli prænomen tribuit Cl. Vaillantius; nunc Λ. ΜΙΝΔΙΟΣ ΒΩΛΑΝΟΣ, *L. Mindius Bolanus*, qui eſt in ectypo Morelliano: Λ. ΜΙΝΔΙΟΣ ΠΟΛΛΙΩΝ, *L. Mindius Pollio*; nunc ΚΛΑΥΔΙΟΣ itemque ΓΕΛΛΙΟΣ ΡΟΥΦΟΣ, *Claudius* itemque *Gellius Rufus*; nunc ΦΙΡΜΟΣ ſub Claudio Imperatore præfuere. Goltz. Græc. Tab. IX.

§. XXVIII.

Quod enim ad litteras ΠΑΤΡ. vel ΠΑΤΡΩΝ attinet, eæ, me iudice, neque vrbem Patrenſium deſignant, neque, quod innuere videtur Cl. Harduinus, Patronum, tametſi hæc vox litteris Græcis expreſſa in vetuſtis lapidibus occurrit, vti apud Gruterum: ΤΟΝ ΕΑΥΤΟΥ ΠΑΤΡΩΝΑ, h. e. *ſuum Patronum*, atque alibi: ΤΟΝ ΕΑΥΤΟΥ ΠΑΤΡΩΝΑ Κ. ΕΝ ΠΑΣΙΝ ΕΥΕΡΓΕΤΗΝ, h. e. *ſuum Patronum atque in omnibus benefactorem*, ſed nomen proprium magiſtratum ea in vrbe fungentis, quæ numum procudit, Patronis nempe. Id geſſit Patron Epicureus, cuius plus ſemel Cicero meminit. Antiquiorem memorat Pauſanias, cui, ob pulſos ex vrbe Lilæa Macedones, ob tanti erga ſe meriti memoriam Lilæenſes ſtatuam poſuiſſe tradit. Id nomen totidem verbis legitur in numo Claudii, cuius auerſa pars, teſte Cl. Vaillantio, nihil complectitur, præter epigraphen: ΕΠΙ ΦΙΡΜΟΥ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ ΠΑΤΡΩΝΟΣ in ambitu: in area ΤΗΣ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ ΝΕΙΚΟ. cuius quidem numi indicio præeunte, mirum eſt, non cogitaſſe viros doctiſſimos de veriori litterarum ΠΑΤΡ. vel ΠΑΤΡΩΝ interpretatione. Id vnum ei obſtat, quod extant numi, in quibus legi diſerte ΠΑΤΡΕΩΝ viri docti contendunt. Eius generis eſt Spanhemianus, ex veteri præſtantiſſimi operis editione cum epigraphe: ΜΙΝΔΙΟΣ ΑΝΘΥΠΑΤΟΣ ΠΑΤΡΩΝ, in quo ſe vidiſſe ΠΑΤΡΕΩΝ Cl. Harduinus teſtatur. Sed Harduino Ill. Spanhemium opponas licet, qui cum in recens edito opere numi huius inſcriptionem nihilominus cum eadem voce ΠΑΤΡΩΝ exhibeat, dubitari profecto, quin ita ſcriptum in numo eo ſit, nullo modo poteſt. Quod porro ad numum Cl. Vaillantii attinet, in quo ille legit: ΕΠ. Α. ΜΙΝΔΙΟΥ ΒΩΛΑΝΟΥ ΑΝΘΥ. ΠΑΤΡΕΩΝ, admodum veroſimile eſt, poſtremas eum voces confudiſſe, cumque in numo eo

De voce ΠΑΤΡΩΝ in numis Græcis. — De Num. Vrb. & Pop. p. 132. Opp. Sell. — p. MXLIV. 5. — p. DXCV. 11. — Ad Quint. I. ep. 2. atque alibi — Phocic. p. 882. Edit. Lipſ. — Num. Græc. p. 14. — p. 564. — De num. Vrb. & pop. p. 132. Opp. Sell. — L. c. — L. c. p. 15.

ſcriptum

ſcriptum eſſet: ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ ΠΑΤΡ. inde disiunctis maleque lectis, quod detritæ eſſent, litteris finxiſſe: ΑΝΘΥ. ΠΑΤΡΕΩΝ. Ita enim & [p. 14.] in eo, quem proxime ſubiungit, numo legitur: Α. ΜΙΝΔΙΟΥ ΒΩΛΑΝΟΥ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ ΠΑΤΡ. Et ſane in deſcriptione numi huius humani aliquid paſſum doctiſſimum Vaillantium, vel inde colligas, quod cognomen huius Mindii ΒΩΛΑΝΟΥ legit cum ΠΟΛΛΙΩΝΟΣ potius [Cap. II. §. XX. p. 42.] ſit reſcribendum. Patet hoc ex laudato alibi ectypo operis Morelliani de numis familiarum Romanarum, qui numum æreum Claudii repræſentat; cuius aduerſa pars caput eius Imperatoris nudum ſiſtit cum epigraphe: ΤΙ. ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒ. ΓΕΡ. ΑΥΤΟΚΡΑ.....: auerſa caput Mineruæ galeatum cum inſcriptione: ΕΠΙ Λ. ΜΙΝΔΙΟΥ ΠΟΛΛΙΩΝΟΣ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ ΠΑΤΡ. Geminum prorſus e gaza il- [L. c. Vol. II. p. 182. Tab. III.] luſtriſſimi Ducis Deuonienſis protulit Cl. Haymius, ita vt de vera eius ſcriptura ſecuris nobis eſſe liceat. Neque enim veroſimile, ſub eodem Imperatore duos ex eadem gente Mindia proconſules diuerſo cognomine, altero Bolani, altero Pollionis, eidem prouinciæ præfuiſſe. Supereſt numus Neronis, in quo legi ΝΕΡΩΝΙ ΠΑΤΡΕΩΝ, Vaillantius [L. c. p. 17. Opp. Sell. l. c.] tradit & ex eo Cl. Harduinus. Sed caſui ΝΕΡΩΝΙ, qui dantis eſt, gignendi caſus ΠΑΤΡΕΩΝ vix recte iungitur, vnde veroſimilius rurſus, lectum in numo eo vel ΝΕΡΩΝ ΠΑΤΡΩΝ, vel ΝΕΡΩΝΙ ΠΑΤΡΩΝΙ, [p. 135.] prout reperiſſe in numis ſe Occo memoriæ prodidit, ex quibus poſte- [L. c.] rius ita refingit Cl. Harduinus, vt ΝΕΡΩΝΙ ΠΑΤΡΩΝ legi malit, cui quidem emendationi facile ſubſcribo, litteris ΠΑΤΡΩΝ non ad Patrenſes, ſed ad nomen proprium viri Patronis relatis. Hæc obiter, tametſi, quod ita neceſſe erat, paulo fuſius, quæ ita dicta a me ſunto, vt, ſi quis meliora ac rectiora ex ipſis, de quibus agitur, numis afferre poſſit, ad mutandam ſententiam me paratiſſimum ſit habiturus. Ceterum emendari tantiſper ex his velim, quæ ſupra de Mindiæ gentis numis ex Morelliano de Romanarum familiarum opere, vulgarem ſecutus [Cap. II. §. XX. p. 42.] doctorum virorum opinionem, dixi.

§. XXIX.

[*De numo ſub M. Aurelio a Corinthiis cuſo.* p. 134. ſqq.] In ſpecimine vniuerſæ rei numariæ antiquæ, magni operis, quod orbi litterato dum vires ſuppeterent, pollicebatur, vir ad hæc ſtudia natus, Andreas Morellius, prodromo, deſcriptus extat numus L. Veri, cuius aduerſa in parte caput Veri laureatum cum inſcriptione: IMP*erator* CAES*ar* *Lucius* AVR*elius* VERVS AV*Guſtus*, in auerſa Bellerophon Chimæram debellans, adiectis litteris: C. L. I. COR. h. e. *Colonia* *Laus* I*ulia* COR*inthus*. De eo numo ſubdit vir optimus: „ Numus hic ex theſauro illuſtriſſimi Comitis de Schwartzbourg deſumtus ex ære magno & tantæ molis eſt, vt æri maximi moduli acceſeri poſſit. De cuius raritate argumentum inde peti poteſt, quod vir Cl. Vaillantius nullos ex ære magno poſt Domitianum conflatos numos reperiri exiſtimet; & ſane rariſſimi exiſtunt, vixque vnum & alterum in cimeliis vidi. Hic præterea numus virginitatis ſuæ notam oſtentat, nobili inductus ærugine, ſeu, vt cum Italis loquar, *patina verde*, quæ Smaragdum mentitur". Quemadmodum theſaurus Schwartzburgicus, id quod nemo ignorat, cum Fridericiana gaza pridem coaluit, ita exiſtimabunt haud dubie harum litterarum ſtudioſi, numum

numum tantopere Morellio laudatum in eadem asseruari. Certe memini, præstantissimum virum, Iacobum de Bary, quem his antiquitatis studiis, quæ ille, si quis alius hoc æuo, indefesso plurium annorum studio excoluerat, morte peracerba ereptum, pro amicitia haud multo ante inter nos conglutinata mutuisque litteris culta, vehementer doleo, de eodem ex me, tanquam singulari huius gazæ cimelio, esse aliquando sciscitatum. Sed L. Veri numus similis in gaza nostra frustra quæratur: neque arbitror, Arnstadii eum in Schwarzburgico thesauro delituisse, quando nec vola nec vestigium eius in eiusdem thesauri catalogo, Morellii cura conscripto, deprehenditur. Contra adest geminus M. Aurelii.



Aduersa pars caput Aurelii nudum ostentat, cum inscriptione .... AVRELius ANTONINVS AVGustus Pater Patriæ. Auersa Bellerophontem Pegaso insidentem, decertantemque cum Chimæra, de quo quidem numi huius symbolo haud iniuria Euripidis mihi verba vsurpare posse videor, vbi ille: Ill. Spanhem. laudat. T. I. p. 267. Ion. ℣. 201.

Καὶ μὰν τόνδε ἄθρησον
Πτεροῦντος ἔφεδρον ἵππου·
Τὰν πυριπνέουσαν ἀναίρει
Τρισώματον ἀλκάν. h. e.

Et illum specta
Alati sessorem equi
(Qui) *Igniuomam perimit*
Tricorporem vim, seu *Chimæram.*

Inscriptio: C*olonia* L*aus* I*ulia* COR*inthus.* In numum hunc omnia conueniunt, quæ Morellius in suo collaudat. Est enim magnitudine ea, vt inter æreos primæ formæ non modo locum sibi optimo iure vindicare, sed & ad altiorem inter numos maximi moduli aspirare possit. Neque desideres in eo illibatæ virginitatis notam, quam in suo commendat Morellius, nobilem illam æruginem ad smaragdum obscurum proxime accedentem, ita, vt impetrare a me vix possim, quin suspicer, eundem hunc numum esse, quem Morellius ante oculos habuit, sed in aduersa illius parte repræsentanda virum diligentissimum a vero aberrasse. De raritate eius nemo dubitauerit, sed, quod ad rationem eius attinet, quam affert Morellius, de ea peritiores viderint. Affirmat, inde eius rei argumentum peti posse, quod Cl. Vaillantius nullos ex ære magno post Domitianum conflatos numos reperiri existimet. Vbi ita

ſtatuat antiquarius Galliæ ſuæ non minus quam totius cultioris Europæ princeps, ſcire peruelim. Nam extare ex ære magno etiam poſt Domitianum numos ſiue Romanos, ſiue Græcos, ſiue Coloniarum, de quibus hic agitur, qui inficiari potuit vir celeberrimus, quando eorum longe plurimos in libris, quibus de iis egit, pro ea, quæ propria ei ac perpetua fuit diligentia, percenſet. An vero ſermo Morellio de numis Corinthi magno ex ære conflatis? Ita certe videtur, tametſi verba eius ſenſum haud paulo latiorem præ ſe ferunt. At idem Vaillantius poſt Domitianum Fauſtinæ matris numum laudat, eumque non minus primæ, quam ſecundæ formæ in eadem Colonia, Corintho, cuſum, in quo hinc caput Fauſtinæ cum inſcriptione: FAVSTINA AVGVSTA COR*inthi*, illinc caput Antonini Pii laureatum cum epigraphe: ANTONINVS AVG*uſtus* PIVS P*ater* P*atriæ* expreſſum cernitur. Neque vero ignorare id potuit Morellius, qui, quicquid in re numaria præclari extabat, ad vnguem tenuit. Statuendum igitur fortaſſe, interpolata hoc loco verba illius ab aliena manu, cui libri eius emendatius excudendi curam vel Morellius vel bibliopola, qui ſumtus præbuit, demandauit.

Col. T. I. p. 174.

§. XXX.

De Plautillæ numo, qui iisdem Corinthiis debetur.

Tot Corinthi numos adhuc produxi e theſauro noſtro, vt verendum mihi prope iam ſit, ne futuri ſint lectores, qui ad noui conſpectum refugiant, eumque velut cramben ſæpius recoctam auerſentur. Sed neque indigna eſt nobiliſſima colonia, cuius numos, rariores præſertim, vulgoque nec obuios nec editos adhuc, paulo diligentius contemplemur, & ipſa multitudine eorum non fatigari, ſi quidem priſca hæc monimenta vero ſuo pretio metiri didicerimus, ſed excitari ſtudium noſtrum, mentemque ad reliqua perluſtranda obfirmari oportet. Certe ſi dixero Plautillæ, Caracallæ vxoris, numum ſecundi moduli me exhibiturum, ſatis dictum arbitror, vt harum rerum ſtudioſi oculos animumque aduertant. Plautillæ enim numos minimæ tantum formæ & quidem rariſſimos, apud Corinthios tantum cuſos, obſeruari affirmat vnicus rei numariæ veteris noſtro æuo arbiter, Io. Vaillantius.

Col. T. II. p. 51.



Aduerſa pars caput Auguſtæ ſiſtit, vna cum cornu copiæ. Inſcriptio: PLAVTILLAE AVGVSTAE. In auerſa mulier ſeminuda cernitur rupibus inſidens, quibus ſiniſtra innititur, dextra pateram tenens: ante eam ſerpens ſeſe erigit, aræ, vt videtur, circumuolutus. Adiecta eſt epigraphe: C. L. I. COR. Similem numum minimi moduli pridem Patinus vulgauit, quem ex opere eius repetitum dedit Cl. Vaillantius,

Num. Imp. p. 312.
Colon. Tom. II. p. 51.

lantius; ita, vt & dubitationi Patini ſatisfecerit, & typum auerſæ paginæ explicarit vberius. Quod enim ſubdit de litteris C. L. I. COR. perperam explicatis: *Colonia Latina Iulia* CO*Rinthus*, id leue eſt, atque aliud agenti excidit viro doctiſſimo, qui veram harum litterarum interpretationem ex numo Iulii Cæſaris, de quo ſupra, minime ignorabat. [§. XIII.] Familiare id nempe ei παϱόϱαμα, quod & in ΘΕΩΝ ΚΡΙΣΕΙ admiſit notatus propterea a Fabretto, qui eundem ab Angelonio errorem admiſſum eſſe obſeruat. [De Col. Traian. cap. 1. p. 11] Sed ad ſuperiora redeo. Fatetur Patinus, ignorare ſe, qua re Corinthios ſibi deuinxerit Plautilla, vt numos illi conflauerint. [Caracall. num. 30.] Reſpondet Vaillantius, propterea factum id eſſe, vt Plautiani, patris eius, Prætorii præfecti, viri gratia opibusque florentiſſimi, beneuolentiam ſibi conciliarent. Porro de typo ne γϱὺ quidem Patinus: Vaillantius figuram ſedentem Pirenem Nympham in fontem conuerſam interpretatur, [L. c.] Cl. Harduinus indicium vrcei, quem illa geſtat, ſecutus, Bacchum. [Opp. Sell. p. 46.] Vtra ſententia vero ſit propior, nolim diſquirere hoc loco, cum incertum ſit, vtrum typus auerſæ partis numo, ad quem expreſſus eſt, omni ex parte reſpondeat. In præſenti quidem figura illa pateram, non vrceum tenet, cui cum & ſerpens accedat, dubitari ſane haud poteſt, quin Salutem eam vel Hygeam interpretari oporteat, cuius ſimulacrum perinde atque Aeſculapii ex albo lapide factum in deſcriptione Corinthi commemorat Pauſanias. [Corinth. p. 163.] Errat vero Cl. Harduinus, qui ſuperiorem Patini numum Caracallæ tribuit, quem [L. c.] Plautillæ eſſe, niſi ad alia feſtinanti impoſuiſſet inſcriptio paginæ, quæ numiſmata Caracallæ iactat, cum coniugis eius Plautillæ, exhibeantur, ex ſubiecta eius deſcriptione facile didiciſſet.

§. XXXI.

Tarſi, Metropoleos Ciliciæ, plurimi extant numi, in quibus ſculptæ iuxta Imperatoris caput cernuntur litteræ Π Π. [De Tranquilline numo cum litteris Π. Π.] cuiusmodi & ſupra inter numos maximi moduli protuli. [Cap. XI. §. XIII.] Eas nomini Imperatorum titulisque iungunt viri docti, explicantque Πατὴϱ Πατϱίδο, *Pater Patriæ*, perinde atque in inſcriptione illa apud Gruterum: [p. LXVIII. 5]

ΑСΚΛΗΠΙω
ΚΑΙ ΥΓЄΙΑ
СωΤΗΡСΙΝ
ΠΟΛΙΟΥΧΟΙС

Ab altero latere:

ΑΙΛΙωΙ ΑΔΡΙΑΝωΙ
ΑΝΤωΝΕΙΝωΙ
СΕΒΑСΤωΙ ΕΥСΕΒΕΙ
Π. Π.

h. e. *Aeſculapio & Saluti, Seruatoribus vrbiumque præſidibus, Aelio Hadriano Antonino Auguſto, Pio, Patri Patriæ.* Quæ quidem litterarum harum interpretatio adeo explorata viſa eſt Ill. Spanhemio, vt Triſtanum,

num, qui aliam attulit, ſine vlla hæſitatione confutandum duxerit. Vbi enim de nominibus Romanorum in ſermone Græco retentis, cuiusmodi ΜΑΓΝΟΣ, ΑΥΓΟΥΣΤΟΣ, ΙΟΥΣΤΟΣ agit, ſubdit: „ At
L. c. T. II. p. 441. „ non proinde fides habenda eſt Triſtano, nobili antiquario, qui in „ numo Tarſenſi Antonini Caracallæ litteras Π. Π. explicat ΠΕΙΟΣ „ ΠΑΡΘΙΚΟΣ, ſeu *Pius*, *Parthicus*, quæ iuxta conſuetam earum in „ ſexcentis id genus numis vſum ΠΑΤΗΡ ΠΑΤΡΙΔΟΣ explicari de-
Num. Vrb. & pop. p. 165. Opp. Sell. Num. Imp. T. I. p. 20. „ buerant". Eandem in ſententiam poſt Cl. Harduinum, Cl. Bandurius ad Traiani Decii numum a Tarſenſibus cuſum, duo Π. Π. inquit, „ quæ in area partis anterioris cernuntur, Πατὴρ Πατρίδος interpretor. Sunt, qui Πῖος Παρθικὸς legunt, ſed hæc lectio mihi minime probatur". Veruntamen, ſi eum perpetuo hæ litteræ habent ſenſum, quid faciemus ſequenti numo Tranquillinæ, qui magnitudine ſuperiori Aurelii numo nihil, raritate non multum cedit, in quo eædem clariſſime expreſſæ cernuntur.



Anterior eius pars capite Tranquillinæ lunæ creſcenti impoſito ſuperbit, cui adiecta eſt inſcriptio: CABINIAN TRANKYΛΛΕΙΝΝΑΝ & in area Π. Π. In poſteriori mulier turrita rupibus inſidet dextra ſpicas tenens, emergente ante pedes eius fluuio: Epigraphe: ΤΑΡCΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩC & in area: Α. Μ. Κ. Γ. Β. Vbi litteræ Π. Π. capiti Auguſtæ adſcriptæ, niſi me omnia fallunt, aliam, quam quæ vulgo placuit viris doctis, interpretationem requirunt. An enim illa Πατὴρ Πατρίδος diceretur? Et in ipſis etiam Auguſtorum numis, in quos explicatio illa quadrat, quid attinebat illam Πατρὸς Πατρίδος appellationem in aream numi reiicere præter morem, quæ, ſi margo eam non capiebat, omitti prorſus, idque ſalua dignitate Imperatoris, poterat, quemadmodum & vt plurimum, præſertim in numis Græcis, prætermittitur. Annon litteræ initiales, quas area auerſæ partis complectitur, ſatis nos admonent, prioris areæ litteras ſimiles in quam interpretari ſententiam oporteat? Viderint igitur, qui de his rebus iudicandi facultatem ſibi pepererunt, annon litteræ hæ Π. Π. quas vt imperitiæ negligentiæue ſculptoris deberi credam, e Gordiani Pii, mariti, titulis huic æri adſcriptis eas male ad vxorem eius Tranquillinam transferentis, ægre a me impetrare poſſum, coniungendæ ſint cum iis, quas area partis auerſæ complectitur, Α. Μ. Κ. Γ. Β. atque explicandæ hanc in ſententiam: Πρώτης Πόλεων ΑΜφοτέρας Κιλικίας, Γερουσίας Βουλῇ, h. e. *Primæ Vrbium Vtriusque Ciliciæ*, *Senatus Conſulto.* Litteras enim, quas
Num. Græc. p. 111. atque alibi. ſeparatim Πρώτης Μόνης interpretatur Cl. Vaillantius, coniunctim explicari

plicari aliquando posse ΑΜφοτέρας, negauerit nemo, vt puto; qui Cl. Harduino ea de re obseruata expenderit. Si quis tamen vulgatæ interpretationis tenax legendum potius censuerit casu gignendi Πατρὸς Πατρίδος, vt intelligatur Sabiniam Tranquillinam vxorem esse Patris Patriæ, Gordiani nempe Pii, eum, si ita ei videatur, ingenio suo abundare facillime patiar. De num. Vrb. & pop. p. 165. sq Opp. Sell.

§. XXXII.

Hostiliani numum, eumque primæ magnitudinis, protulit Cl. Vaillantius ab Antiochiensibus Syriæ cusum, quem pro rarissimo computandum censet. Ab eo diuersum haud vna in re seruat thesaurus Fridericianus. *De numo Hostiliani.* T. II. p. 208. sq.



Caput Hostiliani nudum ad pectus vsque expressum vna cum parte paludamenti. Inscriptio, plenior nomine ΜΕσσίῳ, quam est apud Vaillantium ita habet: Γάιος ΟΥΑΛέριος ΟCΤΙΛΙΑΝΟC ΜΕσσίος ΚΥΙΝΤΟΣ ΚΕCΑΡ. h. e. *Caius Valens Hostilianus Messius Quintus Cæsar.* Auersa pars templum tetrastylum exhibet, cuius vertici aries imminet; in eo mulier capite velato ac turrito rupibus insidet, a pedibus emergente fluuio. Epigraphe: ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΜΗΤΡΟπόλεως ΚΟΛΩνίας. In area supra Δ. Ε. infra S. C. De Antiochia, Syriæ metropoli populique Romani Caracallæ inde temporibus colonia, itemque de typo hoc, in numis eius admodum familiari, nihil addo. Præstiterit disquirere, ad liquidumne perduxerit Cl. Bandurius, prout ille sibi persuadet, Hostilianum filium potius, quam generum Traiani Decii fuisse. Sane si numerarentur potius, quam ponderarentur sententiæ, dubium equidem non esset, quin ei, quæ filium, non generum censet Hostilianum, palma deberetur. Huic enim plerique eruditorum subscribunt, quos recenset Ill. Spanhemius, qui tamen vna cum Onuphrio, Tristano, Vaillantioque contendit, generum Decii, non filium habendum esse Hostilianum. Nititur ille potissimum silentio scriptorum, qui, Hostilianum commemorantes, nuspiam tradunt tamen Decio eum parente vsum, neque vbi vel sigillatim Imperatorem eum cum Erennio Etrusco, vel in genere Decios periisse testantur, filii ab eo superstitis relicti, Hostiliani nempe, meminerunt. Ad hæc ita respondet Cl. Bandurius: „ Supersunt auctores, quos aduersarii „ nostri contendunt de Hostiliano ita scripturos fuisse, vt de Traiani *Num. Imp. p. 47.* *Præf. T. I.*

 „ Decii

„ Decii filio, ſi filius reuera fuiſſet; horum auctoritatem defugere nolumus, ſi quid affirment, quod aliunde non refellatur; verum ſi „ quid aliunde conſtet, quod prætermiſerunt, id etiam ſequi nobis licere videtur. Atqui e numis liquet, Hoſtilianum Decio adhuc viuo Cæſarem vna cum Etruſco fuiſſe". Sane largior viro doctiſſimo, conſtare numorum beneficio, Hoſtilianum Cæſarem iuxta cum Etruſco, idque viuo Decio, fuiſſe: ſed id non prohibet, quo minus gener Decii potius quam filius cenſeri Hoſtilianus poſſit. Neque enim eadem opera conſtat, genitum, non factum eſſe Cæſarem Hoſtilianum, naturæque, non adoptioni hanc dignitatem eius deberi. Vnde de iisdem, ad quos prouocat Cl. Bandurius, numis Ill. Spanhemius. „ Neque „ proinde minus illum ſub Decio, iuxta Etruſcum eius filium, Cæſarem factum, ex eadem illa numorum & inſcriptionum fide licet „ ſtatuere: vbi nempe ducta in vxorem Decii filia, gener eiusdem „ euaſit, ac inde velut pro altero filio habitus, ſoceri etiam MESSII „ QVINTI, vt diximus, nominibus eſt auctus idem Hoſtilianus, „ ac in ſubſidium dominationis patre & filio Deciis ad bellum, in quo „ ambo periere, profectis Romæ, qui interea rerum ſummæ præeſſet, „ relictus eſt". Vnde ſatis, vt arbitror patet, numos quidem neutri magnopere ſententiæ patrocinari, vt qui Cæſarem quidem iuxta cum Herennio Etruſco fuiſſe Hoſtilianum declarant, ſed incertum tamen, filiusne perinde atque Meſſius Decii fuerit, cum ille & generum Cæſaris ornare titulo potuerit, relinquunt. Quo pacto cum res habeat, ſcriptoresque, quod non negat vir doctiſſimus, ſententiæ de Hoſtiliano Decii filio, vno forte Zoſimo excepto, de quo poſtea, haud faueant, ſed tacite potius aduerſentur, haud ſcio, an reprehendendi ſint, qui diuerſam cum Ill. Spanhemio ſententiam ſequuntur, inprimis cum & Valentis Hoſtiliani nomina, manifeſte arguant, ex alia eum quam Decii familia prognatum. Hæc altera iam ratio, cum alium Hoſtiliano quam Decium parentem circumſpicere iubeat, nihil eſt veroſimilius, quam filium eum ſtatuere illius Seueri Hoſtiliani, quem Zonaras & Cedrenus inter Gordiani Pii ſucceſſores numerant, cuiusque & numos produxerunt Occo & Goltzius. Neque enim vnum eundemque illi deſcriptum dedere, id quod vel ex aduerſæ partis epigraphe patet, quæ apud Occonem atque inde apud Mediobarbum eſt: IMP. CAES. M. SEV. OSTILIANVS AVG. & apud Goltzium: IMP. CAES. L. AVR. SEV. HOSTILIANVS AVG. P. M. TR. P. Quid ad hæc doctiſſimus Bandurius? Negat ex ſimilitudine nominum cognationem hac ætate colligi poſſe, Seuerumque Hoſtilianum, perinde ac M. Marcium, ad fabulas relegat, ac denique contendit, nihil impedire, quo minus Decii filius haberi poſſit Hoſtilianus, tametſi omnium, quæ geſſit, nominum, ſtante hac ſententia, ratio reddi nequeat. Sed in confutanda ratione, quæ palmaria neutiquam eſt, nimio plus laborat vir eruditiſſimus, qui palmariam vix leui brachio excuſſit. Sane vna hæc nomina, tametſi a Decii gente aliena, Decium Hoſtiliano parentem non abiudicant, ſed ſi tamen aliunde ſuppetat, cur dubitandum de eo genitore videatur, dubitationem eam haud mediocriter confirmant. Largiamur, nomina ætate ea mire confundi ac perturbari coepiſſe, at perpetuam hanc fuiſſe perturbationem, ita vt nunquam ratio eorum perſpici reddique poſſit, nemo dixerit,

Annal. Lib. XII. p. 624. p. 439. Theſ. 305. p. 342.

xerit, quando & Herennius Etruſcus nulla alia, quam vel a patre vel matre deſumta nomina accepit. Sed ea de re non equidem pugnauerim cum viro doctiſſimo; id miror, Seuerum Hoſtilianum Zonaræ ac Cedreno commemoratum explodi non alio, vt manifeſtum eſt, conſilio, quam ne in promtu ſit parens, Decii loco qui Hoſtiliano noſtro adſignari poſſit. Ceteroqui enim ſi minus numis, quorum duo diſtincti proſtant, Occonianus alter, alter Goltzianus, vt vidimus, faltem ſcriptoribus ea reuerentia debebatur, vt quem illi, æque ac Mario, tribuunt, in hiſtoria Auguſta eidem locus relinqueretur tantiſper, vel eam ob cauſam, ne hypotheſeos tuendæ ſtudium inde eum potius, quam vlla alia grauior ratio deturbaſſe videretur. Quanquam pone, fictum Hoſtilianum hunc eſſe, an alius, præter Decium, eſſe nullus potuit, tametſi a ſcriptoribus prætermiſſus, cui vitam acceptam referret noſter? Sed hæc hactenus. Quodſi iam altera ex parte rationes Cl. Bandurii expendamus, quibus adductus Hoſtilianum filium Decii fuiſſe cenſet, haud ſcio, an tanti illæ ſint ponderis, vt conficiant rem, de qua agitur, ſententiamque mutare cogant. Ait enim, credibile non eſſe, ad ſpem imperii vocatum fuiſſe generum Principis, cui filius esſet imperio dignus & iam Imperator. At idem hoc vſu venerat dudum ante ſub Claudio, qui Neronem, generum ſuum, nam Octauiam ei filiam deſponſarat, tametſi ei filius imperio dignus non deerat, Britannicus, adoptione ad ſpem imperii vocauit, adeo, vt & filio generum anteponendum duceret. Quod vero Zoſimum appellat Cl. Bandurius, qui alterum e Traiani filiis ſuperſtitem a Trebonio Gallo adoptatum eſſe teſtatur, id, vt recte Ill. Spanhemius obſeruat, haud maioris ea in re fidei vel ponderis habendum eſt, quam ea, quæ alii ſcriptores, iique his temporibus propiores, de morte Deciorum, & Hoſtiliano poſt eorum obitum cum Gallo imperii conſorte, memoriæ prodiderunt, poteſtque ita præterea explicari, prout idem Vir ſummus obſeruat, vt ſtatuamus, idem, quod accuratiores Zoſimo ſcriptores aliquando, admiſiſſe Zoſimum, vt generum, quem iisdem Decius, ac filium, honoribus ornauerat, cum filio confuderit. Tacit. Annal. Lib. XII. c. 25.

§. XXXIII.

Sed hactenus ſatis ſit lectorem, præſtantiſſimarum veteris æui reliquiarum, quas theſaurus Fridericianus ſeruat, cognoſcendarum ſtudioſum, detinuiſſe variorum omnis generis numiſmatum ex auro, argento atque ære contemplatione. Non quod inſtituti huius rationibus ſatisfeciſſe penitus atque omnia exhauſiſſe videar, quæ de antiquiſſimis ampliſſimæ præſtantiſſimæque gazæ huius cimeliis afferri in medium poterant. Neque enim id licuit, intra eius temporis, quo labore hoc defungendum fuit, anguſtias, præſertim homini ingenii, doctrinæ, vſusque parum ad hæc monumenta rite tractanda afferenti, & duplici eaque grauiſſima cura diſtricto. Nam vno eodemque tempore, & vniuerſas theſauri huius opes, quas ante vix ſemel iterumque per tranſennam velut adſpicere licuerat, mihi penitus cognitas perſpectasque reddere oportebat, & ſeligere inde, quæ in opere hoc, quod notitiam eius quandam, eamque haud vulgarem, complecteretur, paulo curatius exponerem. *Epilogus.*

ponerem.

ponerem. Sed abrumpenda eſt tela, cuius iterum iterumque retexendæ riteque abſoluendæ, non ſtudium mihi, ſed tempus deeſſe ſentio, manusque extrema imponenda labori, vtcunque imperfecto & limæ vlterioris indigo, ne Sereniſſimi Principis mei, qui protractum tot annos a deceſſore meo de gaza hac aliquid litteris mandandi laborem diutius differri noluit, mandata eius apud me ponderis, cuius & ſunt & eſſe debent, non fuiſſe videantur. Eius laudi ac gloriæ immortali pro virili parte inſeruiiſſe mihi omnium inſtar laudum eſt; vberiorem, vt ſpero, eius rei facultatem alio loco ac tempore propitia mihi fortuna, aut potius benignior nutus ſupremi Numinis, cuius gloriam amplificant piorum Principum præconia, largietur.



NVMI

NVMI RARIORES

ex

Thesauro Schwartzburgico,

nunc

FRIDERICIANO,

In Specimine Vniuersæ Rei Numariæ Antiquæ descripti

Ab

ANDREA MORELLIO,

Vna cum

Illustris Viri

EZECHIELIS SPANHEMII

tribus Epistolis,

quibus nonnulli ex iisdem vberiori luce perfunduntur.



SYLLABVS.

I. *De æreo maximi moduli numo L. Veri cum epigraphe:* ΕΠΙ CΤΡατηγȣ̃ ΑΤΤΑλίȣ ΚΡΑΤΙΠΠΟΥ ΠΕΡΓΑΜΗνῶν ΔΙC ΝΕΟΚΟ-ΡΩΝ. Β.

II. *De ſimili numo Commodi cum inſcript.* ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΝΕΩ-ΚΟΡΩΝ Β. ΕΠΙ CΤΡατηγȣ̃ ΜΑΡκȣ ΓΛΥΚΩΝΙΑΝΟΥ.

III. *De ſimili numo Poſtumi, cui inſcript.* HERCVLI COMITI AVG. COS. III.

IV. *De numo Terentii conturniato.*

V. *De numo aureo Tiberii, cuius auerſa in parte adſcriptum eſt:* IMP. CAES. TRAIAN. AVG. GER. DAC. P. P. REST.

VI. *De numo aureo Traiani cum inſcriptione auerſæ paginæ:* DIVVS PATER TRAIANVS.

VII. *De numo aureo Traiani cum epigraphe:* DIVI NERVA ET TRAIANVS PAT.

VIII. *De ſimili eiusdem Traiani cum capitibus Neruæ & Plotinæ auerſa in parte expreſſis.*

IX. *De numo aureo Hadriani cum inſcriptione:* FORTVNA SPES.

X. *De ſimili numo Hadriani cum partis auerſæ epigraphe:* SAEC. AVR. P. M. TRIB. P. COS. III.

XI. *De numo argenteo, qui alibi aureus extat, Caracallæ cum inſcriptione:* LAETITIA TEMPORVM.

XII. *De numo aureo Maximiani cum epigraphe:* GAVDETE ROMANI.

XIII. *De numo aureo Conſtantini M. cum inſcriptione auerſæ partis:* GAVDIVM ROMANORVM. *Infra:* FRANC. ET ALAM.

XIV. *De numo argenteo Auguſti cum inſcript.* C. ANTIST. VETVS FOEDVS P. R. QVM GABINIS.

XV. *De numo argenteo Pescennii cum inscriptione :* INVICTO IMP. TROPAEA.

XVI. *De simili numo Philippi cum litteris :* VICTORIA CARPICA.

XVII. *De æreo numo Gallieni cum epigraphe :* CONSERVAT. PIETAT. III. *quem inter argenteos retulit Morellius.*

XVIII. *De argenteo numo Corneliæ Superæ cum epigraphe :* VESTA.

XIX. *De æreo primi moduli numo L. Aurelii Veri cum inscriptione :* C. L. I. COR.

XX. *De simili numo Septimii Seueri cum auersæ partis inscriptione :* CEΥΗΡΙΑ ΜΕΓΑΛΑ ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ ΔΙC ΝΕΩΚΟΡΩΝ.

XXI. *De simili Antonini Caracallæ numo cum epigraphe :* ΑΝΚΥΡΑΣ ΜΗΤΡΟΠ. ΑCΚΛΗΠΑ CΩΤΗΡΕΙΑ. ICΘ. ΠΥΘ.

XXII. *De æreo secundi moduli numo Claudii , cuius auersa in parte :* BRITANNICVS ANTONIA. OCTAVIA.

XXIII. *De simili numo Antonini Pii cum inscript.* ΤΑΡCΕΩΝ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩC ΚΙΛΙΚΙΑC.

XXIV. *De simili Tranquillinæ numo cum epigraphe :* ΑΔΡΙΑΝΟΠΟΛΕΙΤΩΝ.

XXV. *De gemino Maximini cum inscript.* BONO GENIO PII IMPERATORIS.

XXVI. *De æreo tertii moduli numo Augusti cum auersæ partis litteris :* ΘΗΙΩΝ.

XXVII. *De simili Octauiæ cum inscript.* ΝΕΡΩΝ ΘΗΙΩΝ.

XXVIII. *De simili Gallieni cum epigraphe :* IVBENTVS AVG.

XXIX. *De simili Aurelii Probi numo cum inscript.* ORGINI AVG.

XXX. *De simili eiusdem cum epigraphe :* RESTITVTOR ORBIS.

XXXI. *De numo argenteo Arsacis.*

XXXII. *De numo aureo Pharnacis :* ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΒΑΣΙΛΕΩΝ &c.

XXXIII. *De numo æreo Hispanico cum inscriptione :* OBVLCO.

De æreo max. moduli numo L. Veri.

I.



ΑΥΤοκράτωρ ΚΑΙσαρ Λέυκι© ΑΥΡΗΛΙΟΣ ΟΥΗΡΟΣ. *Imperator Cæsar Lucius Aurelius Verus.* Caput Veri laureatum.

ΕΠΙ ΣΤΡατηγȣ ΑΤΤΑΛȣ ΚΡΑΤΙΠΠΟΥ ΠΕΡΓΑΜΗνων ΔΙΣ ΝΕΟΚΟΡΩΝ

ΡΩΝ Β. *Sub Prætore Atylio Cratippo, Pergamenorum Bis Neocororum Bis.* Aeſculapius in bigis a Centauris, ingentes faces tenentibus, vectus.

Elegantiſſimus hic numus (1) depromtus eſt ex theſauro Illuſtriſſimi atque Excellentiſſimi S. R. I. COMITIS DE SCHWARZBVRG. Similis fere Aurelii ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΚΑΙ ΕΦΕCΙΩΝ &c. reperitur, in quo Centauri bigas trahunt cum inſidente muliere turrita, quæ icunculam Dianæ Epheſiæ geſtat. Alium delineatum mihi miſit Cl. Patinus, in quo Aeſculapius ſedet, cum eiusdem Dianæ icuncula; vt harum vrbium ὁμόνοια indicaretur. Quid vero ſibi velint hi Centauri, Medicinæ numen trahentes, intelliget harum rerum ſtudioſus Lector ex eruditiſſima celeberrimi viri Ezechielis Spanhemii Epiſtola ſecunda, his ſubiicienda (2).

(1) Fruſtra eum inter Numiſmata Græca Cl. Vaillantii quæras, apud quem & ſequentes quorum mentionem iniicit Morellius, deſiderantur.

(2) Inprimis ex Part. prior. §. V. VI. VII.

II.

De ſimili numo Commodi.



ΑΥΤΟκράτωρ ΚΑΙσαρ Λȣ́κιος ΑΥΡΗλιος ΚΟΜΟΔΟC. *Imperator Cæſar Lucius Aurelius Commodus.* Caput Commodi laureatum.

ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ Β. ΕΠΙ CΤΡατηγȣ̃ ΜΑΡκȣ ΓΛΥΚΩΝΙΑΝΟΥ. *Pergamenorum bis Neocororum, ſub Prætore Marco Glyconiano.* Iupiter iuuenis ſtans inter capita Solis & Lunæ, dextra fulmen; læua haſtam tenet; in imo hinc figura Selini, illinc Cetii, fluuiorum, intermedia Iouis aquila.

Singularem hunc & præſtantiſſimum Numum etiam ſuppeditauit Theſaurus Schwarzburgicus. Iidem fluuii, Selinus & Cetius, cum adiectis nominibus, reperiuntur in alio Marci Aurelii numo. Plura petas ex illuſtriſſimi Spanhemii epiſtola iam laudata (3).

(3) Part. poſter. §. XI. ſq.

De simili numo Postumi.

III.



IMPerator Cæsar Marcus CASsius LATIenus POSTVMVS Pius Felix AVGustus.

Capita Postumorum patris & filii laureata & iugata; siue, vt aliis placet, Capita Postumi & Herculis

HERCVLI COMITI AVGusti COS. III. Hercules stans inter Postumum sacrificantem & popam victimam adducentem.

Ex thesauro Illustrissimi Comitis de Schwarzburg.

Præcipuum Postumi numen erat HERCVLES, immo ipso Herculi comparabatur ab omnibus Galliarum populis, quod eas ab hostibus & Barbaris, tanquam monstris, purgasset, Romanum imperium in pristinam securitatem reuocasset, Gallias restaurasset, Germanorum impetus repressisset, & aduersus eos bella gessisset. Hinc inscriptiones: RESTITutor ORBIS: RESTITVTOR GALLIARVM: GERMANICVS MAXimus PACTO ORBIS: SALVS EXERCITus: VICToria COMES AVGusti, & aliæ eiusdem generis quamplurimæ (1), quas eruditus Lector in opere nostro reperiet. COMES AVGVSTI dicitur Hercules, quia hunc Principem robur Herculis vbique comitabatur: vnde etiam verisimile videtur, capita iugata potius Herculis esse & Postumi, quam Postumorum. Numus est elegantissimæ cælaturæ (2), quemadmodum omnes fere aurei occurrunt huius Principis. Ex duplici metallo præterea conflatus est, quales plurimi numi maximi moduli inueniuntur: vnde aliquando Viri quidam docti coniiciebant, tales nummos vocari posse *contorniatos*, quod e diuersa materia circulus additus aliam metalli speciem ambiret; sed non satis commode id fieri, e sequentis tabulæ patebit numis.

(1) Pertinet huc & inscriptio numi aurei ex gaza Fridericiana, quam e Thesauro Brandenburgico recenset Cl. Banduri Num. Imp. T. I. p. 311. VIC. GERM. P. M. TR. P. V. COS. III. P. P.

(2) Suspectus tamen Cl. Harduino Hist. August. p. 857. Opp. Sell. qua de re dictum Cap. III. §. 13. non item Cl. Bandurio, qui eundem recenset. T. I. p. 297.

IV.

De numo Terentii conturniato.



Expressus in hoc conturniato numo cernitur Comicorum facile Princeps P. TERENTIVS, Afer Carthagine natus, Terentii Lucani libertus, a quo ob ingenium & formam non institutus modo liberaliter, verum etiam mature est manumissus. Cum multis Nobilibus familiariter vixit, sed maxime Scipione Africano & C. Lælio; quorum opera adiutus fertur in scribendo, ob sermonis puritatem & elegantiam. Alii id de Sulpitio Gallo, vel Q. Fabio Labeone & M. Popilio perhibent. Opinionis huius & famæ euitandæ causa, quod videretur aliena pro suis edere, Roma egressus eo iterum non rediit. Mortuum aiunt in Arcadiæ Stymphalo, morbo implicatum, ex dolore ac tædio amissarum fabularum orto. Reliquit filiam, quæ postea Equiti Romano nupsit (1).

Ab auersa parte cernitur Athleta equo frænum iniiciens: nomen vero additum, cuius vltimæ modo litteræ cerni possunt IVS, nos latet. Idem nummus occurrit in Delineationibus Iacobi Stradæ cum eadem mutila epigraphe (2). Quid autem tot viris illustribus, Philosophis, Poetis, aliisque cum athletis & equis, qui in auersa istorum numorum parte comparent? Sane in his Homerum, Solonem, Euclidem, Horatium, Senecam, Pythagoram, Socratem, Salustium, Apollonium Tyaneum, aliosque, quorum effigies his numis debentur, inuenimus.

Hic Terentii numus adseruatur in Numophylacio illustrissimi Comitis de Schwartzburg, nec videre alibi eum mihi contigit.

(1) Hausta hæc totidem verbis e Vita Terentii Donato auctore.

(2) Operis eximii, quod bibliotheca Gothana, vt patet ex Catalogo MSS. p. 85. sqq. inter rariora cimelia sua numerat. T. XXI. Mutila quidem & ibi epigraphe huius numi, sed tamen duabus litteris, quæ & in ipso numo quodammodo obseruantur, auctior: I T. . . . . . I V S. Egit de eodem hoc numo Cl. Hauercampius de Num. Contura. p. 150.

V.

De numo aureo Tiberii.



TIberius CAESAR DIVI AVGusti Filius AVGVSTVS. Caput Tiberii Imperatoris laureatum.

IMPe-

IMP*erator* CAES*ar* TRAIAN*us* AVG*ustus* GER*manicus* DA*Cicus* P*ater* P*atriæ* REST*ituit*. Liuia inſidens ſubſellio, dextra haſtam, læua ramulum tenet.

Nota eſt Senatus in Liuiam adulatio, quam quidem ægre tulit Tiberius, peſſimus filius, ſed disſimulans permiſit. Haſtam tenet tanquam Diua, & lauri ramus forſan iſtum denotat, quem præteruolans aquila, ſtatim poſt Auguſti nuptias, in Liuiæ coniugis gremium demiſit, & quum pangi eum placuiſſet, lauretum inde prouenit, vnde Cæſares triumphaturi laureas decerperent, ſed quod nouiſſimo Neronis anno radicitus exaruit, teſte Suetonio init. Galbæ.

Merito autem principem hic numus obtinet locum inter Speciminis huius aureos, quia raritate ſingularis eſt & præſtantiſſimus, immo vnicus, quem obſeruarim ex auro in honorem Tiberii reſtitutum (1). Miſit illum ad exornandam inſtructiſſimam Gazam illuſtriſſimi Comitis de Schwartzburg, Rev. Dn. Bizotus Abbas Pariſienſis, morum integritate ac numariæ rei peritia celeberrimus; qui hiſtoriam Belgii fœderati numis, quos a primo libertatis ſuæ anno ad hæc vsque tempora in honorem Gubernatorum aut memoriam rerum geſtarum, Bataui percuſſerunt, illuſtrauit, mox totius orbis Chriſtiani numos, quos vocant, modernos iuſtis voluminibus complexurus, præclare & hanc ætatem & poſteros hac induſtria demeriturus; cui propoſito exſequendo vitam & felices ſucceſſus precamur.

(1) *Conflatum* primo ſcripſerat Morellius; ſed in addendis & Emendandis monet legendum eſſe *reſtitutum*. Addit: „ Nam „ plurimi numi aurei „ ſub Tiberio „ conflati reperiuntur; „ ſed hic ſolus „ in honorem „ eius reſtitutus huc vsque obſeruatur". At alium a Tito reſtitutum laudant Vaill. Numiſm. Præſt. T. II. p. 45. & Harduin. de num. REST. Opp. Sell. p. 308.

De numo aureo Traiani.

V I.



IMP*erator* TRAIANVS AVG*ustus* GER*manicus* DAC*icus* P*ontifex* M*aximus* TR*ibunitia* P*oteſtate* CO*n*S*ul* VI. P*ater* P*atriæ*. Caput Traiani laureatum (2).

DIVVS PATER TRAIANVS. Caput Traiani patris (3).

(2) Numorum, quos deſcribit Morellius, expreſſo ſue ære ſiſtit, ſæpe ille capita prætermiſit, prout in præſenti factum. Hic, vt in toto hoc opere, vtramque numi paginam reperiunt lectores. (3) Ectypum hunc e numo regiæ Gallorum gazæ exhibuit Morellius, ſed quod idem in Theſauro Fridericiano reperitur, eundem, perinde atque alios quosdam e ſequentibus, quos Morellius e Schwartzburgico Theſauro, in quo tum forte nondum reperiebantur, haud edidit, repetendum hoc loco duxi. Videndus de eo Vaill. Præſt. Num. T. II. p. 124. Morellius de eodem ne γρὺ quidem, incertum qua de cauſſa.

VII.

De alio numo aureo Traiani.



IMP*erator* TRAIANVS AV*Gustus* GER*manicus* DA*Cicus* P*onti*fex *Maximus* T*Ribunitia* P*otestate* COS. VI. P*ater* P*atriæ*. Caput Traiani laureatum.
DIVI NERVA ET TRAIANVS PAT*er*. Capita opposita Neruæ Imperatoris & Traiani patris Imp. Traiani.
Ex cimeliarchio Schwartzburgico.

Traianus, vt pietatem erga parentes ſuos declararet, patrem Traianum & patrem adoptiuum Neruam inter DIVOS conſecrauit; vtque huius rei memoriam redderet æternam, numis eam conſignauit. Vaillant p. 124. Tom. II. Mole hunc numum Occo (1) retulit ad Neruam & Traianum Imperatorem, vt bene monuit Io. Triſtanus (2). Verum & hic fallitur, dum credit omnes numos, qui Diui Traiani Patris effigiem referunt, ad Traiani Imp. Patrem pertinere: plures enim dantur numi ſub Hadriano percuſſi., cum haud dubia Traiani Imperatoris, non vero Patris effigie (3).

(1) p. 215.
(2) T. I. p. 386.

(3) Spectat huc aureus numus gazæ Fridericianæ inter Hadriani numos primus, cuius auerſa in parte caput Traiani laureatum cum inſcriptione DIVO TRAIANO PATRI AVG.

VIII.

De ſimili Traiani numo.



IMP*eratori* CAES*ari* NER*uæ* TRAIANO OPTIM*o* AV*Gusto* P*ontifici* M*aximo* T*Ribunitia* P*otestate* COS. V. P*atri* P*atriæ* Caput Traiani Imperatoris laureatum
DIVI NERVA ET PLOTINA IMP*eratoris* TRAIANI. Capita Neruæ Imperatoris & Plotinæ vxoris Traiani (4).

Etiamſi numus hic cum capite Traiani percuſſus eſt, optime tamen monet Cl. Vaillant. l. c. illum tempore Hadriani cuſum fuiſſe, quia

(4) Numi huius exemplum, quod in gaza noſtra reperitur, aliam paulo cum aduerſæ, tum auerſæ paginæ exhibet inſcriptionem. Illa eſt: IMP*erator* CAES*ar* NER*ua* TRAIAN*us* OPTIM*us* AV*Gustus* P*ontifex* M*aximus* T*Ribunitia* P*otestate* CO*n*S*ul* VI. P*ater* P*atriæ*, hæc vero: DIVI NERVA P*ater* ET PLOTINA AV*Gusta* IMP*eratoris* TRAIANI.

quia Plotina marito superstes eodem regnante non potuisset DIVAE appellationem admittere. Grati ergo animi monumentum est, quod parentibus Hadrianus præstitit, & Neruæ Plotinæque consecrationem commendat; Neruæ autem se nepotem raro in numis, sæpius in Inscriptionibus, vtpote longioribus, nominat (1). De cultu, quo defunctam Plotinam prosecutus est, ita Dio Lib. LXIX. p. 792. τὴν Πλωτίναν ἀποθανοῦσαν ἐτίμησεν, ὡς καὶ ἐπὶ ἡμέρας ἐννέα μελανειμονῆσαι, καὶ ναὸν αὐτῇ οἰκοδομῆσαι, καὶ ὕμνους τινὰς ἐς αὐτὴν ποιῆσαι. *Plotinæ vita defunctæ amplissimos honores tribuit: atratus enim per nouem dies fuit, eique templum exstruxit, & carmina de laudibus eius fecit.* Alius reperitur Hadriani numus aureus cum inscriptione: DIVIS PARENTIBVS, in quo duo capita cernuntur opposita & in aliis iugata: hinc Tristanus (2) credidit capita illa esse Aelii Hadriani Afri & Domitiæ Paulinæ, patris & matris Hadriani Imperatoris; sed reuera sunt Traiani Imp. & eius coniugis Plotinæ, vtpote parentum Hadriani adoptione, de qua etiam gloriatur in numis.

(1) Hæc totidem prope verbis e Vaillantio T. II. p. 114. hausit Morellius.

(2) T. I. p. 457.

De numo aureo Hadriani.

IX.



HADRIANVS AV*Gustus* COS. III. P*ater* P*atriæ*. Caput Hadriani nudum.

FORTVNA SPES. Fortuna stans cum temone & cornucopiæ, Spes vero herbam nascentem gestans.

Ex thesauro Regio Versaliensi (3).

Numus hic percussus videtur, quum Hadrianus Aelium Cæsarem adoptasset. Alii enim reperiuntur numi Aelii Cæsaris cum figura, quæ florem temonem & cornucopiæ tenet; qua FORTVNAM SPEI iunctam indicare voluerunt (4). Fortuna temonem tenet globo impositum, quia Aelius imperio Orbis destinabatur; & spectat ad illam *auream*, quam Imperatores in cubiculis habebant, & vt sacratissimum simulacrum successoribus relinquebant, pignus Imperatoriæ Maiestatis. Vide Capitol. in Antonino Pio cap. VII. Anton. Philos. cap. VII. Spartian. in Seuero cap. XXIII. vbi propterea Fortuna ea *regia* vocatur, quæ comitari principes, & in cubiculis poni solebat. Spem Hadriani autem fefellit mors adoptati Cæsaris, ita vt ipse Hadrianus, Spartiano teste cap. XXIII. dixerit: *In caducum parietem nos inclinauimus, & perdidimus quater millies sestertium, quod populo & militibus pro adoptione Commodi* (nam sic ante adoptionem nominabatur Aelius) *dedimus.*

(3) Sed extat & in Thesauro quondam Schwartzburgico, nunc Fridericiano.

(4) Spectat huc Aelii Cæsaris numus æreus primi ordinis e Thesauro Fridericiano, cuius auersa in parte perinde vt in præsenti, Fortuna & Spes iunguntur, cum inscriptione: TR. P. COSS II.

X.

X.

De simili numo Hadriani.



IMPerator CAESAR TRAIANVS (1) HADRIANVS AVGustus. Caput Hadriani laureatum. (1) In numo TRAIAN.

SAECulum AVReum Pontifex Maximus TRibunitia Potestate COS. III. Iupiter in magno circulo globum tenet, cui Phœnix insistit.

Sequitur SÆCVLVM AVREVM in aureo Hadriani numo, cuius iam meminit Cl. Tristanus (2), qui numum explicans typum eius tamen non addidit. Iupiter, vt videtur, circulo inclusus globum tenet, cui insistit auicula, quam Phœnicem suspicor: possit tamen etiam Aquila esse aut Ibis. Pro Phoenice pugnant numi Constantini & filiorum, in quibus variis modis expressus Phœnix occurrit. Elegantem possidet Gaza Regia, qui etiam inter eminentissimi Card. Carpegnæ numos maximi moduli p. 61. vulgatus est, cum hac epigraphe: GLORIA SAECVLI VIRTVS CAESS. in quo, Constantino sedenti globus traditur, cui Phœnix insistit. Alii numi sunt obuii inscripta habentes verba: FELIX TEMPORVM REPARATIO, in quibus Constantinus (3) naui insistit, Phœnicem globo impositum tenens. Gloriam autem omnes denotant sæculi huius Imperatoris, & felicitatem temporis illius, quo Imperium Romanum instar Phœnicis renouatum ab eo est, & pristino splendori ex tot aduersus Barbaros victoriis redditum. Proinde Porphyrius Optatianus etiam in Panegyrico de eo:

(2) T. I. p. 475.

(3) Nulli Constantini numi similes extant, sed Constantis & Constantii, quorum plurimos seruat gaza Fridericiana.

Area perpetuo restaurans secula mundo.

Et Lampridius in Elegab. cap. vlt. Diocletianum *aurei parentem sæculi* vocat. Nempe *quod optimum videri volunt sæculum aureum appellant*, dicente Seneca epist. CXV. Plura reperies apud Tristanum Tom. I. p. 475. in Hadriano.

X I.

De numo argenteo Caracallæ.



ANTONINVS PIVS AVGustus. Caput Caracallæ laureatum
LAETITIA TEMPORVM. Nauis cum plurimis animalibus & quadrigis.

Aureus in theſauro Regis Chriſtianiſſimi & argenteus in cimeliarchio Schwartzburgico.

(1) Similis Seueri patris numus extat Vaillantio laudatus l. c. T. II. p. 230. ſq. nuperrimeque obſeruatus mihi argenteus pariter, vt præſens, in ſupellectile numorum veterum lectiſſima Prænobiliſſimi FRITSCHII, vnde nouum ſibi decus ac præſidium hæ litteræ in Germania non tam pollicentur, quam iam nunc perſentiſcunt.

Numi huius (1), qui rariſſime occurrit, explicatio petenda ex Dione, quod iam obſeruauit Cl. Vaillantius Tom. II. Numiſm. Imp. p. 230. edit. poſter. & Mediobarbus pag. 275. vbi ob Seueri ex bello Parthico reditum, & principatus eius decennium, varia ſpectacula edita annotat. Locus Dionis Lib. LXXVI. p. 860. Ἐγένοντο δὲ καὶ θέαι τηλικαῦται παντοδαπαί, ἐπί τε τῇ ἀνακομιδῇ τοῦ Σεβήρου, καὶ ἐπὶ τῇ δεκετηρίδι αὐτοῦ, καὶ ἐπὶ ταῖς νίκαις. ἐν ταύταις ταῖς θέαις καὶ σύες τοῦ Πλαυτιανοῦ ἑξήκοντα ἄγριοι ἐπάλαισαν ἀλλήλοις ὑπὸ παραγγέλματος. ἐσφάγησαν δὲ ἄλλα τε πολλὰ θηρία, καὶ ἐλέφας, καὶ κροκότας. τῆς δὲ δεξαμένης ἁπάσης τῆς ἐν τῷ θεάτρῳ εἰς πλοίου σχῆμα κατασκευασθείσης, ὡς τετρακόσια θηρία καὶ δέξασθαι καὶ ἀφεῖναι ἀθρόως, ἔπειτα ἐξαίφνης διαλυθείσης, ἀνέθορον ἄρκτοι, λέαιναι, πάνθηρες, λέοντες, στρουθοί, ὄναγροι, βίσωνες, (βοῶν τι τοῦτο εἶδος, βαρβαρικὸν τὸ γένος καὶ τὴν ὄψιν) ὥστε ἑπτακόσια τὰ πάντα καὶ θηρία καὶ βοτὰ ὁμοῦ καὶ διαθέοντα ὀφθῆναι καὶ σφαγῆναι. πρὸς γὰρ τὸν τῆς ἑορτῆς ἀριθμὸν ἑπταημέρου γεγονυίας, καὶ ἐκεῖνα ἑπτάκις ἑκατὸν ἐγένετο. *Tum edita ſunt varia quoque ſpectacula, propter reditum Seueri, & decennium principatus eius, ac victorias, quas reportauerat: in quibus ſpectaculis apri ſexaginta Plautiani inuicem certauerunt, vt erat mandatum, cæſæque ſunt aliæ permultæ beſtiæ, atque inprimis elephas & crocota. Earum receptaculum, in amphitheatro ædificatum, erat inſtar nauis, ita, vt reciperet quadraginta feras, easdemque ſimul omnes redderet: qua ex naui ſubito diſſoluta exſilierunt vrſi, leænæ, pantheræ, leones, ſtruthiones, onagri, biſſones; quod genus boum eſt, patria, & aſpectu barbarum. Itaque ſeptingentæ feræ, manſuetæque beſtiæ ſimul concurrere, & poſtea confodi viſæ ſunt: occiſis enim ſingulis diebus centum, pro numero dierum feſtorum, qui ſeptem fuerunt, ſeptingentæ ſunt occiſæ.*

De numo aureo Maximiani.

XII.



MAXIMIANVS *Pius Felix* AV*Guſtus*. Caput Maximiani laureatum.

GAVDETE ROMANI. Duæ Victoriæ tenentes tabulam, in qua legitur SIC XX. SIC XXX. infra AQ. Aquileiæ.

Ex Gazis Cæſarea & Schwartzburgica.

(2) Non eſt ea magnitudine, qua repræſentatur in tabella: pondere tres ducati quadrantes æquat.

Inſcriptio numuli (2) aurei rariſſimi, quem Occo etiam exhibuit, docet, percuſſum illum fuiſſe, quum Vota ſoluerentur pro Salute Maximiani, & SIC*ut Vicennalia* SIC *Tricennalia* feliciter exigerentur; quemadmodum hanc Votorum concipiendorum formulam exponit celeberrimus Carolus du Freſne Dominus du Cange, vir ſtupendæ erudi-

eruditionis, indefeſſi laboris, & admirandæ humanitatis; quam ſæpius, dum viueret, & in Gallia ego agerem, expertus, memoriam eius nunquam, dum in viuis ero, exuam. Coniicere licet, numulos tales in feſto votiuo ſolemni Populo distributos fuiſſe, vt omnes moniti lætitiam effundant: imperat enim inſcriptio lætitiam publicam, quam ſub ſequentibus etiam Imperatoribus alii numi teſtantur, inſcripti: GAVDIVM POPVLI ROMANI. GAVDIVM ROMANORVM.

Præſtantiſſimum numum Conſtantini Magni argenteum obſeruaui in delineationibus V. Cl. Caroli Patini ex cimel. Friderici Marchionis Badenſis cum hac epigraphe: VOTA ORBIS EVRBIS SENATVS ET P*opuli* R*omani*; & in cippo, cui globus impoſitus, XX. XXX. MVL*ta* FEL*icia* (1). Ad hos numos facit locus ex Nazarii ad Conſtantinum M. Panegyrico cap. II. a Triſtano allegatus: *Quinquennalia beatiſſimorum Cæſarum occupatos in gaudiis habent, ſed in deſtinatis Decenniis iam vota properantia & ſpes volucres conſtiterunt. Horum dehinc compotes propagabimus optabilis boni ſeriem. Ita omnia quæ ex Principibus noſtris proſpere veniunt, continuatos fructus ferunt, nec magis recepta delectant, quam exſpectata iuuerunt. Verum quid agimus, vicenis aut iam tricenis annis circumſcribendo, quæ æterna ſentimus? Ampliora ſunt merita Principum, quam optata votorum.*

(1) Hunc numum inſcriptionemue in præclaro Bandurii opere fruſtra quæras.

XIII.

De numo aureo Conſtantini Magni.



CONSTANTINVS P*ius* F*elix* AVG*uſtus*. Buſtum Conſtantini, cuius caput ambit nimbus: læua pilum, dextra globum tenet, cui Victoriola inſiſtit.

GAVDIVM ROMANORVM. infra FRANC*ia* ET ALAM*annia*. TR*eueri* ſignata. Tropæum cum captiuis.

Numum ſingularem & oppido rarum denuo ſuppeditat Gaza illuſtriſſimi Comitis de Schwartzburg.

FAVSTAM, Conſtantini M. vxorem, nimbo ornatam exhibet argenteus maximi moduli numus (2), hic eodem habitu ſiſtitur maritus: de quibus circulis capita Imperatorum, æque vt Sanctorum, ambientibus, legendus doctiſſimus Du Cange in Diſſ. de inferioris æui Numiſmatibus, Gloſſario Latino ſubiecta, Sect. XV. pag. 12. Orbis huiusmodi ſuper caput Octauii, vrbem intrantis, *curuatus æqualiter rotundatusque in colorem arcus* conſpectus eſt, *veluti coronam tanto mox viro imponens*, apud Velleium Paterc. Lib. II. cap. LIX. Inde ad effigies Imperatorum radiata huiusmodi capita translata Freinsh. ad Flor.

(2) Quem Morell. Spec. Tab. IV. n. 4. p. 53. deſcribit, cuius auerſa pars Fauſtam ſedentem exhibet, & puerulum in ſinu geſtantem, adſtaute a dextra Felicitate, quam Caduceus indicat, a ſiniſtra Pietate, quæ nimbum capiti eius impoſitum ſuſtentat. Infra hinc & illinc Genii alati cernuntur coronas tenentes: Inſcriptio PIETAS AVGVSTAE, atque inferiori in areola: P. TR.

Lib. III. cap. II. n. 91. quæ Conſularis dignitatis inſignibus accenſere videtur Mamertinus in Panegyrico Maximiani cap. III. *Trabeæ veſtræ triumphales & faces conſulares, & ſellæ curules, & hæc obſequiorum ſtipatio, & fulgor, & illa lux diuinum verticem claro orbe complectens, veſtrorum ſunt ornamenta meritorum pulcherrima & auguſtiſſima.* Fulgidum lumen interpretatur Seruius, quod Deorum capita cingit, nubem diuinam, qua etiam pingantur, ad illud Aeneid. L. II. ℣. 616.

nimbo effulgens & Gorgone ſæua.

Globum porro tenet Conſtantinus, quo imperium orbis denotatur. Iſiodorus Lib. XVIII. Origin. cap. III. *Pilam in ſigno conſtituiſſe fertur Auguſtus, propter nationes ſibi in cuncto orbe ſubiectas, vt magis figuram orbis oſtenderet.* Nempe hoc veluti ſymbolo vniuerſi orbis imperium adeptos ſe ſignificabant Imperatores eum ſecuti. Declarant hoc Didii Iuliani Caracallæ & Getæ (1) numi, in quibus globum manu geſtant, cum hac epigraphe: RECTOR ORBIS. Mediob. p. 262. 285. 287. 310. Bellis partum hoc orbis fuiſſe imperium, Victoriola globo inſiſtens indicat, (in cuius locum ſucceſſit Crucis ſignum) & teſtes ſunt captiui ab auerſa parte tropæo alligati, quorum dura ſors GAVDIVM POPVLI ROMANI efficit; ſicut in Conſtantis numo figura alata & galeata ſtans conſpicitur, dextra ramum, ſiniſtra haſtam geſtans, dextro pede captiuum calcans, cum inſcriptione: GLORIA ROMANORVM apud Cangeum in tab. XII. Famil. Byzant. vbi & aliquot numi comparent GAVDIVM ROMANORVM, vel POPVLI ROMANI, inſcripti. Occurrunt autem Conſtantini M. numi, qui captiuos repræſentant, cum nominibus vel FRANCIA, vel ALAMANNIA; ſed ambo nomina in hoc Schwartzburgico iuncta cernuntur, & argumentum forſan præbent populos hos eiusdem & Germanicæ fuiſſe originis. *Francici* quidem cognomentum Probo a Populo acclamatum narrat Vopiſcus cap. XI. ob deuictam nimirum gentem, quæ intra Rhenum & Viſurgim habitabat, & poſt aliquot ſæcula victis in Gallia Romanis, potentiſſimo Galliæ regno nomen reliquit. Neque enim *Franci* confundendi ſunt cum Gallis, quaſi vnus & idem eſſet Populus, quos optime diſtinguunt numi Conſtantini M. qui dum de FRANCIA DEVICTA in numis gloriatur, eodem tempore alios cudi iuſſit cum hac inſcriptione: VIRTVS EXERCITVS GALLICI. (2) Tab. III. Famil. Byzant. quibus indicatur, Gallorum ope Francos & Alamannos fractos fuiſſe. Hosce enim populos ab eo deuictos non modo deſignant in citato numo captiui gemini, aut in alio, qui ibi conſpicitur, mulier ſedens dextro innixa brachio, cui adſcripta vox FRANCIA; ſed & auctor Panegyrici Maximiano & Conſtantino dicti confirmat cap. IV. *Multa ille* (Conſtantinus pater) *Francorum millia, qui Batauiam aliasque cis Rhenum terras inuaſerant, interfecit, depulit, cepit, abduxit: tu iam ab ipſis eorum Regibus auſpicatus es, ſimulque & præterea illorum ſcelera puniſti, & totius gentis lubricam fidem timore vinxiſti.* Confer Eumenium Paneg. Conſtant. cap. XI. Deuictos ab eo fuiſſe Alamannos prædicat etiam Nazarius in Paneg. cap. XVIII. & ante ipſum deuictos eos a Caracalla, qui ſe propterea *Alamannicum* dici voluerit, narrat Spartianus C. X. XIV.

(1) Elagabali ſcripſerat Morellius, ſed in addendis & emendandis „ pro Elagabali nomine, inquit, reponendum „ *Getæ*, in cuius numis „ inſcriptio: „ RECTOR „ ORBIS etiam reperitur: Sed illi, qui a „ Mediobarbo Elagabalo tribuuntur, omnes ad Caracallam „ pertinere „ videntur". Getæ numos cum laudata inſcriptione ignorat Mediobarbus, qui & vnum tantum, eumque aureum cum hac inſcriptione Elagabalo tribuit.

(2) Extat in gaza Fridericiana numus argenteus cum epigraphe: GLORIA EXERCITVS GALL. de quo Bandurius T. II. p. 246. *Noua epigraphe, numus ipſe rariſſimus, forte etiam ſingularis*, reliqua.

XIV.

De numo argenteo Augusti.



IMP*erator* CAESAR AVGV*Stus* TR*ibunitia* POT*estate* VIII.
Caput Augusti nudum.
Caius ANTIST*ius* VETVS FOEDVS P*opuli* R*omani* QVM GABINIS. Duo viri togati porcum immolandum supra aram accensam tenent.
Ex cimelio Schwartzburgico.

Sequuntur numi quidam argentei; & hic (1) quidem cum capite Augusti cusus videtur A. V. C. 738. quum ageret potestatem Tribunitiam VIII. C. Antistius Vetus rei monetariae Triumvir, originem familiae suae Gabiis oriundae ob oculos ponere voluit. *Gabii* autem Volscorum vrbs fuit, a Galatio & Bio fratribus Siculis condita, vt Solinus cap. VIII. indicat, fraude Sexti, Tarquinii Superbi filii, in Romanorum ditionem redacta, quod fuse narrat Liuius Lib. I. cap. LIII. & LIV. Post eiectos Reges sine dubio Populus Romanorum cum Gabinis foedus pepigit, cui Antistius quidam, cui Veteris cognomen, a quo reliqui id acceperunt, siue Fecialis siue Pater patratus, interfuit. Quo ritu ea sancita fuerint, exponit Liuius Lib. I. cap. XXIV. Notanda etiam in hoc numo particula QVM pro vsitato CVM, quod in aliis etiam reperitur, & vidi in quodam, qui Basileae in Gaza Erasmiana asseruatur.

(1) De hoc numo vide Cap. VI. §. V.

XV.

De numo argenteo Pescennii.




IMP*erator* CAESAR PESC*ennius* NIGER IVST*us* COS. II.
Caput Pescennii laureatum.
INVICTO IMP*eratori* TROPAEA. Tropaeum ad cuius imam partem galea & hastae (2).

(2) De hoc numo, cuius ectypo nullam descriptionem subiecit Morellius, vid. Cl. Vaillantium T. II. p. 212.

XVI.

De simili numo Philippi.

XVI.



IMP. PHILIPPVS AVG. Caput Philippi Arabis.
VICTORIA CARPICA. Victoria gradiens, dextra coronam, sinistra palmam gestans.

Delineaueram olim hunc numum apud Dn. Quesnel, rei numariæ, artis pictoriæ, & omnis antiquitatis peritissimum (1).

Meminit eius Ad. Occo, sed legit VICTORIA CARDICA, quod non mirum: numi enim illius æui aliquando P habent litteræ D simillimam & male expressam. M. Iulium Philippum autem, qui *Arabs* vulgo dictus, contra Carpos expeditionem A. C. 248. sumsisse, Zosimus auctor est Lib. I. cap. XX. ἐπὶ Κάρπους ἐστράτευεν, ἤδη τὰ περὶ τὸν Ἴστρον λῃισαμένους, *contra Carpos expeditionem suscepit, qui iam Istro vicina loca populabantur.* Mox de iisdem Carpis: οὐχ ὑποστάντες δὲ τὴν τῶν Μαυρουσίων ὁρμὴν, λόγους περὶ σπονδῶν ἐποιήσαντο· οἷς ὁ Φίλιππος ῥᾷον θέμενος ἀνεχώρει. *Sed quod impetum Maurorum ferre non possent, mentionem pangendi fœderis iniecerunt: quibuscum Philippus eo non difficulter inito, discessit.* Herodotus Lib. IV. cap. XLIX. fluuii *Carpidis* meminit, in Istrum exeuntis; Lazio *Carpis* vrbs est Pannoniæ inferioris apud Danubium siue Istrum, quem vide Lib. XII. Comment. Reip. Rom. cap. XI. vbi de *Carporum*, qui & *Cirpi* dicti, sede agit (2).

(1) Sed reperitur & in Thesauro quondam Schwartzburgico, nunc Fridericiano.

(2) De hoc numo vid. & Vaillant. T. II. p. 635. itemque Spanh. T. II. p. 330.

De æreo numo Gallieni.

XVII.



GALLIENVS AV*Gustus.* Caput Gallieni radiatum.
CONSERVAT*ori* PIETAT*is* III (3).
Imperator paludatus stans, ad cuius pedes figura genu flexo.
Ex Thesauro Schwartzburgico (4).

Illustrissimus Comes Mediobarbus fol. 365. existimat, ob cultum Deorum

(3) Vel potius X.

(4) Non argenteus, sed æreus tertii moduli hic numus in Thesauro Fridericiano hodie extat, vnde miror omnino, qui factum sit, vt inter argenteos eum Morellius descripserit.

Deorum & consultos Sibyllinos libros, de terræ motu exorto, *Conservatorem pietatis* Gallienum in hoc numo appellatum; de qua eius religione videndus Treb. Pollio cap. V. Sed rectius Cl. Vaillantius Tom. II. pag. 364. ad curam annonæ eum referre videtur.

XVIII.

De argenteo numo Corneliæ Superæ.



G*nea* CORNEL*ia* SVPERA AVG*usta*.
Caput Corneliæ Superæ in luna crescente.
VESTA. Figura stans dextra pateram, sinistra hastam gerens.
Ex Thesauro illustrissimi Comitis de Schwartzburg (1).

(1) Constat ex argento mixto, quod *billon* Galli vocant.

G. Corneliæ Superæ numum cum inscriptione IVNO REGINA iam vulgauit Tristanus Tom. III. Comm. Hist. p. 134. De raritate autem nostri inde iudicabis, quod mihi nullum *Superæ* numum in Galliæ cimeliis inuenire licuerit (2): altum etiam de ea apud Auctores silentium, & ex mera coniectura illam Valeriano, Gallieni fratri, iunxit Tristanus. Attentius vero numum inspiciens cum capitis tegumento, varietatem certam deprehendo inter Saloninæ & Superæ numos, vt fabrica huius ad Etruscillæ ætatem spectare videatur. Quicquid sit, si hanc vxorem a Valeriano repeteret siue Gallus (3) siue Aemilianus, non video quomodo denegari posset; apparet enim in numo iam prouectæ ætatis & cum Iuliæ Mœsæ delineamentis. Aliquot tamen eius numos protulit Cl. Vaillantius sub finem pulcherrimi sui de Numism. Imp. operis Tom. II. p. 396. 397. vbi numum nostro plane similem exhibet, nisi quod Vesta sedens ibi conspiciatur, Palladium dextra gerens.

(2) Haud vnum tamen e Galliæ cimeliis laudat Bandurius p. 78.

(3) Treboniani Galli eam coniugem statuit Cl. Bandurius v. Præf. T. I. vbi & monet, Morellium in hanc sententiam propendere.

XIX.

De numo primi moduli æreo L. Aurelii Veri.



IMP*erator* CAES*ar* L*ucius* AVR*elius* VERVS AVG*ustus*. Caput Veri laureatum.
C. L. I. COR. *Colonia Laus Iulia Corinthus.* Bellerophon Chimæram debellans.

(1) Vide de eo Cap. XII. §. XIX.

Numus hic (1) ex theſauro illuſtriſſimi Comitis de Schwartzburg deſumtus, ex ære magno & tantæ molis eſt, vt numis ex ære maximi moduli accenſeri poſſit. De cuius raritate argumentum inde peti poteſt, quod Vir Cl. Vaillantius nullos ex ære magno poſt Domitianum conflatos numos reperiri exiſtimet; & ſane rariſſimi exiſtunt, vixque vnum & alterum in Cimeliis vidi. Hic præterea numus virginitatis ſuæ notam oſtentat, nobili inductus ærugine, ſeu, vt cum Italis loquar, *patina verde*, quæ obſcurum ſmaragdum mentitur.

De Corintho autem, Græcarum vrbium clariſſima, plura dici poſſent, quam operis huius admittit modus. Conſule Pauſaniæ Corinthiaca, quæ libro ſecundo exponit; & inſigne Cl. Vaillantii opus de Coloniis, vbi hinc inde ſparſa reperies, quæ de Corintho oculos, ſed tamen magis animum, delectabunt. Deletam funditus Colonia eo deducta reſtituit Diuus Iulius, propterea Colonia hæc *Laus Iulia* in numo dicta. Bellerophon in eo ſignatus antiquitatem & originem eius indicat. Nota de eo fabula ex Mythologis. Eum Corinthiorum regem extitiſſe negat Pauſanias Lib. II. cap. IV. nepotem autem Siſyphi, regis Corinthiorum, filium Glauci fuiſſe, & a Minerua Pegaſum dono accepiſſe. Is crebro occurrit in Corinthiorum numis, vel ſolus, vel cum ſeſſore Bellerophonte, modo cum leone, modo cum chimæra depugnante. Duos denarios Gentis Cæciliæ a Cl. Patino primum editos in hanc rem profert illuſtris vir Spanhemius Diſſ. III. de Præſt. & Vſu Numiſm. pag. 237. Sane quod moneta Corinthiaca Pegaſum haberet inſculptum, *Pulli* nomine eam veniſſe teſtis eſt Iul. Pollux Lib. IX. cap. VI. p. 435. Πῶλος τὸ νόμισμα τὸ Κορίνθιον, ὅτι Πήγασον εἶχεν ἐντετυπωμένον.

De ſimili numo Septimii Seueri.

XX.



ΑΥτοκράτωρ Καῖσαρ Πόπλιος CΕΠτίμιος CΕΟΥΗΡΟC Περτίναξ. *Imperator Cæſar Publius Septimius Seuerus Pertinax.* Caput Seueri laureatum.

CΕΥΗΡΙΑ ΜΕΓΑΛΑ ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ ΔΙC ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Seuerea Magna* ſcilicet Certamina *Nicomedienſium* Bis Neocororum. Baſi impoſitæ duæ vrnæ cum ramis palmarum.

Ex Theſauro illuſtriſſimi Comitis de Schwartzburg (2).

(2) Vid. de numo hoc Spanhemii Epiſt. III. hiſce ſubiectam.

XXI.

XXI.

De simili Antonini Caracallæ numo.



ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΣ ΑΥΓΟΥΣΤΟΣ. *Antoninus Augustus.* Caput Caracallæ laureatum.

ΑΝΚΥΡΑΣ ΜΗΤΡΟΠόλεως ΑCΚΛΗΠΙΑ CΩΤΗΡΕΙΑ. *Ancyræ Metropoleos Asclepia Sacra.* Vrna magna cui inscriptum legitur ICΘ. ΠΥΘΙΑ. *Isthmia Pythia.*

Ex Thesauro Schwartzburgico (1).

(1) Vid. Spanhem. Epist. I. his additam, quæ pluribus numum hunc similesque illustrat.

XXII.

De aureo secundi moduli numo Claudii.



IMPerator CLAVDIVS CAESAR AVGustus GERManicus. Caput Claudii nudum.

BRITANNICVS. ANTONIA. OCTAVIA. Tres figuræ stantes, quarum duæ cornucopiæ gestant.

Hunc singularem numum ipse possideo (2).

(2) Transiit postea in thesaurum Schwartzburgensem, vnde hodie in Fridericiano asseruatur, vid. de eo Cap. IX. §. VIII.

Claudium Germanici nomen assumsisse, quod numus hic præfert, narrat Sueton. cap. II. qui etiam cap. XXVII. liberos eius ex tribus vxoribus quinque recenset: ex Vrgulanilla *Drusum* & *Claudiam*, ex Petina *Antoniam*, ex Messalina *Octauiam* & *Britannicum*, quem prius *Germanicum* appellari voluerat. In hoc nostro tres nominantur, Britannicus, Antonia, Octauia. Antoniæ nomen hactenus in nullo prorsus obseruatum est numo; Britannici etiam & Octauiæ rara in iis occurrunt nomina, quod ii norunt, qui colligendis hisce dant operam. Colonia Patrensis in Achaia trium horum liberorum in numis expressit capita, addita epigraphe: LIBERIS AVG. COL. A. A. P. qualem vulgauere Oct. Strada p. 34. Car. Patinus in Sueton. p. 271. & Opere Numism p. 99. & Cl. Bellori in secunda editione Numor. Angeloni. Numum vidi in Thesauro Regio, vbi similis cum Græca inscriptione asseruatur, qui recensetur a Vaillantio Tom. II. p. 62. a Fuluio Vrsino male ad Antoniam familiam relatus fol. 19. ed. Rom.

De simili numo Antonini Pii.

XXIII.



ΑΥΤοκράτωρ ΚΑΙσαρ Τίτος ΑΙΛιος ΑΝΤΩΝΕΙΝΟϹ ϹΕΒαστὸς ΕΥσεβής. (1) *Imperator Cæsar Titus Aelius Antoninus Augustus Pius.* Antonini statua cum Victoriola & hasta.

ΤΑΡϹΕΩΝ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩϹ ΚΙΛΙΚΙΑϹ. *Tarsensium Metropoleos Ciliciæ.* Mulier turrita sedens, ad cuius pedes fluuius (2).

Ex Thesauro illustrissimi Comitis de Schwartzburg.

(1) Prætermisit Morellius litteras Π. Π. ad latus statuæ expressas, quas interpretantur vulgo Πατὴρ Πατρίδος.

(2) Fluuius caput cornutum ostentat. In sella, cui mulier insistit, gryphus cernitur.

Tarsum præstantissimam Ciliciæ vrbem ab Argiuis conditam fuisse, qui Ios quærendæ causa cum Triptolemo vagati sunt, Strabo Lib. XIV. pag. 673. & Lib. XVI. pag. 750. narrat. Perseo aut Sandani ortum eius tribui, Ammianus Marcellinus Lib. XIV. cap. VIII. affirmat. A Pegasi certe fracto calcaneo, & impresso eius vestigio, denominatam tradit Stephanus ex Alexandro Polyhistore, ταρσὸς enim planta pedis vocatur, vnde & claudicationi Bellerophontis nomen hoc tribuunt; *Perseam* Tarson propterea appellauit Lucanus Lib. III. v. 225. Vna die hanc vrbem & alteram, quæ Achiale vocatur, a Sardanapalo ædificatam esse monumentum huius indicat, quod describit Strabo p. 672. Ortum ei debent illustres viri, Antipater, Archelaus, Nestor, Athenodorus, Hemogenes: nobis tamen cumprimis veneranda ea, quod D. Paulum, vas illud electum Christi & gentium doctorem, protulit, ceu ipse profitetur Act. XXI. 39. XXII. 4. Fluuius ad pedes turritæ mulieris, quæ vrbem indicat, prostratus Cydnum significat, qui mediam perfluit; Strabo pag. 673. διαῤῥεῖ αὐτὴν μέσην ὁ Κύδνος. Plinius Lib. V. cap. XXVII. *Cydnus Tarsum liberam* Ciliciæ *vrbem procul a mari secat.* In numo Caracallæ fluuio hinc insistens Foemina Τύχη Τάρσου, *Tarsi Fortuna* nuncupatur apud Cl. Vaillantium p. 268. Tom. II.

De simili Tranquillinæ numo.

XXIV.



ϹΑΒίνα ΤΡΑΝΚΥΛΛΕΙΝΑ ϹΕβαστή. *Sabina Tranquillina Augusta.* Caput eius.

ΑΔΡΙΑ-

ΑΔΡΙΑΝΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Hadrianopolitarum.* Tres Gratiæ nudæ ſtantes (1).

(1) Adde: *ramulum geſtantes.* Notandum, iuſtam numi magnitudinem ab ectypo hoc aliquantum ſuperari.

In numo aureo Maximiani Herculei (2) videmus tres Parcas, ſub nomine *Fatorum victricium*, hic conſpiciuntur tres Gratiæ: illæ veſtitæ, hæ nudæ: quamuis Pauſanias in Bœoticis pag. 596. a Socrate veſtibus velatas effictas teſtatur. Nudas eas ait etiam Horatius Carm. Lib. III. Od. XIX. & Lib. IV. Od. VII. & tales dicuntur ac conſpiciuntur paſſim. Quidam Iouis, alii Liberi Patris & Veneris, alii Solis filias fuiſſe tradunt, nominaque indicant: Euphroſyna, Aglaia, Thalia. Sæpius earum typus occurrit in Hadrianopolitanorum numis, qui Tranquillinæ comites eas ſignificarunt. Eſt autem Hadrianopolis vrbs Thraciæ ad Hebrum fluuium, ab Hadriano Imp. ſic dicta, quum antea *Oreſta* & *Vſcadama* vocaretur; ante captam Conſtantinopolim Turcarum regia, quibus hodie *Andernopoli* & *Endrem* vocatur. Rariſſimi ſunt Tranquillinæ numi, inprimis Latini, quorum vix vnum & alterum in Cimeliis reperias.

(2) Affertur a Morell. Tab. VI. p. 81.

XXV.

De gemino Maximini numo.



IMPerator CAEſar GALERius VALerius MAXIMINVS Pius Felix AVGuſtus. Caput Maximini laureatum.
BONO GENIO PII IMPERATORIS. Genius ſtans cum patera & cornucopiæ (3).
Ex Cimelio Schwartzburgico.

(3) Adde: In area numi lunula vna cum litteris Γ. K. X. Neque enim ibi litteras T. R. quas Morelliana delineatio exhibet, deprehendo.

Cuiuis homini Genium bonum malumque attributum, & perpetuum veluti comitem conſtitutum eſſe crediderunt veteres: & notus eſt Græcorum verſus:

Ἅπαντι δαίμων ἀνδρὶ τῷ γενομένῳ.

Horatius ita eum deſcribit Lib. II. Ep. II. ℣. 187.

Genius, natale comes, qui temperat aſtrum,
Naturæ deus humanæ, mortalis in vnum
Quodque caput, vultu mutabilis, albus & ater.

Ac ſæpe occurrit in veteribus lapidibus, *Genio Sancto, Genio Magno, Genio Gubernatori* &c. Multa narrat Pauſanias Lib. VI. fol. 355. de Ethymo athleta, genium a Temeſſenſibus interfecti ſocii Vlyſſei vincente; e Plutarcho etiam de malo genio Bruti nota eſt hiſtoria. Sacra ei floribus

floribus & frugibus ſparſis, vinoque in patera oblato, facta iterum ex Horatio Lib. II. Epiſt. I. v. 144. & Lib. II. Carm. Od. XVII. ℣. 24. diſcimus. Numus, quem exhibeo, (1) rarior eſt, obuii ſunt alii circa hæc tempora cuſi: *Genio Populi Romani*, *Senatus*, *Imperatoris*, *Cæſaris*, *Auguſti* &c. Alexandriæ cuſum fuiſſe numum, tres litteræ indicant ad pedem eius inſcriptæ.

(1) Ectypus illius aliquanto maior ipſo numo, quem rariſſimum appellat Bandurius in ad eundem notata. Confer ſi placet T. II. p. 167.

De æreo tertii moduli numo Auguſti.

XXVI.



ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΚΤΙΣΤΗΣ. *Auguſtus Conditor.* Caput Auguſti in templo quatuor columnarum.

ΤΗΙΩΝ. *Teiorum.* Bacchus ſtans cum canthаro & thyrſo.

Ex Theſauro Regis Chriſtianiſſimi (2).

(2) Extat & in Theſ. Fridericiano. Auerſam numi huius partem minus integram dedit Vaillantius Num. Græc. p. 6. perinde vt Harduin. Num. Vrb. & pop. p. 167. Opp. Sell.

Clazomeniis vicina Teos, Auguſtum quoque conditorem ſuum celebrat, templo Numini illius exſtructo, quod refert numulus. Vrbs erat Ioniæ, vna ex iis, ad quos Panionium pertinebat. Patria extitit Anacreontis Poëtæ; cuius ætate, relicta vrbe, Teii Abderam migrauerunt, Thraciæ vrbem, non tolerare quod poſſent Perſarum contumelias. Herodot. Lib. I. cap. LXVIII. Strabo Lib. XIV. fol. 644. In omnibus fere Teiorum numis Bacchus cernitur, argumento vini feracem iſtorum extitiſſe agrum: optimum autem ibi natum fuiſſe, colligere licet e Plinio Lib. XIV. c. VII. *ante omnia* vina *gratiam eſſe Clazomenio* dixit; vicinas autem fuiſſe vrbes ſupra indicauimus. Forte etiam ad annua certamina in honorem Bacchi apud Lebedios, Teiis vicinos, inſtituta, referri poſſet numus, de quibus Strabo Lib. XIII. fol. 643. Ibi Scenicorum artificum conuentus & domicilium eſt, & annua certamina in honorem Bacchi agitantur. Teos proxima deinceps Ioniæ vrbs ante eorum fuerat ſedes.

De ſimili Octauiæ numo.

XXVII.



ΟΚΤΑΟΥΙΑ CEBACTH. *Octauia Auguſta.* Caput Octauiæ.

ΝΕΡΩΝ ΤΗΙΩΝ. *Nero Teiorum.* Caput Neronis nudum in templo.

Ex

Ex Thesauro Regis Christianissimi (1).


Octauiæ, infelicissimæ vxoris Neronis, Claudii & Messalinæ filiæ, vultum hic numus refert, quales rari admodum (2) reperiuntur. Sicut autem vna in parte Octauiam, sic in altera maritum Neronem, Teii coluerunt, cuius caput in æde siue ipsius, siue Bacchi, in honorem exstructa, conspicitur.

(1) Extat pariter in Thes. Fridericiano.

(2) Numos Octauiæ cum vrbis nomine eximiæ esse raritatis obseruat Vaillant. l. c. p. 18.

XXVIII.

De simili Gallieni numo.



GALLIENVS AVG*ustus*. Caput Gallieni cum corona radiata.
IVBENTVS AVG*usti*. Gallienus stans Victoriolam tenet & hastam.
Ex Thesauro illustrissimi Comitis de Schwartzburg (3).

Vidimus in priori Speciminis editione Tab. IX. Saloniæ numum cum BENERE GENETRICE. Hic accedit IVBENTVS Gallieni, eius Mariti. Littera B. pro V. crebro occurrit in veteribus tabulis & inscriptionibus, prout ostendit vir eruditione illustris Carolus du Fresne in Glossario Lat. lit. B. fol. 415. Sic in Gruteri Inscriptionum opere DXLII. 4. legitur Q. B. *Qui Bixit*, pro Q. V. *Qui Vixit*. & DCCLXXXVI. 3. ABE pro AVE. Occurrit etiam BOLCANO pro VOLCANO. Cusum autem fuisse numum hunc, quum adhuc iuuenis ille Princeps Deæ Iuuentæ, seu Hebæ, sacra faceret, & primitias barbæ poneret, ex inscriptione eius colligendum: & ita legitur in numis M. Aurelii IVVENTAS, in Caracallæ IVVENTA IMPERII. Sed non intelligo, quomodo hoc in Gallieno locum inueniat, qui trigesimum quintum ætatis annum iam agebat, quum pater ad imperium perueniret; de filiorum igitur iuuentute & Imperii felicitate sibi gratulari videtur.

(3) Numus hic ex argento mixto constat, vnde & inter argenteos refertur a Bandurio T. I. p. 165. qui tamen & similem æreum tertiæ magnitudinis commemorat p. 218. Similem argenteum recenset Vaillant. T. II. p. 368. Sed vide, quæ de eo Bandurius notat l. c. p. 165.

XXIX.

De simili Aurelii Probi numo.



IMP*erator* C*æsar* PROBVS P*ius* F*elix* AVG*ustus*. Caput Probi.
ORIGINI AVG*usti*. Lupa cum Romulo & Remo.
Ex Thesauro illustrissimi Comitis de Schwartzburg.

M. Aurelii Probi Imperatoris origo in obscuro est: Victor eum Del-

matico ſanguine & patre agreſti natum dicit; Vopiſcus e Pannonia oriundum tradit, ciuitate Sirmienſi; qua de re pluribus agit Triſtanus Tom. III. Comment. Hiſt. fol. 279. ſeq. Similem numum reperi ſub Claudio percuſſum: vnde colligo, vtrosque eandem habuiſſe patriam, Coloniam Romanorum; quod per lupam exprimitur. Qua ratione hi Principes probare conati ſunt, ſe Romanæ eſſe originis. E Seguiniano muſeo hunc numum etiam allegat illuſtris Spanhemius Diſſert. IX. pag. 768. (1)

(1) Nouiſſ. Edit. T. II. p. 602. vid. quæ ad ſimilem numum obſeruat Bandur. T. II. p. 469.

De ſimili eiusdem numo.

X X X.



PERPETVO IMPeratori *Cæſari* PROBO INVICTO AVGuſto. Caput Probi cum corona radiata.
RESTITVTOR ORBIS. Iupiter Probo globum tradit.
Ex Theſauro illuſtriſſimi Comitis de Schwartzburg.

De Probo optimo feliciſſimoque Principe plura dici poterant, ſed inſcriptionem cumprimis illuſtrat acclamatio apud Vopiſcum cap. XI. *Probe Auguſte, Dii te ſeruent. Aſſertor reipublicæ, felix imperes. Tuere nos, tuere rempublicam. Bene tibi committimus, quos ante ſeruaſti. Tu Francicus, tu Gothicus, tu Sarmaticus, tu Parthicus, tu omnia* &c. (2)

(2) Luculenter hunc numum deſcribit laudatus ſæpe Bandurius T. I. p. 474.

De numo argenteo Arſacis.

X X X I.



Caput Arſacis Parthorum Regis diadematum
ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΒΑΣΙΛΕΩΝ ΑΡΣΑΚΟΥ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ ΔΙΚΑΙΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ ΦΙΛΕΛΛΗΝΟΣ. *Regis Regum Arſacis, Benefici, Iuſti, Illuſtris, Græcorum ſtudioſi & illos amantis*
Genius vrbis cuiusdam Arſacidæ, ſedenti viro palmam præbet.
Hic numus argenteus & elegantiſſimus (3) aſſeruatur in Theſauro Schwartzburgico.

(3) Conf. dicta de eo Cap. V. §. XXVIII.

Difficile

Difficile eſt iudicare, ad quem ex Arſacidis hic numus pertineat. Superſunt veſtigia quædam litterarum ſub titulo ΔΙΚΑΙΟΥ, ſed legi nequeunt. Arſacidarum epochæ caput quærendum eſt ſub Antiocho II. cui cognomentum *Dei*, Rege Syriæ, a quo defecerunt. Similem fere numum vulgauit Ill. Triſtanus Tom. II. fol. 83. & refert ad Arſacem I. Regiæ ſtirpis auctorem. Rectius forſan adſignatur Arſaci II. qui mira virtute contra Antiochum Magnum pugnauit, ab eoque, vt in imperii ſocietatem reciperetur, impetrauit. Poſt primos hos Parthorum reges, ceteri alia aſſumſerunt nomina, & vix vnus & alter eorum numus reperitur. *Regis Regum* appellatio a Perſis ad Parthorum reges translata fuit: *Euergetis* & *Epiphanis* cognomina Arſacidæ, vt videtur, a Lagidis & Seleucidis mutuati ſunt. *Philellenis* vero titulum ideo eos vſurpaſſe credendum, vt demererentur ſibi Græcos Aſiaticos Syriæ, Meſopotamiæ, ac reliquos illius tractus Parthici viciniores, qui Græcorum coloniis & lingua paſſim florebant. Plura vide apud illuſtr. Spanhemium Diſſ. V p. 424. ſq. & Triſtanum in Seuero l. c.

XXXII.

De numo aureo Pharnacis.



Caput Pharnacis, Ponti Regis.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΒΑΣΙΛΕΩΝ ΜΕΓΑΛΟΥ ΦΑΡΝΑΚΟΥ. ΖΜΣΔ. *Regis Regum Magni Pharnacis. Anno* 247. Apollo ſedens, dextra ramuſculum lauri tenet, læua lyræ innititur; ad pedes eius tripus.

Ex Theſauro illuſtriſſimi Comitis de Schwartzburg (1).

(1) Actum de eo Cap. I. §. IX.

Pharnaces, magni illius & toto orbe celeberrimi Mithridatis filius, parricidio & ſcelere Boſporo potitus, (quæ regio ſola e tot prouinciis Mithridati reliqua manſerat) traditoque Patris cadauere, Rex atque Amicus a Pompeio appellatus, regnauit annos quindecim. Sub initium belli ciuilis, ſpe recuperandæ paternæ potentiæ, nouis rebus ſtuduit; & Cæſare poſt Pharſalicam pugnam Alexandrino bello implicito, Armeniam, Cappadociam, ac Bithyniam vaſtauit. Pontum quoque non magno negotio recepit. A Cæſare monitus quum parere nollet, profligatus eſt ad Zelam, adeo celeriter & feliciter, vt Cæſar victoriam amicis ſignificaturus Romam ſcriberet: *Veni, Vidi, Vici.* Tandem reuerſus ex fuga in Boſporum, interfectus eſt ab Aſandro, anno ætatis quinquageſimo. Quam ob cauſſam Apollo in hoc numo ſculptus ſit, me fugit; niſi dicendum, Pharnacen bellum animo voluentem, Syrorum inſtituiſſe captare beneuolentiam, qui originem ducebant a Syro, Apollinis & Sinopes filio. Aera regni Pontici incipit a Mithridate II. qui Alexandro Magno in Perſico bello adiunctus, poſt obitum illius ad Antigonum ſe contulit. Huic ob ſomnium quoddam ſuſpectus red-


 ditus,

ditus, clam fuga ſalutem quæſiuit. Ciniatis poſtea in poteſtatem redactis, regnum paternum recuperauit, transmiſitque ad poſteros. Propterea Lucianus illum Κτιςὴν ſeu *Conditorem*, vocat. Hæc fere omnia ante mortem Antigoni peracta fuere. Inde in mentem venit litteram Δ in numo poſſe indicare annum *quartum* Pharnacis. Quodſi ita eſt, (mera autem coniectura eſt) caput æræ mox inueniemus. Pharnaces regnum adeptus eſt A. V. C. 691. quibus ſi quatuor regni annos addas, prodibunt 695. his ſi demantur 247. quot numus indicat, remanebunt 448. & ſic quinquennium adhuc ſupereſt ad mortem Antigoni, qui in prælio ad Ipſum occubuit A. V. C. 453. Amicus quidam ſuſpicatus eſt, litteram Δ poſſe referri ad ipſum Apollinem, vt hæc ſtatua ſit ΔΗΛΙΟΥ: vel vt ſit littera initialis vrbis illius, vbi numus fuit cuſus: vel alia nota, vtpote quæ in omnibus ΤΟΜΙΤΩΝ numis reperitur. Tomos autem Pontici littoris vrbem fuiſſe conſtat.

Hunc numum videram Norimbergæ apud Nob. Carolum Welſerum de Neuhoff, inter patrios Proceres ſplendidiſſimum, qui nobilitati ſtemmatis, & gentilitiæ eruditioni, ſua doctrina decus & incrementum addit: quumque Illuſtriſſimus Comes de Schwartzburg numi deſiderio teneretur, beneuole hunc eidem conceſſit, vt ditiſſimi theſauri ornamentum extaret.

De numo æreo Hiſpanico.

XXXIII.



(1) Emendatius editum vide ſupra Cap. V. §. XXIX.

Numus hic (1) ex illuſtriſſimi Comitis de Schwartzburg theſauro depromtus, eſt Hiſpanicus. Numerat inter Hiſpaniæ Bæticæ vrbes *Obulcum*, quod *Pontificenſe* appelletur, Plinius Lib. III. c. I Hodie *Porcunam* dici indicat, & Inſcriptiones ibi repertas profert R. P. Harduin. Num. antiqu. Vrb. Ill. p. 367.

EZECHI-

EZECHIELIS SPANHEMII

AD

ANDREAM MORELLIVM,

EPISTOLAE TRES,

QVIBVS


NVMI QVIDAM RARIORES

THESAVRI QVONDAM

SCHWARTZBVRGICI

HODIE FRIDERICIANI,

ILLVSTRANTVR.



SYLLABVS

EPISTOLAE PRIMAE,

De ANCYRANORVM numis, in quibus Certamina ΑΣΚΛΗΠΙΑ ΣΩΤΗΡΕΙΑ ΙΣΘΜΙΑ ΠΥΘΙΑ consignantur.

mune Asiæ fuerit, & de loco Iosephi.
XIX. ANCYRAE *prærogatiua.*
XX. *De alio* ANCYRAE *numo cum ancora.*







EZECHIEL SPANHEMIVS
ANDREAE MORELLIO.

Inſcriptio horum numorum. I. INſcriptio, de qua abs me quæris, amiciſſime MORELLI, quæ exſtat in aliquot Antonini Caracallæ numis, eaque haud vulgaris, ΑϹΚΛΗΠΙΑ ϹΩΤΗΡΕΙΑ ΙϹΘ. ΠΥΘΙΑ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩϹ ΑΝΚΥΡΑϹ, nihil aliud innuit, quam, vt id continuo in limine citra ambages moneam, *Ludos* in honorem *Aeſculapii Seruatoris*, ac inde etiam denominatos, illosque *Iſthmicos* ac *Pythios*, ab Ancyranis factos aut renouatos; ad quam celebritatem indicandam, *Ancyræ*, Galatiæ, vt eadem ibi dicitur, Metropoli, ſignati ſint pro more præclari id genus numi. ΑϹΚΛΗΠΙΑ nempe dicta Epidaurii huius Dei, immò *Ancyrani* feſta, vel apud Pollucem legas, Ἀσκληπιῶ, Ἀσκληπίεια ἢ Ἀσκλήπια Lib. I. cap. I. n. 32. ac præterea in Inſcriptionibus aliquot antiquis, cum *Epidauri*, *Pergami*, tum huius ipſius Ancyræ: vbi non *Aeſculapia* ſolum, ſed *Sacra* & *Magna* inſuper vocari eadem videas, ΤΩΝ ΙΕΡΩΝ ΑΓΩΝΩΝ ΓΩΝ ΜΕΓΑΛΩΝ ΑϹΚΛΗΠΙΩΝ, aut vna voce, prout edita eadem in Gruteri Theſauro legitur, ΜΕΓΑΛΟΑΣΚΛΗΠΙΕΙΩΝ, *Sacrorum Certaminum*, *Magnorum Aeſculapiorum.* Verum de his Inſcriptionibus, vnde lux quædam his numis Ancyranorum ſingularis accedit, paullo infra. ΑϹΚΛΗΠΙΑ itaque dicta primo loco hæc ſolemnia, ſicut alibi in præclaris, vt noſti, numis, ΗΛΙΑ, ΟΛΥΜΠΙΑ, ΛΗΤΩΕΙΑ, ΑΚΤΙΑ, ΗΡΑΚΛΙΑ, ΚΑΒΕΙΡΙΑ, ΔΙΟΣΚΟΥΡΙΑ, *ab Aeſculapio*, *Sole*, *Ioue Olympio*, *Latona*, *Apolline Actio*, *Hercule*, *Cabiris*, *Dioſcuris*, quibus vulgo Feſta id genus erant ſacra. Vt de iis nunc ſileam, quæ ſignantur ſubinde in antiquis Marmoribus, ΚΑΠΕΤΩΛΙΑ, ΕΛΕΥΣΙΝΙΑ, ΠΑΝΑΘΗΝΑΙΑ, ΕΦΕΣΙΑ, *Ioui Capitolino*, *Cereri Eleuſiniæ*, *Mineruæ*, apud Athenienſes, *Dianæ Epheſiæ* ſimiliter con-

conſecrata: aut quæ apud priſcos Auctores itidem occurrunt, ΔΙΙΠΟΛΙΑ, ΔΙΑΣΙΑ, ΗΡΑΙΑ, ΠΟΣΕΙΔΩΝΙΑ, ΑΠΟΛΛΩΝΙΑ, ΕΡΜΑΙΑ, ΔΙΟΝΥΣΙΑ &c. *a Ioue* rurſus, *Iunone*, *Neptuno*, *Apolline*, *Mercurio*, *Baccho*, nomina & cultum nacta. Quorum exemplo inſuper factum, vt ſicuti a Diis, ita a Regibus quoque, vel a Romanis Cæſaribus, in quorum honorem inſtituta ſimilia Ludorum ſolemnia, denominata fuerint, ΑΛΕΞΑΝΔΡΙΑ, ΔΗΜΗΤΡΙΑ(1), ΑΥΓΟΥΣΤΕΙΑ, ΣΕΒΑΣΤΑ, ΚΑΙΣΑΡΕΙΑ, ΤΡΑΙΑΝΕΙΑ &c. nempe *Alexandria*, *Demetria*, *Auguſtalia*, *Auguſta*, *Cæſarea*, *Traianalia*, aliaque, quæ ſingula, & de quibus alibi dicendi erit locus, vel penus tua docebit numaria vel aliorum lapidaria; ac iuuit vidiſſe non ſemel in præclaris Italiæ & Galliæ cimeliarchiis, maxime autem in hoc vere Regio & incomparabili veteris illius eruditionis ac elegantiæ promtuario.

(1) Vide de his Epiſt. III. §. III.

ΣΩΤΗΡΕΙΑ cur eadem dicta.

II. ΣΩΤΗΡΕΙΑ vero hic etiam appellata eadem ASCLEPIA, ſeu *Aeſculapia*, a *Sotere* videlicet, ſeu *Seruatore*, eodem Aeſculapio; prout iterum in veteribus numis aliquoties id illi Σωτῆρος cognomen, ſicut alias Ioui, Baccho, Herculi, Caſtoribus, aut parenti Apollini, tributum noſti: nempe ΣΩΤΗΡ ΚΩΙΩΝ, *Seruator Coorum*, aut ΣΩΤΗΡΙ ΑCΚΛΗΠΙΩ ΝΙΚΑΙΕΙC *Seruatori Aeſculapio Nicæenſes*. Quæ proinde ante oculos habuit eruditiſſimus Clemens Alexandrinus Protrept. pag. 16. τὸν γὰρ εὐεργετοῦντα μὴ συνιέντες Θεὸν, ἀνέπλασάν τινας ΣΩΤΗΡΑΣ, Διοσκούρους, καὶ Ἡρακλέα ἀλεξίκακον, καὶ ΑCΚΛΗΠΙΟΝ ἰατρόν. *Nam quum beneficum Deum non intelligerent, effinxerunt quosdam SERVATORES, Caſtorem & Pollucem & Herculem aueruncatorem, & AESCVLAPIVM medicum.* Vnde etiam Aeſculapio erecta olim a Nicomede Medico ſtatua, cum inſcriptione, quæ in Cl. Sponii Miſcellaneis exſtat p. 132. ΤΩ CΩΤΗΡΙ ΑCΚΛΗΠΙΩ CΩCΤΡΑ ΚΑΙ ΧΑΡΙCΤΗΡΙΑ. *Seruatori Aeſculapio dona pro ſalute reſtituta & gratiarum actiones*; prout nempe AESCVLAPIO GRATIAS AGENTES NVMINI TVO, legimus in Romano apud Gruterum lapide, LXX, 4. ſic non ſolum apud eundem LXIX, 8. ΑCΚΛΗΠΙΩ ΘΕΩ CΩΤΗΡΙ, aut alibi; ſed & in alia Inſcriptione adhuc inedita:

ΑCΚΛΗΠΙΩ ΣΩΤΗΡΙ
ΚΑΙ ΥΓΕΙΑ
ΓΝ. ΓΑΟΥΙΟΣ ΦΙΛΟΝΙΜΟΣ
ΑΝΕΘΗΚΕΝ

Aeſculapio Seruatori & Saluti, Gnæus Gauius Philonimus Dedicauit; nempe inſculpta in eodem lapide *Aeſculapii* & *Hygiæ*, ſeu *Salutis*, ſimulacra, & illius quidem caput ſupra ſerpentem multis gyris flexuoſum; hæc autem, prout eadem Aeſculapio ſubinde comes additur, in antiquis etiam numis. Ita SERVATOR ſimiliter a Romanis dictus hic Deus: vt AESCVLAPIO SERVATORI SACRVM in Sponii Miſcell. pag. 117. immo vnde ille interdum vna ΣΩΤΗΡΟΣ voce olim deſignatur: ſicut in adducto paullo ante *Coorum* numo, ac in alio *Nicæenſium* ſub Antonino Pio, Regiæ huius Gazæ, qui Aeſculapium exhibet, cum nuda itidem inſcriptione: CΩΤΗΡΑ ΤΩΝ ΝΙΚΑΙΕΩΝ, *Seruatorem Nicæenſium*. Hinc de eodem quoque, præterito ſimiliter nomine, ab Ariſtide dictum, in diem Apellæ natalem pag. 120. τῷ Σωτῆρι καὶ τοῦ βίου καθηγεμόνι, *Seruatori ac vitæ duci*, dein pag. 127.

πῶς

πῶς δὲ οὐχὶ τοῦ Σωτῆρος αὐτοῦ τὸ πρέμνον; *quid, nonne hoc ipſum Seruatoris germen?* & vbi de Hymnis a ſe in honorem Aeſculapii conditis ait Serm. Sacr. IV. pag. 569. καὶ μοὶ πολλὰ μὲν εἰς αὐτὸν τὸν ΣΩΤΗΡΑ ἐποιήθη μέλη, *multa quidem a me in ipſius Seruatoris laudem ſcripta ſunt carmina.* Quomodo etiam de Aeſculapio e Sole genito ait Iulianus Imp. Orat. pag. 286. edit. Petav. τὸν Σωτῆρα τῶν ὅλων ἀπογεννήσας Ἀσκληπιὸν, *Seruatorem omnium gignens Aeſculapium.* Nempe quod (vti a Clemente dictum vidimus) *Aeſculapius Medicus* ſit pro *Sotere* ſeu Seruatore cultus; isque, vt de parente eius itidem ἰατρῷ Apolline loquitur Philo Legatione ad Caium pag. 1006. ΣΩΤΗΡΙΩΝ φαρμάκων εὑρετὴς πρὸς ὑγείαν ἀνθρώπων, *ſalutarium remediorum repertor ad hominum ſanitatem.* Id vero infra Homeri ætatem contigiſſe, cuius æuo nondum eſſet Aeſculapius inter Deos, adde & Σωτῆρας, relatus, tradit Theodoritus Serm. IIX. Therapeut. pag. 596. Tom. IV. Ad cuius tamen exemplum filios eiusdem, ſeu *Medicos*, Σωτῆρας etiam dictos, iam alibi monui, Disſert. V. de Num. præſt p. 381. (1) Quamquam ΣΩΤΗΡΙΑ de ſacro ſeu ſolemni, aliis quoque Diis aut Vrbium Liberatoribus dicato, appellata itidem, aliunde conſtat. Qualia etiam, nulla ceteroquin horum Aeſculapii Σωτηρίων facta mentione, iam attigit eruditiſſimus Meurſius in Græcia feriata: ſicuti Σωτήρια in honorem Arati, qui patriam a tyrannide liberauerat, poſt eius mortem a Sicyoniis celebrata, iuxta Plutarchum in eius Vita. Mitto hic oblata pro renata, ſeu recuperata, inſigni aliquo beneficio, ſalute, Σωτήρια, ſeu quod θύειν Σωτήρια vulgo a Græcis dictum: prout ob ſalutis augurium, Græcorum militibus a Ioue oſtenſum, iuſſi iidem a Xenophonte, eorum duce, Lib. III. Ἀναβάσεως pag. 301. θύειν Σωτήρια & ob nauem ſeruatam apud Lucianum in Ioue tragœdo pag. 199. Tom. II. edit. Salmur. θύσαντός τε Σωτήρια, ac in Theoclis verſibus apud Athenæum Lib. XV. pag. 497.

(1) Vel potius p. 383. Edit. nouiſſim. T. I. p. 417.

Ἐθύσαμεν γὰρ σήμερον ΣΩΤΗΡΙΑ
Πάντες οἱ τεχνῖται,

Hodie enim celebrauimus SOTERIA nos omnes artifices. Ea enim voce a Romanis ſcriptoribus itidem, vt notum, dicebantur, ſicut a Statio, *Soteria pro Rutilio Gallico* Sylv. Lib. I. Ep. IV. & apud Martialem *Soteria poſcis amicos* Lib. XII. Epigr. LVI. quod de ſolutis ob recuperatam ſalutem ſacrificiis, non vero de muneribus, quæ data ſint amicis, a morbo conualeſcentibus, dictum, vere ad Papinium (quod præterea ex illis modo adlatis θύειν Σωτήρια plenius adſtruitur) monuit eruditiſſimus Geuartius. Σῶστρα enim a Græcis appellata, vti in inſcriptione, de qua paullo ante, eiusmodi munera. Adde quod שְׁלָמִים aut שְׁלָמֶיךָ *ſacrificia pacifica* per Σωτήρια reddunt Seniores, Exod. XX, 24. & Ioſ. XXII, 27.

Cur ΙΣΘΜΙΑ ΠΥΘΙΑ *dicta.*

III. Neque vero ſolum ΣΩΤΗΡΕΙΑ, ſed præterea ΙϹΘ. ΠΥΘΙΑ, ſeu ISTHMIA PYTHIA vocantur in hisce Ancyranorum numis eadem Aeſculapii ſolemnia; non ſicuti deſcripti præferebant numi ΙϹΟΠΥΘΙΑ, facili ac obuia, & quæ vel maxime attentum fallat, Θ in Ο mutatione. Id enim, quod continuo, vt noſti, ante inſpectos eosdem numos augurabar, euicit dein accuratior eorundem conſpectus, ac illius vel maxime,

maxime, quem in Gaza Lamoniana tractare tibi denuo licuit. Firmare hoc ipsum postea animaduerti insignem quandam inscriptionem Ancyranam, (de qua obiter paullo ante) quæ extat in Gruteriana collectione, vbi *Asclepia Isthmia Pythia* coniungi itidem videas. Hæc enim inter alia ibidem legas Thes. CCCCXV. 1. ΑΓΩΝΟΘΕΤΗΣΑΝΤΑ. ΔΙΣ. ΤΟΥΤΕ. ΚΟΙΝΟΥ. ΤΩΝ. ΓΑΛΑΤΩΝ. ΚΑΙ. ΔΙΣ. ΤΩΝ. ΙΕΡΩΝ. ΑΓΩΝΩΝ. ΤΩΝ. ΜΕΓΑΛΩΝ. ΑΣΚΛΗΠΙΕΙΩΝ. ΙΣΘ. ΠΥΘΙΩΝ. ΚΑΙ. ΑΡΧΙΕΡΕΑ. ΤΟΥ. ΚΟΙΝΟΥ. ΤΩΝ ΓΑΛΑΤΩΝ. ΓΑΛΑΤΑΡΧΗΝ ΣΕΒΑΣΤΟΦΑΝΤΗΝ. ΚΑΙ ΚΤΙΣΤΗΝ. ΤΗΣ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. ΑΝΚΥΡΑΣ. *Agonothetam Bis Communis Galatarum; Et Bis Sacrorum Certaminum Magnorum, Asclepiorum, Isthmiorum, Pythiorum; Et Pontificem Communis Galatarum, Galatarcham Augustalem; Et Conditorem Metropoleos Ancyræ.* In quibus, vt alia iam mittam, eadem hæc Ancyranorum Festa, cum *Asclepia Magna*, tum ΙΣΘ. ΠΥΘΙΑ, sicut in iis, de quibus hic agimus, numis vocantur. Aliam equidem Inscriptionem præfert idem Thesaurus, in quo iterum horum *Ancyræ* solemnium, ac iisdem propemodum verbis, fit mentio; nisi quod *Pythia* tantum, præter *Asclepia*, non vero etiam *Isthmia*, commemorentur; nempe Thes. CCCCX. 3. ΚΑΙ. ΤΩΝ. ΙΕΡΩΝ. ΑΓΩΝΩΝ. ΤΩΝ. ΜΕΓΑΛΟΑΣΚΛΗΠΙΕΙΩΝ. ΠΥΘΙΩΝ. mox: ΚΤΙΣΤΗΝ. ΤΗΣ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. ΑΝΚΥΡΑΣ. ΦΥΛΗ. *Et sacrorum Certaminum, Magnorum Asclepiorum Pythiorum* &c. *Conditorem Metropoleos Ancyræ Tribus.* ΠΥΘΙΑ etiam nude præfert alius *Ancyræ* numus, cum Saloninæ Augustæ effigie, iuxta Tristanum Tom. III. pag. 109. quamquam in ipsa, quam adfert, numi illius icone, non ΠΥΘΙΑ, sed ΑΚΤΙΑ legatur (1); qua de re ipse videris, vbi numum illum inspiciendi vsus aut facultas dabitur.

(1) Conf. Vaill. Num. Græc. p. 185.

PYTHIA & OLYMPIA non Delphis, aut in Elide solum, acta.

IV. PYTHIA certe alibi quoque, quam Delphis, neque in vnius Apollinis Pythii, quamquam inde origo (vt vulgo obuium) ac nomen, acta honorem, si non aliunde, at luculenter ex veteribus numis, iisque valde præclaris constat. Prius continuo arguunt ii, in quibus occurrunt vel ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛΙΤΩΝ (2). vel ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ, vel ΙΕΡΑΠΟΛΙΤΩΝ, vel ΠΕΡΓΑΙΩΝ, vel ΕΜΙϹΩΝ, vel ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ, vel ΜΑΓΝΗΤΩΝ, vel ΘΕϹϹΑΛΟΝΙΚΕΩΝ ΠΥΘΙΑ, seu a *Philippopolitanis, Perinthiis, Hierapolitanis, Pergæis, Emisenis, Trallianis, Magnetibus, Thessalonicensibus*, celebrata *Pythia.* Sic in veteri Inscriptione apud Cl. Sponium Miscell. p. 364. non solum ΠΥΘΙΑ ΕΝ ΔΕΛΦΟΙΣ, *Pythia Delphis*, sicuti etiam apud Gruterum CCCXIV, 1. sed præterea ΠΥΘΙΑ ΕΝ ΜΙΛΗΤΩ, ΠΥΘΙΑ ΕΝ ΜΑΓΝΗΣΙΑ, ΠΥΘΙΑ ΕΝ ΣΙΔΗ, ΠΥΘΙΑ ΕΝ ΠΕΡΓΗ Δ. ΠΥΘΙΑ ΕΝ ΘΕϹϹΑΛΟΝΙΚΗ, *Pythia Mileti, Pythia in Magnesia, Pythia Sidæ, Pythia Pergis Quater, Pythia Thessalonicæ.* Posterius eadem nempe PYTHIA in alterius subinde Dei, vt Aesculapii in his *Ancyranorum* numis, aliisue monumentis antiquis iam adductis, vel Herois alicuius honorem peracta, euincunt iidem aut similes numi, in quibus itidem videas non solum ΗΛΙΑ ΠΥΘΙΑ (neque enim eadem semper *Solis*, quæ *Apollinis*, quamquam vulgo idem numen haberetur, sacra) aut ΛΗΤΩΕΙΑ ΠΥΘΙΑ, sed etiam ΠΥΘΙΑ ΑΛΕΞΑΝΔΡΙΑ, aut ΠΥΘΙΑ ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ, tanquam vel *Soli*, Emisenorum, vt aliunde notum numini; vel *Latonæ*, in

(2) Conf. Op. huius Cap. XI. §. 14.

in præclaro Trallianorum (1) numo; vel *Alexandro* Macedoni, apud Thracas; vel *Fratrum Concordiæ*, Caracallæ nempe & Getæ, apud Perinthios ſacra Pythia: quæque *Philadelphia*, vti & *Latonia*, vel eadem hæc tua, quæ *Ancyranorum Aſclepeia*, continet tabella (2), Lectori deinceps iucunde ante oculos ponit. Sic in præclaro *Perinthiorum* numo, ſub eodem Caracalla percuſſo, qui extat in locuplete penu illuſtris Abbatis de Camps, ΑΚΤΙΑ ΠΥΘΙΑ ſignantur, cum ſolitis id genus Agonum ſymbolis. Adde inſignem oppido Saloninæ numum, quem nuper ex Anglia in Regiam hanc Gazam delatum verſare mihi, quod non ignoras, licuit, inſcriptum ΠΑΝΙΩΝΙΑ ΠΥΘΙΑ ΜΙΛΗΣΙΩΝ, *Panionia* (de Ionico, vt aliunde notum, conuentu ac ſolemni dicta) *Pythia Mileſiorum* (3). Vt vel hinc abunde nunc lucem mutuentur, quæ de PYTHIIS, vel Megaræ, vel Sicyone celebratis, tangit Pindarus Nem. Od. V. & IX. ac memorant ibidem veteres Critici; ſicut & Iſthm. Od. IV. vbi quæ agebantur Sicyone Pythia, Ἀδράστεια ἄεθλα *Adraſtea certamina*, ab Adraſto nempe Argiuorum rege inſtituta, vocari videas. Immo prout etiam Pythia Carthagine in Africa olim acta docet, qui inde haud parum illuſtratur, Tertullianus Scorpiac. cap. VI. de quo loco paullo infra (4). Vt mittam, quod Pythia Athenis egiſſe Demetrium, quod tum anguſtias Delphorum tenerent Aetoli, tradat in eius vita Plutarchus. Neque aliter actum cum ludis *Olympiacis*, qui vulgo in Elide, & Ioui quidem Olympio, ſacri, haud eo minus alibi leguntur quoque celebrati. Id vtique docent inſcripta in Marmore, de quo paullo ante, apud Sponium Miſcell. p. 364. non ſolum ΟΛΥΜΠΙΑ ΕΝ ΠΕΙϹΗ, *Olympia Piſæ*, ſed inſuper ΟΛΥΜΠΙΑ ΕΝ ΑΘΗΝΑΙϹ, *Olympia Athenis*; quorum etiamnum apud Pindarum Pyth. Od. IX. p. 307. ac Nem. Od. II. p. 244. ac alibi fit mentio. Vt nunc ſileam peracta eadem Olympia, vt hæc paucis itidem tangam, vel in Peloponneſo, iuxta Thucydidem Lib. I. p. 80. Ed. Wech. vel in vrbe Macedoniæ *Dio*, iuxta Dionem Chryſoſt. Orat. II. p. 83. ac Euſtathium Iliad. B. p. 250. vel in *Olympo*, Theſſaliæ monte, iuxta veteres Apollonii Rhetoris Enarratores ad Lib. I. verſ. 599. vel à Philippo Macedone, in vrbe Thraciæ *Olyntho*, vt id liquet e Demoſthene de Falſ. Legat. p. 225. Ed. Baſil. Adde, *Smyrnæ*, non ſolum teſte Philoſtrato Lib. I. de Vit. Soph. p. 541. ſed eius rei indicibus etiamnum antiquis lapidibus, in quibus leguntur ΣΜΥΡΝΑΝ ΟΛΥΜΠΙΑ, vel ΕΝ ΣΜΥΡΝΑ ΟΛΥΜΠΙΑ Marm. Oxon. p. 70. ac in Gruteri Theſ. CCCXIV. 1. Sic acta ſolemni ritu ac pompa apud *Antiochenſes* in Daphnes ſuburbio quarto quoque anno Olympia, idque ius a Piſæis in Elide (vnde nunc id genus ſolemnium morem diſcimus) redemiſſe Antiochenſes Olympiade XC. docebit, quod nuper in Anglia prodiit, Io. Malalæ Antiochenſis Chronicon. p. 372. & 375. quæ celebrata autem ibi Olympia, eaque occaſione combuſtum Apollinis Daphnæi fanum, memorat Chryſoſtomus Sermon. II. in S. Babylam Tom. V. Ed. Sauil. p. 466. Qua ratione etiam factum, vt ſicuti de *Pythiis* modo vidimus, *Olympia* in alterius quoque, quam Iouis Olympii, honorem ſubinde celebrata fuiſſe, arguat eadem hæc erudita veterum numorum ſupellex. Sic in numis *Tyriorum* ſignantur ΗΡΑΚΛΙΑ ΟΛΥΜΠΙΑ, ſeu *Herculana Olympia*: in numis vero, de quibus alibi agetur, aut Macedonum ΟΛΥΜΠΙΑ ΑΛΕΞΑΝΔΡΙΑ, *Olympia Alexandria*, aut Tarſenſium ſub Seuero,

(1) Tripolitarum, non Trallianorum numum cum hac inſcriptione recenſet Vaillant. l. c. p. 184. 340. & 342. Eundem profert Morellius Specim. Tab. XIV. p. 149.

(2) In Tab. XIII. Specim. numi, qui *Ancyranorum Aſclepia*, in tab. XIV. qui Philadelphia & Latonia exhibent.

(3) Conf. Vaill. l. c. p. 186. 342.

(4) §. IX.

Seuero, ΣΕΥΗΡΕΙΑ ΟΛΥΜΠΙΑ ΕΠΙΝΕΙΚΙΑ, *Seueria*, aut *Seueriana, Olympia Victricia*, in honorem nempe vel Herculis Tyrii, vel Alexandri, vel Seueri, post debellatum Imperii æmulum Nigrum vocantur. Distincta alioquin apud Græcos *Heraclia* & *Olympia*, vel ex Græco discas Pindari Interprete; qui, vt de postremis dicam, prima illa, seu *Heraclia*, apud Thebanos docet celebrata ad Olymp. Od. VII. sicuti etiam Plutarchus de Genio Socratis pag. 598. & in Atticæ pago, Marathone, idem Pindari Enarrator ad Olymp. Od. IX. p. 92. Mitto iam, Latinis etiam litteris, Romanæ vtpote Coloniæ, adscripta in aliis Tyriorum numis ACTIA ERACLIA; aut quod Ἡράκλεια in Asia, Græcia, Tyro acta tradit Theodoritus Therapeut. Serm. VIII. pag. 594. Tom. IV. Sic ΠΥΘΙΑ ΟΛΥΜΠΙΑ signari alioquin nosti in eximio Tranquillinæ numo (1), *Trallibus* in Asia percusso, cum solitis vtriusque Agonis præmiis, Corona e lauro, & altera ex olea, & præterea cum pomorum, qualia inter Pythiorum præmia exstitisse aliunde constat, aceruo, ac prout fidem etiam facit idem Trallianorum numus a te opportune, vt nunc video, vulgatus in Speciminis Tabula XIX. Adde vero hisce, quæ in lapidibus antiquis occurrunt, ΑΔΡΙΑΝΙΑ ΟΛΥΜΠΙΑ. Quamquam, quod iam alibi Diss. IIX. de Num. Vsu & Præstant. p. 745. (2) contra Scaligerum monui, non vnum continuo & eundem Agonem, sed diuersos subinde, neque vno tempore celebratos Ludos, notent sæpe antiqua id genus monumenta.

(1) Vail. l. c. p. 160. 340.

(2) Edit. nouiss. T. II. p. 499.

ISTHMIA. Eorum celebritas, & corona ex Apio.

V. Vnde nihil nouum, hic etiam ISTHMIA, in numis nempe, quos expendimus, ac similiter, vt iam vidimus, in lapidibus *Ancyranorum*, cum PYTHIIS, coniungi: eadem autem cum ASCLEPIIS tanquam diuersa Certamina Ancyræ celebrata; aut, quod verius e superioribus colligas, vtraque illa, ISTHMIA nempe ac PYTHIA, in *Aesculapii Soteris* dicti honorem, solemni ritu ab *Ancyranis* instituta, ac inde ΑΣΚΛΗΠΙΑ ΣΩΤΗΡΕΙΑ ab iis nuncupata. Magna quippe ISTHMIORVM, non solum ante euersam a Romanis Corinthum, sed post eandem quoque ab iis restauratam, exstitit celebritas. Vnde ab Aristide, qui M. Aurelii temporibus floruit, de iisdem dicitur, τῇ καλλίστῃ τῶν πανηγύρεων τῇ τε καὶ ὀνομαστοτάτῃ, *pulcherrimæ omnium ac celebratissimæ panegyri*, in Isthmic. p. 45. a Dione autem Chrysostomo Orat. IX. p. 138. e Græcia non solum, sed ex Ionia, Sicilia, Italia, Africa &c. factum vndique ad eadem *Isthmia* concursum. Quo referas Inscriptionem in hoc Isthmo Corinthiaco repertam, ac vulgatam a viris præstantibus Sponio Miscell. p. 363. & Whelero Itin. Anglice edito pag. 438. vbi (qua de re alio adhuc loco dicetur) (3) ἀπὸ τῆς οἰκουμένης, *ab orbe terrarum*, ad hos ludos Isthmicos confluxisse dicuntur Athletæ. Adde, quod, sicut in maxime solemnibus Gentilium festis subinde factum, sub tentoriis agerent, qui ad eadem *Isthmia* conuenerant: prout id apud Aristophanem, sed qui ad obscoenum sensum hoc, more suo, detorquet, videas Εἰρην. pag. 689. τὸ δεῖν ἐς Ἴσθμια σκηνὰς &c. καταλαμβάνειν, *oportere ad Isthmia tentoria occupare.* Haud aliter nempe ac de celebritate Olympiaca, qua nulla apud Græcos maiori spectatorum concursu fuisse frequentata ait Lucianus in Herodoto pag. 625. Tom. I. οὐ κατὰ Πίσαν, μὰ Δί', οὐδὲ τὴν ἐκεῖθε στενοχωρίαν, καὶ ΣΚΗΝΑΣ, καὶ καλύβας, καὶ πνῖγος, *non, vt Pisæ, per Iouem, loco angusto, TENTORIIS, tuguriis & æstu.* Immo prout de Alcibiade, in Olympia

(3) Vid. Spanh. Epist. II. ad Morell. quæ de Nysæorum numo, in quo ΘΕΟΓΑΜΙΑ ΟΙΚΟΥΜΕΝΙΚΑ inscribuntur, §. VII. p. 129. Eam Epistolam hoc loco inserere non licuit, quod numus, de quo agit, in Thesauro Fridericiano adhucdum desideratur.

lympia ludorum tempore agente, ait in eius vita Plutarchus pag. 196. ΣΚΗΝΗΝ μὲν γὰρ αὐτῷ κεκοσμημένην διαπρεπῶς ἔστησαν Ἐφέσιοι, TENTORIVM ei *posuerunt Ephesii eximie adornatum.* Quo spectat etiam, quod de Samiis, celebratissimum Iunonis Samiæ Festum agentibus, tradit Polyænus Lib. VI. cap. XLIV. ἐλθόντες ἐπὶ τὸ τῆς Ἥρας ἱερὸν ἐσκηνοποιοῦντο, *accedentes ad Iunonis templum tentoria erigebant*; non, vt ibi Interpres, *scenas parabant.* De quo autem Græcorum more, cuius præterea mentio fit a Dione Chrysost. Orat. XXXVI. pag. 447. vbi de Liberalibus ait, τινὰς σκηνὰς ἀκαλύπτους πηξάμενοι, *tentoria quædam aperta conglutinantes*, & in quibus vestigia veteris Hebræorum Σκηνοπηγίας licet continuo percipere, hæc obiter, aliis quod equidem norim indicta, nunc adnotamus. Mitto hic vero, quod olim Solonis lege datum Isthmionicis, sicuti & Olympionicis, certum e fisco honorarium, vti id e Plutarcho ac Laërtio in Solone iam monuit ad Leges Atticas eruditissimus Petitus pag. 61. Verum ei ideo non accedo, dum eadem *Isthmia* non infra *Olympiorum* solum, aut *Pythiorum*, sed etiam infra *Nemeorum* dignitatem deprimit. Ἀρχιθέωρον quidem ad *Isthmia* iuxta & ad *Olympia* se ab Atheniensibus delectum, *Nemeorum*, vti & *Pythiorum*, mentione ibi præterita, testatur Andocides Orat. de Mysteriis pag. 239. Verum se quoque vt ἀρχιθέωρον ad *Nemea* pro Atheniensibus missum memorat in Midiana Demosthenes pag. 401. sicuti rursus eundem ad Olympia ἀρχιθεωρίαν quoque, Atheniensium nomine, obiisse, refert in Oratione, quam aduersus illum scripsit Dinarchus p. 46. edit. Hanou. In *Isthmiis* vero προεδρίαν, seu primum fuisse Atheniensium consessum, quod Theseus illius Agonis auctor haberetur, tradit in eius vita Plutarchus. Neque vero hic vrgebo, quod primo loco eadem ISTHMIA in his Ancyranorum numis ante PYTHIA collocentur, quum ΠΥΘΙΑ ΟΛΥΜΠΙΑ præferant, de quibus ante, veteres numi; vnde tamen maior *Pythiorum* præ *Olympii* celebritas non est continuo statuenda. Eadem vero ISTHMIA coronæ inscripta exhibent subinde, quod tibi omnium optime compertum, Romani etiam numi: quamquam non in vrbe, sed in Romana Colonia, seu a Corinthiis, sacri illius Agonis, quod aliunde constat, præsidibus, sint percussi. Tales vtique non sub Tiberio solum ac Nerone, sed paullo infra illam ætatem, sub M. Aurelio, L. Vero, Iulia Domna, & Caracalla, iique non vulgares, in præclaris Cimeliarchiis. Qualis etiam Neronis numus exstat in hisce Thesauris Regiis, ac proinde ea occasione (1), qua Neronem eadem *Isthmia* non celebrasse solum, quod de eo tradunt Tranquillus cap. XXIV. ac Plutarchus in Flaminio, sed vicisse in iisdem docet Philostratus in Vita Apollonii Lib. IV. cap. VIII. Hinc alius & eximius adhuc Neronis numus in eadem Gaza, in cuius auersa parte ΠΟΣΕΙΔΩΝ ΙΣΘΜΙΟΣ, *Neptunus Isthmius* (2), signatur, cui nempe sacer ille Agon; ac prout Ἰσθμίου Βωμὸς, seu *Ara*, exstitisse dicitur apud Pausaniam Lib. II. pag. 102. ac ἐν Ἰσθμῷ δεσπότα, *in Isthmo dominus*, a Pindaro inuocatur Neptunus, Isthm. Od. VI. Cuius etiam numi, vti & alterius sub L. Vero, cuius nempe caput in anteriori eius parte signatur, percussi, in quo ISTHMIA coronæ inclusa, icones accurate ad numorum fidem, meoque rogatu, signatas tuo beneficio hic adspiciet Lector.

(1) Deest vox *cusus*, vel alia similis.

(2) Citatur Harduino ad Plinium T. I. p. 194.

Corona




Corona autem illa ex *apio*, vt videtur: quamquam, vt obiter hoc tangam, haud paullo diuersa sit ab eo, quæ in similibus Corinthiorum numis sub Tiberio antea ac Nerone percussis comparet, & in quo Neronis numo ISTHMIA a corona itidem, vt hic factum, ambiuntur. Vid. Vaillant de Colon. Rom. pag. 106. & 171. (1) P. I. Adde, quod (1) p. m. 118. *apii* in Isthmiis vsus iam desierat L. Veri, sub quo percussus hic numus, temporibus. Id enim aperte liquet e grauissimo Plutarchi, qui sub Traiano, vt cuiuis notum, vixit, testimonio in Timoleonte pag. 248. ὅτι γὰρ τότε ΤΩΝ ΙΣΘΜΙΩΝ ὥσπερ νῦν τῶν λεγομένων τῶν Νεμείων τὸ ΣΕΛΙΝΟΝ ἦν στέφανος· οὐ πάλαι δὲ Η ΠΙΤΥΣ γέγονε, *nam nunc Nemeorum, APIVM corona erat: non ita dudum successit PINVS.* Accedit præter Græcos ad Pindarum Criticos in Argumentis Isthmiorum, aliosque, Pausanias huic L. Vero coæuus Lib. VIII. pag. 532. ἐν Ἰσθμῷ δὲ Η ΠΙΤΥΣ καὶ τὰ ἐν Νεμέᾳ σέλινα, *in Isthmo PINVS in Nemea apium.* Vnde in hoc L. Veri numo, ni ipse eius conspectus id continuo refelleret (2), (2) Coronam tamen ex pinu contextam in eodem agnoscit Vaill. l. c. p. 204. e *pinu*, non vero ex *apio*, cuius iam sublatus foret iuxta Plutarchum aliosque in Isthmiis vsus, corona esset statuenda. Quod iis accuratius expendendum relinquimus, quibus plures id genus nec vnius ætatis numos cum Isthmicæ coronæ typo, versare & in lucem proferre dabitur. Illud tantum addam, dici a Moscho Idyll. IV. ꝟ. 49. πιτυώδεος Ἰσθμοῦ, *piniferi Isthmi*; non quod iam tum e pinu coronam acciperent Isthmionicæ, eius enim in iis vsus inducto iam ante *apio* fuerat sublatus: sed quod *pinu*, vt docet Pausanias Lib. II. p. 86. abundaret ille tractus, ac nota sit de Sini πιτυοκάμπτῃ, & institutis post eius exitium Isthmiis, e Plutarcho in Theseo aliisque, narratio; & occurrat quoque in Corinthiorum numis (3) *pinus* arbor, ad quam Melicertæ corpus (3) Vaill. l. c. T. I. p. 184. atque alibi. Delphino vecti fuerit delatum.

VI. Verum non in Isthmo solum a Corinthiis; aut vero Syracusis, *ISTHMIA, vbi acta.* vtpote in Corinthiorum colonia, quod de iis tradunt Græci Enarratores Pindari Olymp. Od. XIII. pag. 123. ἐν Συρακούσαις ἄγεται, φησιν, ΙΣΘΜΙΑ καὶ ἐν Κορίνθῳ· ἄποικοι γὰρ Κορινθίων Συρακούσιοι, *Syracusis, vt aiunt, aguntur ISTHMIA & Corinthi: coloni enim Corinthiorum sunt Syracusii*; sed alibi, vti de PYTHIIS ac OLYMPIIS modo vidimus, celebrata quoque eadem ISTHMIA. Quod vel de hac *Ancyra* Galatiæ, prout eadem in iis inscribitur, *Metropoli* testatum abunde faciunt percussi ibidem insignes hi Caracallæ numi, vti & inscriptio supra adlata e Thesauro Gruteriano cum eadem epigraphe: ΙΣΘ. ΠΥΘΙΑ, *Isthmia Pythia*, quæ ab Ancyranis editos in honorem Aesculapii Seruatoris, vti ab initio huius Epistolæ monui, vtrosque hos ludos notant. Quæ quum in prima huius Speciminis editione, quæ Parisiis anno LXXXIII, dum publico nomine ibi agerem, prodiit, a te de iisdem numis con-

 sultus,

ſultus, adnotaſſem; haud illibenter eadem vidi in Opere de *Numis Vrbium illuſtratis*, quod anno integro poſt in illa vrbe a Viro eruditiſſimo eſt vulgatum, de hoc Ancyranorum numo, quaſi de eo tum primum ageretur, fuiſſe conſignata. Quod non ideo hic a me dicitur, quaſi eximium aliquid ea in re, & quod viro docto ac ſolerti, ſi primus hosce numos adtrectaſſet, non facile ſuboluiſſet, adtulerim: res enim per ſe plana ſatis & expedita; ſed ne quis eadem a me, ex opere illo, nullo tamen facto eius indicio, deſumta poſſet arbitrari. Quibus nunc accedit, quod in Holſtenii ad Stephanum Notis, quæ iuxta illud opus anno LXXXIV. primum prodierunt, ſimilis *Ancyranorum* numi, qui Romæ erat penes principem vrbis Antiquarium, cuiusque conſuetudine ibidem ſumus olim vſi, Franciſcum Gottifredi, fiat itidem mentio, ſed minus fida; dum ΙΕΡΟΠΥΘΙΑ pro ΙϹΘ. ΠΥΘΙΑ in eodem legit, minus in his exercitus, quod ſæpe alibi in iisdem Notis prodit, eximia ceteroquin eruditione Holſtenius. Certam enim ac indubiam vtriusque illius Agonis, in his *Ancyranorum* numis, lectionem, vti eosdem in iis facile licuit agnoſcere, reddunt ea, quæ paullo ante de iisdem numis, a te dein accuratius inſpectis, & præterea e Gruteriana inſcriptione, ſupra retuli.

De ISTHMIORVM *ac* PYTHIORVM *origine.*

VII. Quod autem eadem ISTHMIA ſimul ac PYTHIA, vna cum ASCLEPIIS, & conſuetis eorundem Agonum præmiis vel inſignibus, tradantur in his *Ancyranorum* numis, haud exiguum vtique iis pretium continuo addit. Neque ceteroquin eadem plane erat Pythiorum ac Iſthmiorum apud Græcos ratio: quamquam vtraque eodem anno, nempe tertio Olympiados XLIX, inſtituta tradat in Chronico Euſebius, *Iſthmia poſt Melicerten, & Pythia primum acta.* A quo tamen abit Græcus Pindari Enarrator, qui in Argumento I. Pythiorum, hunc Pythicum agonem multis annis Iſthmico antiquiorem ſtatuit, ὁ τῶν Πυθίων ἀγὼν ἐτέθη μὲν πρότερος τῶν Ἰσθμίων πολλοῖς ἔτεσιν. Neque etiam *Iſthmia*, illa Olympiade XLIX, quod ab Euſebio, ſeu ab interprete eius Hieronymo, dicitur, primum acta: ſed quæ per Cypſelum, Corinthiorum tyrannum, intermiſſa, ſolemnitati priſtinæ reddiderunt tum Corinthii, vti ea de re loquitur Solinus cap. VII. ac traditum in Græca Olympiadum apud Euſebium Scaligeri collectione p. 316. ISTHMIA certe a Theſeo, occiſo Sini, inſtituta, præter Plutarchum, vt paullo ante diximus, in Theſeo, aut Græcos Pindari Interpretes in Argumento Iſthmionicarum, legas in Chronico Oxonienſi Epoch. XXI. Quo Theſeo Athenis regnante, primum quoque in NEMEIS decertatum, traditur in eodem Chronico Epoch. XXV. Quamquam & ad Theſeo antiquiorem, vel Siſyphum, vel filium eius Glaucum, aut vero ad Corinthum, iuxta Apollonii Rhodii Scholiaſtas Lib. III. ℣. 1139. totidem Corinthiorum Reges, ac ad primos Protei, Argiuorum Regis, annos, ISTHMIORVM origo a dictis Lyrici Enarratoribus, aut a Clemente Strom. Lib. I. pag. 335: Euſebio in Chronico, aliisque referatur: immo etiam Siſypho priora dicantur in Scaligeri Euſebianis. Vnde *Iſthmia* Herculis tempore iam ter acta, quod vidit ibidem Scaliger, ſcribit Apollodorus Lib. II. cap. VII. αὖθις δὲ τῆς τρίτης Ἰσθμιάδος τελουμένης, *quum tertio rurſus Iſthmici ludi celebrarentur.* Quibus alioquin *Iſthmiis* iuxta & Pythiis haud paulo recentiorem epocham, Thaletis ſcilicet, & ſeptem Sapientum temporibus,

bus, adſignat in Chronico Syncellus pag. 161. Ed. Reg. Ἴσθμια καὶ Πύθια πρῶτον ἤχθη μετὰ Μελικέρτην, *Iſthmia & Pythia primum acta ſunt poſt Melicerten.* Quæ veterum, de ſolemnibus illis Græcorum Agonibus, ſeu de eorum origine, primisue inſtitutoribus, diuerſitas inde nata, quod vel ob eorum antiquitatem ignota ferme eſſet iis Auctoribus, qui tot retro ſæculis talia litteris mandabant; aut eadem incerta, ac discrepante ferrentur fama; aut vero, quod haud ſemel hi Agones, & per plures annos, fuerint ſubinde intermiſſi, neque ab *Iſthmicis*, ſicut ab *Olympiadibus*, Græci ſua tempora numerarent; ac vnde eorundem Agonum reſtauratio cum primis eorum initiis fuerit haud ſemel confuſa.

VIII. Eadem vero ISTHMIA ac PYTHIA, vti a dictis modo auctoribus Euſebio, Syncello, ac in hisce *Ancyranorum* numis factum, ita ab Auſonio, ſed minus appoſite, coniungi videas, Idyll. XXI. *ISTHMIA quando acta, vti & PYTHIA.*

Hæc quoque temporibus quinquennia ſacra notandis:
ISTHMIA Neptuno data ſunt, & PYTHIA Phœbo.

& quod de quinquennalibus ſcilicet Iſthmiis ſimiliter obſeruat Plinius Lib. IV. c. V. *Iſthmi pars altera cum delubro Neptuni, quinquennalibus inclyta ludis*, eiusque ſimia Solinus cap. VII. Quum tamen quinquennalia, ſeu *pentaëterica* dicerentur quidem *Pythia*, ſicuti etiam, vt vulgo notum, *Olympia*; *Iſthmia* vero *trieterica*, vti & *Nemea*: prout illud de Iſthmiis e Pindaro Nem. Od. VI. eius Scholiaſte ad Iſthm. ac præterea e Statio Thebaid. Lib. IV. ℣. 723. monuerunt iam ad Euſebium illuſtris Scaliger, ac ad Auſonium eruditiſſimus Vinetus: expleto nempe biennio in orbem redeuntia, non vero poſt tres annos completos, ſeu tribus intermiſſis annis, vt tamen eidem Vineto placuit, ac nuper ad dictum Plinii locum ſecus adnotauit, poſtremus ac eruditus eius Enarrator (1). Id enim, quod alioquin poſt Scaligerum viderat quoque Petauius Lib. I. de Doctr. Temp. c. XXXIII. vel aperte conuellit inſignis de hac Iſthmiorum panegyri a Corinthiis celebrari ſolita Ariſtidis locus Iſthmicæ p. 41. Tom. I. ἣν διὰ δυοῖν ἐτοῖν συμπληροῖ αὐτῇ τὸ Ἑλληνικὸν, καθάπερ ἡ παροῦσα αὕτη, *quam eidem*, ſeu Corintho, *expletis duobus annis celebrat Græcia, ſicut hæc præſens panegyris.* Quibus iterum gemina eaque notabilia leguntur pag. 45. διὰ δυοῖν δὶς εἰς ἓν συνιοῦσα, διπλασιαζομένη τε παρὰ τὰς ἄλλας καὶ προσιοῦσα καὶ φθάνουσα τὰς λοιπὰς καὶ αὖθις ἐπικαταλαμβάνουσα ἀτεχνῶς, *quæ poſt ſingulos duos annos ſemel habita, & præter ceterarum morem duplicatur, aliasque præcedit, ac rurſus continuo adſequitur.* Vnde licet omnino ſtatuere: Primo, poſt duos completos annos, non vero tres, rediiſſe in orbem, quod modo diximus, *Iſthmia*; haud minus *trieterica* inde dicta, quod tertio quoque anno eadem celebrarentur: haud aliter ac *pentaëterica* dicebantur *Pythia* vel *Olympia*, quæ finitis quadrienniis, non autem quinquenniis, peragi denuo conſueuerant. Alterum, intra vnam proinde cum Olympiada, vt id iam vere ad Euſebii Chronicon monuit ὁ πάνυ, addo & Pythiada, bis acta ſeu duplicata, quod ait Ariſtides, *Iſthmia*: primo nempe iuxta Scaligerum d. l. & Petauium Lib. I. de Doctr. Temp. cap. XXXIII. ac tertio Tetraëteridos Olympiacæ anno: quorum illud e Thucydidis narratione Lib. VIII. p. 565. de *Iſthmiis* anno XX. belli Peloponne-

ſiaci

(1) Sed vide nou. Edit. T. I. p. 194.

ſiaci peractis, colligit Petauius; poſtremum, ſeu de actis rurſus tertiò Olympiados anno *Iſthmiis*, apud Euſebium in Chronico, vti paullo ante dictum, legitur. Quo etiam Olympiadis anno tertio celebrata *Pythia*, tradit ibidem Euſebius, & e Pauſania Lib. X. p. 621. contendit Scaliger: Petauius autem, anno Olympiadis ſecundo, cui ſuffragatur ad Leges Atticas Petitus p. 63. quod nempe Thucydides ab initio Lib V. annuas inter Athenienſes & Lacedæmonios inducias duraſſe ſcribit μέχρι Πυθίων, *vsque ad Pythia:* qui autem annus finiebatur die XIV. Elaphebolionis, vertente anno ſecundo Olympiadis LXXXIX. Quod vt de Pythiorum tempore, haud difficulter, maxime quum corrupti vt plurimum exſtent in Euſebio, prout ab eruditis Chronologis eſt haud ſemel animaduerſum, Olympiadum numeri; ita *Iſthmia* non primo ac tertio, vti Scaligero eiusque Aduerſario placuit, ſed iuxta *Pythia*, ſecundo ac rurſus quarto Olympiacæ Tetraëteridos anno edita, acta licet potius ſtatuere. Neque enim id ſolum ex Diodoro colligitur, qui annum, quo Ageſilaus, pulſis Argiuis, Corinthiis *Iſthmia* celebrandi, & qua de re Xenophon Lib. VI. Ἑλλην. pag. 563. facultatem dedit, quartum Olympiados XCVI. adſignat; ſed vel maxime ex adductis modo Ariſtidis de hac Iſthmica panegyri verbis: quæ non duplicari ſolum expletis bienniis, præter aliarum panegyreon morem, ſed alias præcedere, & rurſum adſequi, ibidem dicitur. Peragebantur enim *Iſthmia* ineunte vere, vt ex indicato Thucydidis loco liquet Lib. VIII. pag. 563, Pythia vero non procul ab eo tempore, ſicut paullo ante dictum; *Olympia* autem, vt vulgo notum, menſe Iulio ſeu plenilunio poſt ſolſtitium æſtiuum. Qua ratione proinde factum, vt *Iſthmia*, dum ſecundo & quarto Olympiados anno, ac ineunte quidem vere, peraguntur, partim, quod tangit ſuperioribus verbis Ariſtides, ſequerentur *Olympia*, partim eadem, vti & *Pythia*, præcederent. Quod adſtruit etiam, ac vnde lux ei ſimiliter accedit, nec præteriri hoc loco, aut ab aliis negligi debuit, Ariſtoteles Lib. II. Metaph. c. II. διχῶς γὰρ γίνεται τόδε ἐκ τοῦδε, μὴ ὡς τόδε λέγεται μετὰ τόδε, οἷα ΕΞ ΙΣΘΜΙΩΝ ΟΛΥΜΠΙΑ, *dupliciter enim fit hoc ex illo; non quidem, vt hoc poſt hoc fieri dicitur, ſicut ex ISTHMIIS* (ſeu *poſt ISTHMIA*) *ſunt OLYMPIA:* nempe peractis *Iſthmiis*, anno vertente Olympiadis quarto, ac proinde paullo ante redeuntia in orbem *Olympia*. Vnum hic turbat in adductis antea Ariſtidis verbis, quod ſola *Iſthmia*, ceu præter aliarum Panegyreon morem, ſingulis expletis bienniis dicantur duplicari; quum tamen idem *Nemeis* quoque, vt e Græcis Pindari Enarratoribus liquet, & monuerunt iam Scaliger ac Petauius, contingeret, a quibus τριέτης ſeu *trietericus* dicitur itidem hic Agon. Quo etiam referri debent, vti iam ab illuſtri Scaligero factum video in nouiſſimis ad Euſebium Animaduerſionibus p. 91. Imp. Iuliani de vtroque hic *Iſthmiorum* & *Nemeorum* Agone verba, Epiſtola ad Argiuos XXXV. διπλᾶ δὲ ἐστι Νέμεα παρὰ τοῖς Ἀργείοις, καθάπερ Ἴσθμια παρὰ Κορινθίοις, *duplicia autem ſunt Nemea apud Argiuos, ſicut* duplicia *Iſthmia apud Corinthios:* nempe vtraque bis intra vnam Olympiada peracta; quum tamen ſemel intra quinquennium, vt ibidem dicitur, *Olympia* ac *Pythia* celebrarentur. Quem Iuliani locum aliter accepit Petauius Lib. I. de Doctrina Temp. cap. XXXII. de æſtiuis nempe ac hybernis *Nemeis* vel Iſthmiis, atque ideo, quod Νεμείων τῶν χειμερινῶν, *Nemeorum hybernorum*, meminerit in Argolicis Pauſanias,

ſanias, nempe Lib. II. pag. 111. addo & Lib. VI. pag. 373. Quod iterum tangit in Notis ad hunc Iuliani locum vir doctiſſimus: quum tamen de duplicibus illis, æſtiuis nempe ac hybernis *Iſthmiis*, nulla occurrat apud Auctores mentio. Illud quidem ab eruditis Apollonii Rhodii Enarratoribus monitum noui ad Lib. III. ℣. 1139. Μουσαῖος δὲ ἐν τῷ περὶ ΙΣΘΜΙΩΝ δύο φησὶ γενέσθαι ἀγῶνας ἐν τῷ Ἰσθμῷ, καὶ τὸν μὲν Ποσειδῶνος εἶναι, τὸν δὲ Μελικέρτου, *Muſæus autem in libro de ISTHMIA panegyri duos dicit eſſe Agones in Iſthmio; vnum quidem Neptuni, alterum vero Melicertæ.* Verum præterquam quod modo Neptuno, modo Melicertæ, ſeu Palæmoni, ſacer *Iſthmiorum* agon promiſcue a priſcis Auctoribus ac Poëtis dicitur; aut primum Neptuno, dein Melicertæ, ſeu Palæmoni, ſacratus; vel etiam vice verſa, vt e Plutarchi narratione liquet in Theſeo: illud vtique liquidum, haud diuerſis temporibus celebratos Iſthmicos ludos, quorum hi Neptuno, illi Melicertæ eſſent ſacri. Neque alia certe Iuliani in adductis ante verbis, vti ex toto loci illius contextu ſatis patet, mens, quam vt Eleos ac Delphos, qui *ſemel in Pentaëteride* πενταετηρίδος ἅπαξ, quod ibidem ait, intra quam nempe *Olympia* ac *Pythia* celebrabant, pecunias conferrent, Argiuis & Corinthiis opponeret, qui bis intra illud tempus, quod ceteroquin agnouit ibi Petauius, *Nemea* & *Iſthmia* peragerent. Sed qua de re accuratius σὺν Θεῷ in noſtris ad Iulianum, quæ ſub prælo nunc ſudant, Obſeruationibus agetur.

IX. Illud vero haud adeo forte obuium, & quod propius tamen huc facit, cur nempe, vt paullo ante adtigi, hi ſacri Græcorum Agones, ISTHMIA & PYTHIA, cum ASCLEPIIS, in præclaris huius *Ancyræ* numis coniungantur. *ISTHMIA & PYTHIA cur in numis addita ASCLEPIIS.* De PYTHIIS quidem illud minus ambiguum, vel inſolitum videri continuo poterit, eadem Apollinis filio ac Σωτῆρι, a Communi Galatarum in hac gentis illius, de qua paullo infra (1), Metropoli, conſecrari: quæ ſola etiam *Pythia* in Gruteriana Inſcriptione, de qua iam ſupra (2), nulla *Iſthmiorum* facta mentione, commemorantur: ΙΕΡΩΝ ΑΓΩΝΩΝ ΤΩΝ ΜΕΓΑΛΟΑΣΚΛΗΠΙΕΙΩΝ ΠΥΘΙΩΝ, mox: ΤΗΣ ΜΗΤΡΟΛΕΩϹ ΑΝΚΥΡΑϹ, *Sacrorum Agonum Magnorum Aſclepiorum* PYTHIORVM: *Metropoleos Ancyræ.* Qua in re diſpar occurrit ISTHMIORVM ratio, quæ Neptuno, vt vulgo notum, ac paullo ante vidimus, erant ſacra. Vnde alia, & peculiaris videtur ſubeſſe cauſſa, quæ eosdem Galatas impulit, vt hisce vtriusque illius Agonis, *Iſthmici* nempe ac *Pythici*, ſolemnibus, Aeſculapii apud ſe Feſtum celebrarent; cuiusque rei conſignata itidem in veteri lapide, de quo etiam obiter iam ante (3), apud Grut. CCCCXV, 1. memoria: ΤΩΝ ΙΕΡΩΝ ΑΓΩΝΩΝ ΤΩΝ ΜΕΓΑΛΩΝ ΑϹΚΛΗΠΙΕΙΩΝ ΙϹΘ. ΠΥΘΙΩΝ, *Sacrorum Agonum Magnorum Aſclepiorum* ISTHMIORVM PYTHIORVM. Qua de re, id quod eximie ad horum numorum lucem facit, nec tralatitiæ forte indaginis, paucis nunc nobis eſt diſquirendum. Haud vno nempe Certaminis genere celebrata olim conſtat ſolemnia Deorum apud Gentiles Feſta. Hinc in eadem inducti Agones Gymnici, Equeſtres, Muſici, vt vulgo eos diſtinguunt veteres, Plato Lib. II. de Legib. p. 658. T. II. Philo Legat. ad Caium p. 998. aliique: quibus additi ſubinde Scenici Tragicorum aut Comicorum, & Poëtici a Muſicis, qui ad citharam nempe aut ad tibiam demum fiebant, diſtincti. Quomodo

(1) §. XI.
(2) §. III.
(3) §. III.

modo etiam contigit, vt non omnes illi Agones in sacris Græcorum Festis seu Panegyribus continuo agerentur: sed alii in iisdem patrii velut ac domestici, alii ἐπίθετοι seu aduentitii, vt de iis loquitur Plutarchus Lib. V. Sympos. Qu. II. p. 674. haberentur. Ita in Olympiis, quam *Græcorum panegyrin* vocat Plato in Hippia p. 363. & qua nihil admiratione dignius Græcos habuisse, tradit Pausanias Lib. V. p. 303. acti solum Gymnici & Equestres, immo ex illis, excepto Cursu, reliqui omnes προσθήκη, seu *additamenti* loco, vt de iis ibidem Plutarchus, censebantur: nulli autem vel Musici seu Poëtici, vel Scenici etiam Agones: nec Theatra quidem vlla, quæ iis quempiam locum darent. Vnde etiam Nero vtrosque illos, Musicos, citharoedorum nempe, & Scenicos tragicorum, ἐπιθέτους adhuc verius, quam προσθήκην, nec patrios proinde aut νομίμους in iis Agonas, primus in *Olympia* induxisse dicitur apud Philostratum; cuius ea de re verba, quæ iam ad Suetonium, qui hæc paucis tangit, adduxit magnus Casaubonus, merentur hic adscribi. Exstant illa Lib. V. de vita Apollon. cap. II. vbi de Nerone ad Olympia profecto ait: Τραγῳδίαν δὲ ἀπαγγεῖλαι καὶ κιθαρῳδίαν, οἷς μήτε θέατρόν ἐστι, μήτε σκηνὴ πρὸς τὰ τοιαῦτα· στάδιον δὲ αὐτοφυὲς καὶ γυμνὰ πάντα. *Tragœdorum præterea & Citharœdorum proposuit certamina apud eos, quibus nec Theatra erant nec Scenæ ad eiusmodi ludos peragendos idoneæ, sed patrium duntaxat stadium, nudaque omnia.* Quam rem etiam, sed compendio, vt modo dictum, tangit Tranquillus in Nerone cap. XXIII. *Olympiæ quoque, præter consuetudinem, Musicum agonem commisit*: neque Citharœdicum solum, qui eo *Musici* nomine, vti & de eo, qui ad Tibiam, apud veteres potissimum dicitur, sed & Scenicum Tragicorum: prout in vtroque vicisse Nero, aut pro victore renunciatus, dicitur alibi ab eodem Philostrato, nempe Lib. IV. cap. VIII. ac similiter in Olympiadum Ἀναγραφῇ, quæ exstat in Græcis Scaligeri Eusebianis pag. 340. vbi præterea Nero Equestribus agonibus victor in iisdem Olympiis exstitisse traditur. In qua ceteroquin Collectione, vti apud Pausaniam in vtroque Eliacorum libro, quo de Olympiacis ludis ac Hieronicis in iisdem agit, Gymnicorum & Equestrium seu Curulium Agonum facta tantum mentio: & quidem Olympiadibus illorum Hieronicarum nomine signatis, qui stadio, seu cursu, vt antiquissimo ibidem & præcipuo, quod ante dictum, Agone vicerant. Vnde maior etiam lux accedit, cur nempe D. Paulus ad sacros veterum Agones, & quidem Olympiacum, qui præcipuæ inter eos celebritatis, respiciens, non luctam, pugilatum aut pancratium, vel, qui in iis decertabant, aut vicerant, athletas; sed cursum, tanquam inter eadem Olympiaca certamina nobilissimum, ac in eodem Victorem, duobus notissimis locis tangit. Prior est I. Corinth. IX, 24. πάντες μὲν τρέχουσιν, εἷς δὲ λαμβάνει τὸ βραβεῖον, *omnes quidem* in stadio *currunt*, *vnus autem accipit præmium*, seu coronam: nempe ὁ σταδιεὺς, hoc est, *cursu victor*; cuius nomine insigniri solita Olympias. Ad quos vero in Olympia ludos, potius quam ad Isthmicos, prout statui alioquin posset, vtpote quos agebant Corinthii, respectum habuisse itidem Chrysostomum, ne de eo dubitare liceat, testatur ipsemet alibi, vt præterea obseruo, Serm. XXX. in 1. Corinth. XII. pag. 437. Tom. III. ed. Sauil. ΟΛΥΜΠΙΚΩΝ τε ΑΓΩΝΩΝ μεμνημένος, καὶ λέγων, ὅτι καὶ ἐν σταδίῳ τρέχοντες, πάντες μὲν τρέχουσιν, εἷς δὲ λαμβάνει τὸ βραβεῖον. OLYMPIACORVM

autem

autem AGONVM *recordatus, ac dicens, quod in ſtadio currentes, omnes quidem currunt, vnus autem accipit præmium.* Alter geminus ſanctiſſimi Doctoris locus II. Timoth. IV, 7. τὸν ἀγῶνα τὸν καλὸν ἠγώνισμαι, τὸν δρόμον τετέλεκα, *præclarum illud certamen decertaui, curſum perfeci*; nempe vt τέλειος ἀγωνιστὴς, quales in illis Græcorum Agonibus dicti, quique ἤνεγκε τέλεια τὰ νικητήρια *retulit perfectæ victoriæ præmia*, vti ad eosdem ritus adludens loquitur Philo de Migratione Abrahami pag. 419. ac ipſe D. Paulus Act. XX, 24. Muſicos vero agones quod attinet, Tibia quidem ſexies præcinuiſſe Olympiæ in Quinquertii certamine quidam Pithocritus, ac inde columna ei ab Eleis erecta a Pauſania dicitur Lib. VI. pag. 570. ſed non inde Tibiarum Agonem in Olympia inductum, aut inde quenquam, vti in Pythiis factum, Hieronicam declaratum legimus. Exſtat etiam, vt hoc addam, in Sponii Miſcell. pag. 367. Græca cuiusdam Septimii Publii citharœdi Inſcriptio, vbi ſolus & primus ab omni æuo plures Agones, citharœdicos nempe, viciſſe dicitur, & primo quidem loco ΟΛΥΜΠΙΑ Η, *Olympia octies*: ſed vbi omiſſa ante ΟΛΥΜΠΙΑ vox ΣΜΥΡΝΑΝ, quam præfert eadem Inſcriptio, obuia inter Marmora Oxonienſia pag. 70. Part. I. quæ de *Smyrnæ*, non vero Elidos, Olympiis ibi agi arguit, & agnouit etiam in illius Marmoris interpretatione, nempe *Smyrnam Olympia*, Sponius. Eadem autem, de quibus agit in adductis paullo ante verbis Philoſtratus, Muſicum proinde Citharœdorum & Scenicum Agonem ab ISTHMIIS exulaſſe, e Luciano monet ad dictum Suetonii locum ὁ πάνυ Caſaubonus: quum tamen de Scenicis tantum, non de Muſicis ſeu Citharœdicis id a Luciano dicatur in Nerone pag. 1043. ΙΣΘΜΟΙ γὰρ νόμου κειμένου, μήτε Κωμῳδίαν ἀγωνίζεσθαι, μήτε Τραγῳδίαν, ἐδόκει Νέρων τραγῳδοὺς νικᾷν· καὶ παρῆλθον εἰς τὴν ἀγωνίαν ταύτην πλείους μέν. *Nam quum in ISTHMIIS lex eſſet, vt neque Comœdia certaret quisquam, neque Tragœdia, Neroni placuit Tragœdis vincere: ac prodierunt ad hoc certamen plures* &c. In iisdem vero ISTHMIIS Muſici ſeu Citharœdici agonis relatam a Nerone victoriam tangit rurſus Philoſtratus Lib. IV. c. VIII. ἐνίκα δὲ καὶ ΙΣΘΜΟΙ. αἱ νῖκαι δὲ ἦσαν κιθαρῳδίαι καὶ κήρυκες, *vicit etiam ISTHMIIS; victoria autem* (nempe tam hisce *Iſthmiis*, quam, quæ ibi præceſſerant, *Olympiis* ac *Pythiis*) *erant ad citharam cantus & præconia.* ISTHMIIS proinde recepti cum Gymnici, quod vel ex Iſthmionicis apud Pindarum obuium, tum Muſici Agones; prout ſumptus in vtrosque, tam Gymnicos quam Muſicos, Ludos a Corinthiis, *Iſthmiorum* arbitris, ſuo adhuc æuo collatos, teſtatur Imp. Iulianus, dicta Epiſtola ad Argiuos. Haud aliter ac Muſicos etiam ſeu Citharœdicos in NEMEIS actos, e Plutarcho liquet in Philopœmene pag. 360. Adde & Poëticos, a Muſicis illis ſeu Citharœdicis diuerſos, in iisdem Iſthmicis editos; ſicut iſtud e Plutarcho obſeruo, qui Sympoſ. Lib. V. Qu. II. *in Sicyonio Delphorum Theſauro repoſitum*, dicit, *libellum aureum ab Ariſtomacha, Poëtria Erythraea, dedicatum, quum ISTHMIIS eadem viciſſet*, ἀνέκειτο βιβλίον Ἀριστομάχης, ἀνάθημα τῆς Ἐρυθραίας (vt ſupplenda ibi lacuna) ποιητρίας ΙΣΘΜΙΑ νενικηκυίας. Immo quod aperte adhuc, & quidem tam de ISTHMIIS, quam de PYTHIIS, ac proinde hic præteriri non debet, tradit Lucianus Lib. II. Anthol. cap. XL. Epigr. XIII.

Ποιητὴς ἐλθὼν εἰς ΙΣΘΜΙΑ, πρὸς τὸν ἀγῶνα,
ΕΥΡΩΝ ΠΟΙΗΤΑΣ, εἶπε, ΠΑΡΙΣΘΜΙ' ἔχειν.
Μέλλει δὲ ἐξορμᾷν εἰς ΠΥΘΙΑ, κἂν πάλιν εὕρῃ,
Εἰπεῖν οὐ δύναται, καὶ ΠΑΡΑΠΥΘΙ' ἔχω.

Poëta veniens ad ISTHMIA, ad certamen,
INVENIENS POETAS, *dixit:* PARISTHMIA,
seu faucium tumores, habeo:
Transire autem parat ad PYTHIA; *& vbi rursus Poëtas inuenerit,*
Dicere non poterit, etiam PARAPYTHIA *habeo.*

Vbi obiter ad vocem παρίσθμια Criticorum ad Apollon. Rhod. Lib. I. ℣. 938. verba adducere liceat, εἴρηται δὲ Ἰσθμοὶ παρὰ τὸ ἐν στενῷ εἶναι, ὅθεν καὶ τραχήλου τὰ παρίσθμια, quibus gemina leguntur apud Hesychium in voce Ἴσθμιοι. Mitto, quæ de venationibus quoque theatralibus, subinde a Corinthiis (1), vbi de *Isthmiis* facta ab eo mentio, tradit in dicta modo Epistola Imp. Iulianus. In PYTHIIS autem, præter Poëticum agonem, cum antiquissimus, tum præcipuus Musicis, Citharistarum nempe, Citharoedorum, ac præterea Tibicinum, aut Tibias solum inflantium, locus: quod vel e Pausania liquet Lib. X. pag. 621. Vnde Terpander citharoedus quater in *Pythiis* victor a Plutarcho traditur de Musica pag. 1132. sexies autem, iuxta eundem in Lysandro pag. 443. Ariston citharoedus. Sic peculiaris in iisdem *Pythiis*, isque a Sacada quodam repertus, de quo agit quoque Pausanias Lib. II. pag. 126. ac alibi, Tibias inflandi modus, qui continuo Πύθιον αὔλημα, & τὰ Πύθια αὐλεῖν & τὸ Πυθικὸν apud Athenæum Lib. XII. p. 538. dici meruit. Immo inde vna voce ΠΥΘΑΥΛΟΙ appellati, qui ad *Pythium* dictum deinceps illum modum, aliis etiam in Certaminibus, tibias inflarent; ac lux inde Inscriptioni, quæ exstat in Cl. Reinesii Syntagm. p. 314. & diligentissimi Sponii Miscell. pag. 369. vbi inter alia cuiusdam ΒΕΝΤΙΔΙΟΥ ΣΩΤΑ ΠΥΘΑΥΛΟΥ, BENTIDII SOTAE PYTHAVLI, seu *ad Pythium modum tibias inflantis*, fit mentio. Serius proinde diuersisque temporibus inducti in eadem PYTHIA cum Equestres aut Curules, tum Gymnici agones; prout hoc de singulis tangit dicto iam ante loco Lib. X. pag. 621. Pausanias. De Scenicis autem Tragicorum, seu Poëticis, de quibus paullo ante, Agonibus in PYTHIA itidem inuectis, sed iis tanquam ἐπιθέτοις, seu *aduentitiis*, meminit Plutarchus Lib. V. Sympos. Quæst. II. & de Scenicis nominatim, loco supra indicato, Philostratus Lib. VI. Vitæ Apoll. cap. V. Præcipua itaque, quod iam innui, & tangit etiam de *Pythiis* ibi agens Sophista Lemnius, exstitit eorum in Musicis, qui ad Citharam vel Tibiam, Agonibus, tanquam Deo Musagetæ & Citharoedo, decora & velut patria celebritas: indeque illa PYTHIA in varia aliorum quoque Deorum aut locorum, præter Apollinem ac Delphos, Festa & sacras Panegyres translata; cuiusque rei plura, e præclaris numis aliisque monumentis antiquis, iam ante adtulimus exempla. Quod de Pythiis Carthagine, vti ibidem dictum, celebratis innuit quoque Tertullianus Scorpiaco cap. VI. *Adhuc Carthaginem singulæ ciuitates grata laude inquietant, donatam PYTHIO AGONE post stadii senectutem*; nempe Musico citharoedorum vel

(1) Deest vox *institutis*, vel alia similis.

vel Πυθαύλων, post Gymnicos olim in eadem vrbe, qui per *stadii senectutem* ibi designantur, ludos: prout etiam *Pythium agonem* de *Musico* ibi a Tertulliano dictum, probe intellexit magnus Scaliger Lib. V. Emend. Temp. p. 481. Vnde contigit, vt omni illo Certaminum ac festiuitatum genere celebrarentur apud Galatas ASCLEPIA: Gymnicis quidem ac Poëticis, qualia in ISTHMICIS diximus, frequentata; Musicis autem Citharoedorum vel Πυθαύλων (vt nunc de Scenicis, quæ ab Isthmiis exulasse diximus, sileam) quibus PYTHIA maxime nobilitabantur.

X. Hæc autem rursus haud parum firmant vel illustrant ea, quæ de Epidauricis ΑΣΚΛΗΠΙΟΙΣ tradunt Græci Pindari Enarratores Nem. Od. III. pag. 355. Τίθεται δὲ ἐν Ἐπιδαύρῳ ἀγὼν ΑΣΚΛΗΠΙΑ, τῶν Ἀσκληπιαδῶν πρώτων θέντων, μετὰ ταῦτα δὲ Ἀργείων Ἀσκληπιῷ (quæ vox proxime præcedens & mox secuta, ibi superflua, e margine in textum irrepsit,) διὰ πενταετηρίδος· τίθεται δὲ ἐν τῷ ἄλσει τοῦ Ἀσκληπιοῦ· ἄγεται δὲ μετὰ ἐννέα ἡμέρας ΤΩΝ ΙΣΘΜΙΩΝ. *Editur autem Epidauri Agon AESCVLAPIO, Asclepiadis primis eius auctoribus, postea vero Argiuis, isque per quinquennium. Fit autem in luco Aesculapii & quidem post nouem ISTHMIORVM dies.* Dicta vero ΑΣΚΛΗΠΙΑ, seu quod idem ΑΣΚΛΗΠΕΙΑ, vel ΑΣΚΛΗΠΙΕΙΑ, eadem hæc *Epidauriorum*, sicut *Ancyranorum*, de quibus agimus, sacra Aesculapio certamina, præter Platonem in Ione, Pausaniam, aut Inscriptiones apud Gruterum, quæ iam in huius rei fidem adduxit Cl. Meursius in Græcia Feriata; aut alia insuper Marmora, de quibus adhuc infra; præter ea, inquam, docent iidem Pindari Enarratores Nem. Od. V. pag. 375. Ad ea enim Lyrici verba, quibus illa præterea, quæ hic versamus, haud parum illustrantur:

Eadem ex Epidauriorum ASCLEPIIS illustrata.

πύκταν τέ νιν παγκρατίῳ φθέγξαι ἑ-
λεῖν Ἐπιδαύρῳ διπλόαν
νικῶντ᾽ ἀρετάν,

pugilemque eum & pancratii dicito
consequutum esse Epidauri duplicem
vincendo fortitudinis laudem.

ad ea nempe notant Critici, διὰ ΑΣΚΛΗΠΙΕΙΑ νενικηκότος αὐτοῦ, ἢ ὡς δύο στεφάνους εἰληφότος ἐνὶ ἀγῶνι, πυγμῆς καὶ παγκρατίου, *duplicia ASCLEPIA eo vincente, seu duas velut coronas vno Agone adepto, pugilatus & pancratii.* E quibus autem geminis veterum illorum Criticorum, quæ nunc adduximus, locis discimus: primo, & quod vix aliunde constare existimem, per *nouem* dies durasse ISTHMIA; quum per *quinque* tantum, vt e Pindaro, iisdemque eius Enarratoribus Olymp. Od. V. pag. 41. constat, agerentur OLYMPIA; idque, quod, vt paullo ante vidimus, maiori Certaminum numero, ac apparatu, Poëticorum nempe & Musicorum, seu Citharoedorum, præter Gymnicos & Equestres, celebrarentur *Isthmia.* Nisi quis malit, quamquam sit natiuus ille, quem dixi, horum verborum sensus, ἄγεται δὲ μετὰ ἐννέα ἡμέρας τῶν Ἰσθμίων, *aguntur autem post nouem Isthmiorum dies*, vt nempe *post nouem* a finitis iisdem *Isthmiis* dies, acta ibi dicantur illa Epidaurica *Asclepia.* Alterum, quod inde haud minus colligitur, *Isthmiorum* velut continuationem quandam exstitisse eadem Epidauriorum *Asclepia*,

iisdemque Gymnicis, quod e Pindaro modo vidimus, quæ in *Iſthmiis*, vt vel ex eiusdem Lyrici in Iſthmionicas Ἐπινικίοις conſtat, certaminibus peracta. Adeo vt non audiendus ſit eruditiſſimus Meurſius, qui e Platonis loco in Ione, vbi Rhapſodorum aliique Muſici agones in his Ἀσκληπιείοις Epidauricis dicuntur celebrati, horum tantum certamen putat ibi inſtitutum: quod aperte tamen conuellunt adducta modo Pindari de gymnicis Agonibus, pugilatu & pancratio, relataque inde duplici in iisdem *Aſclepiis* Epidauricis ab Hieronica, quem ibi laudat, victoria. Neque vero, etſi Rhapſodici, aut alterius Muſici agonis, qui in illis Epidauriorum *Aſclepiis* fuerit editus, meminerit tantum ab initio Ionis Plato; inde Gymnica quoque certamina, quod refellit vtique Pindarus, ab iis abfuiſſe vllatenus colligitur: maxime quum ibi de Ione, qui prima inde illius Rhapſodorum Agonis præmia Athenas retulerat, demum agatur; deque Rhapſodis vniuerſaque Poëſi inſtituta ſit in eo Dialogo inter eundem Ionem ac Socratem, non vero de Gymnicis agonibus, diſputatio. Quomodo non Gymnicos ſolum, ſed Poëticos etiam agones, in *Iſthmiis* actos, iam ſupra e Plutarcho ac Luciano in Anthologia vidimus. Epidauro autem accepta, cum huius Dei cultu ac nomine, ſolemnia illa apud alias gentes ΑΣΚΛΗΠΙΑ tradit Pauſanias Lib. II. pag. 133. cuius ea de re locus eſt omnino tradendus: μαρτυρεῖ δέ μοι καὶ τόδε ἐν Ἐπιδαύρῳ τὸν θεὸν γενέσθαι· ΤΑ γὰρ ΑΣΚΛΗΠΕΙΑ εὑρίσκω τὰ ἐπιφανέστατα ἐξ Ἐπιδαύρου, *illud vero mihi etiam teſtimonio eſt, Epidauri gentitum Aeſculapium: reperio enim celeberrima huius Dei ſacra, ASCLEPIA, ex Epidauro accepta*; ac proinde eadem hæc etiam, ſeu eo iam æuo, ſiue poſtea demum inſtituta, quæ in præclaris hiſce numis conſignantur, *Ancyranorum* ΑΣΚΛΗΠΙΑ. Ex quibus autem modo dictis, quæ *Iſthmiorum* fuerit cum ſacris *Aeſculapio* Agonibus adfinitas; ſeu cur ISTHMIA in hiſce Ancyranorum ASCLEPIIS acta vel renouata fuerint; haud obſcure, vt opinor, licet nunc ſtatuere. Quomodo itidem factum adſequimur, vt eadem ISTHMIA, tanquam prius in illis ASCLEPIIS acta, ante PYTHIA, in iisdem, quæ ea ad poſteros transmiſere, *Ancyræ* monumentis conſpiciantur: haud aliter ac in adducto ſupra (1) Luciani Epigrammate ab *Iſthmiis ad Pythia* Poëta, de quo ibi agitur, progredi velle dicitur, ac prout ceteroquin Græcorum ISTHMIA ante PYTHIA peragi ſolita, antea a nobis eſt obſeruatum.

(1) §. IX.

De Vaſis ſeu Crateribus, Amphoris &c. agonum Symbolis.

XI. Hæc autem omnia Ludorum ſeu Agonum ſolemnia, ſicut factum in illis, de quibus hic agimus, *Ancyranorum* numis, Vaſis diuerſi generis, cum inſertis Palmæ ramis, aut cum Menſis nonnunquam, quibus impoſita aut addita eadem Vaſa, denotari haud ignoras; quæ vulgo conſueta victorum in ſacris illis Græcorum Certaminibus ac Feſtis præmia. Neque vero vnius, vt dixi, generis, eadem occurrunt in hac erudita veterum ſupellectile, quod vel Tabellæ tuæ (2), in qua ſignantur hæc ipſa ΑΣΚΛΗΠΙΑ, aliaque id genus Græcorum ſolemnia, conſpectus abunde cuiuis ante oculos ponet. Duo equidem Vaſa, cum inſertis totidem Palmæ ramis, exhibet prior eorum, de quibus hic agitur, numus: alter vero duo itidem Vaſa, cum Amphora inter vtrumque Vas poſita, inditisque ſimiliter Palmis (3). Haud aliter

(2) Specim. Tab. XIII. & XIV.

(3) His tertium ex Theſauro Fridericiano cum uno tantum Vaſe ſub frontem huius epiſtolæ præmiſi, quod ille inſcriptionem eandem ſeruat, quam duo reliqui nec minus adeo lucis ex hac lucubratione illuſtris viri mutuatur.

aliter ac in aliis, qui ſub Traiano Decio, aut Valeriano percuſſi ſunt, præclaris huius *Ancyræ* numis, & cuiusmodi Romæ in Reginæ Suedorum CHRISTINAE Cimeliarchio, ac alibi inſpexi, tria (1) occurrunt, ſed eiusdem generis & formæ, Vaſa cum Palmis. Quorum etiam inſignium numorum, de quibus tecum egi, typos, vti & ſuperiorum, quos hic verſamus, eiusdem *Ancyræ*, tuo itidem beneficio adſpiciet Lector.

(1) Sex obſeruantur in Valeriani numo, cuius inſcriptio: ΑΝΑΖΑΡΒΟΥ Α.Μ.Κ.Γ.Γ. ΕΤ. ΒΟϹ. h.e *Anazarbi Prima Solius Ciliciæ Decreto Senatus a.* CCLXXII. quem vidi in muſeo celeberr. FRITSCHII. Differt ille a ſimili, quem laudat Vaillantius Num. Græc. p. 175. & p. 250., quod voces ΕΝΔΟΞ. ΜΗΤΡΟΠ. deſiderantur.







Horum prior numus ſub Traiano Decio percuſſus, eandem huic *Ancyræ*, de qua paullo poſt, *Metropoleos* dignitatem tribuit; reliqui duo Imp. Valentiniani (2) adſcriptas in ſuperiori parte litteras C. B. N. A. C. B. N, præter nomen *Ancyræ* infra adpoſitum, præferunt: quas ΑΡΙΣΤΩΝ ΣΕΒΑΣΤΩΝ Β. (ſeu ΔΙΣ) ΝΕΩΚΟΡΩΝ, prout ΜΕΓΙΣΤΩΝ ΑΡΙΣΤΩΝ, legitur in alio inſigni, qui ſub eodem Valeriano & duobus filiis percuſſus eſt, ac in priori tuo Specimine Tab. XIV. proſtat, numo, commode omnino conieciſti; & ſicut alioquin in aliorum etiam locorum numis, ac huius ipſius *Ancyræ* ſub Salonina Gallieni apud Triſtanum Tom. III. p. 109. B. N. *Bis Neocororum*, notant, cum Vaſe itidem ac geminis Palmis & ipſo Certaminis nomine, de quo iam ſupra, ibidem adſcripto, nempe ΑΚΤΙΑ. Præter hæc autem & Coronas, quæ ſubinde in priſco ære, quo celebres veterum Agones ſignantur, ſimiliter comparent, alia etiam præmia Hieronicis data; quæ non in genere ſolum ἄθλα, ἔπαθλα, βραβεῖα, νικητήρια, ſed δωρεὰ etiam, δόσις, a Theocrito δωτίνη Idyll. XVII. ℣. 114. & κειμήλια Idyll. XXIV. ℣. 120. ſunt dicta. Inter ea autem, vt alia iam mittam, & quæ indicta ferme præterierunt, qui rem Agoniſticam veterem illuſtrarunt, eruditi, *Crateres*, *Amphoræ*, *Hydriæ*, *Phialæ*, *Lebetes* commemorantur a priſcis Auctoribus; ac in ea etiam locuplete inſignium numorum penu conſpiciuntur. Hinc de *Cratere* iuxta ac *Lebete* dicitur Lib. IV. Antholog. cap. VIII. Ep. IV.

(2) Scr. *Valeriani*, prout vel ex ſuperioribus & ſequentibus patet. v. Vaill. Num. Græc. p. 176.

Οὐ γάρ σοι ΚΡΗΤΗΡ χαλκήλατος, οὐ δὲ ΛΕΒΗΤΕΣ,
Ἀλλ' ὁδὸς εἰς αὐλὴν Ζηνὸς, ΕΠΑΘΛΟΝ ἔφυ.

Non ibi enim CRATER ex ære, neque LEBETES, ſed via in Iouis

uis aulam PRAEMIVM est CERTAMINIS. Sic *Crateris* in Olympiis dati meminit Themistius Orat. IX. pag. 128. ἐφέστιον ἡμῖν στῆσαι ΚΡΑΤΗΡΑ, καὶ ἐγκαλλωπίσασθαι τῇ πατρίδι, ὥσπερ οἱ ΝΙΚΗΣΑΝΤΕΣ ΟΛΥΜΠΙΑΣΙΝ, *domi suæ CRATEREM nobis statuat, & patriæ splendorem ac decus suum ostentet, quemadmodum ii faciunt, qui OLYMPIIS VICERVNT.* Adde, quod *Crater* in medio id genus Panegyreos fuerit positus, e quo nempe Diis, agonum præsidibus, libarent decertaturi athletæ, aut ad quos spectabat illius celebritatis cura; qui & κοινὸς κρατὴρ inde dictus. Id liquet ex Aristide in Isthmica pag. 45. vbi de Græcorum ad illud solemne concursu agens, ait inter alia, καὶ ἐπὶ ΚΟΙΝΟΝ ΚΡΑΤΗΡΑ συνιόντων καὶ σπενδόντων τε ἅμα καὶ θυόντων, *& ad COMMVNEM CRATEREM* (non, vt ibi Canterus, *ad communes epulas*) *conuenientium, libantiumque simul & sacrificantium.* Haud aliter etiam in medio Ionici conuentus, ac vbi celebrata Πανώνια, κρατὴρ Πανώνιος exstitisse dicitur, e quo libauit Diis, loci præsidibus, Apollonius apud Philostratum in eius vita Lib. IV. cap. II. Ad quem ritum respexit etiam, qui inde venit explicandus, (sed quem non adsequutus est, vt sæpe alibi, interpres) Philo de Vita contemplatiua pag. 895. ἄσπονδα ἐν σπονδαῖς ἐργασάμενοι, τὰ ἐν τοῖς γυμνικοῖς ἀγῶσιν ὅμοια, *hostilia in ipsis libationibus facientes, iis, quæ fiunt in gymnicis agonibus, similia;* nempe vbi qui simul Diis libant, decertaturi athletæ, mox haud eo minus acriter inuicem congrediuntur. Accedit, quod finito agone, ex eodem *Cratere* fuerit a victoribus libatum; vti e Pindaro licet colligere, Nem. Od. IX. pag. 413. vbi de ἐπινικίοις, quæ in Hieronicarum laudem canerentur, ait:

> θαρσαλέα δὲ παρὰ
> ΚΡΑΤΗΡΑ φωνὰ γίνεται,

audax autem apud CRATEREM vox est; hoc est, iuxta eius Enarratores, ἐπειδὴ τῇ νίκῃ ἅμα, ΚΡΑΤΗΡ τῆς σπονδῆς, *quandoquidem simul cum victoria erat CRATER ad libandum.* Cuiusmodi nempe crateris, e quo libarent veteres, fit a Marone mentio Georg. Lib. II. ℣. 529.

> *& socii CRATERA coronant,*
> *Te libans, Lenæe, vocat.*

Iidem vero *Crateres* haud vnius, pro ratione sacri vel libantium frequentia, erant magnitudinis, vnde *vrnæ cratera capacem* dixit Iuuenalis Sat. XII. ℣. 44. quod ad Maronem, qui *magnos crateras* vocat Aen. Lib. I. ℣. 724. ac alibi, viderunt iam eruditi. Quomodo etiam aureus *Crater* Delphis, vbi *Pythia*, a Romanis consecratus, teste Diodoro Lib. XIV. pag. 445. AMPHORAE vero ac HYDRIAE pro præmio in solemnibus id genus Agonibus itidem dari consueuerant, sicut in Αἰακείοις, seu *Aeaci* festo, apud Aeginetas, ac vnde Ἀμφορίτης ἀγὼν idem vocatur Græcis Pindari Interpretibus ad Olymp. Od. VII. p. 70. cuius in Callimachi Iambis facta fuerit mentio. Ad quæ proinde respexit, qui hinc illustratur, Apollonius Rhod. sub finem operis, vbi ad Aeginæ littora appulsos tradit certamen Ὑδρείης, seu *aquationis,* continuo suscepisse, quis nempe aqua hausta prior se ad nauim reciperet: inde vero

vero in hodiernum vsque diem 'Αμφορίτην illum Agona ibi celebratum: cuius ea de re verba exſtant Lib. IV. ✠. 1770.

> Ἔνθ' ἔτι νῦν πλήθοντας ἐπωμαδὸν ΑΜΦΙΦΟΡΗΑΣ
> Ἐνθέμενοι κούφοισιν ἅμιλλαν κατ' ΑΓΩΝΑ πόδεσσιν,
> Κοῦροι Μυρμιδόνων νίκης πέρι δηριόωνται.

Ibi etiamnum plenas in humeros AMPHORAS tollentes, impigre velocibus pedibus CERTAMEN iuuenes Myrmidonum de victoria ſuſcipiunt, nempe Aeginetæ *Myrmidonum* nomine ab *Aeaco*, vti vel ex Ouidio notum Metam. Lib. VII. ✠. 654. nuncupati. Ita *Hydriæ*, ſeu vt ibi apud Apollonium, 'Αμφιφορεῖς, *Amphoræ*, dicebantur, quæ oleo plenæ victoribus dabantur in ſolemnibus Athenienſium Panathenæis; vt id obſeruant iidem, de quibus paullo ante, Pindari Enarratores Nem. Od X. pag. 420. ἐν ΑΜΦΙΦΟΡΕΥΣΙ χαλκοῖς ἔλαιον ἐτιμῶντο οἱ ἀγωνιζόμενοι Ἀθήνησι τὰ Παναθήναια, *in AMPHORIS enim æreis oleum reportabant victores, qui decertarant Athenis in Panathenæis*; & quas *Hydrias* ibi vocant iidem Critici, 'Αμφορεῖς vero dixit Athenæus Lib. V. pag. 199. vbi in Pompa Philadelphi Dionyſica inter alia recenſentur ὑδρίαι εἴκοσι, ἀμφορεῖς Παναθηναϊκοὶ δεκαέξ, *Hydriæ viginti*, *Amphoræ Panathenaicæ ſedecim.* Κέραμον etiam, quod nempe figulinæ eſſent eædem amphoræ, de iis agens appellat Græcus Comici Interpres Νεφελ. p. 181. κέραμον γὰρ ἐλαίου ἔλαβον οἱ νικῶντες, *vas enim figulinum accipiebant victores*; non proinde æneum, prout de iis loquuntur Pindari, quod vidimus, Enarratores, & qui Καλπίδας easdem a Callimacho dici ibidem obſeruant. E *terra* certe, *igne vſta*, γαίᾳ δὲ καυθείσᾳ πυρὶ, figulina proinde, confectas illas Panathenaicas *Hydrias* ſeu *Amphoras*, quæ oleo repletæ dabantur victoribus, aperte tradit Pindarus d. l. Nem. Od. X. pag. 420. Ita in alio eiusdem Mineruæ apud Athenienſes Feſto, in Scyrrhis nempe, κύλικα πεντάπλοον dictum, pro præmio victoribus datum, tradit Athenæus Lib. XI. p. 495. καὶ ὁ νικήσας λαμβάνει ΚΥΛΙΚΑ τὸ λεγόμενον πεντάπλοον, *& qui victor eſt accipit CALICEM Pentaploum appellatum*, cuius nominis rationem mox ibidem tangit. PHIALAE vero, eæque partim aureæ, partim argenteæ, Agonum quoque id genus præmia leguntur exſtitiſſe. Sic *aureæ* phialæ ſeu χρυσίδες (quomodo eædem, vti *argenteæ* ἀργυρίδες, ab Atticis dicebantur, vt notant Athenæus Lib. XI. pag. 502. ac Thebani vatis interpres Olymp. Od. IX. p. 92.) *Pythiorum* apud Sicyonios ἔπαθλα, iuxta eundem Lyricum Nem. Od. IX. eiusque Græcos Enarratores p. 413. immo quæ in genere iuxta *Lebetes*, plerorumque Agonum præmia alibi ab eo (qua de re mox) vocantur. Idem quoque ἀμφ' ἀργυρίδεσσι, *pro argenteis phialis*, tanquam Ἡρακλείων *Herculaneorum*, quæ Marathone in Attica celebrabantur, præmio, decertatum tradit Olymp. Od. IX. LEBETVM autem frequens apud veteres, qui hæc Agonum ἔπαθλα ſeu βραβεῖα attingunt, mentio; eaque iam ab Heroicis temporibus, quod vel ex Homero notum, deducta. Vnde dicto apud Pindarum loco, nempe Iſthm. Od. I. pag. 437. legas:

> Ἔν τ' ἀέθλοισι θίγον πλείστων ΑΓΩΝΩΝ,
> Καὶ τριπόδεσσιν ἐκόσμησαν δόμον,
> Καὶ ΛΕΒΗΤΕΣΣΙ, φιάλαισίτε χρυσοῦ.

Et in certaminibus plurima nacti sunt præmia, Ac tripodibus ornauerunt domum, Et LEBETIBVS ac phialis aureis; & apud eius Enarratores ad Nem. Od. X. pag. 422. λέβητα γὰρ ἐτιμῶντο ἐν πολλοῖς τῶν ἀγώνων *Lebetem enim ornarunt*, ſeu, conſtituerunt victoriæ præmium, *in multis certaminibus.* Hinc iuxta *Craterem*, ἔπαθλον ſeu *Agonum præmium*, dicuntur *Lebetes* in adducto ſupra ex Anthologia Epigrammate; ac in eadem Lib. I. cap. I. Ep. II. de Herculis & Antæi agone dicitur:

Κεῖται δέ σφιν ἀγὼν, οὐ χαλκέου ἀντὶ λέβητος.

Propoſitum autem eſt illis certamen, non ob æneum Lebetem. Vrnarum vero inſtar, quibus recondebantur mortuorum cineres, erant iidem *Lebetes*, vnde λέβητας de eiusmodi feralibus vrnis dixit haud ſemel, quod obiter moneo, Aeſchylus, vt Agam. ℣. 453. 1138. & Chœph. ℣. 654.

Νῦν γὰρ ΛΕΒΗΤΟΣ χαλκέου πληρώματα
Σποδὸν κέκευθεν ἀνδρὸς εὖ κεκλαυμένου.

Nunc enim LEBETIS (ſeu *vrnæ*) *ahenei latera Cinerem operiunt viri, qui merito defletur.*

Eadem in his ANCYRAE numis ſignata.

XII. Hinc eadem illa, quæ commemorauimus hactenus, Agonum id genus ἔπαθλα, *Crateras*, *Amphoras*, *Hydrias*, *Phialas*, *Lebetes* neque vnius magnitudinis aut formæ, ſignari videmus cum in hisce *Ancyranorum*, quos hic expendimus, aliisque, quos eadem tua Tabella (1) exhibet, tum in pluribus, quos in præclaris Cimeliarchiis intueri ac verſare nobis haud paucos contigit, numis. Duos quidem *Crateras* ſeu *Lebetes*, eosque Vrnarum, vt diximus, inſtar, cum inſertis totidem Palmæ ramis, prior, qui in tua Tabella (2) comparet *Ancyranorum* numus oſtentat: alter autem duos itidem *Lebetes*, ac in horum medio *Amphoram*, qualis in ſequenti etiam numo (3), in quo ſignantur ΚΟΜΟΔΕΙΑ ΝΙΚΑΙΕΩΝ, ſeu Agon in Commodi honorem a Nicæenſibus Bithynis inſtitutus, conſpicitur. Amphora enim, ſeu, vti a Græcis dici vidimus, ἀμφιφορεὺς, indice Athenæo Lib. XI. pag. 501. ὁ ἀμφοτέρωθεν κατὰ τὰ ὦτα δυνάμενος φέρεσθαι, *qui vtrinque auribus*, ſeu *anſis*, *poteſt apprehendi.* Iidem præterea *Lebetes*, vti etiam, qui in aliis horum Ancyranorum, aut aliorum locorum, Ludos id genus vel Agones nobis exhibent, numis [aut] (4) *Crateres*, variegati, ſeu haud vno ornamenti genere interſtincti, in iisdem comparent. Id vero ab antiquo obtinuiſſe, docebit rurſus Pindarus, a quo inde etiam ἄγγεα παμποίκιλα, *vaſa multum variegata* dicuntur Nem. Od. X. pag. 420. vbi de *Amphoris* ac *Hydriis*, Athenienſium (vt diximus) in Panathenæis præmio agens, ait:

ἐν ἀγγέων
ἕρκεσιν παμποικίλοις,

in vaſorum clauſtris multum variegatis; vbi Critici, ἐν πεποικιλμένοις ἀγγείοις· ἐζωγράφηντο γὰρ αἱ ὑδρεῖαι, *in variegatis vaſis: depingebantur enim Hydriæ.*

(1) Specim. Tab. XIII.

(2) Puta, Epiſtolæ huic præmiſſa. Nam in Specim. Tab. XIII. præcedit Ancyranorum numus, in quo vna tantum Vrna cernitur, qui ille ipſe eſt, quem tabella fronti epiſtolæ huius præmiſſa primo loco exhibet.

(3) Deſideratur hic ectypus eius numi, quem laudat vir ſummus. Deſcriptum eundem dedit Vaillant. l. c. p. 71. & 338.

(4) Vox hæc vncinulis incluſa ſuperflua videtur. Certe ſi loco ea ſuo relinquatur, oratio vix ſatis cohærebit. Mirum eſt, virum illuſtrem neque in Addendis & Emendandis, neque in Indice Erratorum typographicorum huius loci, ceteroqui minus ſani, vel verbo meminiſſe.

XIII. In-

XIII. Inſertæ vero iisdem cum Lebetibus aut Crateribus, tum Amphoris ſeu Hydriis, *Palmæ*, ſeu Palmæ rami; obuio rurſus & peruulgato in ſacris Græcorum & Romanorum etiam agonibus ritu. Hinc *Olympiaca* non ſolum eadem *palma*, vti a Poëta dicitur Georg. Lib. III. ℣. 49.

De Palmarum ramis in iisdem, & Agonum præmio.

Seu quis Olympiacæ miratur præmia palmæ;

ſed *Pythia* etiam *Iſthmica*, ſeu conſuetum aliorum itidem (vt modo dixi) Certaminum apud veteres præmium exſtitit. Quod haud iniucundo ſpectaculo etiamnum nobis oſtentant præclara hæc & erudita priſcæ memoriæ ac feſtiuitatis κειμήλια, idque luculenter comprobant, quod alibi a Marone in genere de iis, qui decertaturi erant haud vno Agonis genere, in ludis Anchiſæ funebribus, dicitur Aeneid. Lib. V. ℣. 70.

Cuncti adſint, meritæque exſpectent PRAEMIA PALMAE.

& mox ℣. 111.

Et PALMAE *pretium victoribus.*

Hinc eosdem, qui in priſcis, quibus id genus Agones ſignantur, monumentis conſpiciuntur, *Palmæ* ramos, præter *Coronas* vnicuique ſacro Agoni peculiares, omnibus Hieronicis dari a Ludorum præſidibus, quos illi dextra geſtarent, e Polluce & Plutarcho, qui in eius etiam rei cauſſam inquirit, Sympoſ. Lib. VIII. Qu. IV. notarunt iam, qui *de Re veterum agoniſtica*, aut de *Coronis*, egerunt, duo viri inſignes. Quem morem tangit itidem, ac illuſtrat Pauſanias Lib. VIII. pag. 532. Οἱ δὲ ἀγῶνες ΦΟΙΝΙΚΟΣ ἔχουσιν οἱ πολλοὶ στέφανον· ἐς δὲ τὴν δεξιάν ἐπὶ καὶ πανταχοῦ τῷ νικῶντι ἐπιθέμενος ΦΟΙΝΙΞ. *In multis quidem agonibus* PALMAE *corona datur, vbique vero* PALMAM, *ſeu palmæ ramum, dextra præfert victor.* Cuius rei, aut ritus teſtes etiamnum locupletes, numi itidem veteres, in quibus ſubinde nudus athleta Palmam dextra geſtare cernitur, quandoque etiam læua, dextra autem Victoriam tenet; qualem vtique in *Iſthmiis* victorem exhibet Corinthiorum numus in his Theſauris regiis, ſub M. Aurelio cuſus (1). Vnde hæc aut alia, quæ ad decantata priſcæ illius cum religionis tum hilaritatis ſolemnia pro dignitate enarranda ſpectant, luculentius adhuc, vt de eruditiſſimo Mercuriali itidem ſileam, præſtitiſſent iidem duo viri, dignitate & doctrina illuſtres, ſi eadem iis conſulendi vetuſta hæc æra, ſeu tot priſcos & præclaros, quibus veterum id genus Agones aut Feſta continentur, numos, ſors ac felicitas obtigiſſet, in iisque tractandis exercita fuiſſet eorundem induſtria. Vnde nec in vno illo M. Aurelii, cuius iconem adduxerat Mercurialis Gymnaſt. Lib. II. cap. V. numo, in quo Lebes cernitur, cum inſertis tribus palmæ ramis & inſcr. ΠΥΘΙΑ ΑΙ. ſicut in prima editione legebatur, eas, inquam, litteras ΑΙ pro ΒΑΙΑ, (quæ de palmæ ramis in ſacro Fœdere, vt notum, dicta) legendum contendiſſet doctiſſimus P. Faber Agoniſt. p. 362. ΠΥΘΙΑ enim ΑΚΤΙΑ in eodem Byzantinorum numo legi, non ΑΙ proinde, ſed ΑΚ præferre initiales poſtremæ vocis litteras, cum aliunde notum, tum poſtremæ

(1) Apud Vaill. Col. T. I. p. 186.

 etiam

etiam illius de Re Gymnastica operis editiones docent. Neque vero hic prætereundus, ad maiorem horum numorum lucem, quem iidem iam viderunt, Pollucis locus Lib. III. cap. XXX. pag. 169. Ὁ δὲ νικήσας τὰ ἆθλα, ἀνείλετο τὸν στέφανον, ἀνείλετο ΤΗΝ ΡΑΒΔΟΝ ΤΟΥ ΦΟΙΝΙΚΟΣ, ἢ τὸν φοίνικα ἔλαβεν, *Qui autem certamine vicit, coronam sustulit*, PALMAE *ramum, aut palmam accepit.* Ad quos proinde solemnes veterum in sacris eorum Agonibus ritus, ac palmarium illud Hieronicarum in iisdem decus, respexit D. Iohannes, dum ab eo victrix illa æternæ salutis præconum turba *palmas in manibus*, φοίνικας ἐν ταῖς χερσὶν αὐτῶν, habere dicitur, Apocalyps. VII, 9. Βραβευτῶν autem fuisse illud munus, non coronandi solum Hieronicas, sed palmas etiam, seu palmæ ramos in medio stadio positos, ac dictis modo Lebetibus aut Amphoris insertos, iisdem largiendi, qui continuo dextra elatos gestarent, docet præter alios Philo de Agricultura pag. 203. Καὶ μὴ ἐπιτρέψῃς μηδὲ κήρυκι κηρύξαι, μηδὲ ΒΡΑΒΕΥΤΗ στεφανῶσαι τὸν ἐχθρὸν, ἀλλ᾽ αὐτὸς παρελθὼν τὰ βραβεῖα καὶ ΤΟΝ ΦΟΙΝΙΚΑ ἀνάδος καὶ στεφάνωσον, εἰ θέλει, καὶ ταῖς ταινίαις ἀνάδησον. *Nec exspectes, dum aduersarium aut præco vicisse pronunciet, aut* BRABEVTES, *seu præmiorum largitor, coronet; sed ipse accedens, victoriæ præmia ac* PALMAM *concedens & coronans atque, si lubet, tæniis reuinciens.* Immo quos ab illis palmæ ramis seu virgis, quas victoribus darent, βραβευτὰς, quasi ῥαβδευτὰς, per litterarum μετάθεσιν dictos, docet Etymologici Auctor: Βραβευταὶ κυρίως λέγονται οἱ ΤΗΝ ΡΑΒΔΟΝ ΑΠΟ ΦΟΙΝΙΚΟΣ ἤ τινος ἄλλου διδόντες, σύμβολον τῆς νίκης, ῥαβδευταί τινες ὄντες. *Brabeutæ proprie dicuntur, qui* VIRGAM *seu ramum* PALMAE, *aut alterius, dantes, victoriæ insigne, velut* ῥαβδευταὶ *existunt.* Vnde dicto iam ante D. Pauli loco, 1. Corinth. IX, 24. vbi ille ad Gentilium & quidem Olympiacos, vt vidimus, Agones, ac præmia Hieronicarum respexit, τὸ βραβεῖον ibi per palmam reddunt, monente id ad eum locum τῷ πάνυ Grotio, Cyprianus & Ambrosius: quamquam, vt hoc addam, per στέφανον, seu *coronam*, quæ ex *olea* erat, vt notum, in Olympia, non e *palma*, id explicet sequenti versu 25. D. Paulus. At vero ῥάβδοι de his palmæ ramis κατ᾽ ἐξοχὴν sunt dicti, vt id liquet e Græcæ litteraturæ promicondo Hesychio: Ῥάβδοι, καὶ οἱ φοινίκων κλῶνες καὶ ὁ βραβευτὴς ῥαβδονόμος. Quamquam ipsos Agonum illorum moderatores ῥάβδους itidem gestasse, quod viderunt iam, qui de re Agonistica egerunt, eruditi, aliunde constet; & quod inde ῥαβδονομεῖν dixit Sophocles Trachin. ℣. 525. Adde ῥάβδον, pro ῥαβδοῦχον aut ῥαβδοφόρον, ab Aeschylo appellatum Supplic. ℣. 256.

ἢ τηρὸν ἱεροῦ ΡΑΒΔΟΝ, ἢ πόλεως ἀγὸν,

aut custodem templi præfectum, aut vrbis ducem.

Atticum nempe illud ῥάβδος pro ῥαβδοῦχος, sicut ἰχθῦς, μύρον, aliaque Atticis consueta, vt notant veteres Grammatici, & monuit inde ὁ πάνυ ad Theophrasti Characteres p. 268. pro ἰχθυοπωλεῖον, μυροπωλεῖον &c. Iidem autem Βραβευταὶ non dicti solum a Platone & Sophocle, quod viderunt alii, Βραβεῖς, sed iam ab Aeschylo non semel, vt Pers. ℣. 302. & Agam. ℣. 238. non quidem de Ludorum moderatoribus, sed de exerci-

exercitus Ducibus. Neque tamen iidem continuo Βραβεῖς, ſeu Βραβευταὶ, in illis Agonibus, qui Ἀγωνοθέται, quamquam ita vocem Βραβέως apud Euripidem in Oreſte ℣. 1065. explicari norim a Græcis eius Enarratoribus, Βραβεὺς, κυρίως ὁ ἀγωνοθέτης. Quum tamen *Agonothetæ* dicerentur de iis, qui ludos conſtituebant, ſeu Munerariis; quorum non in Lapidibus ſolum antiquis, ſed in præclaris etiam numis fit ſubinde mentio: ſicuti in numo ab Apamenſibus ſub Seuero cuſo, qui exſtat in hisce Theſauris Regiis, ΕΠΙ ΑΓΩΝΟΘΕΤΟΥ ΑΡΤΕΜΑΓ (1). &c. (1) Vaill. Num. Græc. p. 80, 309. & quibus peculiaris ſella erat in ſtadio Olympiaco, vt id e Pauſania liquet Lib. VI. pag. 382. poſita; Βραβέων autem, ſeu Βραβευτῶν, munus foret Agonem moderari, & præmia victoribus tribuere: adeo vt iidem Agonothetis eſſent inferiores, quod iam bene animaduertit dignitate ac eruditione præſtantiſſimus P. Faber Agoniſt. pag. 148. Ab Hellanodicis quidem, totidem Olympiaci agonis Præſulibus, coronatos Hieronicas innuit Pindarus Olymp. Od. III. vbi de Aetolo, ſeu Eleo, vt ibi Critici, Hellanodica dicitur, eum victoris capiti coronam oleagineam circumpoſuiſſe ἀτρεκὴς Ἑλλανοδίκας &c. ac apud Aelianum ſimiliter Lib. IX. Var. Hiſtor. cap. XXXI. Crotoniates athleta in Olympicis victor, Hellanodicas acceſſiſſe dicitur, *vt coronam acciperet*, ἵνα λάβῃ τὸν ςέφανον, ac proinde etiam palmam. Vt proinde ex Hellanodicarum numero exſtitiſſe videantur illi Βραβευταὶ, iique inde ita dicti, a quibus coronam vel palmam acciperent Olympionicæ. Ex his autem præclaris numorum iconibus cum Palmis, tanquam præcipuo Agonum, qui in iis ſignantur, præmio, manifeſto liquet, cur *palmæ* de *victoria* paſſim dici ſoleant, & quod appoſite de *palmis* id genus Olympiacis dixerit Horatius,

palmaque nobilis
Terrarum dominos euehit ad Deos;

ac ad eius fidem Lucianus, optimus huius Horatiani, qui non alio trahendus, loci interpres, vbi de iisdem agit Olympionicis Lib. de Gymnaſiis, τὸν δὲ καὶ νικήσαντα αὐτῶν, ἰσόθεον νομιζόμενον, *eum*, *qui vicerit*, *Diis parem exiſtimari.* Diuerſa autem, vt hoc addam, ab ea *palmæ* ῥάβδῳ, alterius Ῥάβδυ Ἀνάληψις, ſeu *Virgæ* vel *Baculi Adſumptio*, de ſingulari huius Aeſculapii apud Coos feſto, cuius meminit in Epiſtola ad Abderitanos Hippocrates, dicta; & quam inde eam in Heortologium ſuum intulit P. Caſtellanus. De quo equidem anniuerſario illius Dei apud Coos ſolemni, ſeu totidem rurſus Ἀσκληπίοις, cuius haud alibi occurrit mentio, licet continuo ſtatuere, ad eiusdem Dei baculum reſpici, quem vt ſalutiferum & angue vulgo circumplicatum, huic Σωτῆρι paſſim tribuit antiqua numorum, vti & ſignorum, ſupellex. Phœnicius nempe, non Græcus, ſeu ἐπιχώριος Φοίνιξ, *indigena Phœnicius*, exſtitit, vt de eo Damaſcius in Vita Iſidori apud Photium Cod. CCXLII. Aeſculapius; quibus conſona a Sidonio quodam Phœnice de eodem tradita, apud Pauſaniam exſtant Lib. VII. pag. 443. Hinc a Virga Moſis in ſerpentem mutata, ſeu potius a ſerpente æneo, pro ſalutari contra mortiferos ſerpentes remedio, de quo Num. XXI, 8.

 9. (quæ

9. (quæ iam ad hunc Aeſculapii ſolitum apud Græcos habitum, retulit in præclaro opere vir ſummus Petr. Dan. Huëtius) dimanaſſe videtur hæc ſolemnis apud Coos ῥάβδυ ſeu *virgæ*, quam vulgo geſtat hic Σωτὴρ, Ἀνάληψις.

De Palmarum numero in iisdem. XIV. Neque vero præteriri hic debet, quod nec fruſtra plures ſubinde *Palmæ* rami conſpiciantur in eximiis id genus, quibus Agones veterum conſignantur, monumentis: quod & in hiſce duobus, quos hic expendimus, *Ancyranorum* numis factum liquet. Quales autem binæ duobus Crateribus, in vtroque numo, inditæ, & adſcripta ad eosdem ICΘ. ΠΥΘΙΑ, *Iſthmia Pythia*, ad vtrumque illum Agonem, cuius nempe eædem *Palmæ* totidem indices eſſent, ac victorum in iis præmia, opportune debent referri. Nec mirum videbitur, quod in altero ex iisdem numo, præter ſingulas Palmas in duobus illis Crateribus contentas, vni Amphoræ inter hoſce Crateras poſitæ, duæ præterea Palmæ ſint inſertæ. Plura enim vel in vno Agone, ISTHMICO aut PYTHIO, de quibus ibi agitur, peracta, vt notum, ac antea vidimus, certamina; nempe curſus, luctæ, pugilatus &c. præter Equeſtria ac Muſica, Citharœdica vel Πυθαύλων, ac ab his inſuper diuerſa Poëtica ſeu Rhapſodica, vel Scenica. Horum autem ſingulis, nempe qui in iisdem vicerant, totidem proinde Hieronicis, propoſita erant præmia, ſeu, quod modo etiam vidimus, Palmæ. Quæ proinde diuerſa vnius Agonis, Pythii puta vel Olympiaci, aut alterius, certamina, ac ſimul eorum præmia indicant, vt obſeruo, plures ſubinde Crateres aut Lebetes, & inſertæ iisdem Palmæ; ſicuti in adductis ſupra aliis huius *Ancyræ* numis, in quorum ſingulis tria eiusmodi Vaſa, & gemina indita in vnoquoque Palma, comparent. Mitto enim, quod prima, ſecunda & tertia præmia, ſubinde etiam quarta (vt de Alcibiade, totidem ex vno curuli agone Olympiaco referente, a Thucydide Lib. VI. pag. 422. & Plutarcho in Alcibiade p. 196. eſt in litteras relatum) in ſacris illis Agonibus exſtitiſſe, aliunde conſtet, ac monuerunt iam, qui Rem veterum Agoniſticam illuſtrarunt viri docti. Quibus addi poſſunt ea, quæ de triplici potiſſimum præmiorum in illis Certaminibus ordine, primis nempe, ſecundis, tertiis, a duobus e recutitorum quidem gente, ſed Græcorum rituum apprime gnaris Scriptoribus, traduntur. Prior eſt Philo, non in iis ſolum, quæ iam adtulit doctiſſimus P. Faber Agoniſt. pag. 593. e libro eius de Monarchia, locis vbi τῶν ἐν ἄθλοις δευτερείων, *ſecundorum in Certaminibus præmiorum*, fit tantum ab eo mentio; ſed plenius, vbi de illis Græcorum Agonibus, & Athletis, qui in iisdem, & quidem in Olympiis, decertant, receptisque ibidem ritibus, agens p. 105. de illis addit, quibus de percipiendis virtutibus ſimile eſt certamen ſuſcipiendum, ᾧ καὶ ΤΑ ΠΡΩΤΑ τῶν ἀθλητῶν ὐ φθονητέον λαμβάνοντι· οἱ δὲ κἂν ΔΕΥΤΕΡΕΙΩΝ ἢ ΤΡΙΤΩΝ ἀξιωθῶσι, μὴ κατηφείτωσαν, *cui* PRIMA *etiam Athletarum* PRAEMIA *conſecuto haud eſt inuidendum: ceteri autem, etiamſi* SECVNDA *demum ac* TERTIA *obtineant, ne inde mœrore adficiantur.* Alter eſt Ioſephus, qui Lib. I. Ἁλωσ. cap. XVI. vbi Ludos Quinquennales in Auguſti honorem Cæſareæ ab Herode inſtitutos memorat, addit, ἐν οἷς ὐ μόνον οἱ νικῶντες, ἀλλὰ καὶ οἱ μετ' αὐτὺς, καὶ οἱ τρίτοι τῦ βασιλικῦ πλύτυ μετελάμβανον, in

in quibus non ſolum victores, ſed ab iis proximi, ſeu ſecundi, *ac tertii regiarum opum fiebant participes.* Quomodo etiam de præmiis, quæ *victoribus* (τοῖς νικῶσι) maiora, ſecundis vero ac tertiis paullo inferiora darentur, iis, qui decertaturi eſſent in Certamine, quod Neptuno in Piræeo conſtitueretur, legem tuliſſe Lycurgum Rhetorem, tradit libro de Decem Oratoribus Plutarchus pag. 842. quem locum iam indicauit dicto Agoniſtici loco eruditiſſimus Faber. *Victoris* tamen nomen in iisdem Ioſephi & Plutarchi verbis, iuxta receptum in ſacris Græcorum Agonibus morem, tantum datum, qui *prima*, non autem qui *ſecunda* aut *tertia* ex iis retulerant præmia: prout etiam id de iisdem a Luciano de Gymnaſiis p. 393. Ed. Salm. tradi videas, εἷς ἐξ ἁπάντων ὁ κρατήσας αὐτῶν, *vnus ex omnibus, qui ceteros vicerit*, & ὁ μὲν νικῶν, εἷς ἐςὶ πάντως, *victor quidem vnus eſt omnino:* qui nempe Coronam & Palmam, vtramque Hieronicæ dari demum ſolitam, ex illo Agone referat, vbi primum a Præcone *Victor* eſt in ſtadio proclamatus. Ad quem proinde ritum reſpexit eo, de quo iam ante non ſemel, loco D. Paulus I. Corinth. IX, 24. vbi omnes quidem in ſtadio dixit curſu decertare, εἷς δὲ λαμβάνει τὸ βραβεῖον, *vnus autem accipit præmium*; coronam nempe, ſeu, vt e veteribus nonnulli, quod ſupra diximus, *palmam.* Quomodo ceteroquin in ASCLEPIIS, de quibus iam ante & mox adhuc, Epidauricis *prima* & proinde *ſecunda* etiam ac *tertia* exſtitiſſe præmia, liquet ex Ionis, in cognomine apud Platonem Dialogo, verbis pag. 530. Tom. I. τὰ πρῶτα τῶν ἄθλων ἠνεγκάμεθα, ὦ Σώκρατες, *prima Certamina* Aſclepiorum nempe, vt ibidem dicitur, *præmia retulimus, o Socrates.*

XV. ANCYRAE autem, Galatiæ, vt eadem ibi inſcribitur, METROPOLI, peracta dicuntur ea, de quibus agunt duo inſignes, quos hic tuo rogatu expendimus, numi, & ſimiliter commemoratæ paullo ante Inſcriptiones, ΑΣΚΛΗΠΙΑ. Neque vero Epidauri ſolum, quod antea vidimus, aut Pergami, quæ præcipuæ vrbes in tutela huius Dei feruntur exſtitiſſe, celebrata hæc eius ſolemnia: prout vtrique illi vrbi eadem tribuit Marmor Oxon. pag. 70. & denuo Sponii Miſcell. pag. 367. nempe vbi præter alia veterum id genus ſacra legitur ΠΕΡΓΑΜΟΝ ΑΥΓΟΥΣΤΕΙΑ ΤΡΑΙΑΝΕΙΑ ΑΣΚΛΗΠΕΙΑ, *Pergamum Auguſtalia, Traianalia, Aſclepia*; mox ΕΠΙΔΑΥΡΟΝ ΑCΚΛΗΠΕΙΑ, *Epidaurum Aſclepia.* Immo in alio apud eundem Sponium Marmore pag. 364. legas itidem, ΕΠΙΔΑΥΡΟΝ ΑCΚΛΗΠΙΔΕΙΑ, ſeu verius, vti in adductis modo aliisque monumentis, ΑCΚΛΗΠΕΙΑ, aut ΑCΚΛΗΠΙΕΙΑ, prout præter hæc *Ancyranorum* ΑCΚΛΗΠΙΕΙΑ, in Gruteri Theſ. CCCC. 3. eadem de Epidauricis dici a Platone vidimus Ion. pag. 530. ἐξ Ἐπιδαύρου ἐκ τῶν Ἀσκληπιείων, *Epidauro ex Aeſculapiis.* De iisdem etiam Epidauriorum *Aſclepiis* mentio fit itidem in veteri Inſcriptione apud Gruterum CCCXIV. 1. ΕΠΙΔΑΥΡΟΝ ΑCΚΛΗΠΕΙΑ ΡΟΔΟΝ (non ΠΟΔΟΝ, vt vidit iam eruditus Marmorum Oxonienſium editor) ΑΛΕΙΑ ΧΡΥΣΑΝΘΙΝΑ ΕΝ ΣΑΡΔΕΣΙ. *Epidaurum* ASCLEPIA, *Rhodum Haleia*, (ſeu *Soli* ſacra) *Chryſanthina Sardibus.* Quibus addo, de *Pergamenorum* nempe *Aſclepiis* & Certaminibus quoque, quæ in iis, vti *Ancyræ*, iuxta hos numos, peragebantur, Ariſtidem in Oratione, Pergami die Apellæ natali habita, pag.

De ASCLEPIIS in genere.

pag. 131. Tom. I. τὴν παίδων νενομισμένην ἐπὶ τοῖς ΤΩΝ ΙΕΡΩΝ ΑΣΚΛΗΠΙΩΝ ΑΘΛΟΙΣ. *Qui pueris in SACRORVM AESCVLAPIORVM CERTAMINIBVS tribui ſolet honor.* Epidauro autem dimanaſſe ad alias gentes, cum illius Dei nomine & cultu, ſolemnia id genus ΑΣΚΛΗΠΙΑ, tradentem vidimus iam ante Pauſaniam Lib. II. pag. 133. quibus, quæ ibi adtulimus, continuo ſubdit idem Auctor: Τοῦτο μὲν γὰρ Ἀθηναῖοι τῆς τελετῆς λέγοντες ΑΣΚΛΗΠΙΩ μεταδοῦναι, τὴν ἡμέραν ταύτην ΕΠΙΔΑΥΡΙΑ ὀνομάζουσι, καὶ θεὸν ἀπ᾽ ἐκείνου φασὶν Ἀσκληπιόν σφισι νομισθῆναι, *Nam & Athenienſes initiorum diem vnum, quem AESCVLAPIO tribuunt, EPIDAVRIA nuncupant, atque ab illo die diuinos honores ſe Aeſculapio habere tradunt.* Quorum etiam apud Athenienſes inter Myſteriorum dies Ἐπιδαυρίων, ac totidem proinde ΑΣΚΛΗΠΙΩΝ, meminit eo loco, quem iam in Eleuſiniis adtulit ac enarrauit Cl. Meurſius, Philoſtratus Lib. IV. de Vita Apollon. cap. VI. Quamquam & alia adhuc fuerint Athenis Ἀσκλήπια, ſeu ſacra huic Deo ſolemnia, vt id ex Aeſchine colligas adv. Cteſiph. pag. 283. Ed. Baſ. Τῇ ὀγδόῃ ἱσταμένου τοῦ Ἐλαφηβολιῶνος μηνὸς, ὅπου ἦν ΤΩ ΑΣΚΛΗΠΙΩ ἡ θυσία καὶ ὁ ΠΡΟΑΓΩΝ ἐν τῇ ἱερᾷ ἡμέρᾳ. *Octauo die menſis Elaphebolionis, quum AESCVLAPIO res diuina fieret, & PRAELVDIVM ageretur in die feſto.* Vernus enim menſis Elaphebolion, qui Martio & Aprili reſpondet, quum Myſteria Eleuſinia, quod aliunde notum, Boëdromione menſe Septembri, peragerentur. Vnde duo etiam Aeſculapii apud Athenienſes fana: vnum in vrbe, alterum in Piræeo, vt id docent eruditi Ariſtophanis Enarratores ad Plutum pag. 66. Mitto hic tot alia, vbi inualuit huius Dei cultus, loca: cuiusmodi, præter hasce, *Epidaurum* & *Pergamum*, memorat *Triccam*, *Rhodum*, *Burinam*, Andromachus in Poëmate de Theriaca ad Neronem, quod apud Galenum exſtat de Antidotis. Adde *Coon*, nobiliſſimam olim Aſclepiadum ſedem, & ſacrum apud eos (de quo paullo ante) huic Deo Feſtum: aut *Phocenſes*, quibus Aeſculapius Ἀρχαγέτας, ſeu *generis auctor*, teſte Pauſania Lib. X. pag. 623. cultus; aut quod in Vita Apollonii Lib. IV. cap. XI. tradit Philoſtratus, omnem Aſiam confluxiſſe Pergamum ad Aeſculapii ibidem Templum, omnem vero Cretam, vti & Africam, ad fanum eius prope Idam montem Λεβηναῖον dictum; cuius fani meminit etiam, vt obiter hoc addam, Pauſanias Lib. II. pag. 134. Sic, vt alia mittam, occurrit idem Deus in veteribus aliorum locorum numis; vt *Niceæ* & *Tii*, quæ claræ Bithyniæ vrbes, ac *Amaſtridis* Ponticæ &c. in quibus ΑCΚΛΗΠΙΟC ΑΜΑCΤΡΙΑΝΩΝ, ΑΣΚΛΗΠΙΟΣ ΤΙΑΝΩΝ, aut, quod ſupra vidimus, CΩΤΗΡ ΝΙΚΑΙΕΩΝ dicitur. Vt de Romanis iam ſileam, a quibus Epidauro Romam acceſſitus, ſub conſueta eidem Deo draconis effigie, vti ea de re Romani Scriptores, Liuius, Ouidius, Valerius Maximus, aliique; in præclaro Antonini Pii numo, quem olim protuli Diſſ. III. de Præſt. & Vſu Numiſm. p. 181. (1) cum Templo, Pinu, Tiberi, Inſula, vt ibidem adtigi, comparet, & cum *Salutiferi*, vti ab Ouidio dicitur Metam. Lib. XV. ℣. 744. huius Dei nomine, AESCVLAPIVS. Qualis etiam numus, mole & elegantia inſignis, exſtat hodie in hisce Theſauris Regiis. Adde, quod Aeſculapii & Hygiæ ſeu Salutis Collegium Romæ e ſexaginta hominibus conſtans exſtiterit, cuius Statuta leguntur

(1) Nouiſſ. Edit. T. I. p. 217.

leguntur in veteri Marmore apud Sponium pag. 52. & quod Kalendis Ianuarii *Aesculapii* Festum, vti *Iani* etiam, *Iunonis* ac *Iouis*, dicatur fuisse in antiquo vrbis Kalendario, Ouidii Fastis ex vetustis membranis, in postremis eius editionibus, præmisso.

De ASCLEPIIS ANCYRÆ a communi Galatarum actis.

XVI. Ita ANCYRAE, quod ex præclaris numorum, quos Specimen tuum exhibet, iconibus discet nunc Lector, & quod ipsa illorum κειμηλίων tractatio nobis postea confirmauit, *Ancyræ* inquam, iuxta ac *Epidauri*, *Pergami*, aut alibi, celebrata sub Antonino Caracalla solemni ritu *Magna* illa & *Sacra*, vti eadem in priscis Lapidibus appellari vidimus, & promiscue quidem, cum in iis tum apud Auctores, dicta, ΑΣΚΛΗΠΙΑ, ΑΣΚΛΗΠΕΙΑ vel ΑΣΚΛΗΠΙΕΙΑ. Haud aliter nempe, ac in singulari numero, ne quis hæc improuide confundat, Ἀσκλήπιον, Ἀσκληπεῖον & Ἀσκληπίειον de *Aesculapii* non *Festo* quidem, sed *Aede* apud Græcos dicta: prout duo priora, de huius Dei fano, apud Smyrnæos & Lebenæ apud Cretenses, dicuntur hodie apud Pausaniam Lib. II. pag. 134. posterius vero, seu Ἀσκληπίειον de Templo eiusdem Numinis Abiæ in Messeniorum ditione, apud eundem Lib. IV. p. 273. & similiter de Aesculapii fano apud Sicyonios, Athenæus Lib. VIII. pag. 351. Vnde apud Theophrastum περὶ μικρόφιλοτ. ἐν τῷ Ἀσκληπιῷ pro in *Aesculapii fano* legitur; vbi, ἐν τῷ Ἀσκληπιοῦ, aut ἐν τῷ Ἀσκληπείῳ legendum statuit ὁ πάνυ, quum tamen Ἀσκλήπιον & Ἀσκληπεῖον de eodem etiam, vt modo vidimus, diceretur. Adde Eustath. ad Iliad. B. pag. 270. vbi Neptuni ædem Ποσείδειον & Ποσιδεῖον dici obseruat; ac postremum quidem, sicut Θησεῖον, Ισεῖον, καὶ Ἀσκληπεῖον, sed vbi verius Ἀσκληπεῖον, iuxta tradita ibi exempla, legas, aut certe Ἀσκληπίειον. Celebria autem vel maxime eadem hæc *Ancyræ* ΑϹΚΛΗΠΙΑ exstitisse, non solum hi numi, quibus eadem cum solemnibus & sacris illorum Ludis, eorumque præmiis consignantur, luculenter arguunt; sed addita insuper in memorato iam ante Marmore apud Gruterum CCCCX, 3. ΤΩΝ ΙΕΡΩΝ ΑΓΩΝΩΝ, & ΤΩΝ ΜΕΓΑΛΩΝ, *Sacrorum Certaminum*, & *Magnorum Asclepiorum* mentio: prout, vt alia iam mittam, de Capitolinis, magnæ celebritatis apud Romanos, Ludis, ΤΟΝ ΑΓΩΝΑ ΤΩΝ ΜΕΓΑΛΩΝ ΚΑΠΙΤΩΛΕΙΩΝ, *Certamen Magnorum Capitolinorum*, similiter dictum legimus in Inscriptione apud Cl. Reinesium Syntagm. p. 368. Hinc ANCYRA etiam, vbi acta hæc ΑϹΚΛΗΠΙΑ, *Metropolis* in iisdem numis dicta, quod nempe in Metropolibus, seu clarioribus vrbibus, a Communi gentis, vulgo fierent publici ac solemnes id genus ludi. Vnde ΚΟΙΝΟΥ ΤΩΝ ΓΑΛΑΤΩΝ, *Communis Galatarum*, fit quoque mentio in gemina illa Inscriptione *Ancyrana*, quam supra adtulimus, cum prodita ibidem, tum eorum solemnium, quæ proprie Κοινὰ seu *Communia* huius vel illius gentis vocabantur, tum peculiaris horum *Asclepiorum* memoria. Sic ΚΟΙΝΟΝ ΘΡΑΚΩΝ ΠΥΘΙΑ ΑΛΕΞΑΝΔΡΙΑ ΕΝ ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛΕΙ, *Communi Thracum*, a quo *Pythia Alexandria*, seu in Alexandri honorem instituta, *in Philippopoli*, Thracum nempe, vt vel ex veteribus numis (1), vel alias e veteri liquet Imperii Notitia, Metropoli; & ad quod *Commune Thracum*, πρὸς τὸ Κοινὸν τῶν Θρᾳκῶν Rescriptum legitur Antonini Pii Leg. I. D. de Appellation. Sic ΟΛΥΜΠΙΑ ΑΛΕΞΑΝΔΡΙΑ, de quibus supra obiter, ac præterea ΚΟΙΝΟΝ ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ, *Olympia*, *Alexandria*, *Commune*

(1) Vid. Cap. XI. §. 15.

 Macedonum,

Macedonum, cum duobus Vaſis ſimiliter ſeu Lebetibus, ſicut in vno e tuis *Ancyranorum* numis, qui ſupra Menſam poſiti ſignantur in præclaris id genus κειμηλίοις (1), & quæ proinde *Olympia* in Macedonia celebrata, vere tradentem videas Thucydidem Lib. I. pag. 80. ἐπειδὴ ἐϛιν ΟΛΥΜΠΙΑ ἐν Μακεδονίᾳ καὶ ἐν Ἀθήναις, *quandoquidem OLYMPIA & in Macedonia ſunt & Athenis*; vti de Athenienſium Olympiis iam ante diximus.

Metropoles vero iuxta *Ancyram*, aut Philippopolim & totidem ſuæ gentis capita, quod vel earum docent numi, *Theſſalonica*, *Tarſus*, *Damaſcus*, *Emiſa*, *Nicomedia*, *Side*, *Epheſus*, *Tyrus*; aut inſignes alioquin ac primariæ vrbes, *Nicæa*, *Perinthus*, *Hierapolis*, *Tralles*, *Pergamus*, Metropolis Ionica, *Byzantium*, aliæque id genus, a quibus inſtitutos aut renouatos ſtatis temporibus ſimiles ludos, e numis earundem vrbium, vt ſupra obiter monui, ac dicetur alibi a nobis plenius, diſcimus. Factum vero id frequenter, vbi aliqua Dei Aedes ſolemni ritu ac pompa erat dedicanda: vnde & ab *Ancyranis*, ſimili forte occaſione cuſos, de quibus agitur, numos haud male licet ſtatuere. Immo opportune, dum ſchedas forte meas reſpicio, obtulit ſe eiusdem cum vrbis *Ancyræ*, tum Imperatoris Antonini Caracallæ numus, inter reliquos, quos Romæ olim in Cimeliarchio CHRISTINAE Auguſtæ non verſaueram ſolum, ſed eius rogatu, ſeu verius iuſſu, accuratius, quam antea a Gazæ illius cuſtodibus, qui Græcos in ea numos vix adtigerant, aut minus fuerant adſequuti, factum, in eiusdem Cimeliarchii & ad proprium ſimul vſum deſcripſeram. In quo nempe numo occurrit Mulier turrita, & monti aut tumulo, ad indicandum *Ancyræ* ſitum, inſidens, quæ dextra Lebetem ſeu Craterem cum Palma in eodem inſerta, ſiniſtra vero Templum geſtat, cum eadem, quæ in tuis, de quibus hic agitur, numis, (niſi quod in iſto præterita ſit *Metropoleos* mentio) epigraphe, ΑϹΚΛΗΠΕΙΑ ϹΩΤΗΡΕΙΑ ΙϹΘ. ΠΥΘΙΑ ΑΝΚΥΡΑϹ, *Aſclepia*, *Soteria*, *Iſthmia*, *Pythia*, *Ancyræ* (2). Ita veterem *Tyri*, Phœnices Metropoleos, numum, in ſchedis tuis ſolerter a te, vt ſoles, depictum obſeruaui, in quo Templum cum Columnis conſpicitur, addita epigraphe, ΚΟΙΝΟΝ ΦΟΙΝΙΚΗΣ ΑΚΤΙ. ΤΥΡΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ, *Commune Phœniciæ Actia Tyri Metropoleos* (3). Sic plures *Tarſi* numos videas ſub Auguſto, Pio, M. Aurelio, Commodo cuſos, cum Templo & inſcript. ΚΟΙΝΟΝ ΚΙΛΙΚΙΑΣ ΤΑΡϹΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩϹ, *Commune Ciliciæ Tarſi Metropoleos*. Templum proinde aliquod Aeſculapii ab *Ancyranis*, iis Caracallæ temporibus, dedicatum aut refectum; ac eadem occaſione, ſolemnes in *Soteris* illius honorem pro more celebratos ludos, haud male ſtatuas. Quod forte innuunt ac illuſtrant alii adhuc eiusdem Caracallæ numi, in quibus vel Templum cum adſcriptis nominibus *Metropoleos Ancyræ*, aut ſtantem etiam Aeſculapium noſti: dictam vero, vt hoc addam, in poſtremo numo (4) vrbem *Ancyram*, ab eodem Antonino Caracalla, quod & *Tarſo*, *Edeſſæ*, *Troadi*, *Amaſiæ*, *Smyrnæ*, vti præclari earundem numi etiamnum docent, contigit, *Antoninianam*, ΑΝΤΩΝΙΝΙΑΝΗΣ ΑΝΚΥΡΑΣ. Quod proinde *Antoninianæ* nomen, non talaribus ſolum caracallis, vt ea de re Spartianus in eius vita cap. IX. eſt inditum. Quomodo etiam eadem ſymbola, Vaſa nempe cum inſertis Palmæ ramis, his aut ſimilibus

(1) Spectat huc Alexandri M. numus, cuius ectypum vide de Præſt. & Vſ. Num. T. I. p. 382.

(2) Similem vid. apud Vaill. l. c. p. 98. & 331. itemque ap. Morell. Specim. Tab. XIII. p. 144. ſed ibi mulier monti tumulove, ad indicandum Ancyræ ſitum, haud inſidet.

(3) Suſpectum valde hunc numum eſſe contendit Harduin. De num. vrb. p. 174. Opp. Sell.

(4) Vaill. p. 98. Harduin. l. c. p. 17.

ſimilibus numorum monumentis conteſtata, ad vnum huius Dei cultum, ſtatosque in eius honorem, vt alibi, quod vidimus, ita quoque *Ancyræ*, Ludos, opportune tantum referas.

XVII. Niſi vero aliquid adhuc magis peculiare in his *Ancyranorum* numis, ſub hoc Caracalla ſignatis, ſubſit. Vſitatum nempe olim, vt pro ſalute Imperatorum, non ſolum ſub anni initium, aut die eorum vel liberorum natali; vel redeuntibus in orbem Imperii Quinquennalibus, qualia numis eorundem conſignata paſſim terimus, Vota publice nuncuparentur aut ſuscepta pari ſtudio exſoluerentur; ſed vt ſolemnes quoque Ludi iisdem accederent. Quod ſubinde etiam factum, non ſtatis duntaxat diebus illis ac temporibus; ſed vel Principibus male adfectis, aut ſanitati reſtitutis, aut alia forte data eius rei occaſione: idque, pro ſingulari alicuius vrbis, aut gentis, Numini eorundem Imperatorum, vt loquebantur, deuotæ, vel priuatorum quoque in Principem ac Benefactorem pietate. Cuius equidem rei obuia potiſſimum & frequens occurrit in antiquis Lapidibus mentio: vbi pro ſalute huius vel illius Imperatoris, modo Ioui, modo Iunoni, modo Apollini, modo Dianæ, modo etiam Aeſculapio, ſacra EX VOTO fieri dicuntur. Quomodo inter alia VOTVM AESCVLAPIO SANCTO, aut AESCVLAPIO VOTO SVSCEPTO &c. legas haud ſemel in Opere Gruteriano pag. LXX, 2. 3. Immo, vt alia iam mittam, pro ſalute huius Imperatoris Antonini Caracallæ, vt & Seueri patris &c. exſtat Inſcriptio in Sponii Miſcell. p. 269. & alia hactenus inedita (1), quam inter plures ἀνεκδότους a me olim deſcriptas, nunc forte obſeruo,

An alia adhuc particularis cauſa horum ASCLEPIORVM apud Ancyranos.

(1) Sed extat apud Gruterum p. XI, 5.

I. O. M. D.
PRO SALVTE AVGG. NN.
L. SEPTIMI SEVERI PII
PERTINACIS ET M.
AVRELI ANTONINI PII
FELICIS AVG. ET
IVLIAE AVG. ET S. P. Q. R.
SEMNVS AVGG. NN. LIB.
OPTIO TABELLARIORVM
STATIONIS MARMORVM
ARAM POSVIT

Adde, quod alia occurrit inter Græca apud Sponium Marmora pag. 369. & iam ante vulgata in Cl. Reineſii Syntagmate p. 314. in qua quidem SEPTIMIVS TRYPHO, huius M. Aurelii Antonini, Caracallæ nempe, illiusque, vt additur, *Noui*, ſeu *Iuuenis Bacchi* Sacerdos perpetuus, ac vnde incipit Inſcriptio, ΥΠΕΡ ΣΩΤΗΡΙΑΣ, *Pro Salute* eiusdem Antonini, Seueri patris, totiusque Domus Auguſtæ, Ludos Bacchi primus ſua pecunia exornaſſe ac edidiſſe dicitur: additis ibidem Tibicinis, Citharœdi, Comœdi ac Tragœdi nominibus, qui in eodem illo Dionyſiaco Agone vicerant. Mitto, quod nominatim

 Gymnici

Gymnici Agones, cuiusmodi etiam vidimus exstitisse hæc *Ancyranorum* ΑϹΚΛΗΠΙΑ ϹΩΤΗΡΕΙΑ ΙϹΘΜΙΑ, pro Imperatore peracti dicantur in alia Inscriptione Græca apud Gruterum CCCXXVII, I. ΤΟΥΣ ΤΕ ΕΡΜΕΙ ΚΑΙ ΗΡΑΚΛΕΙ ΤΙΘΕΜΕΝΟΥΣ ΥΠΕΡ ΤΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΓΥΜΝΙΚΟΥΣ ΑΓΩΝΑΣ, *Mercurio Et Herculi Dicatos Pro Imperatore Gymnicos Agones.* Apud Dionem vero Cocceianum, quod adhuc propius hic ad rem facit, in Excerptis Peirescianis p. 753. legimus, ægrum & in furorem actum Caracallam, cum Apollinis, tum Aesculapii ac Serapidis Templa frequentasse; tum precibus, hostiis, donis, omni denique ratione, quamquam irrito conatu, contendisse, vt eorundem Numinum ope sanitatem recuperaret. Quibus addit idem Auctor, οὔτε γὰρ ὁ Ἀπόλλων ὁ Γράννος, οὔθ' ὁ ΑΣΚΛΗΠΙΟΣ, οὔθ' ὁ Σαράπις, καίτοι πολλὰ ἱκετεύσαντι αὐτῷ, πολλὰ δὲ καὶ προσκαρτερήσαντι ὠφέλησεν· ἔπεμψε γὰρ αὐτοῖς καὶ ἀποδημῶν, καὶ εὐχὰς, καὶ θυσίας καὶ ἀναθήματα, *nam neque Apollo Grynæus, neque AESCVLAPIVS, aut Sarapis, quamquam multis precibus multisque peruigiliis ab eo interpellati, quidquam iuuerunt. Misit autem iis, quum abesset, & signatas preces, & hostias, & donaria.* Quæ egregie insuper illustrantur, cum ex iis, quæ de eodem Caracalla tradit Herodianus, Lib. IV. cap. VIII. quodque a Cl. Vaillantio ad elegantissimi Abbatis de Camps numismata, ac a te opportune iam monitum video Speciminis pag. 145. ἠπείχθη εἰς Πέργαμον τῆς Ἀσίας χρήσασθαι βουλόμενος ΘΕΡΑΠΕΙΑΙΣ ΤΟΥ ΑΣΚΛΗΠΙΟΥ, *Pergamum, Asiæ ciuitatem, adiit, vt AESCVLAPII CVRATIONIBVS vteretur*; tum maxime insignibus aliquot Regiæ Gallorum Gazæ numis, qui præclare id etiamnum adstruunt. Tales nempe ab illis Pergamenis cusi, in quibus idem Caracalla depingitur, equo vectus, ac ante Aesculapii simulacrum basi seu cippo impositum; aut quale stans figura turrita, siue Pergami Genius, dextra elatum eidem Caracallæ, velut præsens ac salutare numen, seu vere ΣΩΤΗΡΑ ostentat, & ad quem ille erectam manum tendit. Vt mittam alios adhuc Pergamenorum numos in eadem Gaza conspicuos, in quibus Caracalla stans cum patera, sacra facturus, ante eum popa taurum cædere paratus, & templum, in quo exstat siue Iouis siue alterius numinis simulacrum. Nempe prout a Dione dictum vidimus, non Aesculapium solum, sed alios insuper deos, a Caracalla male adfecto, ac etiam absente, multis precibus & sacrificiis interpellatos, quo is pristinam valetudinem recuperaret. Cuiusmodi autem numos præter secundum, quem modo memoraui, & valde ad hunc locum illustrandum opportunum, inter edita laudati modo Abbatis Numismata videre cuiuis, qui hisce studiis delectatur, nunc licet. Quo tempore proinde ab vrbe eidem Caracallæ deuota, qualis hæc *Ancyra*, quod vel ANTONINIANAE nomen publico eiusdem vrbis ære, vt diximus signatum abunde arguit, statuere licet celebrata hæc ΑΣΚΛΗΠΕΙΑ ΣΩΤΗΡΕΙΑ, *Asclepeia Soteria:* quo nempe hunc Sotera eidem Antonino, Benefactori suo, ac omnia tentanti, quo conualesceret, placatum ac propitium redderent *Ancyrani*, seu Commune Galatarum in illius gentis Metropoli. Nempe sicut in Græca Inscriptione apud Gruterum LXVIII, 6. Votum dicitur solutum ΚΥΡΙΩ ΑϹΚΛΗΠΙΩ ΚΑΙ ΥΓΙΗ ΘΕΟΙΣ ΕΠΙΚΟΥΡΙΟΙΣ, *Domino Aesculapio Et Saluti, Diis Auxiliatoribus*; aut in alia, quæ præcedit,

cedit, vbi Aeſculapio & Hygiæ Antonini Pii Imp. ſalus commendari videtur: nempe ab vno latere, ΑϹΚΛΗΠΙΩ ΚΑΙ ΥΓΕΙΑ ϹΩΤΗΡΣΙΝ ΠΟΛΙΟΥΧΟΙΣ, *Aeſculapio Et Saluti, Seruatoribus, Vrbis Cuſtodibus*; ab altero, cum Græcis Aelii Hadriani Antonini Pii nominibus. Ni quis hic adhuc malit, inde quod lætiora forte de eiusdem Caracallæ valetudine ſperarent vel, audiuiſſent *Ancyrani*, eosdem continuo ſolemnia eo nomine Σῶστρα Aeſculapio perſoluiſſe. Haud aliter ac de Germanico ægro, & paullulum recreato, *vota pro incolumitate ſoluebantur, admotasque hoſtias, ſacrificalem apparatum, feſtam Antiochenſium plebem*, apud Tacitum legas Lib. II. Annal. cap. LXIX. Quamquam, iſtud quod attinet, diſpar ſit ratio repentinæ cuiusdam feſtiuitatis, & celebratorum eiusmodi ſolemnium Agonum, quales in his *Ancyranorum* numis ſignantur.

XVIII. Neque vero *Commune* ſolum Galatarum, de quo iam ſupra, ſed *Commune Aſiæ* in eadem *Metropoli* exſtitiſſe quoque, e Ioſephi loco liquere videtur, vbi de Edicto pro Iudæis, iuſſu Auguſti, dedicando agitur Lib. XVI. Ἀρχαιολ. c. X. ὑπό τε Κοινοῦ τῆς Ἀσίας ἐν Ἀγκύρῃ, *a Communi Aſiæ Ancyræ*; prout ibi pro ἐν ἀργύρῃ legendum monuit illuſtris Scaliger, & arripuit in Præfatione ad Monumentum Ancyranum Tranquillo additum doctiſſimus Caſaubonus. Quamquam, & quod pluribus iam adtigit eruditiſſimus Sam. Petitus Lib. IV. Var. Lect. cap. XI. obſtare continuo videatur, quod *Ancyra* Galatiæ eſſet, non vero Aſiæ Proconſularis *Metropolis*: neque, quod vere addit Petitus, Galatiam regeret Aſiæ Proconſul, ad quem tamen hoc Auguſti Edictum, vt e ſequenti illius Reſcripto apud Ioſephum colligit, fuerit transmiſſum. Galatiam certe, vbi eadem poſt Deiotari & Amyntæ fata in Romanorum poteſtatem transiit, non ſubiectam fuiſſe Aſiæ Proconſuli, ſed cum Lycaonia proprium habuiſſe Rectorem, haud e Strabone ſolum, quem adduxit vir eximius, ſed liquidius adhuc e Dione Caſſio Lib. LIII. pag. 514. Eutropio Lib. VII. cap. V. & Sexto Rufo conſtat; quam hi duo, a M. Lollio eoque iuxta Eutropium ProPrætore, Cæſaris quippe non Populi prouinciam, primum adminiſtratam tradunt. Adde lapides etiam antiquos, in quibus ſimiliter *Legati Auguſti Pro Prætore Galatiæ*, diuerſi proinde a Rectoribus Aſiæ, haud ſemel occurrunt, vt apud Gruterum CCCCII, 4. CCCVII, 1. ac in Cl. Reineſii Syntagm. p. 270. Neque tamen ideo eidem Petito accedo, qui ibi apud Ioſephum, reiecta Scaligeri emendatione, & mutato ſolum accentu, ἐν ἀργυρῇ pro ἐν ἀργύρῃ legendum putat, hoc eſt *argentea* ſeu *ſtela* ſeu *tabella*; quum inſolitus ſit vocis illius ἀργυρῆς vſus, vel apud Ioſephum, vel apud alios Auctores, vbi de dedicandis Cæſarum Edictis vel Reſcriptis agitur, quæ in Prouincias mittebantur. Scaligeri autem ſententiæ patrocinari videtur, quod, vt id iam animaduertit ad Marmor Ancyranum ὁ πάνυ Caſaubonus, eadem *Ancyra* ab Auguſto condita ſeu reſtaurata dicatur apud Tzetzem Chiliad. I. cap. II. quod præterea Templum Auguſti, cuius meminit ibidem Ioſephus, eſſet in eadem Ancyra erectum, in quo illud Edictum ad perpetuam rei memoriam dedicare voluerit idem Imperator: haud aliter ac inſigne illud, quo rerum ab eo geſtarum breuiarium continetur, monumentum, in illam Auguſti apud *Ancyranos* Aedem translatum liquet. Accedit, quod Magnæ Phrygiæ, quæ pars Proconſularis

An Ancyræ Commune Aſiæ fuerit, & de loco Ioſephi.

 Aſiæ,

Asiæ, hæc Ancyra esset contermina; a Mida etiam Phryge, iuxta Tzetzem dicto iam loco, condita; immo quod Tectosagas Galatas, apud quos eadem *Ancyra*, magnam Phrygiam occupasse dicat Strabo Lib. XII. pag. 567. Mitto enim, quod a Stephano de Vrbibus hæc *Ancyra*, quod Phrygiæ esset finitima, inter Phrygiæ vrbes dicatur etiam relata: quum eam ibi cum altera Maioris Phrygiæ Ancyra, cuius apud Strabonem, Plinium ac Ptolemæum sit quoque mentio, confudisse videatur ὁ Ἐθνικογράφος, vt id quoque ad Plinium nuper animaduertit eruditissimus Harduinus. Vnde de eadem hac *Phrygia Ancyra*, sicut illa a Ptolemæo dicitur Lib. V. cap. II. & quæ inter primas etiam Phrygiæ vrbes a Plinio refertur Lib. V. Sect. XLI. intelligi posset Iosephi locus: maxime quum Communis Asiæ Consilii, statis nempe temporibus in *Magnam* seu *Superiorem Phrygiam* εἰς Φρυγίαν ἄνω translati, meminerit Serm. Sacr. IV. pag. 614. Aristides, ἐν τῷ Συνεδρίῳ τῷ Κοινῷ, *in Communi Consilio*; ni de restituta ab Augusto altera Galatiæ *Ancyra*, & Templo ibi in eius honorem dedicato, fieret ibidem a Iosepho, ac insuper a Tzetze, mentio. Immo, & quod aduerti hic inprimis debuit, neque adeo Commune Asiæ *Ancyræ* tum exstitisse dicitur in illo Augusti apud Iosephum Edicto; quam vt istud publice dedicaretur ἐν ἐπισημοτάτῳ τόπῳ γενηθέντι μοι ὑπὸ τῦ Κοινῦ τῆς Ἀσίας ἐν Ἀγκύρῃ, *in celeberrimo loco*, seu fano, de quo mox ibidem, *a Communi Asiæ mihi Ancyræ consecrato.* Quæ Augusti nempe Aedes in splendida vrbe, Phrygiæ, quæ pars Asiæ Proconsularis, contermina, communi eiusdem Asiæ sumtu ibidem foret erecta; prout subinde celebribus aliarum quoque vrbium fanis contigit, vt vicinarum gentium vel vrbium impensis & cura eadem construerentur. Sic alibi cultus passim Aris ac Templis, vt ea de re Tacitus Lib. I. Annal. cap. XI. & quidem in eadem Proconsulari Asia, *Pergami*, vt aliunde constat (1), & quæ Σεβαστὰ inde dicta, Augustus. Mitto enim, quod non Ephesi solum, vti existimat ad Ancyranum monumentum Casaubonus, tanquam Asiæ Proconsularis Metropoli, sed in aliis adhuc Proconsularis Asiæ vrbibus, haberetur illud Κοινὸν Ἀσίας, *Commune Asiæ*; vti id non aliunde certius, quam ex insigni nec vulgo obuia veterum numorum penu constat, vt *Sardibus*, Pergami, *Philadelphiæ*: neque vna tum *Ephesus* illa Metropoleos inter eas prærogatiua gauderet. Sed qua de re in nostra ad Vlpiani Legem IV. §. 5. D. de Officio Proconsulis, vbi plurium huius Proconsularis Asiæ *Metropoleon* sit mentio, Diatriba, necdum edita, plenius agimus.

(1) Tacit. Annal. IV. c. 55.

ANCYRAE prærogatiua.

XIX. Nobilis vero exstitit in illa Phrygiæ, vt dixi, vicinia hæc Galatiæ *Metropolis* ANCYRA: vnde a Ptolemæo Lib. V. cap. IV. Ἄγκυρα μητρόπολις ἐπίσημος, seu *Metropolis insignis*, iuxta codices Palatinos, vocari meruit; & quam *nobilem in illis locis vrbem*, vbi de Romanorum in Gallo-Græcia bello agit, vocat Liuius Lib. XXXVIII. c. 24. Anonymus vero Geographus sub Constantio, a Cl. Iacobo Gothofredo editus, πόλιν μεγίστην, *vrbem maximam*; ac, quod ille iam ad eundem Geographum adnotauit, Libanius Orat. XXVI. pag. 599. Tom. II. ἐν Ἀγκύρᾳ τῇ πρώτῃ καὶ μεγίστῃ Γαλατῶν πόλει, *Ancyræ primæ & maximæ Galatarum ciuitati.* Vnde inter *Metropoles*, ad quos missa pro more Imperatorum Edicta, quæ toti genti, vbi eædem erant sitæ, proponerentur, *Ancyrani*, iuxta *Ephesios*, *Tarsenses*, aliosque id genus, commemorantur

memorantur in Conſtitutionibus Cæſarum : immo *Ancyræ* conſtitiſſe quandoque Imperatores, liquet e legibus a Conſtantino, Valente, Arcadio latis, quæ exſtant in Codice Theodoſiano. Accedit, quod obſeruat in Epiſtolis Busbequius, magnam ſe reperiſſe *Ancyræ* veterum Numiſmatum copiam, præſertim illius æui Imperatorum, Conſtantini, Conſtantii, Conſtantis, Valentiniani, Valentis, & aliorum. Hinc diuiſa poſtea ſub Theodoſio in Primam & Secundam ſeu Salutarem, vti ea in Notitia Imperii cap. XXVI. dicitur, Galatia; haud aliter ac Armeniæ, Aegypto, Palæſtinæ, Cappadociæ, Ciliciæ, Macedoniæ, aliisque Romani orbis prouinciis contigit, vti *Primæ* & *Secundæ*, ac etiam *Tertiæ* quandoque, quod vel ex eadem Notitia, aut aliunde conſtat, dicerentur. Primæ Galatiæ *Metropolis* remanſit *Ancyra*; cuius vt potioris Galatiæ, Rector, Conſularis, idemque poſtea *Spectabilis Comes Galatiæ primæ*, a Iuſtiniano Nouell. VIII. cap. III. ac præterea Nou. XXIV. cap. IV. & Præf. Nov. XXVII. appellatus. Quo ſpectat etiam, quod *Ancyræ* Epiſcopi in ſubſcriptionibus Conciliorum, vti Epheſini, Calchedonenſis &c. inter primos occurrant; ac ſimiliter ius Metropoliticum in Eccleſiaſticis obtinuerit *Ancyra*; prout patet ex Epiſtola Epiſcoporum *primæ Galatiæ* ad Leonem Imper. inſerta in Actis Concilii Calchedonenſis p. 968. Tom. IV. vbi Anaſtaſius, *Ancyræ Metropolis* Epiſcopus, primo loco ſignatur; ſicut in Actis etiam XV. eiusdem Concilii p. 789. Immo Gangrorum, Paphlagoniæ Metropoleos, Epiſcopos ſubinde ab *Ancyrano* ordinatos liquet ex iis, quæ ab Euſebio, *Ancyræ* Epiſcopo, dicuntur in iisdem Actis pag. 816. ac ipſa *Ancyrana* Eccleſia inter Apoſtolicas, ſeu ab Apoſtolis fundatas, apud Athanaſium refertur in Iulii Romani Pontificis Epiſtola Apologet. pag. 753. quod iam monuit eruditiſſimus Antiſtes Petrus Marca de Concordia Sacerd. & Imp. Lib. I. cap. III. Neque etiam hinc aliena, quæ in genere de Græcis Galatiæ vrbibus ac incolis, & proinde de his *Ancyranis*, qui Ἑλληνογαλάται, *Gallo-Græci*, olim iuxta Suidam, appellati, a Themiſtio dicuntur Orat. XXIII. p. 299. vlt. ed. ἐν Γαλατίᾳ τῇ Ἑλληνίδι, καὶ αἱ μὲν πόλεις οὐχ οὕτω μεγάλαι, οὐδ᾽ οἷαι τῇ μεγίστῃ ἀμφισβητεῖν· οἱ δ᾽ ἄνδρες ἴστε, ὅτι ὀξεῖς καὶ ἀγχίνοι, καὶ εὐμαθέστεροι τῶν ἄγαν Ἑλλήνων, *in Galatia Græca regione, cuius vrbes etſi non adeo magnæ, nec cum maxima ſunt conferendæ : noſti tamen illarum homines quam acuti ac ſolertes eſſet ſoleant, atque illis, qui vel maxime ſunt Græci, ad diſciplinas capeſſendas dociliores.* Quibus addi poteſt alius eiusdem Themiſtii de his Galatis locus Orat. XVI. p. 211. καὶ νῦν οὐκέτι βαρβάρους Γαλάτας ἄν τις προσείποι, ἀλλὰ καὶ πάνυ Ῥωμαίους· τοὔνομα γὰρ αὐτοῖς τὸ πάλαι παραμεμένηκεν, ὁ βίος δὲ σύμφυλος ἤδη, *& hodie nemo Galatas barbaros appellauerit, ſed omnino Romanos. Nam etſi vetus penes illos nomen reſederit, viuendi tamen communis ratio eſt nobiscum.* Vt haud mirum ſit, in Græca, eaque primaria huius Galatiæ vrbe, & a Communi quidem eorundem Galatarum, Græcum Aeſculapii ſacrum celebrari: ſeu, quod facti fuerint in honorem *Aeſculapii Seruatoris*, iique pro ſalute, vt paullo ante attigi, Imperatoris Antonini Caracallæ, ſolemnes ludi; ſignatique iidem in eius rei memoriam, qui id nos, præter lapides ſupra commemoratos, adhuc hodie docent, præclari *Ancyranorum* numi, cum memorabili, quam haud indiligenter explanaſſe mihi videor, inſcriptione: ΑΣΚΛΗΠΙΑ ΣΩΤΗΡΕΙΑ ΙΣΘ. ΠΥΘΙΑ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ ΑΝ-

ΚΥΡΑΣ,

ΚΥΡΑϹ, *Aesculapia Soteria Isthmia Pythia Metropoleos Ancyræ.*

De alio ANCYRÆ *numo cum anchora.*

XX. Vnum addam, quem a te felici tuo calamo descriptum modo adspeximus, tuoque beneficio hic itidem vulgamus, huius *Ancyræ* numum: in quo Mulier non solum Vas, seu Craterem vel Lebetem, cum inserto Palmæ ramo, consuetum, vti vidimus, sacrorum id genus Certaminum in veteribus numis insigne, sed Ancoram præterea gestat, cum eadem inscriptione: ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ ΑΝΚΥΡΑϹ, *Metropolis Ancyræ.*



Ancora enim ab *Ancyræ* conditore Gordii filio, si Græcis auctoribus fides, reperta: vnde etiam vrbi nomen, ac inde Ancora in Iouis æde, ad perpetuam eius rei memoriam, tradente id vtrumque Pausania in Atticis pag. 8. adseruata legitur. Nec obstat, quod non Galatiæ, sed Phrygiæ dicatur ibidem hæc *Ancyra.* Confusam enim subinde, ob vtriusque regionis viciniam & quod Phrygiæ partem occuparint iidem Galatæ, vtramque *Ancyram*, iam ante e Strabone ac Stephano vidimus. Immo quod de reperta apud Ancyranos ancora tradit Pausanias, haud alteri *Ancyræ*, quam huic Galatiæ *Metropoli* tribuendum, vel fidem abunde faciet hic numus cum Ancora, ac præterea cum ludis solemnibus in eodem, sicuti in iis, quos supra expendimus, numis, signatus & præterea cum Græca itidem inscriptione, *Metropoleos, Ancyræ*: quum altera illa, *oppidum* tantum *Phrygiæ*, seu πολίχνη Φρυγιακὴ ab eodem Strabone vocetur. Sed de hisce insignibus *Ancyranorum* numis hactenus. Dabam in ædibus Lutetiæ Parisiorum, V. Kal. Octob. cIↃ IↃcLXXXIII.



SYLLABVS



SYLLABVS

EPISTOLAE SECVNDAE;

in qua explananturr duo PERGAMENORVM numi.

Primo agitur de eo, qui Aesculapium in tensa & duos Centauros cum accensis facibus exhibet.

I. *De Aesculapii apud Pergamenos cultu & sacris.*

II. *De aliis Pergamenorum numis, cum eiusdem Aesculapii simulacris.*

III. *De baculo & serpente Aesculapii, ac Deo illo Ophiucho, Serpentario, Surgasteo.*

IV. *De tensa Aesculapii, & sacrorum pompis apud veteres.*

V. *De duobus Centauris, qui tensam trahunt.*

VI. *De iisdem faces gestantibus, & facium vsu in sacris & pompis veterum.*

VII. *De iisdem facibus accensis, & cur illae hic ante Aesculapium praelatae.*

De altero Pergamenorum numo; cum Ioue imberbi, Sole, Luna, ac infra duobus fluuiis.

VIII. *De Ioue iuuene, seu Commodo ibi signato.*

IX. *De eodem Ioue, seu Commodo inter Solem & Lunam, illiusque rei symbolis.*

X. *De Felicitate temporum in hoc numo designata.*

XI. *De duobus fluuiis in eodem numo; & in alio eorundem Pergamenorum,* Selino & Cetio.

XII. *De diuersis fluuiorum figuris in numis.* | XIII. *De* Selino, *seu potius* Caïco, *ac* Cetio *fluuiis in hoc numo expressis.*



EPISTOLA SECVNDA (1)
AD EVNDEM.

(1) Inter eas, quas Morellius Specimini subiecit, quarta.

QVum jam missionem a te mihi datam arbitrarer, MORELLI eximie, quam flagitare videbantur occupata iam aliis, iisque etiam litterariis, laboribus mea tempora; denuo me ad recolendas hasce, de quibus haud iniucunde nec indiligenter plane tecum iam egeram, antiquitates reuocas. Dum enim selecti a te, seu verius sponte tibi oblati, quibus hoc Specimen tuum haud paullo ornatius in lucem prodiret, præclari quidam numi: inde etiam factum, vt de nonnullis, quæ abstrusa tibi in iis videbantur, te nunc quoque ad meum arbitrium referre volueris. Qua in re vtique cum petitionis tuæ ratio adhuc mihi habenda est; tum illius voluntatis, quam in hæc studia pridem contestatam, superioribus vero ad te epistolis renouatam quodammodo, hac vero insuper accessione cumulatam, tibi præstare constitui.

Duo sunt nempe, vt inde initium faciam, qui vt πρόσωπον τηλαυγές, primam Speciminis tui tabellam exornant, insignes numi magnitudine præterea & elegantia spectabiles; quos a Te antea non visos, opportune tibi suppeditauit splendidum illustrissimi, magnique harum antiquitatum cultoris, Mæcenatis tui Cimeliarchium. Vterque autem ille numus, quod continuo indicat eorum lemma, a Pergamenis percussus, continere quædam haud vulgo obuia, & quorum non satis explicata foret ratio, tibi videbatur; in quibus proinde enucleandis haud superuacaneam a me operam collocari posse censuisti.

(2) Et Excerpt. quæ his Epistolis præmittuntur, Num. I.

I. *De Pergamenorum priori numo, qui Aesculapium in tensa, ac duos Centauros cum accensis facibus exhibet, Speciminis Tab. I.* (2)

(3) Desunt verba: *cum typo.*

Prior nempe numus, qui ordine secundus in prima tua tabella comparet, hinc cum L. Veri Imp. effigie, illinc (3), in quo Aesculapius, cum solito baculi seu hastæ veluti serpente circumplicatæ insigni, stans in tensa, quæ a duobus Centauris, qui accensam facem singulis præferunt,

ferunt, trahitur cum inſcriptione: ΕΠΙ CΤΡΑ. ΑΤΥΛ. ΚΡΑΤΙΠΠΟΥ ΠΕΡΓΑΜΗ. ΔΙC ΝΕΟΚΟΡΩΝ. Β. *Sub Prætore Atylio Cratippo, Pergamenorum Bis Neocororum. Bis.* Vnde, quid illo ſingulari huius Dei ſimulacro, cuius nempe vehiculum trahant Centauri hi δαδοῦχοι, in eodem quantiuis pretii numo adumbretur, disquiſitionem aliquam flagitare tibi videbatur.

I. Illud equidem nemini, etſi in verſandis antiquis numis plane hoſpiti ac inexercitato, modo non plane illiterato, mirum videbitur; in numo, a Pergamenis cuſo, ſignatum intueri Pergamenum Deum, patrium, quod aliunde conſtat & vulgo obuium, vrbis illius numen. Quod adſtruit etiam vetus inſcriptio, quam adnotaui olim Romæ in Pyrrhi Ligorii Collectaneis, ac inde etiam deſumptam protulit Cl. Reineſius Syntagm. pag. 154. AESCVLAPIO PERGAMENO SACRVM; & quomodo τὸ πάτριον Θεὸν Ἀσκληπιὸν, *patrium Deum Aeſculapium*, vocat haud ſemel Pergamenus ipſe Galenus, vt Lib. I. de Sanit. Tuenda p. 226. & de Libris Propriis pag. 362. Tom. IV. ed. Græc. Baſil. Quomodo omnem Aſiam confluxiſſe ad templum Aeſculapii, quod haberet ille Pergami, tradit Philoſtratus Lib. IV. Vit. Apollon. cap. XI. ac unde etiam ibidem ſolemnes Aſiæ θεωρίαι; vt id docet, qui & inde illuſtratur, Ariſtides ſub fin. Serm. Sacr. II. pag. 546. Tom. I. εἰσὶ γὰρ οἱ βαδίζοντες εἰς Πέργαμον, τῶν θεωριῶν ἕνεκα; *qui enim Pergamum Sacrarum religionum ergo* (non, vt ibi Canterus, *ad nundinas*) *ibant*; nempe ad ſolemnia illa, quæ ſicut Epidauri, vnde ea ad alios dicuntur dimanaſſe, ita Pergami celebrabantur, ΑΣΚΛΗΠΙΑ. Prout obuia horum mentio in lapidibus antiquis, ac apud hunc ipſum Ariſtidem, Oratione Pergami in diem Apellæ natalem habita, p. 120. Tom. I. vti ea de re iam a nobis actum, priori ad te epiſtola §. XV. quæ proinde non hic denuo replicamus. Ne alia iam hic tangam, quæ de peculiari huius Aeſculapii apud Pergamenos cultu; Æde ei ibidem dicata; eius Νεωκόροις, ſeu *Aedituis*; recuperata haud ſemel in eadem æde, illius Σωτῆρος ope, ſalute; hymnis denique a ſe in eundem ac etiam in matrem eius Coronida ſcriptis, memorat paſſim in Sacris illis Sermonibus Ariſtides.

De Æſculapii apud Pergamenos cultu & ſacris.

II. Vt nec mirum ſit, exſtare alium Pergamenorum numum (1); quem in tuis ſchedis olim vidi, in quo eadem ΚΟΡΩΝΙΣ deſignatur. Adeo, vt quamquam (qua de re dicta modo ad te Epiſtola, vbi ΑCΚΛΗΠΙΩΝ, ſeu ſacri huius Dei ſolemnis mentio, egimus) idem in *Ancyranorum, Coorum, Amaſtrianorum, Nicæenſium, Tianorum numis*, vt tutelaris loci Deus ac ΣΩΤΗΡ depingatur: præ aliis tamen locis, cum *Epidauri*, & qualis ΕΠΙΔΑΥΡΙΟΣ idem ſignatur in præclaro Alexandri Seueri numo, tum *Pergami* præcipua quadam religione cultus ſit. Quomodo e Græcia nempe, ſeu Epidauro, deductam quondam ab Aeſculapio in illam Aſiæ continentem, vbi *Pergamus*, coloniam, & conſtitutam in ea ſedem totius cum illa continente habendi deinceps ab eodem Aeſculapio commercii, tradit in Oratione de Vrbium concordia dictus paullo ante Ariſtides. pag. 304. Tom. II. Quæ etiam, vt ille addit, colonia, etſi poſt eam a Telepho ex Arcadia deductam, cuius itidem meminit Pauſanias Lib. I. pag. 8. ratione temporis ſit ſecunda, tamen τῇ δὲ ἀξίᾳ, καὶ τῇ δυνάμει, πολὺ πρεσβυτάτη πασῶν ἀποικιῶν, *dignitate ac potentia omnium coloniarum eſt nobiliſſima*; non, vt ibi præter apertam

De aliis Pergamenorum numis cum Æſculapii ſimulacris.

(1) V. Hard. Num. Vrb. p. 134. Opp. Sell.

loci huius mentem eruditiſſimus Canterus, *antiquiſſima*, prout id eum docere potuiſſet Heſychii gloſſa πρεσβυτάτη, ἐντιμοτάτη. Quibus continuo addit Ariſtides, ἑςία τοῦ Ἀσκληπιοῦ Ἀσίας (ſiue, vt legendum mallem Ἀσκληπιοῦ καὶ Ἀσίας) ἐνθαῦθα ἱδρύνθη, *templum Aeſculapii ac Prytaneum Aſiæ hic eſt erectum*; prout nempe Athenæ olim ἑςία τῆς Ἑλλάδος, *Prytaneum Græciæ*, Pythio oraculo dictæ ſunt, iuxta Aelianum Lib. IV. cap. VI. & Athenæum Lib. V. fol. 187. & Lib. VI. fol. 254. ac alibi, & inde etiam apud hunc Ariſtidem ſub fin. Panathen. pag. 343. Tom. I. De qua autem adpellatione ἑςίας, nempe huius vel illius vrbis aut regionis, pluribus agimus in noſtra de Veſta & Prytanibus Græcorum Diatriba, quam haud leui acceſſione illuſtratam, ad celeberrimum amiciſſimumque Græuium, eius rogatu, ante dies paucos miſimus. E quibus vero adductis Ariſtidis verbis firmatur haud parum, quod de totius Aſiæ ad Pergameni Dei cultum confluxu ac θεωρίαις, paullo ante e Philoſtrato & ex hoc ipſo Ariſtide diximus: aut quod idem de foro, quod Aeſculapio Pergameni in Myſiæ campo agerent, tradit Serm. Sacr. I. pag. 503. Tom. I. E quibus præterea illuſtratur id, quod in ea Græcorum in Aſia vrbium de Aſylorum iuribus contentione, *apud Pergamum compertum Aeſculapii aſylum retuliſſe Patres*, dicitur apud Tacitum Lib. III. Annal. cap. LXIII. Hinc frequens etiam huius Dei in præclaris Pergamenorum numis ſimulacrum; ac, vt alios nunc mittam, qui ſub hoc ipſo L. Vero ſunt percuſſi, quique exſtant, e maximorum itidem genere, in Gaza Gallorum Regia; vnus quidem, in quo ſtant Aeſculapius ac Nemeſis, ille Pergamenorum, hæc Smyrnæorum Numen, cum eadem præterea, quam hic numus, de quo agimus, & qui paullo ante a nobis eſt deſcriptus, exhibet, epigraphe: ΕΠΙ CΤΡΑ. ΑΤΥΛ. ΚΡΑΤΙΠΠΟΥ. ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ. ΔΙC ΝΕΩΚΟΡΩΝ, *Sub Prætore Atylio Cratippo Pergamenorum Bis Neocororum*: qualem etiam inſcriptionem præferunt duo alii Pergamenorum numi in eadem gaza Regia ſub M. Aurelio cuſi, vbi ΑΤΥΛ. itidem, non ΤΥΛ. *tylius*, non *Tullius*, vt viſum fuerat viro eruditiſſimo in addendis de Num. Vrb. pag. 586. Alter vero L. Veri numus in iisdem theſauris Regiis, omiſſo ſolum illo *Atylii* nomine, ΕΠΙ CΤΡΑΤΗΓΟΥ ΚΡΑΤΙΠΠΟΥ ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΔΙC ΝΕΩΚΟΡΩΝ, *Sub Prætore Cratippo Pergamenorum Bis Neocororum*, exhibet Aeſculapium, ac infra puerulum nudum, qui ramum aliquem geſtat; non proinde, quo habitu in aliis numis comparet, cucullo, vt vulgo antiquarii, ſeu verius (cuculli enim alia erat forma) χλαίνῃ, amictum Teleſphorum. Exſtat præterea, quod non adtenderunt, qui indicem illius gazæ Regiæ confecerunt, expreſſus in eodem numo anſer; qui, vt obiter hoc dicam, in memoriam mihi reuocat id, quod non de Anſere quidem vt Iſidi ſacro memorat Ariſtides Serm. Sacr. III. pag. 565. ſed quod de adipe anſerino in æde Aeſculapii, & quidem ſub æditui eiusdem Dei habitu, ſibi diuinitus dato Serm. Sacr. I. pag. 503. aut etiam de ouo anſerino, quod illius Pergameni Dei iuſſu pro remedio adſeruatum, ſibique præſcriptum ipſe ſit nactus, refert Serm. Sacr. III. pag. 564.

De baculo & ſerpente Æſculapii, ac Deo illo Ophiucho, Serpentario, Surgaſteo.

III. De baculo autem, cui ſerpens implicatus, ſolitoque in antiquis id genus monumentis Aeſculapii ſymbolo, trita jam omnia non adtingam; quæque Macrobio, & Porphyrio apud Euſebium, de acuta & peruigili, quodque pelle depoſita nouam quotannis induere iidem crederentur,

derentur, draconum vel ſerpentum natura; adnotauit ad Harpocratem vir eruditione ac meritis in hæc ipſa antiquitatis ſtudia, candore præterea ac fide inſignis, Cuperus. Neque etiam opus ea hic denuo tangere, quæ de Aeſculapii apud Coos Ῥάϐδου Ἀναλήψει, *Virgæ* ſeu *Baculi Adſumtione* aut *Elatione*; ac petita eius rei e Serpente in deſerto, pro ſalutis ſigno ſeu remedio, vt de eo Iohan. III. 14. exaltato, origine; a me obiter in priori ad te de Ancyranorum *Aſclepiis* Epiſtola (1), (1) S. xiii. jam ſunt obſeruata. Vnde etiam non cum baculo ſolum, qui ſerpente circumplicatus, ſed ſub ipſa ſerpentis effigie olim cultus hic Ophiuchus: Quomodo nempe idem, vt noſti, conſpicitur in præclaro illo numo, quem Romæ in Braceſiano Muſeo a me viſum, ac vnde iconem eius fueram nactus, pridem in lucem protuli (2); (2) De Præſt. & Vſ. Num. T. I. p. 217. quem autem poſtea in Theſauris Gallorum Regiis, in quos ille transiit, verſare denuo mihi contigit. Ita etiam ſerpens non iam baculo, ſed arbori ſiue oleæ circumplicatus, & cum adſtante, quæ arboris ramum dextra apprehendit, Pallade, ſpectatur in alio quoque & memorabili Pergamenorum numo; qui ſub Seuero cuſus, & cum Græcis *Prætoris Iulii Pollionis* nominibus, exſtat itidem in theſauris Gallorum Regiis. Non hic vero draco ille ad pedes, ſeu ad imam Mineruæ haſtam, qualem eius ſimulacro apud Athenienſes adpoſuerat Phidias, effingi in picturis veterum ſolitus; vt viderunt iam eruditi ad illud Virgilii de duobus itidem draconibus, *ſub pedibusque Deæ*, ſeu Mineruæ, *clypeique ſub orbe tectis*, Lib. II. Aeneid. ỽ. 227. Neque etiam ille, qui inter fabulas veterum, a Minerua nutritus cum draconis pedibus Erichtonius. Sed eorum potius apud Serpentis Epidaurii cultores Pergamenos ſymbolum idem numus; quæ de huius Deæ Παιωνίας, aut etiam Ὑγιείας, *Pæoniæ* ac *Sanitatis*, Athenis cultæ ara & ſimulacro, a Plutarcho de Claris Orator. pag. 842. & inde Pericle pag. 160. Tom. I. de poſtrema autem ſeu Pallade Ὑγιείᾳ, ab Ariſtide itidem traduntur Orat. in Mineruam pag. 25. Cuius proinde Ὑγιείας Mineruæ cultus ad Pergamenos quoque, quibus alioquin patria erant Aeſculapii & Ὑγιείας Numina, ac inde ſæpius in eorum numis ſimul iuncta, transierit. Ne hoc tangam, quod ΣΩΤΕΙΡΑ, vt aliunde conſtat, ſed quod aliis etiam Deabus, Dianæ, Veneri, Proſerpinæ, nomen tribuunt veteres numi, ſit eadem dicta. Immo quam in rem, ſeu ad hanc Palladis cum Aeſculapio communionem, opportune memorare hic licet id, quod e Porphyrio refert Proclus in Timæum Lib. I. pag. 49. cuius verba, quia Græce tantum exſtat, nec is vulgo obuius, hic adponam: Πορφύριος δὲ εἰκότως φησὶ, καὶ ἰατρικὴν ἀπὸ ΤΗΣ ΑΘΗΝΑΣ ἥκειν· διότι καὶ ΑΣΚΛΗΠΙΟΣ νοῦς ἐστι Σεληνιακὸς, ὥσπερ ὁ Ἀπόλλων Ἡλιακὸς νοῦς, *merito autem dicit Porphyrius, quod Medicina quoque a MINERVA venerit; quum etiam Aeſculapius mens ſit Lunaris, ſicut Apollo mens ſolaris.* Mitto vero, quod idem Aeſculapius, non *Ophiuchus* ſolum, vt vulgo notum, inter ſigna cœleſtia, qui nempe ſerpentem, medium eius corpus implicantem, manibus, iuxta Aſtronomos, Eratoſthenem, poſt Aratea Oxonii editum, Hyginum, aliosque tenere dictus; ſed de quo in Veteri Vrbis Kalendario, Ouidii faſtis præmiſſo, traditur ad XI. Kal. Iulii: *Aeſculapius, qui & dicitur Ophiuchus & Serpentarius, chronice oritur.* Verus proinde Σύργαστρος, ſeu *Serpentarius*; prout idem Aeſculapius, iuxta magnum Salmaſium, adpellatur in Ara ſecunda, ſeu Doſiadæ, ſeu alterius vetuſti

 auctoris;

auctoris; & ad quem etiam Epidaurium Aesculapium Romam aduectum refert ὁ πάνυ veterem inscriptionem, SVRGASTEO MAGNO, sed vbi SVRGASTRO omnino legendum putat, pag. 185. Quam tamen emendationem continuo refellunt inspecti a me in memoratis modo thesauris Regiis tres insignes numi: duo nempe Antonini Pii ac M. Aurelii, qui in eadem gaza iam recondebantur; tertius autem Domitiani, qui in eandem, me Parisiis agente, ante annos haud ita multos, est illatus, cum inscriptione, quam in eodem valde integro, vti & in duobus aliis numis, adcurate obseruare mihi licuit, ΖΕΥΣ ΣΥΡΓΑΣΤΗΣ ΤΙΑΝΩΝ, non vero ΕΡΓΑΣΤΗΣ (1), prout in duobus hisce legendum omnino credidit vir praestanti ingenio in opere de numis Vrbium illustratis pag. 496. (2) Vnde nihil immutandum esse liquet, vti a Viro incomparabili factum, in illa inscriptione, quae exstat Thes. Gruteri fol. CVII, 3. neque ibi SVRGASTEO, quae indubia trium horum numorum auctoritate nititur, in SVRGASTRO refingi ad lubitum debet. In quibus praeterea numis, qui a *Tianis* Bithyniis percussi, ΖΕΥΣ ΣΥΡΓΑΣΤΗΣ dictus foret, qui ΖΕΥΣ ΑΣΚΛΗΠΙΟΣ a Pergamenis, de quibus hic agitur, cultus; cuiusque sub gemino illo nomine aedem memorat aliquoties Aristides, vt Hymno in Aesculapium pag. 67. ὁ Διὸς Ἀσκληπιοῦ νεὼν, *Iouis Aesculapii aedem*, quamque non temere illo nomine fundatam ibidem docet; & cuius insuper fit ab eo mentio Serm. Sacr. I. pag. 497. ἐκ τοῦ ἱεροῦ τοῦ Διὸς Ἀσκληπιοῦ, *e templo Iouis Aesculapii*; ac rursus pag. 501. & Serm. Sacr. IV. pag. 589. Quod etiam de his *Tianis* haud insolitum videri posset, apud quos, vt ex aliis eorundem numis liquet, cum Iupiter, tum (quod iam obiter in priori ad Te epistola p. 78. adtigi) Aesculapius huius nomine colebatur, nempe ΑΣΚΛΗΠΙΟΣ ΤΙΑΝΩΝ, *Aesculapius Tianorum*. Quomodo nempe, vt hoc addam, Συργάστης dictus foret Aesculapius, pro Σύργαστρος, sublata, Dorum more, littera ρ, prout apud eos σκᾶπτον pro σκῆπτρον, μικκὸν pro μικρὸν, vt alia mittam, dici obuium. Certe quae alia ratio sit illius nominis ΣΥΡΓΑΣΤΗΣ, quo Iupiter sit a *Tianis*, & publico quidem eorum aere, sacratus, haud vtique licet mihi statuere; & felicioribus ingeniis, quid melius de eo illis constet, diiudicandum relinquimus (3). Hoc interea, vt opinor, liquidum, quod non alius a Deo illo SVRGASTEO, cuius fit mentio in veteri lapide, sit habendus.

(1) Vel ΣΥΡΓΑΣΤΗΣ.
(2) Opp. Sell. p. 169.
(3) Conf. Harduin. l. c.

De tensa Aesculapii, & sacrorum pompis apud veteres.

IV. Neque vero solum consueto baculi serpente circumplicati insigni conspicuus cernitur in eodem, de quo agimus, numo, Pergamenus hic Deus; sed praeterea stans ipse in tensa, quae a duobus δᾳδούχοις Centauris trahitur: quod tibi luce aliqua indigere videbatur. Notum equidem, inter gentilium solemnia, & recurrentibus statis deorum festis, pompas quoque splendido adparatu in eorum honorem peragi solitas. Hinc Philostratus sacra veterum constitisse obseruat in panegyribus, in pompis, in mysteriis, in sacrificiis, ac in libationibus Lib. VIII. de vita Apoll. cap. VIII. ac prout de pompis nominatim Poëta Lib. III. Georg. ℣. 22.

—— —— *iam nunc solemnes ducere pompas*
Ad delubra iuuat. —— ——

quas proinde tangit, vbi gentilium in colendis Diis religionem sugillat,

lat Tertullianus de Idolol. cap. XI. *certe quum POMPAE, quum sacerdotia, quum sacrificia idolorum* &c. Quam in rem autem singulare Atheniensium studium, præter Thucydidem Lib. VI. pag. 451. 452. tradit Plato in Alcibiade II. pag. 148. T. II. πομπάς τε πολυτελεστάτας καὶ σεμνοτάτας ἐδωρέμεθα τοῖς Θεοῖς ἂν ἕκαστον ἔτος, *pompas autem Diis sumtuosissimas & splendidissimas singulis annis peragimus.* Celebratæ vero eædem pompæ (vt extraordinarias illas Antiochi Epiphanis ac Ptolemæi Philadelphi, notas ex Athenæo, pompas hic mittam) pro recepto Dei, vel sacri, in cuius honorem illæ instituebantur, cultu, & peculiari singularum gentium ritu, ut ea de re loquitur, & de quo loco nuper egi ad Callimachum (1), Xenophon Lib. V. p. 355. καὶ πομπὰς ἐποίησαν κατὰ ἔθνος τῶν Ἑλλήνων, *& pompas celebrarunt iuxta singulas Græcorum*, qui nempe tum in Xenophontis exercitu, *gentes.* In iis proinde pompis, præter alia, Numinis eius, cuius festum agebatur, transuehi solebat solemni adparatu simulacrum, idque in carpento seu tensa ad sacros id genus vsus destinata. Ita vt Deum Mater a biiugibus leonibus, Ceres a totidem serpentibus, Diana a ceruis frequenter, Bacchus a pantheris, Neptunus ab equis, ἵππιος quippe Deus, vulgo trahi viderentur: quæque simulacra currui, aut vero ferculo imposita, ab hominibus vectoribus aut baiulis trahi vel ferri consueuerant; vti prius in pompa Philadelphi Dionysiaca factum obseruat Athenæus L. V. p. 198. posterius in Ludis Romanis Dionysius Halicarn. Lib. VII. pag. 478. Ad quæ etiam pomparum id genus solemnia respiciunt, vt obseruo, plurima Numinum simulacra, eo habitu sæpenumero in Græcorum seu Asiaticorum, vt de Romanis nunc sileam, numis conspicua: neque proinde ii solum numi, qui ab Ephesiis sunt cusi, in quibus Diana carpento vecta conspicitur, quod modo biiuges, modo quadriiuges equi trahunt [etsi ἀπήνη de *mulari* vehiculo apud Pindarum dici tantum soleat] cum inscriptione, ΙΕΡΑ ΑΠΗΝΗ ΕΦΕΣΙΩΝ, Sacrum vehiculum Ephesiorum. Ad similem proinde Aesculapii, patrii itidem Pergamenorum Dei, pompam respicere videtur omnino hic numus; seu ad solemnia eius in illa vrbe eidem sacra, de quibus paullo ante ex Aristide ac Philostrato vidimus.

(1) Obs. p. 659.

De duobus Centauris, qui tensam trahunt.

V. Quam in rem autem duorum Centaurorum, eorumque faces accensas præferentium, qui Aesculapium in tensa stantem traherent, simulacrum sit adhibitum, hic adhuc paucis, vt tibi, seu ad præclari huius numi lucem fiat satis, est disquirendum. Ac geminos quidem Centauros quod attinet, eodem illo vectorum munere fungentes, & marem quidem ac feminam, Bacchum & Ariadnem sedentes in tensa, similiter trahere haud ignotas in pulcherrimo Nicæensium numo, quem prius a Cl. Seguino editum, alibi pridem protuli ac illustraui (2): ac vbi aliorum insuper, eorumque insignium Gazæ Farnesianæ ac Barberinæ numorum, quos in iisdem tum videram, facta a me mentio; in quibus nempe Centauri idem ministerium Herculi, aut Victoriæ, aut ipsi Traiano præstant. Mitto Centauros sagittarios, quos obiter ibidem tango, in numis Prusiæ Bithyniorum Regis, Antonini Pii & Gallieni signatos; ac dimidiatum Centaurum in numo Parthico, quem ad Iuliani Cæsares itidem vulgaui. Quibus accedit Centaurus cum tridente, Neptuni proinde symbolo, in veteri numo, quem in Itinerario suo cum pluribus aliis edidit Cl. Whelerus. Vt proinde haud

(2) De præst. & Vs. Num. T. I. p. 280. sqq.

mirum

mirum videri continuo posset, haud insolito aliorum quoque Deorum in monumentis id genus typo, Aesculapio haud dissimilem in hoc numo pompam tribui. Sed accedunt adhuc peculiares, cur Aesculapii tensam trahant in hoc Pergamenorum numo id genus Centauri, quae obiter hic adtingi possunt, eius rei caussae. Ac primo quidem, Aesculapium ferri Poëtarum fabulis, vti pridem a Pindaro Pyth. Od. III. Centauro Chironi educandum datum, a quo autem Ἱπποανθρώπῳ sit ille artem medendi edoctus, quiuis ad primum numi illius conspectum facile poterit meminisse. Idem vero Aesculapius, non Apollinis solum, seu Solis filius, prout ille e Sole genitus a Iuliano Imp. dicitur, Orat. IV. pag. 286. Sed pro Apolline ipso ac Sole habitus; seu vt e Macrobio liquet Saturn. Lib. I. cap. XX. & cap. XI. quod a Viris doctis iam est obseruatum, ipsa Solis vis aut virtus salutaris, quae per hunc Aesculapium symbolice sit expressa. Ita Solis cursu salubritatem in terra effici; ac inde Solem eundem esse cum Apolline Aesculapii patre, tradit Pausanias Lib. VII. pag. 443. 444. Vt vero plura exstant Solis vel Apollinis apud veteres symbola; modo gryphi, Solis itidem trahentes currum in veteri marmore apud Sponium Miscell. pag. 3. modo Pegasus in Gallieni numo cum inscr. IOVI CONS. AVG. seu *Conseruatori Augusti*; sic etiam Centaurus Sagittarius, prout in aliis Gallieni numis, quos protulerunt iam in lucem celebres Antiquarii, occurrit cum inscriptione, APOLLINI CONS. AVG. *Conseruatori Augusti*, ac in alio, quem in Itinerarii parte prima edidit Cl. Sponius, APOLLINI AVGVSTO. Praeter haec autem accedit adhuc alia, & proprior quidem, huius Aesculapii cum Centauris in eo, quem versamus, numo, ac similiter in alio, cuius mentionem fecisti Speciminis pag. 31, a Pergamenis itidem signati, ratio: quod nempe ille hominum Conseruator, equorum etiam curam gerere, ac morbos sanare crederetur. Id tradit vtique Hierocles; a quo inde Aesculapius iuxta Equestrem Neptunum inuocatur in Praefatione Veterinariae Medicinae pag. 3. cuius proinde ea de re verba debent omnino hic adscribi: κεκλείσθω δὲ ἡμῖν συμφορεὺς τοῦ λόγου τοῦ δὲ Ποσειδῶν τε Ἵππειος, καὶ ὁ τοῦ τῶν ἀνθρώπων γένους ΣΩΤΗΡ ΑΣΚΛΗΠΙΟΣ, ᾧ ΠΑΝΤΩΣ τοῦ καὶ ΙΠΠΩΝ ΜΕΛΕΙ, ac, vt continuo addit, & adposite omnino ad hunc Pergamenorum numum, εἰ δεῖ τι Χείρωνος ΤΟΥ ΚΕΝΤΑΥΡΟΥ, καὶ τῶν ἐν Πηλίῳ διατριβῶν ἀξίως μεμνῆσθαι, *inuocentur vero a nobis operis huius adiutores, Neptunus equidem Equestris, humani autem generis SERVATOR AESCVLAPIVS, qui OMNINO etiam EQVORVM CVRAM GERIT; si quid opus est Chironis CENTAVRI, & in Pelio monte institutionis meminisse.* Quae priora illius Auctoris ea de re verba, a me pridem fuerant obseruata (1), dum de numo Nicaeensium agerem, in quo equus cum anterioribus pedibus humanis serpentem baculo circumplicatum, seu ipsum Aesculapium, adprehendit. Eadem autem, vti & sequentia, quae ex eodem Hierocle adduximus, de Aesculapii educatore Centauro, & a quo equos iuxta & homines medendi artem sit ille edoctus, valde vt fateberis, opportune se mihi obtulere: vnde singularem quandam lucem hic numus cum Aesculapio & duobus illis Ἱπποανθρώποις mutuatur, qui hunc nempe *equorum* iuxta & *hominum* medicum, eo schemate nobis adumbrat.

(1) Edit. vet. Amstelod. p. 248. sed in nouissima Editione haec, perinde vt alia haud pauca, de numo Nicaeensium, quem tangit, praetermittuntur.

VI. Id

De iisdem faces gestantibus; & facium vsu in sacris & pompis.

VI. Id tamen inquirendum adhuc superest, cur hi Centauri accensas faces in eodem numo, & ante Aesculapii, quam trahunt, tensam præferant. Id enim tibi, nec immerito, nouum quid & singulare videbatur, quod tamen haud absque peculiari caussa a Pergamenis factum licet facile opinari. Facium quidem frequens exstitisse legitur in sacris veterum ac pompis vsus. Hinc noti in Mysteriis Eleusiniis δᾳδοῦχοι, ac vnde δᾴδων αὔρα τις μυστικωτάτη, *tædarum aura quædam valde mystica*, Xanthiam Bacchi famulum, adueniente nempe δᾳδούχων Eleusiniorum choro, adflauisse dicitur apud Comicum in Ranis p. 226. Mystas enim esse oportuit, vt notant ibidem veteres Critici, ac aliunde constat, qui illud officium, & quidem pro valde honorifico, vt obseruo, apud eosdem Athenienses habitum, obirent. Quod postremum de eo tradit Aristoteles Lib. III. Rhetor. cap. II. a quo de Callia Atheniensi, eoque in Eleusiniis δᾳδούχῳ, dicitur τὸ μὲν τίμιον, *id quidem fuisse honorificum:* ac inde a Græco eius Enarratore pag. 53. τὸ μὲν δᾳδουχεῖν, τίμιον, *facem quidem ferre*, in illis nempe Cereris sacris, de quibus ibi agitur, *honorificum.* Qua ratione etiam factum videas, vt hic vel ille, a quo quis genus apud Athenienses duceret, ὁ δᾳδοῦχος dicatur exstitisse, vti idem Callias, de quo modo Aristoteles, apud Plutarchum in Aristide pag. 334. vocatur ὁ δᾳδοῦχος, ac ab eodem similiter in libro de decem Oratoribus pag. 843. Themistocles quidam inter Lycurgi Oratoris posteros. Immo vnde vt insigne quid memorat Pausanias Lib. I. pag. 68. quod clarissima quædam apud Athenienses mulier, Acestium nomine, *ea*, quidem *fortuna*, vt ille ait, *sit vsa*, vt fratrem, virum, ac filium omnes δᾳδούχους habuerit. Quamquam præter peculiare id genus δᾳδούχου in illis sacris munus, solemnis fuerit in illis *lampadum dies*, seu *facium* dicta; qua omnes mysteriis illis initiati cum facibus incedebant, vt istud iam a Cl. Meursio obseruatum in Eleusiniis cap. XXV. Quale autem, vt hoc addam, Eleusiniorum δᾳδούχων, & qui bini incedunt, in Vasi simulacri Cereris Eleusiniæ sculptorum, elegans nobis schema seu veterem pompam exhibet Cl. Whelerus Itin. Anglic. pag. 429. Verum præter faces illas Eleusinias, & πυρφόρους, seu *tædiferas*, ab Euripide Phœniss. ℣. 694. ac prout conspiciuntur eædem in numis antiquis, dictas sacri illius Deas, Cererem & Proserpinam: accensæ itidem faces, seu vsitatæ δᾳδουχίαι in pluribus aliis Græcorum sacris, vt Bacchi, ac vnde in Lenæis δᾳδοῦχος clamare fuit solitus, καλεῖτε θεόν, *vocate Deum*, iuxta Aristophanem eiusque eruditos Enarratores in Ranis pag. 224. Vt nunc mittam vel armatas facibus, iuxta veteres Tragicos, Furias: & earum sacra noctu in subterraneis locis cum accensis facibus celebrari ab Atheniensibus solita; vt de iis Pallas ait apud Aeschylum Eumen. ℣. 1025.

πέμψω τε φέγγει λαμπάδων σελασφόρων
εἰς τοὺς ἔνερθε καὶ κάτω χθονὸς τόπους,

Mittamque lumina facium splendentium (seu *accensarum*)
In infernos & subterraneos locos.

Adde faces in sacris Isidis adhibitas, qua de re Callimachus in Epigrammate, quod inter edita eius fragmenta legitur: aut πυρσῶν ἑορτήν,

 facium

facium festum, apud Argiuos, teste Pausania Lib. II. pag. 130. aut λαμπαδουχίαις cultam Hecaten, iuxta Lycophronem pag. 176. aut vero in Festo Mineruæ apud Saïtas, teste Herodoto Lib. II. cap. LXII. lucernas accensas, & quod inde λυχνοποιΐας nomine adpellatum tradit Themistius Orat. IV. pag. 49. aut denique notas illas λαμπαδηδρομίας, *accensarum lampadum* seu tædarum *decursus* vel certamina, in eiusdem Mineruæ, Vulcani præterea, Promethei, addo & Panis (quod iam vidit Cl. Meursius, & alibi adserui) solemnibus apud Athenienses festis celebrata; vti & Neapoli, in honorem Parthenopes, vnius e Sirenibus, apud Lycophronem pag. 118. Accedit, quod vulgo tædæ in veterum pompis fuerint prælatæ, seu, sicut hic a δᾳδούχοις centauris, lychni e pino ferme aut picea, vti ea de re Athenæus Lib. XV. pag. 700. φλογὶ δ' οἱ παλαιοὶ τῇ μὲν δᾳδὸς, καὶ τῶν ἄλλων ξύλων ἐχρῶντο, *tædæ autem flamma, vti & aliorum lignorum, vtebantur veteres*; nempe vbi δᾳδὸς, de pingui piceæ ligno, e quo vulgo fiebant veterum tædæ, dicitur; non vero, vt sequiori æuo factum, accensæ oleo lampades, vt obseruat Eustathius ad Iliad. Σ. pag. 1157. Adde hisce δᾳδούχους itidem instar horum Centaurorum Elephantas; qualem in veteri Antiochi Dionysii numo protuli olim ac illustraui, ac vnde id a Regibus Asiaticis accepisse Iulium Cæsarem ibidem docui; de quo nempe tradit Suetonius cap. XXXVII. *adscenditque Capitolium ad lumina, quadraginta Elephantis dextra atque sinistra lychnuchos gestantibus*: & a Dione etiam memoratur Lib. XLIII p. 224. πολλῶν δὲ ἐλεφάντων λαμπάδας φερόντων ἐκομίσθη, *multis autem Elephantis faces ferentibus deductus est.* Neque enim ibi vel *lychnuchi* vel λαμπάδες aliæ, quod euincunt iidem numi, quam *tædæ* seu *faces* accensæ, pro promiscuo earum vocum apud veteres Græcos vsu; prout φανὸς λύχνον de *face* seu φανῷ itidem dicto explicat Athenæus Lib. XV. p. 700. λαμπάδες autem, seu λαμπαδηφορίαι, vel λαμπαδηδρομίαι, dictæ de memorato modo facium decursu. Mitto iam, quæ vel de draconibus scilicet λυχνούχοις, seu lychnum loco cristæ supra caput gestantibus, a Fort. Liceto de Lucernis pag. 1100. quasi tales in antiquis exstarent numis, sed ex iis perperam expensis, traditur; aut vero de facibus, quæ vulpium caudis alligatæ, iuxta notum Samsonis factum, nec dissimilem Romanorum in Cerealibus, iuxta Ouidium L. IV. Fast. ℣. 705. ritum, ac vnde vulpes Lycophroni ac Hesychio λαμπουρὶς, quod iam monuit ὁ πάνυ Bochartus, & alibi pridem adtigi, dicitur.

De iisdem facibus accensis, & cur illæ hic ante Æsculapium prælata.

VII. Ex iis autem, maxime quæ de familiari facium in plerisque Græcorum sacris vsu paullo ante diximus, ardentes similiter tædas, in Aesculapii pompa aut cultu adhibitas nemo mirabitur: maxime qui præter commemorata recepti aliis in sacris ritus vestigia aduerterit, hunc ΣΩΤΗΡΑ, vti de eo supra, non solum pro vi aut virtute Solis salutari, (quod Centauris quidem, sed non iisdem δᾳδούχοις, qui Soli nempe faces accenderent, locum hic dare potuit) verum ab aliis, pro ipsius Lunæ mente, sicut Apollo pro Solari, habitum. Id nempe a Porphyrio traditum refert Proclus in Timæum, eo loco, quem paullo ante adduximus, Lib. I. pag. 49. & quam geminam Aesculapii, modo pro Solis, modo pro Lunæ vi Salutari, Symbolicam significationem, haud parum antiqua gemma Electoralis huius gazæ (1), cui illa lucem etiam impertitur, illustrat: in qua Aesculapius stans cum baculo

(1) Edita est a Begero Thes. Brand. T. I. p. 70.

baculo & ſerpente, ſiniſtra pateram ante aram accenſam tenet, vtrinque autem Sol & Luna conſpiciuntur. Nota vero, quoad hunc Aeſculapium pro Lunæ mente, iuxta Porphyrium, habitum, & accenſas in hoc numo ante eundem Aeſculapium faces, nota, inquam, Luna δᾳδοῦχος, ſeu, quæ tanquam νυκτιφανὴς, aut, vt ab Aeſchylo, *noctis oculus* dicitur Sept. Theb. ℣. 396. LVCIFERA in antiquis numis vtraque manu accenſas faces geſtat. Accedit & hoc palmarium, quod Aeſculapii ædem noctu adire ſolerent, atque in ea pernoctare, qui eius ope ac præſentia, immiſſisque ab eo ſomniis, datisque remediis, ſalutem priſtinam recuperare intendebant. Liquet id abunde e feſtiua Ariſtophanis narratione in Pluto a pag. 71. vbi ægrorum turbam recenſet, qui Athenis in æde Aeſculapii noctu peruigiles, ab eo præſente illisque coram medente ſanabantur. Quomodo etiam male adfectum Antoninum Caracallam Pergamum adiiſſe, vt Aeſculapii curationibus vteretur, ibique ſomnia, quamdiu voluit, captaſſe, tradit Herodianus Lib. IV. cap. VIII. Cuius vero ritus plura documenta ſuppeditabit in Sermonibus ſacris Ariſtides; vbi ſæpius de ſe, tanquam peculiari Aeſculapii cultore, verba facit, ſuisque in eius fano peruigiliis, ſacris in eodem λύχνοις, (Serm. Sacr. I. pag. 484.) nocturnisque illius Dei adparitionibus & remediis ab eo præſcriptis, vel datis oraculis aut inſomniis, quibus denuo conualuit. A quo præterea Serapis & Aeſculapius, ambo maximi & pulcherrimi, ac inter ſe quodammodo ſimiles, noctu eidem adparuiſſe dicuntur, Serm. Sacr. III. pag. 565. ac prout alibi diuinas maxime Aeſculapii ac Serapidis apparitiones tradit, Serm. Sacr. I. pag. 495. Verum quam in rem inſignis alibi exſtat eiusdem Ariſtidis ſepoſitus a me eam in rem locus, qui vel vnus inſignem huic numo facem præfert. Exſtat ille Orat. de Concordia vrbium, quam Pergami habuit pag. 304. Tom. II. e qua aliquot iam verba ſupra adduximus: ἑστία γὰρ ΑΣΚΛΗΠΙΟΥ καὶ (vt ea de re jam ante) τῆς Ἀσίας ἐνταῦθα ἱδρύνθη· κἀνταῦθα δὴ ΦΡΥΚΤΟΙ φίλιοι πᾶσιν ἀνθρώποις αἴρονται ΠΑΡΑ ΤΟΥ ΘΕΟΥ, καλοῦντός τε ὡς αὐτὸν, καὶ μάλα ἀληθινὸν φῶς ἀνίσχοντος, *hic enim fanum AESCVLAPII & Aſiæ* Prytaneum *eſt erectum, & hic amicæ* FACES *omnibus* A DEO *præferuntur, qui eos ad ſe vocat, ac prorſus verum ſplendere facit lumen*; additque, non tanti eſſe communis nauigationis aut inſtitutionis ſocietatem; quanti ſit, εἰς ΑΣΚΛΗΠΙΟΥ τε συμφοιτῆσαι, καὶ τελεσθῆναι τὰ πρῶτα τῶν ἱερῶν, ὑπὸ τῷ καλλίστῳ καὶ τελεωτάτῳ ΔΑΔΟΥΧΩ καὶ μυσταγωγῷ, καὶ ᾧ πᾶς ἀνάγκης εἴκει θεσμός, *ad AESCVLAPII ædem ſimul commeaſſe, ac ab optimo perfectiſſimoque* TAEDIFERO *ac myſtagogo, cuique omnis cedit neceſſitas, primis eſſe ſacris initiatum.* Quem ceteroquin Ariſtidis locum erudite ad Tianorum numum, in quo fax Ioui accenſa comparet, vidiſſe quoque obſeruo Cl. Harduinum in opere de Numis vrbium illuſtratis pag. 496. (1) E quibus autem, quæ adduximus, Ariſtidis verbis illud vtique diſcimus, accendi non ſolum ſolitas in Aede Aeſculapii apud Pergamenos, quod in aliorum quoque Deorum ſacris contigit, faces; ſed peculiarem inſuper earum & velut myſticam rationem fuiſſe: quibus nempe ad ſe, tanquam ad publicum Aſiæ *focum*, ſeu ἑστίαν, euntibus vndique eius ope indigis prælucebat Pergamenus hic Deus, idemque inde δᾳδοῦχος & μυσταγωγὸς ibi adpellatus: habito nempe ad Eleuſinios ritus, de quibus iam ante, reſpectu. Quibus proinde Ariſtidis verbis, iisque, quæ

(1) Opp. Sell. p. 169.

 ex

ex Hierocle paullo ante adtulimus, nihil clarius aut opportunius dici potuit, ad pleniorem huius Pergamenorum numi lucem; in quo idem Aesculapius conspicitur cum δᾳδούχοις Centauris, qui eum stantem in tensa trahunt: haud aliter nempe ac, Centauri tridente armati symbolo, Neptunus ἵππιος in numo, de quo obiter paullo ante (1), Boeotorum adumbratur.

(1) §. V.

II. *De altero Pergamenorum numo, in quo Iupiter imberbis, nudus, cum hasta & fulmine, inter Solis & Lunæ capita, aquilæ insistit, infra duo fluuii recumbentes; Speciminis Tab. I.* (2)

(2) Et Excerpt. quæ his Epistolis præmittuntur, N. II. *De Ioue iuuene, seu Commodo ibi signato.*

VIII. Alter vero & pulcherrimus Pergamenorum numus, qui ex eadem diuite illustrissimi Comitis ac Mæcenatis tui Gaza depromtus, & sub Commodo Imp. cusus, primam quoque Speciminis tui tabellam exornat, lectoris similiter oculos haud immerito ad se aduertit. De eo autem, & quidem de duobus Fluuiis, qui in eo conspiciuntur, quum ad me quoque ire volueris, amicæ petitioni mos erit similiter mihi nunc gerendus. Neque vero id a me exspectas, mi MORELLI, vt de ipsius Iouis illiusque iuuenis, haud vtique more consueto barbati, eiusdemque præterea fulmine ac hasta armati, & aquilæ insistentis simulacro, obuia aliunde & protrita hic adtingam aut explanem. Illud quidem obiter hic dicendum est, non apud Romanos solum, Deorum Regem, IOVIS CRESCENTIS, sub nudi pueruli habitu, aut IOVIS IVVENIS, iuuenili vultu; sed apud Græcos etiam, a quibus Romani sacra sua, easdemque Deorum effigies, & eadem insignia, vti ea de re Dionysius Halicarnass. Lib. VII. pag. 478. hausere, vtroque itidem illo schemate adumbratum. Ita Iupiter ΚΡΗΤΑΓΕΝΗΣ, & ΘΕΟΞΙΟΣ ΚΡΗΤΑΙΟΣ, crescentis nempe ac puerili habitu, idemque nudus insuper & fulmine, vti in hoc Pergamenorum numo, armatus, in duobus, vt nosti, insignibus numis conspicitur: quorum primum sub Tito cusum edidit pridem Cl. Tristanus (3); alterum, qui exstat in gaza Gallorum Regia eumque cum memorata inscriptione oppido singulari, in vulgata haud ita pridem mea ad eximium Begerum nostrum Epistola (4) protuli & explanaui. Quo loco insuper Romanum adtuli, & e maximorum quidem genere, ipsius Commodi in eadem Gaza numum; in quo Iupiter, seu potius sub Iouis effigie Commodus, vti in hoc Pergamenorum numo, stat itidem nudus, dextra fulmen, sinistra hastam tenens, infra Aquila, illinc autem Ara, cum inscriptione: IOVI IVVENI, additisque præterea Commodi titulis: P. M. TR. P. XIII. IMP. VIII. COS. V. P. P. Haud aliter nempe ac idem vesanus Imperator, sub HERCVLIS COMMODIANI, aut vero HERCVLIS ROMANI, habitu ac nominibus, in aliis eius numis comparet. Quomodo factum proinde videas, vt Commodum, sub eodem illo Iouis Iuuenis, nudi ac fulmine itidem & hasta armati, simulacro effingere voluerint Pergameni. Non idem proinde in vtroque illo Commodi numo, qui alioquin IOVIS IVVENIS, sub *Veiouis* nomine a Romanis culti, habitus, de quo Ouidius Lib. III. Fastor. ℣. 437.

(3) T. II. p. 252. Conferendus cum eo numus maximi moduli argenteus cum capite Augusti radiato hinc, illinc Iouis barbati, qui itidem ΚΡΗΤΑΓΕΝΗΣ, vt inscriptio docet, de quo, singulari gazæ nostræ ornamento, egi Cap. XI. §. V. In eodem thesauro nostro & numus extat cum epigraphe: ΘΕΟΞΙΟΣ ΚΡΗΤΑΙΟΣ.

(4) Subiuncta Beger. Obss. & coniectur. litt. m.

IVPITER *est* IVVENIS: *iuueniles adspice vultus;*
Adspice deinde manum, FVLMINA *nulla tenet.*

Immo

Immo prout non ſolum ΚΕΡΑΥΝΙΟΣ Iupiter dicitur in quibusdam Antonini Pii & Caracallæ numis, ſed vna voce, quod obſeruo, ἐγχεικέραυνος apud Pindarum: qui ad ſimile Iouis ſignum iam olim reſpexerat Pyth. Od. IV. pag. 255. ἐγχεικέραυνον Ζῆνα, non vt ibi Græci & Latini Enarratores, κεραυνῷ ἀντὶ ἔγχεος χρώμενον, *fulmine pro haſta*, ſeu iuxta Aem. Portum, *fulmine tanquam gladio vſum*; ſed qui fulmen iuxta & haſtam, vti in hisce aliisque Græcis ſeu Aſiaticis numis obuium, tenet. Tale etiam ΔΙΟΣ ΚΑΤΑΙΒΑΤΟΥ, ſeu vt apud Triſtanum, ac in numis Gazæ Gallorum Regiæ, ΚΑΤΕΒΑΤΟΥ, ſignum in Traiani aliorumque adhuc Imperatorum numis cum fulmine & haſta itidem, cui inſiſtit Iupiter. Neque proinde ſolus ille ΦΙΛΙΟΣ a Pergamenis cultus; prout eum ſedentem in Templo, non cum fulmine, ſed cum Victoria & haſta, ac Traianum ante eum ſtantem, exhibet numus eiusdem Traiani in Gaza Gallorum Regia inſcriptus (1): ΦΙΛΙΟΣ ΖΕΥΣ ΤΡΑΙΑΝΟΣ ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ, *Philius*, ſeu *Amicitiæ præſes*, *Iupiter Traianus Pergamenorum*. Quomodo nempe, vt e priſca illa numorum penu, & qua de re nos alibi rurſus (2), conſtat, ΖΕΥΣ ΑΚΡΑΙΟΣ a vicinis Smyrnæis; a Laodicenſibus autem in Phrygia ΖΕΥϹ ΦΙΛΑΔΗΘΗϹ colebatur.

(1) Conf. Vaill. l. c. p. 29. Harduin. Num. Vrb. & pop. p. 134. Opp. Sell.

(2) Ad Callimach. p. 409. ſq.

De eodem Ioue ſeu Commodo, inter Solem & Lunam, illiusque rei ſymbolis.

IX. Neque vero ſignata in hoc Pergamenorum numo Solis & Lunæ capita, obuia nempe in aliis antiquis numis figura multis hic adtingam. Norunt enim, qui vetuſta hæc æra, aut in editis de re numaria libris, vel obiter vnquam in præclaris veterum numorum thecis perluſtrarunt, conſueta quidem eſſe illa vel radiati capitis pro Sole, vel διχοτόμου ſeu *diuiduæ*, vti ea ab Apuleio de Deo Socratis dicitur, *Lunæ* in iis ſymbola. Adeo, vt (3) quum alia aliis gentibus placuerint, quibus Solem maxime adumbrarent: prout apud Aegyptios eum per circulum, aut per ſcarabæum, aut in crocodilo; eumque non in quadrigis, ſed in nauigio impoſitum, aut Orientem Solem per infantem e loto ortum effinxerint: vti illa e Plutarcho de Iſide, Clemente Alexandrino, & Porphyrio apud Euſebium, aliisque, viderunt iam eruditi. Quomodo etiam Solem & Lunam, duo nauigia ſtatuebant Manichæi, iuxta Epiphanium Hæres. LXVI. pag. 626. aut Sol pro Lapide eſt habitus, vt in notis Emiſenorum in Syria numis, inſcriptis: SANCTO DEO SOLI ELAGABALO. Prout alioquin vel πέτρος a Lycophrone pag. 205. Sol dicitur, ſicut pridem, vt notum, ab Anaxagora; ſeu λίθος, iuxta Platonem in Apologia Socratis pag. 26. Tom. I. ac Plutarchum de Superſtit. p. 169. Tom. II. aut iuxta alios, de quibus ad Laërt. Lib. II. Sect. VIII. viri docti, λίθος ſeu μύδρος διάπυρος, *lapis* aut *ferrum candens*. Quod præter Anaxagoram, vt hoc addam, Democrito ac Metrodoro tribuit alibi Plutarchus, nempe de Placitis Philoſoph. Lib. II. cap. XX. ac inde, vt ſtatuere licet, Theodoritus de Græc. adfect. cur. Serm. I. pag. 530. Tom. IV. Idem vero Sol, vti in hoc Pergamenorum numo, vno radiati capitis, aut figuræ virilis cum capite radiato, illiusque vel gradientis, vel quadrigis inſiſtentis, aurigæ inſtar, cum globo præterea & flagello: aut vero interdum ſolo Aſtri, ſeu conſpicuæ ſtellæ, ſimulacro, in antiquis Græcorum vti & Romanorum etiam numis depingi conſueuit. Nempe iuxta illud Dionis Chryſoſtomi Orat. XII. pag. 211. (4) ſimulacra Deorum, & quidem Solis ac Lunæ, quorum ſimplex & arte carens placuit

(3) Hæc cum ſequentibus non ſatis cohærent, tametſi ceteroqui minime obſcurum eſt, quo oratio viri illuſtris tendat.

(4) Deeſt vox *conſtat*, vel alia ſimilis.

cuit imitatio, fuiſſe ad humanum captum expreſſa. Ad quæ proinde reſpiciunt paſſim Græci & Romani Poëtæ, a quibus Sol vel διφρευτὴς ſeu διφρηλατῶν *aurigans* nempe, vti a Sophocle Aiace ℣. 860. & 873. vel Solis equi, ἅρμα, τέθριππον, *currus*, *quadrigæ* &c. paſſim commemorantur. Vt hæc vero obuia, ita id etiam in ea veterum numorum penu conſpicuum, vtroque illo Solis & Lunæ in iis ſimulacro, annos ac tempora ſubinde denotari. Neque etiam in iisdem inſolitum, vt, ſicut in hoc Pergamenorum numo factum videas, Ioui, tanquam ſupremo temporum arbitro, Sol & Luna addantur comites, aut etiam, vt ille iisdem inſignitus adpareat. Talis vtique nudus itidem, non tamen iuuenis, ſed barbatus, Iupiter cum ἡμικυκλίῳ, vt de Luna διχοτόμῳ ait ad Aratum Theon Διοσημ. ℣. 5. in capite; quique aſtrum, ſeu Solem, ἀστέρος ὠρανίω nomine a Pindaro Pyth. III. pag. 223. deſignatum, dextra tenet, in numis Antiochi VIII. ſeu Grypi: qualem præter hiſtoriam Regum Syriæ a Cl. Vaillantio editam, in hoc Electorali Cimeliarchio conſpicuum ſuppeditabit vel Theſaurus Palatinus (1), vel qui ſub prælo ſudat, ab eodem eruditiſſimo Begero noſtro congeſtus ac illuſtratus, Brandenburgicus (2). Quam in rem dictum pridem ab Aeſchylo Suppl. ℣. 583.

(1) p. 138.

(2) T. I. p. 258.

Ζεὺς αἰῶνος κρέων ἀπαύστυ,
Iupiter ſeculi Dominus infiniti,

ab Ariſtide autem adpoſite admodum ad hunc Pergamenorum dictosque modo numos Hymn. in Iou. pag. 13. Ἐπειδὴ δὲ αὐτὸν ἅπαντά τε γίγνεταί τε καὶ γέγονε. καὶ ΗΛΙΟΥ τε ἄπαυστος κίνησις, ὑπὲρ γῆς τε καὶ ὑπὸ γῆς, ΔΙΟΣ ἐστι πρόῤῥησις ἡλίῳ προειρημένη ὑπὲρ τῆ τῦ παντὸς κόσμυ φανότητος, καὶ ΣΕΛΗΝΗΣ δρόμοι, καὶ χορεῖαι πάντων ἄστρων, ΔΙΟΣ ἐστι διάκοσμος, *quod per ipſum* (Iouem) *facta ſint & fiant omnia. Quocirca & perpetuus* SOLIS *motus*, *tum ſupra*, *tum infra terram*, IOVIS *eſt mandatum de vniuerſi illuſtratione* SOLI *datum*; *&* LVNAE *curſus*, *ſiderumque conuerſiones*, *ex* IOVIS *diſpoſitione proceſſerunt.* Quibus adde illud Platonis in Phædro pag. 246. Tom. III. ad quod reſpexiſſe videtur dictis modo verbis Ariſtides, vbi *Iupiter*, pro *Sole* (vti id inde notant breuia ad Homerum Scholia Odyſſ. M. ℣. 63.) ὁ μὲν δὴ μέγας ἐν ὠρανῷ ΖΕΥΣ, πτηνὸν ἅρμα ἐλαύνων, πρῶτος πορεύεται διακοσμῶν πάντα καὶ ἐπιμελέμενος, *magnus igitur in cœlo* IVPITER *primus incedit alatum currum impellens*, *omnia diſponens & prouidens*. Adeo vt idem Iupiter, haud minus ac parens Saturnus, *pater anni & menſium*, prout ille a Libanio dicitur Paneg. Iulian. pag. 249. Tom. II. fuerit habitus, ac prout etiam diem per *Solis filium* παῖδ' ἀλίυ deſignat Pindarus Olymp. Od. II.

De Felicitate temporum in hoc numo deſignata.

X. Quamquam alia adhuc & peculiaris hic ſubeſſe videatur cauſſa huiusce numi a Pergamenis cuſi; vt eo nempe Iouis iuuenis, inter Solem & Lunam ſtantis, ſimulacro Commodum ipſum, tanquam alterum in terris Iouem, dierum tempeſtatumque potentem, adumbrarent. Id vtique firmat tum ſub IOVIS IVVENIS habitu ac nominibus ſignatus, vt antea diximus, in aliis numis idem Commodus; tum alii adhuc cuſi haud vulgares ſub eodem Græci Romanique numi; quibus orbis aut temporum, eodem imperante, felicitas prædicatur. Talis vtique vel

vel Nicæensium numus, de quo iam obiter in alia ad te Epistola (1), ac a me alibi (2) dudum memoratus, in tuo autem Specimine Tab. XVII. editus: ΚΟΜΟΔΟΥ ΒΑCΙΛΕΥΟΝΤΟC Ο ΚΟCΜΟC ΕΥΤΥΧΕΙ ΝΙΚΑΙΕΩΝ, *Commodo Imperante Orbis feliciter Agit Nicæensium*, ac prout *aureum seculum*, Senatus etiam decreto, de tempore, quo ille principatum tenuit, dictum a Dione, bene est a te ibidem (3) monitum, eorumque sub eodem Imperatore numorum facta mentio, qui a Cl. Vaillantio memorati, in quibus vel FELICITAS PERPETVA AVG. vel TEMPORVM FELICITAS consignatur. Quales vtique duo ærei maximi & pulcherrimi, vt nosti, exstant in Gaza Gallorum Regia: vnus, cum quatuor puerulis, solitis quatuor anni temporum symbolis; alter cum sedente muliere, quæ pomum ex arbore decerpit, infra tres nudi pueruli; vterque autem numus cum eadem epigraphe: TEMPORVM FELICITAS. Quibus addi potest numus Commodi in Cimeliarchio Mediceo, cum eadem inscriptione, signatisque aliis eiusdem rei symbolis; duobus nempe cornucopiis, cum caduceo intermedio. Vt alios adhuc mittam eiusdem Commodi numos, in quibus Sol nudus & radiatus in quadrigis, nubes veluti transcendens, Tellus autem infra recumbens visitur: quasi nempe, vt ea rursus in aliis eius numis traditur, STABILIS eadem & a Sole fœcundata. Adde mensibus, pro vetustis eorum adpellationibus, nouas de suis cognominibus ab eodem Commodo impositas; vt tradunt, qui res eius litteris prodidere, Dio, Herodianus, & Lampridius. E quibus vtique abunde liquet, cur Solis & Lunæ capita, quibus annorum ac temporum vices & fœcunditas designantur, in hoc etiam insigni Pergamenorum numo, alterius velut Iouis, seu Commodi, addantur simulacro. Ita cæteroquin *mulier amicta Sole, & sub cuius pedibus erat Luna*, dicitur Apocalyps. XII, 1. (nempe, prout Μηνὴ ἀστροχίτων, *Luna stellis amicta*, vocatur in Argonauticis Orpheo tributis ℣. 511.) de Christi nimirum Ecclesia, iuxta plerosque Interpretes, Sole Iustitiæ illustrata, terrena autem pedibus calcante. Vt eos iam prætoream numos, in quibus subinde ipsa diuidua Luna, sicut in numo Iunonis Samiæ, qui sub Antonino Pio cusus, sub pedibus illius Deæ posita cernitur, cum loci nomine CΑΜΙΩΝ, *Samiorum* (4). Quamquam Commodum quod adtinet, infausta fuerint, deterrimi illius Principis vesania & furoribus, eadem tempora; ac aliis etiam prodigiis, & ferali illo incendio, quo Romæ pulcherrima & sacratissima Pacis ac Vestæ templa, ac plures pulcherrimæ vrbis partes conflagrarunt, calamitosa: cuius infelicitatis caussam ad nefarii illius Principis scelera & crimina omnes retulisse, tradit Herodianus Lib. I. cap. XIV. Adde hic denique, sub eodem, quo hic Luna adumbratur, Schemate, Augustas nonnunquam signari in antiquis numis; vti in eo, qui Iuliam Domnam exhibet, in numismatibus e museo Ill. Abbatis de Camps nuper editis (5): quo autem typo eiusdem Augustæ fœcunditas, aut eadem, velut alterum in terris lumen, designatur, seu, quomodo LVNA LVCIFERA in aliis numis depingitur. Quod postremum adstruunt etiam faces, de quibus iam ante, in auersa eiusdem numi parte conspicuæ; quæ eidem Lunæ in hac numorum penu, quod obuium ac supra diximus, tribuuntur.

(1) Earum quas Morellius Specimini subiecit, secunda §. VII. p. 127.

(2) De præst. & Vs. Num. T. II. p. 443. conf. Edit. Amstelod. p. 758. sq.

(3) p. 180.

(4) V. obseruat. ad Callimach. p. 284.

(5) p. 69. sqq.

XI. Ve-

De duobus Fluuiis in eodem numo, & in alio eorundem Pergamenorum, Selino & Cetio.

XI. Verum de duobus fluuiis nunc dicendum est, qui insuper in præclaro illo Pergamenorum numo signantur, & de quibus potissimum meam expetere sententiam voluisti. Quam in rem continuo monui, videri *Selinum & Cetium* in iis designari; prout id colligebam ex alio Pergamenorum numo, quem sub Marco Commodi patre percussum, a Tristano male editum & explicatum, e Gaza Christinæ Reginæ a me depromtum, nec paullo integriorem, protuleram pridem ac illustraueram Diss. V. de Num. p. 485. (1) In eo quippe non Iupiter quidem, sed Pergamenorum Numen, Aesculapius, cippo insistens, infra duo recumbentes itidem fluuii conspiciuntur, cum inscriptione iis addita: CEΛEINO (2) KHTEIOC. *Selinus Cetius.* Quod firmari insuper Plinii testimonio ibidem docui, Lib. V. cap. XXX. *longeque clarissimum Asiæ Pergamum, quod intermeat* SELINVS, *præfluit* CETIVS, *profusus Pindaso monte:* ad quem locum in Notis & Emendationibus p. 644. Tom. I. ac præterea in opere de Numis Vrbium illustratis p. 392. (3) adductum a me illum numum memorat vir eruditissimus; sed ita, vt ad Plinium (4), de vno tantum fluuio illum explicet, quasi nempe in numo *Selino-Cetius* legeretur; melius autem alibi, de duobus fluuiis interpretatur: quod omnino geminæ in eodem numo vtriusque fluuii, præter clarissima Plinii verba, effigies ante oculos ponunt. Accedit alius sub Caracalla numus, quem Itinerarii Part. III. pag. 263. e Gaza Cardinalis Medicei adducit Cl. Sponius, cum iisdem, qui in M. Aurelii numo, Aesculapii & infra duorum fluuiorum typis, ac inscriptione, vt illam refert, CEΛΛEINOYC KETEIOY. Sed vbi vel CEΛEINOY omnino legendum fuit, vel CEΛEINO, postremæ autem litteræ YC, sicut in numo, quem olim vulgaui, M. Aurelii, cippo inter vtraque illa gemini fluuii nomina additæ, ad Prætoris nomen, quod in eodem exstat, KAΛΛICTEOYC, sint referendæ. Adeo vt inde dubitare haud immerito liceat, annon reuera ille numus, quem adfert ibi diligens Antiquarius, tanquam sub Caracalla cusum, ad M. Aurelium, cuius eadem nomina tulit in numis, vt notum, Caracalla, referri potius debeat: idemque sit proinde cum eo, quem primum, vt dixi, edidit Tristanus, sed cuius præter alia veram scripturam haud erat adsequutus; quemque similiter in Gaza Medicea exstantem, male, ac ad Tristani fidem, quod olim etiam monui, descripserat eruditus quamquam & egregie versatus in hac antiquaria supellectile illius Gazæ olim custos. Vbi etiam paullo ante pag. 480. prolato alio Pergamenorum numo ex eadem Christinæ Augustæ Gaza, cum pulcherrima Heroïs EVRYPYLI effigie in anteriori numi area, docueram haud alios esse, quam Pergamenos (quod arripuit etiam dicto ad Plinium loco eruditus eius adnotator) qui ab Homero Odyss. Λ. ℣. 520. Κήτειοι, *Cetii*, iique *Heroïs Eurypyli comites* dicuntur, quod notauerit etiam Eustathius pag. 1697. ac inde omnino petendam solutionem illius *ænigmatis*, quod in iis Poëtæ verbis, qui nempe essent ii *Cetii*, exstare tradiderat Strabo Lib. XIII. p. 616. οὔτε γὰρ τοὺς Κητείους ἴσμεν οὕστινας δέξασθαι δεῖ, *neque enim constat, quos Cetios intelligere debeamus.* Bene etiam *Ceteios* vel *Cetios* dici de *Mysorum gente*, notant breuia ad Homeri locum Scholia; vti ab Hesychio quoque factum, idque ἀπὸ τοῦ παραρρέοντος ποταμοῦ Κητείου, non, vt hodie apud eum legitur. Κήτεος, *a præterfluente fluuio Cetio*, & adposite ad Plinii, quæ adduximus, verba,

(1) Sed abest in nouissima Editione & ectypus numi & vberior explicatio.
(2) Vel potius CEΛEINOC. v. Vaill. L. c. p. 55.
(3) Opp. Sell. p. 135.
(4) Sed vid. Edit. recent. T. I. p. 298.

verba, *Pergamum* &c. *præfluit Cetius*. Notum enim, Myſiæ vicinam exſtitiſſe hanc Pergamum, ſeu, vti a Galeno Pergameno de Myſia dicitur, De Sanit. Tuend. Lib. V. cap. V. ὁμοροῦσα Περγάμῳ, *contermina Pergamo*, & quod modo ait Ariſtides Serm. Sacr. I. pag. 507. ἀπήειμεν διὰ Μυσίας εἰς Πέργαμον, *quum per Myſiam iremus Pergamum*; immo quæ vrbs ipſi Myſiæ ab aliis quandoque adſcribitur. Præterfluebat proinde *Pergamum*, ac ſimul conterminam eidem Myſiam, fluuius hic *Cetius*. Eam vero intermeabat alter fluuius a Plinio memoratus, ac in dictis Pergamenorum numis itidem obuius, *Selinus*; a duobus proinde illis fluuiis diuerſus, qui a Plinio capite præcedenti XXIX, vocantur *Selinuntes*, ſeu verius iuxta adductum a me ibi Xenophontis locum Ἀναβ. Lib. V. pag. 350. *Sellenuntes*: vnde & ex Laërtio *Selenuntes* in Plinio repoſuit Cl. Harduinus. Quamquam a Laërtio, nempe in Xenophonte Lib. II. pag. 112. poſtremæ editionis, non numero plurium, vt locum illum ad Plinium tangit vir eruditiſſimus, Σελληνοῦντες, ſed de vno tantum ſit e duobus illis ad Epheſum fluuiis ſermo: idem vero Σελληνοῦς, in Stephaniana eiusdem Laërtii editione, iuxta Xenophontem; a magno vero Caſaubono, vt apud Strabonem, Σελινοῦς (quo nomine alius in Cilicia fluuius ab eodem Geographo traditur Lib. XIV. pag. 669) legitur. Qui amnis rurſus Σελινοῦς, vt hoc addam, apud Pauſaniam, vbi de cognomine eidem apud Scyllunta fluuio agit, Σιλινοῦς, ſed male, & librariorum culpa, pro Σεληνοῦς ſeu Σελληνοῦς dicitur Lib. V. pag. 297. Verum quæcunque fuerit vtriusque ad Epheſum *Sellenuntis*, aut *Selenuntis*, non ab *apio* proinde ſeu σελίνῳ, iuxta Caſaubonum, ſed a *Luna* ſiue Diana, cui ſacer totus ille tractus, ita, vt videtur, denominati ratio: ΣΕΛΕΙΝΟC certe dictus eſt, qui *Pergamum intermeabat*, iuxta Plinium, *Selinus*; quique priori etiam loco in numo M. Aurelii a me olim edito ſignatur, & quidem cum ramo apii aquatilis, quod ſiniſtra elatum tenet, ac proinde adpoſite ad indicandam nominis originem, idem *Selinus*. Adeo vt neutiquam, ſicut a Cl. Triſtano, e male deſcripto illo M. Aurelii numo, quod iam alibi monui, factum, confundi debeant vicina illa diuerſorum fluuiorum, qui ad Epheſum, aut qui ad Pergamum, nomina: nec proinde, quæ de duobus *Selenuntibus*, qui ædem Dianæ Epheſiæ præterlaberentur, dixit Plinius, ad Pergamum, vti ab illo ſummæ alioquin diligentiæ Antiquario (1), transferri. Neque enim duo *Selini* vel *Selinuntes*; ſed, quod abunde ex eodem illo numo & Plinio liquet, *Selinus & Cetius* dicti illi ad Pergamum fluuii: quos proinde, quamquam non ſub iisdem omnino, qui in memorato patris Aurelii numo, typis, exhibere cenſendus eſt hic, de quo agimus, percuſſus ſub Commodo, ac in prima tua tabella conſpicuus Pergamenorum numus. Prior enim muliebri ſpecie dextra temonem tenet, ſiniſtra ad aquilam intermediam protenſa; altera autem virilis figura, dextra eandem aquilam tangens, ſiniſtra arundinem geſtat: vterque autem fluuius cum corniculata Luna in capite; ſicut bicornis Rhenus in numis Poſtumi, ſeu *elatis cornibus amnes*, vt de iis Val. Flaccus Lib. I. Argon. ℣. 106. ac prout κέρατα, *cornua*, de omnibus fluuiis e mari ortis dici, notant

(1) Deeſt vox *factum*,

 eruditi

eruditi ad Apollonium Rhodium Critici Lib. IV. ℣. 282. vbi nempe *vltimum Oceani cornu*, ὕπατον κέρας Ὠκεανοῖο, Ister ibi a Poëta dicitur. Haud vero insolitum nosti in hac veteri numorum penu, vt iidem signati in iis fluuii, non eadem semper insignia præferant: prout, vt nunc de aliis sileam, Nilus in iis depictus quandoque cum pueris, crocodilo, hippopotamo, modo cum capite barbato & radiato, instar Iouis Aegyptii, modo crocodilo vectus cernitur. Neque vero in antiquis illis numis inusitatum, vt sub muliebri etiam specie depingantur subinde id genus fluuii; & quidem, vti in hoc Pergamenorum numo factum, vbi duo simul prostant, vnus sub virili, alter sub muliebri figura adumbretur. Cuius rei, ne longius abeam, exemplum suppeditat numus a *Tianis* Bithynis cusus, in tabella tui Speciminis XVII. in qua duo fluuii sub virili ac muliebri specie conspiciuntur, ΒΙΛΛΑΙΟϹ ϹΑΓΑΡΙϹ (1) ΤΙΑΝΩΝ, *Billæus Sagaris Tianorum*; ac vnde insuper egregie firmatur id, quod alias vidit iam ad Stephanum doctissimus Holstenius, emendandum nempe Græcum Apollonii Rhodii Enarratorem ad Lib. II. ℣. 793. vbi de hoc fluuio Billæo dicitur, eum per Phrygiam fluere usque ad vrbem Τιανῶν, non, vt ibi legitur, Τιτάνων. Prout etiam ab Arriano in Periplo Ponti Euxini a *Tio*, vnde *Tiani*, ad *Billæum* fluuium, viginti tantum stadia commemorantur; & apud Plinium similiter illius vrbis & fluuii facta simul mentio, Lib. VI. cap. I. *oppidum* TIVM *ab Heraclea triginta octo millibus passuum: fluuius* BILLAEVS; quod postremum, præter dictos aliosue Auctores, indubia singularis huius numi scriptura omnino exigit, non, vt in editis & in scriptis etiam Plinii, vt testatur postremus ac eruditus eius editor, libris BILLIS. Sed hæc ipse forte ad numum illum iam videris. Verum præter virilem & muliebrem itidem vtriusque fluuii illius *Billæi* & *Sagaris* figuram, duo etiam fluuii recumbentes comparent; vnus sub virili, alter sub muliebri itidem specie; ac, vt licet coniicere ex addita Armenii stantis figura, & coronatis vtrinque a Victoria diuis fratribus, Marco & Lucio Vero, post bellum nempe Parthicum, *Euphrates* ac *Tigris*, in præclaro & e maximorum genere L. Veri numo, in Thesauris Gallorum Regiis. Sic in iisdem, fluuios *Marsyam* & *Mæandrum*, illum sub muliebri, hunc sub virili habitu, exhibet insignis Gordiani numus ab Apamensibus in Phrygia cusus, cum additis vtriusque fluuii MAP nempe & inuersis litteris IAM pro MAI, seu Μαρσύυ & Μαιάνδρυ nominibus. Immo quandoque etiam vterque fluuius sub muliebri habitu in numis id genus conspicitur. Certe in iisdem Thesauris, ac in numo, qui a Saittenis in vicina huic Pergamo Lydia, vt id bene de eorum situ obseruauit eruditissimus Harduinus, sub Gordiano, ac cum loci nomine ϹΑΙΤΤΗΝΩΝ cusus, exstare procul dubio memineris stantem Deum Lunum, infra autem recumbentes duas mulieres, (quod non adtendit, qui eum numum descripsit, laudatus modo vir præstans (2), ipsi autem coram in numo vidimus) cum arundinibus & adiacentibus vrnis, solitis fluuiorum typis. Iis autem geminis in eodem numo fluuiis, præter *Hermum*, qui signatur in alio horum *Saittenorum*, quem itidem versauimus in eadem Gaza Regia, numo, quiique vrbis illius situm eo in tractu omnino arguebat, *Pa-*

ctolus

(1) ΒΙΛΛΑΙΟΣ ΣΑΡΔΩ legit Vaill. l. c. p. 46. 350.

(2) Vid. Opp. Sell. p. 147.

ctolus vel *Hyllus* depingitur, qui in *Hermum*, iuxta Strabonem Lib. XIII. pag. 626. deferuntur. Ita expressi, vt paullo ante diximus, in Apamensium numo duo fluuii *Marsyas* & *Mæander:* quorum ille in Mæandrum se exonerabat, teste præter Strabonem Lib. XII. pag. 554. Xenophonte Ἀναϐ. Lib. I. pag. 246. ac prout ambo in vnum confluere dicuntur a Philostrato Lib. VI. Vit. Apoll. cap. XII.

XII. Neque vero quemquam hic turbent haud iidem plane *Selini* & *Cetii* in hoc Pergamenorum, quem expendimus, & in altero sub M. Aurelio, de quo iam ante, ab iisdem percusso, typi. Haud enim vno semper habitu depicti in antiquis numis fluuii: sed modo senis ac barbati; modo mulieris, vt in adductis numis, effigie; modo, vti ea de re quoque Aelianus Lib. II. Var. Hist. cap. XXXIII. speciosi pueri forma, vti in Siculorum numis, apud Parutam, *Acragas* & *Hypas*, & iuxta Philostratum Icon. Lib. II. pag. 791. Meles; sed qui virili specie in Amastrianorum, quem pridem vulgaui (1), vna cum Homero Melesigena, numo; aut in eo, qui exstat inter numos in Wheleri Itinerario signatos, cum Homeri itidem icone, in anteriori numi area; ac barbatus etiam in alio Smyrnæorum, & qui inter Sabinæ numos est a Cl. Patino editus, numismate comparet. Ita non recumbentes sed stantes fluuii, quomodo *Chrysas* in dicta Parutæ Sicilia, in numis vrbis Assorum, aut *Danubius* in Traiani numo signantur; modo supra pontem recumbentes, vt Mæander in numo Traiani Decii Regiæ Gallorum Gazæ. Adde modo sub taurini capitis symbolo, vt *Achelous*, βούκρανος, seu *cum bouino capite*, inde a Sophocle dictus, Trachin. ℣. 13. & de *Cephiso*, Arcadiæ amne, ταυρόμορφον ὄμμα Κηφισοῦ πατρὸς, *tauri specie oculus*, seu *facies Cephisi patris*, apud Euripidem Ion. ℣. 1261. modo bicornis sub virili rursus aut muliebri specie, vt *Rhenus*, duoque, vti ea de re iam ante, in hoc loco Pergamenorum fluuii: ii autem singuli ferme cum vrceolis, cornucopiæ, arundinibus, aliis aquatilibus aut palustribus plantis, vt in simili Pergamenorum numo. Fluuios enim singulos, sicut terræ, priuatim aliquid ferre, tradit Theophrastus Lib. IV. Hist. Plant. cap. XI. eiusque rei aliquot adducit exempla. Neque etiam semper numis addita fluuiorum, qui in iis depinguntur, quæque in isto etiam, quem enarramus, præterita sunt, nomina: prout, & quod aliunde e locorum illorum situ constat, signatus subinde in numis Tripolitarum minoris Asiæ, *Mæander*; Samiorum, *Imbrasus*; Colophoniorum *Clarus*; Anazarbi, *Pyramus*; Philippopolitarum & Hadrianopolitarum, *Hebrus*; Antiochiæ, *Orontes*; Samosatarum, *Euphrates*; Damasci, *Chrysorrhoas*; Aegyptiorum *Nilus*, aliique id genus in illa numaria supellectile obuii.

De diuersis fluuiorum figuris in numis.

(1) De præst. & Vs. Num. p. 488. Edit. Amst. Sed male ibi Meles citharam gestat pro arundine.

XIII. Quamquam e diuerso forte ac speciali gemini fluuii in hoc Pergamenorum numo, ab eo, qui in altero M. Aurelii cum additis vtriusque fluuii, *Selini* nempe & *Cetii*, nominibus conspicitur, typo, non iidem forte fluuii possent in eodem, nec abs re omnino statui: sed vt *Selini* loco *Caïcus*, ad quem sita itidem, immo ab eo etiam situ celebrata & distincta Pergamus, designetur. Erat quippe *Caïcus*

De Selino, *seu potius* Caïco, *ac* Cetio *fluuiis in hoc numo expressis.*

Myſiæ fluuius, vnde *Myſusque Caïcus* a Poëta dicitur Lib. IV. Georg. ỷ. 370. & Anthol. Lib. IV. cap. VII. Epigr. XXI. ſimiliter Μυσὸς Καϊκὸς, ac pridem ante ab Aeſchylo in Myrmidonibus apud Strabonem Lib. XIII. pag. 616.

Ἰὼ Κάϊκε Μύσιαί τε ἐπιῤῥοαί.

Io Caice & Myſiæ fluenta.

ab Ouidio autem Lib. II. Metam. ỷ. 243. & alibi, *Teuthranteusque Caïcus*, in qua Teuthrania ſita erat, vt e Strabone, Pauſania, aliisque notum, *Pergamus.* Vnde etiam ad alterius *Pergami* in vicina Troade ſeu Phrygia diſcrimen, dicta prior illa Πέργαμος ὑπὲρ Καΐκου, *Pergamus ſupra Caïcum*; neque id a Pauſania ſolum pag. 420, 461. & 659. ſed apud Ariſtidem etiam in Oraculo quodam de Pergamo, dicitur eadem Serm. Sacr. III. pag. 551. vrbs *Telephi*, eaque Καΐκου ναμάτων οὐ τηλόθεν, *haud procul a Caïci fluentis.* Vnde haud abſonum vt nobilior illius tractus fluuius, qui Pergamum præterfluere a Strabone etiam dictus Lib. XIII. pag. 624. immo a cuius ad eum ſitu denominata olim & diſtincta ab alia vrbe ὁμωνύμῳ eadem *Pergamus*, in illo quoque numo adumbrari ſtatuatur. Id autem inde etiam adſtrui poſſet, quod nullum hic exſtat *apium* aquatile, vnde fluuio nomen apud Pergamenos *Selino*, & quale geſtat ille in altero M. Aurelii, vti diximus, numo; ſed eius loco gubernaculum, quale maioribus demum fluuiis, vt *Danubio* in Traiani numo, quod non ignoras, tribuitur, ac ſimiliter *Hebro* in numo Hadrianopoleos, ad quem eadem erat ſita; ſed qui male alio a Triſtano trahitur, qui illius in Caracalla meminit. Adde, quod nec inſolitum ſit in hac numaria ſupellectile, ac in vrbibus etiam Pergamo haud valde disſitis, vt pro ratione locorum, ac eorum ſitu, diuerſi ſubinde, qui eandem vrbem permeant, aut præterfluunt, fluuii in illarum vrbium numis conſignentur. Tales Smyrnæorum numi: alii nempe, in quibus, vti in eo, de quo paullo ante, Sabinæ Auguſtæ *Meles* fluuius, & cum inſcriptione ΜΕΛΗϹ ϹΜΥΡ. *Meles Smyrnæorum*, depingitur; alii autem, vt in numo Neronis Regiæ Gallorum Gazæ, in quo exſtat ΚΛΑΡΟΣ ΣΜΥΡ *Clarus Smyrnæorum*, cum decumbentis eiusdem fluuii figura, & a quo ceteroquin amne dicti in antiquo etiam numo *Clarii Colophonii*, ſeu ΚΟΛΟΦΩΝΙΩΝ ΚΛΑΡΙΩΝ. Immo, duos adhuc alios fluuios ſignatos noui in ſingularibus Smyrnæorum numis. Prior ex iis notus eo in tractu *Hermus*, quem numus in Wheleri Itinerario, iuxta plures alios, editus, cum fluuii effigie exhibet, inſcriptus: ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΕΡΜΟΣ ΕΠΙ ΙΩΝΙΟΥ, *Smyrnæorum Hermus ſub Ionio.* Alter vero fluuius, ſed cuius alibi haud occurrit hactenus, quod ſciam, mentio, exſtat in numo, quem Smyrnæ a Gallandio, viro in his antiquitatibus verſatiſſimo, acceptum edidit diligentiſſimus Sponius Miſcell. pag. 140. in quo recumbens fluuius viſitur, cum inſcriptione: ΡΗΓΕΙΝΟϹ, infra: ΣΜΥΡ. ΕΠΙ ΜΥΡΤΟΥ, *Rheginus, Smyrnæorum ſub Myrto* (1). Sic in Apameæ Phrygiacæ, vti apud Athenæum dicitur Lib. VIII. pag.

(1) De hoc numo v. ſupra Cap. V. §. XXXVI. ſq.

pag. 332. præclaris numis, modo *Marſyam*, modo *Mæandrum* amnes, modo vtrumque ſimul, ſicut in adducto paullo ante numo, ſignari haud ignoras. Vnum forte obſtare hic poſſet; ne, *Caïcus* qui in ſinum Elaïticum, vt e Strabone conſtat, influit, in hoc Pergamenorum numo depictus videatur; quod imberbis ferme vterque in eodem numo fluuius adpareat, & muliebri quidem forma is, qui gubernaculum tenet: quum tamen iuxta traditum a Viro harum antiquitatum eximie perito, in Opere de Coloniarum Numiſmatibus pag. 160. & 260. Partis II. diſcrimen, amnes, qui in alios delabuntur, imberbes; barbati autem, qui in mare defluunt, in numis depingantur. Verum illud diſcrimen haud perpetuo in hac veteri numorum penu obſeruatum noui: quum *Mæander*, qui e maioribus eiusdem Aſiæ Proconſularis fluuiis,, in mare ſe exonerabat, & quo, vt barbati in numo Antiochiæ Piſidicæ exemplo, ibi vtitur vir eximius, ac prout in aliis inſuper, vt Traiani Decii cum adſcripto nomine ΜΑΙΑΝΔΡΟϹ, conſpicitur, idem, inquam, imberbis potius iuxta *Marſyam*, qui in eum delabebatur, adparet in eo, de quo modo, Gordiani numo (1). Id certe eiusdem e theſauris Gallorum Regiis depromti, ac in æs inciſi, quem poſſideo, typus oſtendit: quum contra cum promiſſa barba vtrumque in eodem numo fluuium exhibeat Triſtanus Tom. II. pag. 526. ac proinde *Marſyam* itidem, qui tamen non in mare, ſed in Mæandrum, vt aliunde notum, defluebat. Quomodo barbatus etiam idem *Marſyas* conſpicitur in alio numo Regio eiusdem Gazæ, qui vltimo loco Speciminis Tab. XVI. eſt a te vulgatus. Haud aliter ac in eiusdem, ne iam longius lectorem abducam, Tabula XII. *Lycus* itidem & *Caper*, qui prope Laodiceam Phrygiæ, quæ in eodem etiam numo ſignatur, in Mæandrum, iuxta adductum a te ibidem Spec. pag. 137. Strabonis locum, delabebantur, bene barbati ibi quoque comparent. Adde cum eiusdem Phrygiæ, tum Bithyniæ fluuium *Sagarim*, qui in numo Nicæenſium Tab. XVIII. cum prolixa barba; non vero in numo, de quo ſupra, Tianorum præcedenti Tab. XVII., iuxta *Billæum* amnem, ſpectatur. Mitto nobiles eorundem Proconſularis nempe Aſiæ tractuum fluuios, *Cayſtrum* & *Hermum*; qui ambo, etſi in mare delaberentur, imberbes potius, quam barbati proſtant in ſingularibus Epheſiorum ac Temnitarum numis, vti ſignantur iidem in Wheleri Itinerario. Adeo, vt nihil [ſit, quod (2)] nos moretur, immo quod non ſuadeat potius, vt, ſicut in dicto antea Pergamenorum numo, *Selinus*, isque cum apio, vnde illi nomen, & *Cetius* fluuii, additis eorum nominibus, & cum aliis typis, ſignantur; ita in hoc eorundem Pergamenorum, de quo agimus, numo, pro *Selino Caïcus*, qui Pergamum itidem præterfluebat, & ob alias adhuc, quas modo adtigimus, rationes, vna cum *Cetio*, a quo Pergamenos ipſos & conterminos Myſos *Cetios* ab Homero dictos, antea, ac alibi pridem, diximus, depictus a nobis ſtatuatur.

(1) Agnoſcit id Vaillant. Num. Græc. p. 346.

(2) Hæc verba deſunt in textu.

Neque ideo tamen valde repugnabimus, ſi qui pro *Caïco Selinum*, quod ille intermeet Pergamum, & in alio eiusdem vrbis, quem pridem in lucem protuli & explanaui, numo, adſcripto etiam eius

 nomine,

nomine, conspiciatur, in hoc etiam numo expressum malint. Et hæc quidem erant, mi MORELLI, vnde cum huic, tum alteri, cum Aesculapio & δαδούχοις Centauris, Pergamenorum numo, quibus, vt fulgentibus gemmis, illuminare tui Speciminis propylæum voluisti, lucem, qua illæ adhuc indigere tibi videbantur, a me vtcunque adlatam putem. Dabam Berolini, XV. Kal. Maii, Anno Aeræ Christianæ cIↄ Iↄc xcv.





SYLLABVS
EPISTOLAE TERTIAE.

EPI-



EPISTOLA TERTIA (1)

AD EVNDEM.

(1) Inter eas, quas Morellius Specimini subiunxit, quinta.

SVPERSVNT adhuc, MORELLI præstantissime, singulares quidam Seueri & Antonini Caracallæ Imperatorum numi, in tuo Specimine editi; ad quos explanandos ac illustrandos aliquid insuper operæ a me conferri posse censuisti. Ii nempe, in quibus cum ΣΕΥΗΡΕΙΑ, eaque vel ΜΕΓΑΛΑ vel ΠΡΩΤΑ, in alio etiam Regiæ Gallorum Gazæ numo, cuius iconem a te acceptam hic opportune præmittendam duximus, ΟΛΥΜΠΙΑ, ΕΠΙΝΕΙΚΙΑ, tum alia dicta ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ, cum solitis Agonum seu Ludorum insignibus, in illo tuo rei veterum numariæ propylæo, siue tabulis Speciminis XIII. & XIV. consignantur.

De Festis seu Ludis publicis, qui cum Diis, tum Geniis ac Heroibus apud Gentiles sacrati.

(2) In tabella huic epistolæ præmissa priorem locum occupat.

I. Inter quos autem numos occurrit ille, qui primo loco Tabulæ XIII. ex eodem Illustrissimi Comitis Schwartzburgici, Patroni tui, Museo a te nunc primum in lucem est prolatus (2), hinc cum Seueri Imperat. effigie, illinc, in quo duæ hydriæ conspiciuntur cum palmis mensæ impositæ, & inscriptione: ΣΕΥΗΡΙΑ ΜΕΓΑΛΑ ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ ΔΙΣ ΝΕΩΚΟΡΩΝ, *Seueria Magna Nicomediensium Bis Neocororum.* Illud vero iam a limine primæ ad te Epistolæ obiter me adtigisse haud ignoras; nempe non a Diis solum, sed a Regibus quoque & Romanis Cæsaribus, denominari varia gentilium Festa ac Certamina, eaque ferme vix aliunde, quam ex antiquis hisce insignium numorum monumentis nota. Quum enim ea Festorum id genus a prima eorum origine, & apud omnes ferme gentes, ratio fuerit; vt, cum ad laborum intermissionem, tum ad communem quendam ac hilariter & festiue (vnde huic voci apud Romanos nomen) peragendum Numinis cultum illa fuerint instituta; factum etiam, vt inde sua singulis Diis, a quibus eadem vulgo adpellarentur, Festa & Certamina

mina paullatim ſint conſecrata. Hinc ſtata iisdem ſolemnibus tempora, loca, panegyres, ſacra, hymni, agones, præſides, flamines, choreæ, comeſſationes: quo curis tum aliis ſoluti, ſuæ in Numen illud, cui dicata erat panegyris, pietati, ac hilaritati præterea, omnibusque, quibus hæc prodere ſe ſolet aut expleri, intra præſcriptos id genus ſolemnibus dies, vnice incumberent. Adeo quidem, vt gaudere etiam, & adfici haud parum illo cultu iidem Dii crederentur; præſentes quoque, ſolemnibus aut arcanis id genus eorum ſacris, elici; ac unde celebrata ſubinde ΘΕΟΦΑΝΙΑ & ΕΠΙΦΑΝΙΑ, quibus opem, ſalutem, præſidium recte eos ac legitime, ſeu iuxta receptos ritus, colentibus, iidem coram adferre, cenſebantur. Qua ratione etiam paullatim contigit, vt non Diis ſolum cœleſtibus, ſeu maiorum gentium; ſed Heroibus etiam ac Geniis, ſeu iis, a quibus vel acceperant beneficia, vel damna aut vltionem metuerent, eundem quoque honorem ſibi habendum duxerint: quo nempe gratam priorum apud ſe memoriam, eo publico & redeuntis ſtato tempore feſtiuitatis genere, ad poſteros transmitterent; horum vero auerruncandæ iræ, & amoliendis, quæ ab illis imminerent, damnis, iis veluti delinimentis vterentur. Vnde a Platone præſcriptum videas de legibus Lib. VII. pag. 799. Tom. II. vt feſti dies ſinguli, ſtatis anni temporibus, Diis, Deorumque filiis & Dæmonibus, ſeu Geniis conſtituantur; quibus etiam ſacrificiis iidem, vel hymnis, aut choris ſint celebrandi, rite adcurateque deſignetur. Qua in re proinde, ſicut in omni reliquo religioſo apud ſe cultu, a ſapientiſſimi Moſis inſtitutis receſſerunt Gentiles, qui nempe Moſes, vt ea de re præclare Philo de Septen. p. 1176. Feſta, tanquam præſtantiora, quam naturæ humanæ conueniunt, vni Deo conſecranda viderit, indeque ea Leuit. XXIII. 2. vocari FESTA DOMINI, nempe, vt ibidem Philo, quod vnius Dei ſit perfectio, beatitudo, & vera ac ſincera lætitia. Vnde haud immerito eosdem Gentiles illo etiam nomine redarguit, vt de aliis nunc ſileam, Theodoritus. Serm. VII. Græc. Affect. cur. pag. 585. Tom. IV. *quod non iis ſolum, qui Dii vocabantur, ſed* HOMINIBVS *quoque eundem cultum*, Feſta nempe, de quibus ibi agit, *exhibuerint.* ὁ γὰρ μόνον τοῖς καλουμένοις Θεοῖς, ἀλλὰ καὶ ΑΝΘΡΩΠΟΙΣ, τόδε τὸ σέβας ἀπένειμαν.

II. Sed quæcunque fuerit eius rei, de qua iam agendi haud nunc eſt locus, apud Ethnicos ratio, ſeu credulitas vel opinio; id vtique cum aliunde, tum e monumentis lapidum ac numorum antiquis manifeſtum: cum ſacrata paſſim non Diis ſolum, ſed Heroibus vita functis, aut ſubinde, gliſcente adulatione, Regibus ac Cæſaribus adhuc ſuperſtitibus, Feſta quædam ſeu ſolemnia Certamina; tum ea etiam ſingula eorundem, quibus illa dicata erant, nominibus; aut quandoque, ſed rarius, a loco, vbi Dii id genus vel Heroes peculiariter olim culti; vel a præcipuo quandoque illius ſolemnis inſtituto, denominari olim ſolita. Cuius equidem cultus ac diſcriminis, ne longius abeam, ac vt me nunc intra hoc priſci æris aut argenti ταμιεῖον contineam, ſuppeditare poterunt, quæ ex illa veterum numorum penu, vel obiter adduximus, ab initio primæ ad te epiſtolæ; vel in eadem etiam ac ſecunda (1) adtigimus, exempla. Quomodo a Deorum nominibus inſcripta in iisdem iam diximus, ΑΣΚΛΗΠΙΑ; ΗΛΙΑ; ΛΗΤΩΕΙΑ,

De Feſtis nominatim, quæ in priſcis numis conſignantur.

(1) In Specim. p. 100. ſqq.

ΗΡΑΚΛΕΙΑ, ΚΑΒΕΙΡΙΑ, ΔΙΟΣΚΟΥΡΙΑ (1), CEREALIA (2); aut a locis, vbi peracta, aut vnde desumta eadem Festa, ΟΛΥΜΠΙΑ, ΙΣΘΜΙΑ, ΝΕΜΕΑ, ΠΥΘΙΑ quoque, ΑΚΤΙΑ insuper, ΠΑΝΙΩΝΙΑ, CAPITOLINA, quibus addi aliunde possunt e præclaris itidem numis ΕΦΕΣΙΑ. Adde petitas subinde, vel a præcipua Dei, cui sacrum illud solemne, virtute; vel ab ipsius solemnis auctore, instituto, ac celebritate, adpellationes; vt ΧΡΥΣΑΝΘΙΝΑ, ΣΩΤΗΡΕΙΑ, ΘΕΟΓΑΜΙΑ, ΕΒΔΟΜΗ (3) ΕΥΣΕΒΕΙΑ, & quæ rursus in dictis tui Speciminis tabellis prostant, quæque hic similiter expendenda veniunt, ΕΠΙΝΕΙΚΙΑ, ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ, ΚΟΙΝΑ etiam, aut ΠΡΩΤΑ ΚΟΙΝΑ, vel, vti ea de re actum secunda ad te Epistola (4), ΟΙΚΟΥΜΕΝΙΚΑ: in Romanis autem & Romanarum Coloniarum numis, LVDI SECVLARES, CERTAMINA QVINQVENNALIA, vel etiam, vti itidem vidimus (5), OECVMENICA ISELASTICA, PERIODONICA, nuncupantur.

(1) Suspecta ΔΙΟΣΚΟΥΡΙΑ in numo Domitiæ, quem edidit Spanh. ad Callimach. p. 459. Vid. Vaill. l. c. p. 25. & conf. supra cap. IX. §. 13.

(2) CERIALIA ex numo gentis Memmiæ. Vaill. Famil. Rom. T. II. Tab. 95. p. 123.

(3) Vid. de præst. & Vs. T. I. p. 655. sqq. & Vaill. p. 152.

(4) Specim. l. c.

(5) Specim. Ep. II. §. 6.

De iisdem, quæ Heroibus, Conditoribus, aut Ducibus, olim vrbes variæ dedicarunt.

III. Qua ratione, prout iam obiter diximus, antiquissimis Heroibus, sicut & Conditoribus vrbium, aut Regibus quandoque & Ducibus bene de regione aut ciuitate, cui præfuerant, vel de patria ceteroquin meritis, & quidem primitus post eorum demum obitum, seu ad conseruandam & propagandam ad posteros eorundem memoriam, consecrata subinde id genus Ludorum seu Agonum solemnia. Sic apud Athenienses, sed quod aliunde quam ex antiquis numorum monumentis constat, ΘΗΣΕΙΑ, apud Laconas ΒΡΑΣΙΔΕΙΑ, ΥΑΚΙΝΘΙΑ, ΑΧΙΛΛΕΙΑ, ΕΛΕΝΕΙΑ, & quo referri possent memorata iam ante ΔΙΟΣΚΟΥΡΕΙΑ (6), ac præterea ΜΕΝΕΛΑΕΙΑ, ΛΥΚΟΥΡΓΕΙΑ, ΕΡΥΚΛΕΙΑ, *Brasidæ*, *Hyacintho*, *Achilli*, *Helenæ*, *Dioscuris*, *Menelao*, *Lycurgo*, *Eurycli*; ΑΙΑΚΕΙΑ, *Aeaco*, apud Aeginetas; ΑΙΑΝΤΕΙΑ, *Aiaci*, apud Locros Opuntios, ΙΟΛΑΙΑ, *Iolao*, apud Thebanos, ΠΡΩΤΕΣΙΛΑΕΙΑ, *Protesilao*, apud Thessalos, ΔΙΟΚΛΕΙΑ, *Diocli*, apud Megarenses, quorum, vt id obiter tangam, præter adductos a Cl. Meursio Græcos Pindari Enarratores, seu illius Megarensium Herois & honorum, quibus ab iis colebatur, meminerant pridem, vt obseruo, Aristophanes Acharn. pag. 408. ac Theocritus Idyll. XII. ℣. 30. Adde iis recentiora vel ΜΙΛΤΙΑΔΕΙΑ, *Miltiadi*, apud Athenienses; vel ΛΥΣΑΝΔΡΙΑ, *Lysandro*, apud Samios & Chersonesi incolas; vel ΠΑΥΣΑΝΕΙΑ, *Pausaniæ*, apud Laconas; vel ΑΡΑΤΕΙΑ, *Arato*, apud Sicyonios, pluraque id genus, quæ non fugerunt eruditorum, qui Festa Græcorum adtigerunt ac illustrarunt, diligentiam. Adeo vt vix vlla gens esset vel vrbs, maxime apud Græcos, Siculos, aut Græcos Asiaticos, quæ conditoris sui aut benefactoris alicuius memoriam, hoc solemnis cultus genere, non sibi celebrandam duxerit. Vt mirum proinde videri neutiquam debeat, similem quoque honorem *Alexandro Magno*, neque solum a Communi Macedonum, qua de re infra, aut a communi etiam Ionum prope Clazomenas, iuxta Strabonem Lib. XII. pag. 644. sed præterea, & quidem multis post Alexandri fata ætatibus, a Communi Thracum in eorum Metropoli, exhibitum adhuc videre in præclaris & insignibus Antonini Caracallæ, aut Alexandri Seueri numis; cuiusmodi versauimus haud semel in luculentis CHRISTINAE REGINAE, Gallorum Regiis, aliisque præclaris Cimeliarchiis. In quibus nempe numis, quales obiter iam

(6) V. Supra ad §. II.

iam adtigimus primæ ad te epiſtolæ §. XVI. ΑΛΕΞΑΝΔΡΙΑ, cum ſolitis agonum ſymbolis, *Philippopoli* a *Communi Thracum* leguntur con-ſignata. Quod in Ponto itidem factum, liquet e Gordiani numo, quem Cl. Patinus vulgauit Numiſm. Imp. pag. 372. inſcriptum ΑΛΕΞΑΝΔΡΙΑ ΟΔΗϹϹΕΙΤΩΝ, *Alexandria Odeſſitarum*, qui *Odeſſi*, notæ in Ponto vrbis, iuxta Arrianum, Stephanum, aliosque, incolæ: immo prout eadem ALEXANDRIA, in vrbe cognomine, ſeu *Alexandriæ* itidem acta, liquet e veteri lapide apud Gruterum Theſ. CCCXIV. 1. Quo reſpexit forte Dio, qui Lib. LI. pag. 456. tradit, Auguſtum eo loco, in quo prope Alexandriam, vti in prioribus ab eo dicitur, Antonium vicerat, cum vrbem condidiſſe, tum Ἀγῶνα ſeu Ludos, eidem quoque, quales prior vrbs habuiſſet, adtribuiſſe. Sic poſtea factum, vt haud diſsimilis etiam honor ad ipſos Alexandri ſucceſſores ſubinde delatus legatur: quomodo ΑΝΤΙΓΟΝΕΙΑ, *Antigonia*, ab Arato nempe in *Antigoni* honorem celebrata, tradit in Agide & Cleomene Plutarchus pag. 812. aut ab Athenienſibus quoque agones & pompas annuas eidem decretas Diodorus Siculus Lib. XX. pag. 783. Ita ΔΗΜΗΤΡΙΑ, filio eius Demetrio, non Athenis ſolum, vt ex eodem Diodoro, Plutarcho præterea, Athenæo, & Euſtathio vidit iam Cl. Meurſius; ſed a Bithynis quoque Nicomedienſibus, ſequutis adhuc ætatibus, peracta, docebit ſingularis oppido numus (1), inſcriptus ΔΗΜΗΤΡΙΑ ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ ΤΡΙϹ ΝΕΩΚΟΡΩΝ, *Demetria Nicomedienſium Ter Neocororum:* in quo autem depicta tria templa, quod in aliis vrbis illius numis haud inſolitum, quorum nempe iidem Nicomedienſes eſſent *Neocori*. Perlata enim ad me haud ita pridem inſignis illius numi notitia ab eo, qui Londini, in inſtructo veteri hac penu Muſeo, illum tractauit; quique harum antiquitatum vſum habet haud vulgarem, mihique aliis nominibus & conſanguinitatis etiam vinculo, quod non ignoras, eſt cariſſimus. Quibus addi inſuper debet illud Athenienſium de Philippo, penultimo Macedonum Rege, plebiscitum; vnde de ſimilibus honoribus, quos in illum, aliosque Alexandri ſucceſſores iidem contulerant, licet ſtatuere, quod exſtat apud Liuium Lib. XXXI. cap. XLIV. *vt Philippi*, penultimi nempe Macedonum Regis, *ſtatuæ* &c. *tollerentur*, *delerenturque*; item DIES FESTI, *ſacra*, *ſacerdotes*; *quæ IPSIVS MAIORVMVE eius honoris cauſſa inſtituta eſſent*, omnia profanarentur.

(1) De hoc numo Obſ. ad Callimach. p. 758. aliter ſentire cœpit vir ſummus, quem ſequitur Vaillant. Num. Græc. p. 106, & 333.

De Feſtis aut Ludis in honorem Romanorum Ducum, aut ipſius Romæ olim inſtitutis.

IV. Vnde idem quoque ſub Romanis Cæſaribus, ac ſub eo quidem, qui tum rerum potiebatur, Imperatore, vti in his, de quibus agimus, Seueri numis, ab iisdem Nicomedienſibus, qui dicta modo ΔΗΜΗΤΡΙΑ conſignarunt, aut a Nicæenſibus ac Perinthiis, cuſis, factum nemo mirabitur. Eius enim rei, ſeu ſimilis inſtituti, inducta iam fuerant, non ſub prioribus ſolum Cæſaribus, ſed liberæ etiam Reipublicæ temporibus, exempla. Ita apud Græcos Aſiaticos, cum ΜΟΥΤΙΑ, tum ΛΥΚΟΥΛΛΕΙΑ, *Mutia*, ac *Lucullea*, & hæc nominatim Cyzici, Syracuſis quidem ΜΑΡΚΕΛΛΕΙΑ *Marcellea*; ea autem in honorem tum *Qu. Mutii Scæuolæ*, qui Aſiam laudabiliter rexerat; tum *L. Luculli*, ob easdem Aſiæ vrbes præclaris legibus fundatas & in pacem adſertas; tum *M. Marcelli*, propter ea, quibus adfecti ab illo fuerant, poſt captam eorum vrbem, Syracuſani beneficia: quæ nempe e Cicerone in Verrinis, interprete eius Aſconio, & Plutarcho, adtigit,

iam suis locis in Græcia Feriata diligentissimus Meursius. Adde Romæ ac Senatui delatos subinde a Græcis, maxime Asiaticis, diuinos id genus honores; prout de Alabandensibus in Caria anno V. C. DLXXXII. narrat Liuius Lib. XLIII. cap. VI. *Alabandenses templum vrbis* ROMAE *se fecisse commemoraverunt*, LVDOSQVE ANNIVERSARIOS ei DIVAE instituisse. Quomodo Smyrnæi de se aiunt apud Tacitum Lib. IV. Annal. cap. LVI. *se primos templum vrbis Romæ statuisse, M. Porcio Consule, magnis quidem iam Populi Romani rebus, nondum tamen ad summum elatis, stante adhuc Punica vrbe, & validis per Asiam Regibus.* Cuius rei fidem insuper faciunt numi sub Iulia Seueri adhuc percussi, qui exstant in Thesauris Gallorum Regiis, addita Romæ effigie, vbi *Ter Neocori Deæ Romæ* dicuntur iidem Smyrnæi, nempe CMYPNAIΩN Γ NEΩKOPΩN ΘEAC PΩMHC. Ita non IEPA solum, sed ΘEOΣ etiam ΣYNKΛHTOΣ, *Deus Senatus*, diuinis proinde honoribus itidem, & cum ab aliis Asiaticis, vt veteres numi subinde arguunt, tum ab iisdem Smyrnæis similiter cultus. Id enim cum ex eodem Tacito, de quo paullo post, tum nominatim ex eorundem numis tibi haud ignotis constat: in quibus modo IEPA CYNKΛHTOC, modo ΘEON ΣYNKΛHTON ΣMYP. *Deam Senatum Smyrnæorum*, cum additi in vtroque numo templi icone conspicimus.

De iisdem Ludis, qui Romanis Imperatoribus Iulio, Augusto, aliisque dein, consecrati.

V. Qui proinde gentis in omne adulationis genus pronæ cultus continuo sub primis Cæsaribus, Iulio Cæsare, Augusto, ac Tiberio, se apertius adhuc prodidit: dum nihil (qua de re Tacitus) honoribus Deorum relictum, quod non in eosdem Imperatores, eorumue successores, Græci, & maxime, vt diximus, Asiatici largiter profuderint. Vnde vt Templis, Aris, Sacerdotibus, sic eo paratius receptis iam apud se erga alios principes, ac, vt vidimus, Romanorum etiam Duces, aut Romam ipsam ac Senatum, Ludorum nempe seu Agonum Solemnibus, eosdem Imperatores, a quorum nutu iidem pendebant, sibi celebrandos, eorumque solemnium memoriam publico vrbis ære, aut duraturis lapidum monumentis consignarunt. Immo cui rei Romani ipsi in vrbe gentium domina præluserant: dum I. Cæsari, soli tum rerum potenti, inter alios honores a Senatu decretos refert Dio Lib. XLIV. pag. 143. *vt Quinquennales ei, tanquam Heroi, ludi agerentur*, καὶ πενταετηρίδα οἱ, ὡς Ἥρωϊ. Quem honorem Augusto similiter, subacta Aegypto, a Senatu decretum idem refert, Lib. LI. pag. 456. καὶ πανήγυριν οἱ πενταετηρίδα ἄγεσθαι, *vt Quinquennales ludi in eius honorem fierent*. Immo quomodo natali Augusti, qui, præter Suetonium Cap. V. ac Dionem Lib. LVI. p. 590. in veteri vrbis Kalendario IX. Kalend. Octob. adscribitur, quique AVGVSTALIA, iuxta eundem Dionem Lib. LIII. pag. 527. (1) Romæ primum, nempe A. V. C. DCCXLIII. Senatus consulto instituta, quæ sua adhuc ætate celebrarentur, tradit idem Dio Lib. LIV. pag. 545. qui eorundem rursus meminit Lib. LVI. pag. 589. Vt proinde haud mirum videri debeat, si eosdem quoque honores certatim aliæ Romani orbis gentes eidem Augusto & Successoribus deferendos sibi crediderint. Luculentus eius rei testis, & quidem agonum seu ludorum id genus in Augusti

(1) Hoc loco de natali Augusti nihil apud Dionem, cuius verba: .... πολλὰ καὶ παντοῖα ἐψηφίσθη· ὧν οὐδὲν προσήκατο πλὴν τό γε Τύχῃ ἐπαναγώγῳ (οὕτω γάρ πως αὐτὴν ἐκάλεσαν) βωμὸν ἱδρυθῆναι καὶ τὴν ἡμέραν, ἐν ᾗ ἀφίκετο, ἔν τε ἱερομηνίαις ἀριθμεῖσθαι καὶ Αὐγουστάλια ὀνομάζεσθαι, h. e. *multa & varia decreta sunt, quorum ille nihil accepit, nisi quod Fortuna reduci (ita enim eam appellabant) aram consecrari, diemque sui reditus inter ferias referri & Augustalia passus est.*

Augusti honorem passim in Romano orbe institutorum, Suetonius in Aug. cap. LIX. *Prouinciarum pleræque super Templa & Aras*, LVDOS *quoque* QVINQVENNALES *pene oppidatim constituerunt.* Quibus gemina rursus apud Dionem legas Lib. LI. pag. 458. vbi de templis *Iulio* primum, deinde *Augusto*, apud Asianos ac Bithynos sacratis; ac inde de eodem more fana Romanis Imperatoribus consecrandi, qui, vt ibi ait, non apud Græcanicas solum gentes, sed apud omnes alios populos Romano Imperio subiectos deinceps obtinuerit, agit. Quod de *Augusto* nominatim, seu delatis eidem a toto Romano orbe diuinis id genus honoribus, tangit, vt id iam ad Suetonium in Augusto vidit ὁ πάνυ Casaubonus, Philo Legat. ad Caium pag. 1013. vbi addit inter alia, quod nulla in vrbibus pulchriora conspiciantur templa iis, quæ Καισάρεια in iisdem dicta; aut quale Alexandriæ Σεβάστειον, seu *Augustale* nuncupatum, & cum quo nullum aliud esset conferendum. Qua proinde occasione instituta discimus in eadem Alexandria ΣΕΒΑΣΤΑ *Augustalia*; solemnes nempe in Augusti honorem Ludos seu Agones; quæ leguntur coronæ inscripta Thes. Gruteri CCCXVI. 2. Qualia eodem nomine *Neapoli* celebrata commemorantur cum aliis id genus Agonibus in veteri Marmore apud Sponium Miscell. pag. 364. ΣΕΒΑΣΤΑ ΕΝ ΝΕΑ ΠΟΛΕΙ, *Augustalia Neapoli*; nempe Quinquennale illud Certamen Gymnicum, quod *Neapoli in honorem suum institutum* ipse dicitur spectasse Augustus apud Suetonium cap. XCIX. & in eo Claudius Græcam egisse comœdiam, inducto nempe in illud, præter gymnicum, scenico quoque agone, apud eundem in Claud. cap. XI. Sic præter plura, quæ Herodes in Cæsaris Augusti honorem exstruxisse dicitur Καισάρεια, seu templa, ita passim, vt e Philone iam vidimus, appellata: illo nomine dictum quoque quinquennale Certamen, quod ei in vrbe Palæstinæ, *Cæsarea* ab eo similiter nuncupata, idem consecrasse traditur apud Iosephum Lib. I. 'Αλώς. cap. XV. Quomodo edita etiam a *Tyriis* ΑΚΤΙΑ ΚΑΙΣΑΡΕΙΑ, seu ita dictos in honorem eiusdem Cæsaris, in memoriam deuicti ad Actium Antonii, Ludos, docet eximius numus in Gaza Gallorum Regia, sub Philippo Seniore cusus (1). Sic ΣΕΒΑΣΜΙΑ, seu *Augustalia*, eidem nempe Augusto sacratos ludos, exhibent *Damascenorum* numi, non eiusdem solum Philippi, aut Coniugis Otaciliæ, cuiusmodi exstat in eadem Gaza Regia cum Epigraphe in corona itidem querna, COLONI. DAMASCO METROPOL. sed iam ante in Alexandri Seueri (2) numo Mediceo, cum Græca inscriptione ΔΑΜΑΣΚΟΥ ΙΕΡΑ ΜΗΤΡΟΠ. Adde *Lugduni*, non ædem solum eidem Augusto, & Aram sexaginta gentium nominibus ac imagine notabilem, dicatam, iuxta Strabonem Lib. IV. p. 192. sed Festum quoque ibi a Communi Gallorum, quod sua ætate adhuc ederetur, celebratum (3), tradit Dio Lib. LIV. pag. 543. 544. vbi de primoribus Gallorum ait, προφάσει ΤΗΣ ΕΟΡΤΗΣ, ἣν καὶ νῦν περὶ τὸν τοῦ Αὐγούστου βωμὸν ἐν Λουγδούνῳ τελοῦσι, *prætextu eius FESTI, quod etiamnum Lugduni ad aram Augusti peragunt.* In eo autem Festo, seu solemnibus ibi Gallorum ludis, vti passim in Græcorum, quod aliunde constat, Agonibus, Oratorum quoque ludum, seu *Certamen Græcæ Latinæquæ facundiæ* exstitisse, in quo decertauerit ipse Caligula, testis Suetonius in eius vita cap. XX. notumque præterea eam in rem illud Satyrici:

(1) Apud Vaill. Col. T. II. p. 175.

(2) Adde similem Elagabali numum ap. Vaill. Num. Græc. p. 126. & 359.

(3) Deest vox. *vt* vel alia similis.

Aut Lugdunensem Rhetor dicturus ad aram.

Præcipuum ea in re Græcarum in Asia vrbium studium.

VI. Qua in re autem vel præcipuum exstitit, sicut paullo ante diximus, Græcarum in Asia vrbium studium, immo eius rei initium ab iis factum. Id vtique de templis honori Imperatorum dicatis aperte tradit dicto iam loco Lib. LI. pag. 458. Dio; vbi non templa solum I. Cæsari *Romæ* (1), ac ab Asianis (Proconsularis nempe Asiæ) & a Bithynis *Nicææ* (1), Augusto vero *Pergami* ac *Nicomediæ*, idque eius permissu, erecta memorat: sed addit præterea, iisdem *Pergamenis* ab illo indultum ΤΟΝ ΑΓΩΝΑ ΤΟΝ ΙΕΡΟΝ ὠνομασμένον ἐπὶ τῇ τοῦ ναοῦ αὐτοῦ τιμῇ ποιεῖν, *vt* AGONEM, *quem* SACRVM *vocant*, *in honorem eius templi celebrarent.* Adeo vt solemnes illi quatuor Græcorum Agones, non soli amplius eo *sacri* nomine censerentur, prout eodem nomine vulgo illi olim audiebant; vti pridem de iis ait Pindarus Nem. Od. VI. ἀγώνων ἀπὸ τοὺς ἐνέπουσι ἱεροὺς, *certaminum, quæ adpellant, sacra.* & iuxta notum illud Archiæ ab initio Anthologiæ:

(1) Non *Romæ* erectum Iulio Cæsari templum tradit eo loco Dio, sed Romæ & Cæsari parenti *Ephesi* & *Nicææ.* Verba sunt: Καῖσαρ ἐν τούτῳ τά τε ἄλλα ἐχρημάτιζε, καὶ τεμένη τῇ τε Ῥώμῃ, καὶ τῷ πατρὶ τῷ Καίσαρι, ἥρωα αὐτὸν Ἰούλιον ὀνομάσας, ἔν τε Ἐφέσῳ καὶ ἐν Νικαίᾳ γενέσθαι ἐφῆκεν, h. e. *Cæsar hoc tempore cum alia quadam responsa dedit, tum templum vrbi Romæ, patrique Cæsari, quem heroa Iulium nominauit, Ephesi & Nicææ fieri permisit.*

Τέσσαρες εἰσὶν ΑΓΩΝΕΣ ἀν' Ἑλλάδα, τέσσαρες ΙΡΟΙ,

Quatuor in Græcia sunt CERTAMINA, *quatuor* SACRA;

ac vnde in iisdem victores ἱερονῖκαι peculiariter, vt notum, nuncupati. Ita vt idem nomen tum ad hosce Augusto consecratos a Pergamenis ludos, dein ad alios successoribus eius itidem alibi dicatos, vti ex hac numorum penu constat, transierit. A Communi vero Asiæ Templum illud *Romæ* simul & *Augusto* ab iisdem Pergamenis sacratum, cum e Tacito, qui eius meminit Lib. IV. Annal. cap. XXVII. tum e Tiberii & Augusti numis liquet, quos descripserunt diligentes antiquarii, & monuit iam ad Tacitum eruditissimus Lipsius, inscriptis: COM. ASI. vel ASIAE ROM. ET AVG. *Commune Asiæ Romæ & Augusto.* ΑΥΓΟΥΣΤΕΙΑ vero dictos, qui ea occasione instituti fuerunt a *Pergamenis*, in eiusdem *Augusti* honorem, Ludos, (quod supra obiter adtigi Epistolæ primæ §. XV. & viderunt iam alii) constat etiamnum e Lapidibus antiquis, vt e Thesauro Gruteri CCCXIV. 1. Marm. Oxon. pag. 76. ac rursus e Sponii Miscell. pag. 367. in quibus ΠΕΡΓΑΜΟΝ ΑΥΓΟΥΣΤΕΙΑ, *Pergamum Augustea*, siue, prout Romæ nuncupata e Dione paullo ante vidimus, *Augustalia.* Sic in alia eiusdem Asiæ Proconsularis, seu Ioniæ, iuxta numos, vrbe, *Metropoli* adpellata, editos quoque in eiusdem Cæsaris Augusti honorem Ludos, & inde vtroque eius nomine adpellatos ΚΑΙΣΑΡΕΑ ΣΕΒΑΣΤΑ, *Cæsarea Augusta*, docent etiamnum veteres horum ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΙΤΩΝ, *Metropolitarum*, numi in Regia Gallorum gaza, sub Valeriano & Gallieno, ac similiter, quosque in Schedis tuis adnotasse olim memini, sub Philippo Seniore percussi: qualem etiam in Gallieno iam diuulgarunt celebres antiquarii Tristanus Tom. III. p. 92. & Patinus Numism. Imp. pag. 413. *Pergamenorum* vero exemplo, vt a *Smyrnæis* olim, quod vidimus, ac pridem ante Cæsarum in orbe Romano imperium, Romæ tanquam Deæ templum fuerat, singulari eorundem in eam studio vel cultu, erectum; sic in eadem vrbe, ab illo Communi Asiæ *Tiberio*, matri eius *Liuiæ*, ac *Senatui*, Templum eiusdem Senatus auctoritate constitutum, quod e Tacito non solum Lib. IV. Annal.

Annal. cap. XXXVII. & LVI. ſed e præclaris inſuper numis etiamnum conſtat; in quibus eiusdem Tiberii, Liuiæ praeterea & Senatus, adſcriptis eorum nominibus, effigies ac ipſum præterea templum, depinguntur. Qualem nempe numum (1) a Cl. Patino antea editum recenſuit quoque vir eruditiſſimus lib. de numis vrbium Illuſtr. pag. 460. Bene quidem, quod in prima numi illius area, capita Liuiæ ac Senatus, quod ipſa numi inſcriptio arguebat, ΣΕΒΑΣΤΗ ΣΥΝΚΛΗΤΟΣ, non Liuiæ & Auguſti, iuxta Patinum, ſignari ille animaduerterit; ſecus autem quod non ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΙΕΡΩΝΥΜΟΥ, quod nemo ſcilicet ferat aut intelligat, ſed ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ legendum contenderit (2): aut quod *Petronium* in auerſa numi parte, nempe vbi exſtat ΤΙΒΕΡΙΩ ΣΕΒΑΣΤΩ ΕΠΙ ΠΕΤΡΩΝΙΟΥ, *Tiberio Auguſto ſub Petronio*, non de Romano Aſiæ Rectore, ſed de Prætore Smyrnæo intelligendum velit. Signatus enim reuera in prima numi illius parte ΙΕΡΩΝΥΜΟΣ, qui nempe Smyrnæorum Prætor, & iuxta veram illius aut ſimilis numi, qualem e Muſeo rerum criminalium apud Pariſinos Prætoris in Regiam illatum Gazam vidimus, epigraphen: ΣΕΒΑΣΤΗ ΣΥΝΚΛΗΤΟΣ ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΙΕΡΩΝΥΜΟΣ, *Auguſta Senatus Zmyrnæorum* (qui per Z ſubinde loco Σ, quod alibi pridem vidimus, & præter Lucianum in iudicio Vocalium fol. 30. in huius vrbis nomine obſeruat Sextus Empyricus adu. Mathem. pag. 35.) *Hieronymus*: in aduerſa autem parte, & in caſu itidem recto: ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΤΙΒΕΡΙΟΣ ΕΠΙ ΠΕΤΡΩΝΙΟΥ, *Auguſtus Tiberius ſub Petronio.* Quem obuium etiam in Smyrnæorum numis morem, vt nempe Prætorum apud illos ac Sophiſtarum ſubinde nomina, in prima eorundem area, & caſu quidem recto, vt ΠΡΩΤΑΓΟΡΑΣ; ΤΙΜΩΝ; ΞΕΝΟΚΛΗΣ; ΜΟΣΧΟΣ &c. frequenter adponantur, adtigit nouiſſime in noſtra ad Smyrnæorum numum de Veſta & Prytanibus Græcorum Diatriba. Immo cuius etiam ΙΕΡΟΝΥΜΟΥ nomen occurrit in aliis Smyrnæorum numis: vt in eo, quem ſupra adtuli, inſcriptum in prima illius area: ΘΕΟΝ ΣΥΝΚΛΗΤΟΝ, in auerſa vero parte: ΕΠΙ ΤΙ ΙΕΡΩΝΥΜΟΥ CΩCΑΝΔΡΟΥ, *Sub Hieronymo Soſandro* (3). *Petronius* autem, qui in illo Smyrnæorum numo cum præmiſſis *Tiberii Auguſti* nominibus memoratur, non vrbanus Smyrnæorum Prætor, ſed Proconſularis Aſiæ ſub Tiberio Rector, cuius etiam in Tiberii rebus fit aliquoties mentio apud Tacitum Lib. III. Annal. cap. XLIX. & Lib. VI. cap. XLV. quique mox ſub ſucceſſore eius Caio, Syriæ, (quod e Ioſepho etiam notum) ſed vbi prius Aſiæ Rector exſtitiſſet, præfuiſſe, a Philone nominatim dicitur Legat. ad Caium pag. 1022. κελεύει γὰρ Πετρωνίῳ τῷ τῆς Συρίας ἁπάσης ὑπάρχῳ, *imperat enim Petronio, Syriæ vniuerſæ præſidi*; & pag. 1027. ἀφ' οὗ τῶν χωρῶν ἐπετρόπευσεν, ἐν οἷς Ἰουδαῖοι καθ' ἑκάστην πόλιν εἰσὶ παμπληθεῖς, ΑΣΙΑΣ τε καὶ ΣΥΡΙΑΣ, *ex quo præfuit Petronius regionibus, in quibus oppidatim multi degunt Iudæi, ASIAE STRIAEQVE.* Hinc vero ΚΟΙΝΑ ΑΣΙΑΣ dicta continuo ab iisdem Aſianis, cum templa illa, tum Certamina, quod viderunt iam eruditi, ac ipſe in tuo Specimine adtigiſti, in Cæſarum honorem ab illo Communi Aſiæ, indultu Principis vel decreto ſenatus, conſtituta: ipſi autem eorundem ΝΕΩΚΟΡΟΙ, qui vero iis præeſſent, vel eadem procurarent, ΑΣΙΑΡΧΑΙ & ΑΡΧΙΕΡΕΙΣ, vti obuia paſſim ac nota horum omnium in antiquis numis, adde & lapidibus ſubinde, & qua de re adhuc infra, mentio

(1) Vid. ſupra Cap. X. §. 3.

(2) Sed & hoc & alia expunxit Harduinus in noua libri de num. Vrb. & pop. editione Opp. Sel. p. 158. vbi & verba ΕΠΙ ΠΕΤΡΩΝΙΟΥ *ſub Petronio*, Proconſule vel Aſiarcha, interpretatur.

(3) Idem Hieronymi nomen in alio Smyrnæorum numo occurrit, de quo vid. Cap. X. §. 3.

mentio abunde comprobat, adpellati. Ita factum, vt ſicut *Pergami*, quod antea fide veterum id genus monumentorum vidimus, ΑΥΓΟΥΣΤΕΙΑ, alibi autem ΣΕΒΑΣΤΑ, vel ΣΕΒΑΣΜΙΑ, vel ΚΑΙΣΑΡΕΙΑ, apud Dionem etiam, vt vidimus, ſeu apud Romanos, AVGVSTALIA, dicti ſunt inſtituti in honorem *Auguſti* Cæſaris ſolemnes ludi ſeu Agones; ita ab iisdem *Pergamenis* celebrata poſtea ΤΡΑΙΑΝΕΙΑ, *Smyrnæ* vero iuxta ac *Epheſi* ΑΔΡΙΑΝΕΙΑ, *Traianalia* & *Hadrianalia*, ſeu Traiano & Hadriano conſecrata id genus certamina, liqueat itidem e priſcis lapidibus in Theſauro Gruteri CCCXIV. Marm. Oxon. pag. 70. & Sponii Miſcell. p. 367. Vnde inſuper eorumdem apud *Smyrnam* ΑΔΡΙΑΝΕΙΩΝ mentionem fieri ab Artemidoro videas Lib. I. cap. LXVI. οἶδα δέ τινα κιθαρῳδὸν ἐν ΣΜΥΡΝΗ, μέλλοντα ΑΓΩΝΑ τὸν ΑΔΡΙΑΝΟΥ ἀγωνίζεσθαι, *vidi autem quendam citharœdum, qui* SMYRNAE CERTAMEN *ab* HADRIANO *dictum* (ſeu HADRIANIA) *erat decertaturus.* Adde ΑΓΩΝΟΘΕΤΗϹΑϹ ΑΔΡΙΑΝΕΙΩΝ, *Agonothetam agens Hadrianiis*, Theſ. Grut. CCCXVII. 1. quæque ΑΔΡΙΑΝΕΙΑ ΟΛΥΜΠΙΑ apud eosdem Smyrnæos dicta, cum e Farneſiana inſcriptione apud Gruterum CCCXIV. 1. tum e Philoſtrato (de quo loco adhuc paullo infra) bene iam ad Spartianum in Hadriano animaduertit ὁ πάνυ pag. 50. Sic, vti præterea ex iisdem conſtat marmoribus, celebrata alia in illius Principis honorem Certamina, eaque itidem dicta ΕΥΣΕΒΕΙΑ ΕΝ ΠΟΤΙΟΛΟΙΣ, *Euſebia Puteolis.* Ea enim ceteroquin in honorem ſeu memoriam Antonini, Hadriani huius ſucceſſoris, qui hoc *Pii* nomen peculiariter, vt notum, tulit, eoque paſſim in libris Veterum Iurisconſultorum deſignatur, acta viderentur: ni obſtaret continuo cum Spartianus in Hadriano cap. XXVII. tum dictus modo, & cuius locum iam ad Spartianum vidit magnus Caſaubonus pag. 42. Artemidorus qui hoc Certamen ab ipſo Antonino Pio in honorem Patris *Hadriani* inſtitutum tradunt. Quos vero honores Hadriano exhibitos, eo minus licet hic mirari, quod, præter receptum iam eius rei morem, de eodem dicatur a Spartiano in illius vita cap. XIX. *in omnibus pene vrbibus & aliquid ædificauit*, & *LVDOS edidit.* Accedunt iis ANTINOEIA, *Antinoo* nempe, Hadriani deliciis, ab illo ipſo Imperatore, teſte Pauſania Lib. VIII. pag. 469. *Mantineæ* dicata, quæque memorantur ſerto inſcripta in Gruteri Theſ. CCCXVII. 1. Eiusdem quoque generis ſunt celebrata a *Nicæenſibus* Bithynis ΚΟΜΟΔΕΙΑ, iuxta numum, quo illa conſignantur, a te vulgatum Speciminis Tab. XXII. aut prout in alio adhuc eiusdem vrbis & Commodi numo, de quo obiter actum ſecunda ad te epiſtola (1) ΙΕΡΟϹ ΑΓΩΝ ΝΙΚΑΙΕΩΝ, *Sacer Agon Nicæenſium*, idem dicitur. Quomodo dictum eodem ΙΕΡΟΥ nomine Agonem a Pergamenis, occaſione templi Auguſto ab iisdem conſecrati, inſtitutum, e Dione paullo ante vidimus: ac vnde id ad alios quoque traductum liquet, vt hic de peracta in Commodi honorem a Nicæenſibus Agone, aut de ſimili Sidetum in Pamphylia, qui in Philippi numo ΙΕΡΟϹ ϹΙΔΗΤΩΝ, aut in Gallieno ΙΕΡΟϹ ΑϹΥΛΟϹ ΠΕΡΓΑΙΩΝ (2), cum Agonum itidem ſymbolis, de quibus duobus Regiæ Gallorum Gazæ numis dicetur adhuc paullo infra, inſcribitur. Vt mittam CERT. SAC. ſiue *Certamen Sacrum*, de Capitolino in aliis itidem Imperatorum, & quorum

(1) Subi. Specim. p. 125.

(2) Vaill. Num. Græc. p. 183. legit: ΠΕΡΓΑΙΩΝ ΑΣΥΛΟΥ ΙΕΡΟΣ.

rum a me facta obiter mentio (1), numis adpellatum. Similem vero iuxta *Nicæenses* Agonem, Commodo itidem, vti & Templum a *Nicomediensibus* quoque, consueta inter duas illas vrbes æmulatione, consecratum, idque opera Nicomediensis Saoteri, qui illius principis erat cubicularius, eosdem obtinuisse, tradit (cuius ea de re locum vidit iam, vt nunc obseruo, in Diatriba de Neocoris eruditissimus Rubenius) Dio Lib. LXXII. pag. 822. καὶ οἱ Νικομηδεῖς καὶ ΑΓΩΝΑ ἄγειν καὶ νεὼν ΤΟΥ ΚΟΜΜΟΔΟΥ ποιήσασθαι, παρὰ τῆς βουλῆς ἔλαβον, *Nicomedienses etiam impetrauerunt a Senatu*, vt CERTAMEN *celebrarent*, *templumque* COMMODO *facerent*. Vt præterea vel inde liqueat, ab imperatoribus relictam Senatui ludos ac templa, in honorem superstitum adhuc Cæsarum, vti antea sub Tiberio factum vidimus, consecrandi, siue licentiam eius rei concedendi, facultatem; vnde illustratur quoque, cur de *Smyrna* dicatur in Marmore Oxon. pag. 47. Part. 1. τρὶς Νεωκόρου τῶν Σεβαστῶν, κατὰ τὰ δόγματα τῆς ἱερωτάτης Συγκλήτου, *Ter æditua Augustorum*, *secundum Decreta Sanctissimi Senatus*; aut de *Laodicensibus* in numo, de quo infra, ΚΟΜΟΔΟΥ ΚΑ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΥ ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΔΟΓΜΑΤΙ CΥΝΚΛΗΤΟΥ, *Commodi & Antonini* (nempe Caracallæ, sub quo numus ille signatus, qui exstat in Thesauris Gallorum Regiis) *Laodicensium Aedituorum*, *Senatus Consulto*. Et quo spectare etiam, vt obiter hoc addam, putem varios eorundem *Smyrnæorum*, aliarumue in Asia vrbium numos, vbi in anteriori parte *Senatus* seu ΙΕΡΑ CΥΝΚΛΗΤΟC signatur, in auersa autem idem ΝΕΟΚΟΡΩΝ nomen id genus vrbes venditant. Verum præter hasce primarias Bithyniæ ciuitates, *Nicomediam* ac *Nicæam*, *Tarsi* quoque eundem publici Certaminis honorem Commodo exhibitum, arguit alius a te numus editus Speciminis Tab. XII. qui alibi (2) a nobis tangitur, in quo ΚΟΜΟΔΕΙΟC ΟΙΚΟΥ ΜΕΝΙΚΟC, *Commodianus Oecumenicus*, de eiusmodi Agone dicitur. Quibus addi debet, qui in Thesauro Gruteri traditur XXXVIII, 5. AGONISTARCHA COMMODIANVS. Mitto ΚΟΜΜΩΔΕΙΑ, iuxta quosdam alios Agones, serto itidem inscripta. Thes. Grut. CCCXVII, 1.

(1) Epist. II. Specim. subiunctæ p. 121.

(2) L. c. p. 124.

VII. Verum hæc nullibi manifestius aut illustrioribus documentis se adhuc hodie exserunt, quam in superstitibus *Seueri*, aut filiorum eius, Antonini *Caracallæ* & *Getæ*, iisque præclaris & insignibus numis. Ex iis enim, neque aliunde ferme, discimus, celebrata in eorum honorem a *Nicomediensibus* ac *Nicæensibus* Bithynis, *Perinthiis*, *Tarsensibus*, *Byzantiis*, *Cyzicenis*, in patris ac filiorum honorem & concordiam, dicta similiter SEVERIA, PHILADELPHIA, aut ANTONINIANA. Cuius vtique rei fidem vel abunde facient signati in Tabella Speciminis XIII. tres Seueri numi: & primo quidem loco ille a *Nicomediensibus*, vti iam vidimus, cusus, in quo duo vasa cum palmis, consuetis Agonum præmiis, mensæ bipedali imposita, cernimus, cum memorata inscriptione: CΕΥΗΡΙΑ ΜΕΓΑΛΑ, *Seueria*, seu *Seueriana Magna*. Cui geminus alter *Perinthiorum* conspicuus ibidem numus, cum inscriptione: CΕΥΗΡΙΑ ΠΡΩΤΑ, *Seueria prima*; & in alio Antonini Caracallæ numo, qui Speciminis Tab. XIV. primo loco spectatur, in quo duo togati & dextras iungentes Caracalla & Geta, cum inscr. CΕΥΗΡΙΑ ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ ΝΙΚΑΙΕΩΝ, *Seueria Philadelphia Nicæensium*. Cui postremo numo geminus alius exstat ab iisdem *Nicæensibus*,

De eodem sub Seuero & duobus Filiis Antonino & Geta, & quæ inde in eorum numis ΣΕΥΗΡΕΙΑ & ΕΠΙΝΕΙΚΙΑ.

cæensibus, ſub Seuero itidem, & cum eadem inſcriptione, quæ in laurea exſtat, percuſſus, quem in ſchedis tuis olim notauimus. Quibus duos inſuper numos hic addam, in quibus CEYHPEIA ſignantur. Vnus nempe ſingularis ſub Seuero a *Tarſenſibus*, de quo mox agitur, percuſſus, ac iam in fronte huius ad te epiſtolæ expreſſus; alter vero ſub Philippo patre a *Nicæenſibus* denuo cuſus, & obiter paullo ante memoratus, quem in Gaza Chriſtinæ Suedorum Reginæ olim vidimus, cum inſcr. AYΓOYCTIA CEYHPIA NIKAIEΩN, *Auguſtalia Seueria* ſeu *Seueriana Nicæenſium*, ac vnde ſacrata olim a Nicæenſibus *Auguſto* certamina, in *Seueri* honorem ab iis renouata licet ſtatuere. Qui omnes vtique numi luculenter arguunt, ſingulari quodam earundem nobiliſſimarum vrbium ſtudio, peracta apud illas ſtato ritu ſeu pompa in honorem Seueri Imperatoris, ab eoque more conſueto denominata, ſolemnia quædam Feſta ac Certamina. De *Nicomedienſibus* quidem, a quibus ſignatus primus ex iis numus, obſeruat Herodianus Lib. III. cap. II. eos poſt res ad Cyzicum a Seuerianis feliciter contra Peſcennii Nigri milites geſtas, ad Seuerum continuo, miſſis ad eum legationibus, defeciſſe. Quod ſerius a *Nicæenſibus*, & quidem innato iis erga Nicomedienſes odio ſeu æmulatione factum, ex eodem liquet, & e Dione præterea, qui Lib. LXXIV. p. 842. in anguſtiis Nicææ ac Cii, Bithyniæ vrbium, prælium inter Seueri & Nigri milites commiſſum docet. *Perinthios* vero quod adtinet, haud mirum celebrata ab iis, publicoque ære ſignata eadem CEYHPIA, qui & a Seueri partibus contra Nigrum ab initio ſteterant, & quibus capta ac mœnibus nudata a Seuero Byzantium præmii loco continuo fuit ſubiecta.

De occaſione, qua eadem ΣEYHPEIA *inſtituta, &* EΠINEIKIA *inde in Tarſenſium numo dicta.*

VIII. *Tarſum* vero Ciliciæ Metropolim, in quo inſculpta ſimiliter, vt dixi, hæc CEYHPEIA, exhibet inſignis eiusdem Seueri numus, a me in Theſauris Gallorum Regiis olim viſus, & cuius iconem nouiſſime a te acceptam, ac vnde lux ſingularis ſimilibus, qui eadem ſolemnia prodiderunt, numis accedit, huic Epiſtolæ, vti paullo ante dictum, præfigendam duximus. In eo autem numo (1) non faceſſent vtique negotium adſcripta primo loco in ipſo numi circulo AΔP. ſeu AΔPIANHΣ CEYHPIANHC, *Hadrianæ Seuerianæ*, quæ *Tarſo*, Ciliciæ, vt ibidem additur *Metropoli*, tribuuntur nomina; quorum prius, ſeu AΔPIANHΣ, plures ipſius Hadriani, Antinoi, L. Veri, & Commodi numi, qui exſtant in eadem Gaza Regia, exhibent, inſcripti AΔPIANHC TAPCOY MHTPOΠOΛEΩΣ. Hand aliter ac inducto iam ſub primis Cæſaribus more, vt ex ipſa rurſus numorum penu ac aliunde obuium, aliæ in illa ipſa Cilicia vrbes, ſiue vicina eidem *Tarſo*, ſed cum ea ſemper, iuxta Dionem Lib. XLIV. pag. 345. disſidens, *Adana* vel *Aegæ*; aut in Cappadocia *Diocæſarea* (2); (cuius tamen numum de illius in Phrygia vrbis cum Ἀδριανοῖς vrbe Myſiæ ſeu Bithyniæ, concordia, explicare mauult Cl. Harduinus de Num. Vrb. illuſtr. pag. 139.(3) aut in Ponto *Amaſia*; aut in Arabia *Petra*; additum ſibi AΔPIANHΣ vel AΔPIANΩN nomen, in aliis id genus cimeliis oſtentant: prout hæc mihi e Theſauris Italicis aut Gallorum Regiis nota; aliis autem e numis, iam ab eodem Harduino deſcriptis, liquere itidem poſſunt. Quibus addi inſuper debet *Smyrna*, iuxta præclarum eius numum (4) in Galliis quoque a me viſum, inſcriptum: AΔPIANH

(1) Conf. dicta de eo ſupra Cap. XI. §. 14.

(2) Minus huc ſpectat, cuius extat ſub Antonino Pio numus cum inſcript. ΔIOKAICAPEIAC AYTON. apud Vaill. p. 42.

(3) Conf. nouam Edit. p. 50. Opp. vbi nihil tale legas.

(4) Ignorat eum Cl. Hard. in præclaro opere de num. Vrb. & pop. Erunt fortaſſe, qui fidem eius non extra omnem ſuſpicionis aleam poſitam eſſe credent, quibus quin asſentiar, vix a me impetrare poſſum.

ΑΔΡΙΑΝΗ CΜΥΡΝΑ, cum capite muliebri turrito; illinc leö cum tympano & inſcr. CΩCΙΔΙΑΝΟΥ ΑΝΘΥ. *Soſidiano Proconſule.* Ita præter alias vrbes aut colonias, quæ ab hoc Septimio Seuero aut SEPTIMIAE, ſicut in Meſopotamia *Niſibis*, *Singara*, *Rheſæna*; in Syria *Laodicea*; in Phœnicia *Tyrus*; aut SEVERIANAE in variis itidem numis nuncupatæ, ſicut dicta modo *Laodicea*, vel *Amaſia* Pontica, vel *Mitylene* (1): idem quoque nomen *Tarſo* adhæſiſſe, docent cum hic numus, tum alii adhuc ſub Antonino filio atque Alexandro Seuero percuſſi. Immo quomodo eadem *Tarſus* ab illo Seueri filio ΑΝΤΩΝΕΙΝΙΑΝΗ, iuxta *Amaſiam* rurſus, *Smyrnam* (2), *Edeſſam*; immo ab eiusdem Antonini ſucceſſore ΜΑΚΡΕΙΝΙΑΝΗ, aut ab Alexandro Seuero ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ, cum prioribus, quæ in hoc numo comparent, ΑΔΡ. CΕΟΥΗ. *Hadrianæ Seuerianæ*, nominibus traditur, in aliis Regiæ eiusdem Gazæ numis. Ex hoc autem, quem modo adduximus, illius vrbis numo, cum ſignata ſolemnis illius Feſti ſeu Agonis in Seueri honorem celebrati, & ab eo pro more itidem nuncupati, adpellatione, ac ipſius agonis ſymbolis, abunde percipitur, id quod vel commemorati paullo ante (3) *Commodiani* Agonis in aliis horum Tarſenſium numis mentio arguebat; ſingulare nempe eorundem ſtudium fuiſſe, vt eos, qui rerum potiebantur, Imperatores, ſibi omni cultu & venerationis genere colendos iidem ſuſciperent. Accedit, quod ex eodem illo Tarſenſium numo opportune, vt obſeruo, diſcimus; nempe qua occaſione inſtituta ſint ab iis in Seueri honorem, ac inde eorum exemplo a dictis, quæ eadem publico ære conſignarunt, vrbibus, hæc ipſa CΕΥΗΡΕΙΑ. Exſtant nempe in media & infima parte, præter ingentem, vt dixi, hydriam ſeu lebetem, illius Agonis præmium, inſcripta: CΕΥΗΡΕΙΑ ΟΛΥΜΠΙΑ ΕΠΙΝΕΙΚΙΑ ΟΡΟΙC ΚΙΛΙΚΩΝ; *Seueriana Olympia Epinicia* (ſeu in victoriæ memoriam) *in Finibus Cilicum.* Quibus autem aperte reſpicitur ad victoriam a Seueri ducibus de Peſcennio Nigro in Cilicum finibus, ad Iſſicum nempe ſinum, vbi olim fuſus ab Alexandro Darius, & quidem ad locum propter anguſtias *Cilicias Pylas* ſeu *Portas* dictum, relatam; prout de illo Seuerianorum cum Nigro eo in loco conflictu, præter Herodianum Lib. III. Cap. III. & IV. ait Dio Lib. LXXIV. pag. 843. ἡ δὲ εἰσβολὴ αὕτη, αἱ Κιλίκιοι πύλαι, διὰ τὴν στενότητα οὕτω προσαγορεύονται, *hic autem aditus propter anguſtias Ciliciarum Portarum nomen habet.* De quo præterea loco, ac adpoſite omnino ad hunc numum, ait Strabo Lib. XIV. pag. 676. καὶ αἱ πύλαι λεγόμεναι, ΟΡΙΟΝ ΚΙΛΙΚΩΝ τε καὶ Σύρων, & quæ Portæ dicuntur, LIMES CILICVM atque Syrorum; nempe, prout de eodem loco in hoc numo ΟΡΟΙΣ ΚΙΛΙΚΩΝ ſimiliter dicitur; quemadmodum ab eodem Geographo interuallum ab Amiſo, ἐπὶ τοὺς Κιλίκων ὅρους, *ad Cilicum fines*, tangitur ibid pag. 673. Vt proinde, quamquam aliunde nota ſit montoſa eo etiam in tractu Cilicia, non idem hic innuant ea verba, quæ apud Aeſchylum dici alioquin noui, Supplic. ℣. 560. καὶ δι' ὅρων (non ὀρῶν, vt hic legendum in numo liquet, hoc eſt, *limitum*) Κιλίκων, *& per Cilicum montes.* Plana proinde & perſpicua illius numi a *Tarſenſibus* cuſi, & huius inſcriptionis eo in numo contentæ ratio; qua occaſione ſcilicet, aut quando inſtituta ſint ab iis hæc SEVERIA eaque ΕΠΙΝΕΙΚΙΑ, ad celebrandam nempe inſignem illam *in finibus Ciliciæ*, cuius hæc vrbs prima eſſet *Metropolis*, victoriam;

(1) Adde Aegas item Tauium ex Vaillantio l. c. p. 352. ſq. Mitylenem Seuerianam dictam qui doceant, apud Vaillantium & Harduinum ſunt numi nulli.

(2) Videndum, an Smyrna huc pertineat, quam inter vrbes Imperatorum nomina ferentes; qualem catalogum contexuit Cl. Vaillantius, fruſtra quæras. *Antoninianam* tamen eam dictam infra rurſus contendit vir illuſtris §. XIII.

(3) §. VI.

& postquam, sublato imperii æmulo, debellatisque funditus qui a Nigri partibus adhuc steterant, Seuerus solus rerum potitus est. Quod exemplum sequutæ mox aliæ ciuitates, quæ vel, vti iam supra diximus, Seuero ante adhæserant, vel in tempore ad eum transierant, vt *Nicomedia*: aut ab eo ornatæ fuerant, & potentia auctæ, vt *Perinthus*; aut quæ omnem pristini studii sui in Nigrum memoriam abolere, sicut *Nicæa*, intendebant: quæ singulæ eadem solemnia seu ΣΕΥΗΡΕΙΑ, publico etiam ære, voluerunt, ad duraturam eius rei memoriam, consignari. Ludis enim solemnibus, qualia hic dicuntur ΕΠΙΝΕΙΚΙΑ victorias Principum celebrari olim solitas, cum aliunde obuium, tum memorata iam ante ΑΚΤΙΑ seu Quinquennales ludi, deuicto Antonio, ab Augusto instituti, abunde ostendunt: quales, vbi Cæsarem vicisset, ἐπινικίους ἀγῶνας se Cyzici celebraturum, receperat ipse Antonius, teste Dione Lib. LI. pag. 447. qui alibi, vt notum, ἐπινίκια passim *triumphos* a Romanis Imperatoribus actos vocat. Haud aliter ac expugnatis a Tito Hierosolymis, de eodem a Iosepho dicitur Lib. VII. Ἁλωσ. cap. XIX. τρέπεταί τε πρὸς θυσίας ἐπινικίους, *conuertit etiam se ad sacrifica pro victoria celebranda.* Vt mittam, quod post debellatum a P. Aemilio, eodemque adhuc in Græcia agente, Persea, tradit in eius vita Plutarchus pag. 270. θέας δὲ παντοδαπῶν ΑΓΩΝΩΝ καὶ θυσίας ἐπιτελῶν τοῖς θεοῖς, *spectacula deinde variorum* LVDORVM *& victimas Diis exhibuit.* Quomodo solemni alioquin more apud Romanos receptum constat, vt in memoriam insignis alicuius victoriæ ab Imperatore, non de ciuibus quidem, vt hic de Pescennio Nigro, sed de externis hostibus reportatæ, Ludi solemnes, & quidem Circenses, iique non ipsius victoris, vt hic ΣΕΥΗΡΕΙΑ, *Seueria* seu *Seueriana* Certamina, sed deuictarum ab eo gentium nominibus sint adpellati. Hinc Ludi *Gotthici*, *Francici*, *Alamannici*, *Sarmatici*, *Persici*, in veteri vrbis apud Cl. Lambecium Kalendario; ac prout debellatis ab Alexandro Seuero Persis, ipsemet in Senatu dixisse apud Lampridium in eius vita cap. LVII. legitur, *cras Ludos Circenses Persicos dabimus.* Quomodo deuicto a Iulio Cæsare in Hispania Pompeii filio, Romæ decretum refert Dio Lib. XLIII. pag. 234. vt Palilibus, ob nuntium de ea victoria pridie eius diei delatum, ludi in Circo deinceps fierent. Immo vnde *victoriales* dicti id genus *dies*, vt a Trebellio Pollione in Gallienis cap. IV. *LVDOS CIRCENSES, ludosque scenicos, ludos gymnicos, ludicram etiam venationem, & ludos gladiatorios dedit: populumque iis VICTORIALIBVS DIEBVS ad festiuitatem ac plausum vocauit.* Quam in rem præclarus exstat apud Themistium locus Orat. IV. pag. 58. nou. edit. καὶ μεστὸς μὲν ΙΠΠΟΔΡΟΜΟΣ τῶν ἁρμάτων ἐφ᾽ ἑκάστῃ νίκῃ, καὶ ἐφ᾽ ἑκάστῳ τροπαίῳ· διὰ δὲ τὸ πλῆθος τῶν εὐαγγελίων διατελοῦμεν πανηγυρίζοντες, *itaque secundum vnamquamque victoriam, atque vnumquodque tropæum, curribus* CIRCVS *refertus est; & ob felicium nuntiorum multitudinem inter ludos ac festa perpetuo versamur.* Quum autem eadem, de qua hic agitur, Seueri seu eius militum victoria contigerit, anno secundo eius principatus, ad eum quoque referri continuo viderentur litteræ in eodem Tarsensium numo Γ, seu pro inverso L. & B. hoc est Λυκάβαντος δευτέρου, *anno secundo*, vt similes litteras in aliis *Tarsensium* numis explicandas censuit vir eruditissimus de Numis Vrb. ill. p. 486. (1) ni

(1) Mutauit sententiam in noua libri optimi editione p. 165. Opp. Sell.

ni paſſim in pluribus *Tarſenſium* numis, qui ſecundum principatus annum haud continuo denotant, eædem litteræ legerentur. Vt mittam, quod alibi dein, ſeu in Antirrhetico pag. 56. idem Harduinus eas in numo litteras Γ. Β. Γράμματι Βασιλέως, ſiue *Reſcripto Imperatoris* interpretari maluerit; ſed quibus potius Γράμματι, aut vero Γνώμῃ Βουλῆς, notari putem, prout poſtremum Cl. Vaillantio placuiſſe video, cuius ea de re verba recitas Speciminis pag. 52. ad inſignem eorundem *Tarſenſium* ſub Caracalla numum a te editum Tab. IV. inſcriptum: ΚΟΙΝΟΒΟΥΛΙΟΝ ΕΛΕΥΘ. ΤΑΡC. *Communis Senatus* ſeu *Curia Liberæ Tarſi:* haud aliter ac apud Demoſthenem de Corona pag. 318. ed. Baſil. legitur, Πρυτανέων καὶ Βουλῆς Γνώμῃ, *de Sententia Prytanum ac Senatus*, ac ab initio Smyrnæorum Decreti Marm. Oxon. p. 5. & 15. ἔδοξεν τῷ δήμῳ Στρατηγῶν γνώμῃ, *placuit populo de Prætorum ſententia.* Prius vero, & quod eodem redit, Γράμματι Βουλῆς, vti pridem illas litteras in hisce *Tarſenſium* numis Γ. Β. explicandas credidi, adſtruere poſſet, quod non γράφειν ſolum & γράφεσθαι τὰ προβουλεύματα, *ſcribere* aut *ſcribi ſenatus conſulta* dicantur paſſim apud Græcos Auctores, vt apud Dionyſium Halicarnaſſ. pag. 462. 555. & alibi ſed τὸ γράμμα etiam de *Senatus Conſulto* dici videas, vt obſeruo, apud Dionem Caſſium Lib. LVII. pag. 617. μήτε τὸ γράμμα, τὸ ἐπ' αὐτῷ γενόμενον, *ne Senatus decretum contra eum latum &c.* Adde, quod Βασιλέα de Imperatore quidem vulgo a Græcis Scriptoribus dici conſtet: nusquam tamen ea voce, ſed Αὐτοκράτορος vel Καίσαρος nominibus, in Græcis Cæſarum numis iidem vocari ſoleant: ſi vnum forte Commodi numum mittas a Nicæenſibus cuſum, de quo in Superiori Epiſtola ac in tuo Specimine agitur inſcripto: ΚΟΜΟΔΟΥ ΒΑCΙΛΕΥΟΝΤΟC &c. Sed qua de re alibi. Verum haud facile adeo, ne quid hic diſſimulem, licet ſtatuere quid illis litteris in eodem huius numi circulo, poſt nomina ΑΔΡ. CΕΥΗΡΙΑΝΗC, & ante voces ΤΑΡCΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ additis; nempe vti illæ in eo exprimuntur, ΕΝ ΚΟΔΡΙ, & de quibus me a te iam olim, & nouiſſime adhuc, quum illius numi ectypum ad me mitteres, conſultum noui, ſit ſtatuendum. Neque enim vel alias Tarſi adpellationes in numis eius ſubinde conſpicuas, vt paulo ante (1), vel ΕΛΕΥΘ. ſeu Liberæ; aut ſitum eius ad fluuium, qui ΚΥΔΝΟC in duobus illius vrbis, cum Hadriani & Antinoi effigie, numis ſignatur: aut vero aliquod Tarſenſium Rectoris ſeu Magiſtratus nomen: aut denique quid piam, in quo quidem adquieſcam, eædem, vt ingenue dicam, litteræ aut voces mihi hactenus ſuppeditant. Exſtat autem haud diſſimilis eorundem *Tarſenſium* numus, ſub Seuero itidem cuſus, in gaza Medicea: in quo non hydria quidem aut lebes, vt in hoc Regiæ Gallorum Gazæ numo, ſed vt ille ab erudito Cimeliarchii Medicei quondam cuſtode deſcribitur, cum corona ſpinea vel radiata, in cuius medio contineantur eadem hæc CΕΥΗΡΕΙΑ ΟΛΥΜΠΙΑ ΕΠΙΝΕΙΚΙΑ, ſupra ΠΑΙC, infra ſimiliter ΟΡΟΙΣ ΚΙΛΙΚΩΝ, circum autem ΑΔΡ. CΕΥ. ΤΑΡ. ΕΝΚΟΔΡΕΙ. Μ. Η. Γ. Β. Nempe vbi diuerſus quidem numi ab hoc, quem verſamus, typus; ſed eadem eius, ob illam nempe de Peſcennio Nigro victoriam percuſſi, ratio, eademque ferme, & quidem præter alia, quoad illas litteras aut voces ΕΝΚΟΔΡΕΙ aut ΕΝΚΟΔΡΙ, inſcriptio. Suſpicatus ſum aliquando, transpoſitam eſſe ſeu confuſam, monetarii,

§. X.

(1) Scripſerat hic vir ſummus: vt ΚΟΛ. vel ΕΛΕΥΘ *Coloniæ* vel *Liberæ*, vbi Tarſum inter colonias Romanas perperam retulerat. Sed agnouit illico feſtinantis calami lapſum, ideoque in Addendis monuit, delendas eſſe voces: ΚΟΛ. *Coloniæ.* Addidit ibidem: *Haud difficilem enim me hic præbebo viro eruditiſſimo, qui in Antirrhetico nullum dari numum ſtatuit*, in quo *illud* COLONIÆ *nomen legeretur*, *ſi* TARSO *tribuatur: neque illud, dum feſtino & feruent in vrbe, aliquot diebus hinc diſſita, prela, repoſitum ibi recenſere mihi meas chartas, aut iam typis commiſſas huius opuſculi paginas, antequam illa a prelo exirent, licuiſſet.*

monetarii, vt ſubinde in antiquis id genus numis contigit, culpa, litterarum ſedem; vt proinde pro ΕΝΚΟΔΡΙ & infra ΓΕC, legi ibidem ſeu ſculpi debuerit ΝΕΟΚΟΡ. ΔΙC. Quæ ΝΕΟΚΟΡΩΥ (vti frequentur pro ΝΕΩΚΟΡΟΥ præferunt, vt noſti, veteres numi) adpellatio *Tarſo*, & quidem, ſicut in ſimilibus aliarum etiam vrbium numis, haud inſolita; in quibus agonis alicuius aut ſolemnis ſacri memoria conſignatur. Qualis, vt alios mittam, ille, de quo in ſecunda ad te epiſtola (1) quique comparet cum ſimili corona, vt videtur, quæ in hoc numo Mediceo viſitur, & cum inſcr. ΤΑΡC. ΜΗΤΡΟΠ. ΚΟΜΟΔΕΙΟC ΟΙΚΟΥΜΕΝΙΚΟC ΔΙC ΝΕΩΚΟΡΟΥ. Neque ignota tibi in eadem voce ΝΕΩΚΟΡΟΥ tranſpoſitio in illo Apamenſi numo, vbi ΝΩΕ pro ΝΕΩ legitur, ac vnde pro *Neocoro* aut *Neocoris*, mentionem *Noe* ſeu *Noachi* in eodem fieri cenſuit, edita ea de re erudita cæteroquin Diatriba, illuſtris Falconerius. Verum huius meæ, de obſcuris illis in duobus hisce Tarſenſium numis litteris ſeu vocibus, coniecturæ tibi aliisque, qui aliquem veterum numorum vſum habent, omne arbitrium lubenter ac vltro relinquimus. Certe haud alia mihi occurrit hactenus, easdem litteras, quæ haud ſcio an in dictis numis ita omnino, vti illi deſcripti ſunt, legi debeant, explicandi; illasue cum aliis, qui plurimi & inſignes etiamnum proſtant, horum Tarſenſium numis conciliandi ratio. Qua meliorem equidem, & certiorem, & iuxta ipſos litterarum in eodem numo ductus, qui in medium adferet, is ſibi continuo non adſenſionem ſolum noſtram ſed gratiam etiam a nobis habendam ſciat.

(1) Specim. p. 124.

Cur ΟΛΥΜΠΙΑ *in eodem numo, & alibi quoque, de ſimilibus Ludis dicta.*

IX. Haud multis vero nunc adtingam, quod vel ΟΛΥΜΠΙΑ, in eodem *Tarſenſium* numo; vel ΜΕΓΑΛΑ in iſto, quem expendendum ſuſcepimus, *Nicomedienſium*, vel ΠΡΩΤΑ in illo, quem Tabella tua XIII. itidem exhibet, Perinthiorum, dicantur eadem ΣΕΥΗΡΕΙΑ. De his enim obuiis in aliis quoque numis, qui ſacros veterum Agones exhibent, adpellationibus, actum iam a nobis in prima ad te epiſtola. Vt enim PYTHIA non Delphis ſolum, ita etiam ΟΛΥΜΠΙΑ alibi, quam in Elide, acta; & in aliorum etiam Numinum, quam Iouis, honorem celebrata, adductis e veteri numorum aut lapidum ſupellectile, variis eius rei, & huius Tarſenſium numi exemplis, dictæ epiſtolæ §. IV. eſt abunde a nobis comprobatum. Quam in rem inſuper commemoratus eſt §. XVI. eximius ex ære in Theſauris Gallorum Regiis numus, in quo hinc caput Alexandri M. cum eiusdem nomine ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ, illinc, ſeu in auerſa numi parte, duo vaſa ſignantur ſupra menſam poſita, Agonum proinde præmia & inſignia, circum vero, ΚΟΙΝΟΝ ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ, infra ΟΛΥΜΠΙΑ ΑΛΕΞΑΝΔΡΙΑ, *Commune Macedonum*, *Olympia Alexandria*. Quo ſpectat itidem alius inſignis eorundem Macedonum numus, hinc cum Alexandri capite, illinc cum duobus templis, & inſcr. ΚΟΙΝΟΝ ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ Δ. ΝΕΩΚ. ΟΛΥΜΠΙΑ, *Commune Macedonum Bis Neocororum Olympia*. Exſtat vero ille in gaza Medicea, non in Schedis olim meis, aut ab erudito quondam illius Gazæ cuſtode, Fittonio, quod equidem ſciam, deſcriptus; ſed, vti nuper ab Illuſtriſſimo Comite Duglaſſio, qui Theſauros illos Mediceos haud ita pridem adcurate perluſtraverat, huius numi & aliorum, quibus eadem Gaza fuit locupleta, συλλογὴν, dum hac transiret, ſum nactus. Factum vero, vt ob inducta plura id genus

genus ΟΛΥΜΠΙΑ, eaque, vti in hoc numo additur, ac paullo ante vidimus, ΕΠΙΝΕΙΚΙΑ, non vero; vt censuit magnus Casaubonus ad Suetonium in Augusto cap. LX. ob quinquennalem ludorum; quocunque nempe nomine illi dicerentur, frequentiam; factum inquam; vt ΟΛΥΜΠΙΑC pro qualicunque victoria dicta fuerit haud semel apud Philostratum, iis quæ ὁ πάνυ ibidem commemorat locis. Vnde præterea, quod iam supra obiter vidimus, liquet, non a communi solum Ionum, aut Thracum iuxta traditam ea de re vel Auctorum vel numorum fidem; sed etiam a Macedonibus, quorum id maxime intererat, & prout id a Thucydide, monitum iam indicaui priori ad te epistola §. XVI. peracta illa in Herois sui honorem ac memoriam ΑΛΕΞΑΝΔΡΙΑ. Quomodo traductis nempe id genus ad Romanos; vti abunde ex ante dictis constat, Imperatores honorum solemnibus, a *Smyrnæis* itidem *Hadriano* consecrata fuerunt, quæ e lapidibus antiquis iam supra (1) memoraui, ΑΔΡΙΑΝΙΑ ΟΛΥΜΠΙΑ. Quo spectare etiam obseruo delatum eidem Hadriano *Olympii* nomen (2), in præclaris *Laodicensium* in eadem Proconsulari Asia numis, & quales exstant in Thesauris Regiis ac Mediceis, cum elogio, ΚΑΙCΑΡ ΑΔΡΙΑΝΟΣ ΟΛΥΜΠΙΟC, *Cæsar Hadrianus Olympius*: in auersa autem parte ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ, cum Iouis Philalethis, Laodicensium numinis, effigie, in numo Regio; in Mediceo autem, cum Rhea insuper turrita & Pallade, ac inscr. ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΑΓΡΙΠΠΙΝΟC ΑΝΕΘΗΚΕΝ, *Laodicensium Agrippinus* Prætor *posuit*. Ab illis vero *Hadrianis Olympiis* diuersa exstitisse ibidem obiter diximus, quæ Ioui sacrata erant apud eosdem *Smyrnæos* nuncupata proprie ΟΛΥΜΠΙΑ. Hæc autem postrema a Philostrato Lib. I. Vit. Soph. pag. 533. nuncupata τὰ κατὰ τὴν Ἀσίαν Ὀλύμπια, quibus etiam præfuerit *Smyrnæorum* Sophista Polemon contra τὸν πάνυ Salmasium monuit doctissimus Seldenus ad Marm. Oxon. pag. 73. Quod firmat insuper facta haud semel ab Aristide, quibus ipse debebat interesse, eorundem *Olympiorum* mentio, vt Serm. Sacr. V pag. 634. καὶ ἡμέραις μάλιστα ταῖς αὐταῖς ἐγένετο Ὀλυμπίων ἐπιόντων, *atque iisdem propemodum diebus, cum instarent Olympia*; mox de iisdem pag. 636. καὶ γὰρ δὴ ΔΙΟΣ ΟΛΥΜΠΙΟΥ θυσία πάνδημος προσῆγε· καὶ παρεδείκνυτο πανταχόθεν, ὅτι παρεῖναι δέοι καὶ θύειν, *quum præsertim publicum IOVIS OLYMPII sacrum instaret, cui nos interesse debere, ac sacra facere, vndique apparebat.* Quæ satis arguunt, cum publica seu communia Asiæ fuisse eadem OLYMPIA, tum ea ab HADRIANIIS OLYMPIIS diuersa, ac Ioui, non Hadriano, aut Romæ, vel Senatui ac Tiberio, quibus sacra ceteroquin a *Smyrnæis* templa iam ante vidimus, vel alteri cuipiam Cæsari, dicata. Simili vero ac iam recepto, vt vel ex illis *Hadrianis Olympiis* constat, sub aliis Imperatoribus more, a *Tarsensibus* edita ad celebrandam Seueri de debellato ac sublato imperii æmulo Pescennio Nigro, & quidem intra gentis suæ, seu *Cilicum fines*, quæ in præclaro illo Seueri numo a nobis hic explanato, vulgato autem in fronte huius Epistolæ, consignantur CΕΥΗΡΕΙΑ ΟΛΥΜΠΙΑ ΕΠΙΝΕΙΚΙΑ ΟΡΟΙC ΚΙΛΙΚΩΝ.

(1) §. VI.

(2) Conf. de Vſ. & præſt. num. T. II. p. 497. ſqq.

X. Quo consilio itidem ΜΕΓΑΛΑ vocantur in numo *Nicomediensium*, qui illa quoque sibi peragenda duxerunt, eadem CΕΥΗΡΕΙΑ, ac prout ΜΕΓΑΛΑ ΑCΚΛΗΠΕΙΑ, aut ΜΕΓΑΛΑ ΚΑΠΙΤΩΛΕΙΑ, *Magna Asclepia*, & *Magna Capitolina*, de Agonibus seu Ludis in honorem *Cur* ΜΕΓΑΛΑ *&* ΠΡΩΤΑ *dicta quoque in aliis numis eadem* ΣΕΥΗΡΕΙΑ.

Aesculapii

Aesculapii ab Ancyranis, aut Iouis Capitolini Romæ celebratis, e lapidibus antiquis vidimus primæ ad te epistolæ §. II. Quum enim alia essent priuata velut, & quæ *municipalia* a Tertulliano dicuntur, vti id quoque Epistola secunda (1) obiter diximus, Gentilium Festa: alia vero velut Communia totius gentis, aut quorum maior erat pompa ac celebritas, prout eadem ΔΗΜΙΑ, vt in Caracallæ numo a Tarsensibus cuso, aut δημοτελεῖς ἑορταὶ, *publica Festa*, sunt etiam dicta: hinc, vt vulgo Trieterica eadem aut Pentaëterica, triennalia nempe aut quinquennalia, sic MAGNA etiam vel SACRA, vel OECVMENICA (vti iam ante, & secunda ad te epistola (2)) de consecratis a Pergamenis, vel a Nicæensibus, vel a Tarsensibus, *Augusto & Commodo* Ludis seu Certaminibus vidimus, aut PERIODONICA etiam & ISELASTICA subinde in iisdem antiquis monumentis nuncupantur. Vt hic mittam nota aliunde *Magna* aut *Minora* apud Athenienses vel Mysteria, vel Panathenæa; & ex quibus minora Panathenæa annua, maiora autem Pentaëterica, seu quinquennalia, constat exstitisse. Neque dissimilis ratio, cur ΠΡΩΤΑ dicantur in Perinthiorum numo eadem СΕΥΗΡΕΙΑ, haud aliter ac Gallieni numus Speciminis tabula XIV., exhibet ΠΡΩΤΑ ΠΑΜΦΥΛΩΝ СΙΔΗΤΩΝ, *Prima Pamphyliorum Sidetum*, cum vase seu hydria mensæ bipedali imposita, & palmis; vt de Festo aliquo seu Agone ab iisdem Sidetibus Pamphyliis agi abunde liqueat, & quidem, vt obseruo, *Pythiis*. Id enim abunde euincit cum eorundem *Sidetum*, isque cum Tranquillina Gordiani effigie, numus a me secunda ad te Epistola (3) in lucem prolatus, in quo ΟΙΚΟΥΜΕΝΙΚΟΣ ΣΙΔΗΤΩΝ cum solitis Agonis symbolis, & præterea cum Apolline citharœdo, vt sacrum huic Pythio solemne continuo agnoscas; tum aperte ΠΥΘΙΑ ΕΝ СΙΔΗ, *Pythia Sidæ*, consignata in veteri marmore in Cl. Sponii Miscell. pag. 364. & in Wheleri. Itin. p. 433. Adeo, vt ΠΡΩΤΑ illa ΠΑΜΦΥΛΩΝ СΙΔΗΤΩΝ non alia intelligenda sint, quod inde abunde constat, quam ΠΥΘΙΑ, quæ vt in aliis Græcis aut Asiaticis Græcorum vrbibus, vti ea de re actum in prima ad te epistola (4), ita in hac primaria Pamphyliæ vrbe, & quidem iam ante Gallienum, quod alia eiusdem ciuitatis monumenta clarissime ostendunt, celebrari consueuerant. Proinde quæ ΠΡΩΤΑ in eodem Gallieni numo, non primum edita a Sidetibus *Pythia* indicant, quod priores illi numi omnino redarguunt; sed velut primaria vrbis illius ac gentis Certamina, & quidem præ similibus, quæ apud *Pergam* Pamphyliæ tum Metropolim peragebantur, ibidem *Pythiis*: vt istud rursus mihi liquet e numo eiusdem Gallieni, iisdem proinde temporibus, quibus hic *Sidetum* numus, percusso, quique e maximorum, Medaglioni vulgo dictorum, numero, in Thesauris Gallorum Regiis visitur, in quo vas itidem seu lebes supra mensam cum inscriptione iam antea obiter memorata: ΠΕΡΓΑΙΩΝ ΑСΥΛΟС ΙΕΡΟС, in ipso autem vase: ΠΥΘΙΑ. Qua ratione etiam ΠΡΩΤΑ СΕΥΗΡΕΙΑ dicta videntur in eo, de quo agitur, *Perinthiorum* numo; vt iis nempe, pro singulari eorundem in Seuerum, pro quo semper steterant, studio, & inde ab eo subiecta iisdem, vt diximus, Byzantio, nihil esse apud se, ad celebrandam de Nigro debellato, ac inde plene adserto huic Principi imperio, victoriæ festiuitatem, hoc Agone potius aut acceptius testarentur.

(1) Specimini subi. p. 131.

(2) L. c. p. 120. sqq.

(3) L. c. p. 126.

(4) §. IV.

XI. Nec

De numis Imperatorum, in quibus similiter ΠΡΩΤΑ *&* ΚΟΙΝΑ ACIAC *traduntur.*

XI. Nec diuersa ferme eorundem Certaminum ratio, quæ ΠΡΩΤΑ ΚΟΙΝΑ ACIAC CMYPNAIΩN, aut EN CMYPNH, *Prima Communia Asiæ Smyrnæorum* aut *Smyrnæ*, dicuntur in aliis huiusce Seueri, aut Gordiani itidem & Gallieni numis. Varia nempe erant, vnde nascebatur peculiaris, vt ciuium in eadem vrbe, sic vrbium in eadem gente, iisdem institutis aut sacris vtentium, societas & communio. Vnde vt vnius etiam vrbis, Argiuorum nempe, τὸ Κοινὸν iam olim dictum ab Aeschylo Suppl. ℣. 371. & 527. ita nullibi frequentius, quam in numis veterum, obuium huius vel illius gentis *Commune* seu ΚΟΙΝΟΝ, vt ΒΙΘΥΝΙΑΣ, ΓΑΛΑΤΩΝ, ΙΩΝΩΝ, ΚΡΗΤΩΝ, ΚΥΠΡΙΩΝ, ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ, aliorumque populorum, & quidem cum templi ferme aut Dei, cui illud erat dicatum, simulacris. Ita eadem communio inter Asiæ Proconsularis vrbes, iisdem similiter moribus, institutis, aut sacris sociatas, inducta; & quidem vt communia iis essent quædam templa, sacra, festa, Certamina, quæ statis temporibus, & communi earundem vrbium concursu, celebrabantur. Hinc ΚΟΙΝΑ ΤΗΣ ΑΣΙΑΣ, quæ obiter memorantur secunda ad te Epistola, dicta *Communia* id genus *Asiæ Certamina*, qualia in primariis eiusdem vrbibus, vt *Smyrnæ*, *Ephesi*, *Pergami*, *Laodiceæ*, *Tripoli*, quod vel ex antiquis numorum aut lapidum monumentis constat, celebrata: ac vnde nata subinde de primatu eorundem Agonum vel Templorum, ob quæ nempe illi erant instituti, inter eas vrbes contentio. Vtrumque certe aperte tangit, quem locum viderunt iam alii, Aristides Orat. de Concordia Vrbium, nempe Ephesi, Smyrnæ, Pergami, pag. 330. Tom. II. θαυμάζω δ' ὅτι σεμνύνεσθε μὲν οὐχ' ἥκιστα ΤΟΙΣ ΝΑΟΙΣ καὶ ΤΟΙΣ ΑΓΩΣΙΝ, οὓς ΚΟΙΝΟΥΣ νομίζετε, ὑπὲρ δὲ αὐτῶν τούτων διεστήκατε, *miror autem vos, quum de* TEMPLIS & CERTAMINIBVS, *quæ* COMMVNIA *dicitis, non leuiter soleatis gloriari, nunc de iisdem inter vos dissidere.* Nempe nulla ibi amplius, seu in communibus illis earundem Asiæ vrbium, aut aliarum id genus regionum conuentibus, de salute ac libertate; de bello ac pace; de eligendo summo inter eos militiæ duce; aut de communibus gentis fœderibus; sicut olim, antequam eædem vrbes aut gentes in Romanorum potestatem transierunt, fieri consueuerat: sed de vna ferme communium id genus Templorum dedicatione; Ludorum, seu Certaminum, communi earundem vrbium nomine celebratione; eorumue iuribus, primatu, prærogatiuis, deliberatio ac disceptatio versabatur. Hinc illa etiam iisdem de rebus inter eas vrbes contentio, ad Imperatorum & Senatus arbitrium referri solita: sicut quum de Templo a communi Asiæ Tiberio, Liuiæ, ac Senatui dedicando, vti ante e Tacito vidimus, agebatur; aut de Smyrnæorum templis eorumque iuribus, sub M. Aurelio, teste Philostrato Lib. I. De vitis Sophist. pag. 538. lisque ea vtroque illo tempore, quod rursus ex iisdem Auctoribus constat, in Smyrnæorum gratiam decisa, ac primatus iis, seu τὰ πρωτεῖα, vti ea de re Philostratus, adiudicata. Neque tamen putes, in ea Asiæ vrbium de illo primatu lite, ob magnitudinem demum atque pulcritudinem Hadriani templi, prælatos tum Smyrnæos; quod statuit elegantissimus Rubenius Diatriba de Neocoris pag. 252. Alia enim erant ac vetustiora, vti iam antea vidimus, quibus iidem nitebantur, decora; quibus pridem meruerant, vt in simili earundem Asiæ vrbium contentione aliis præferrentur Smyrnæi, nempe ob templum auitis temporibus Romæ primum ab iis ere-

 ctum;

ctum; ac dein, vt templum illud, de quo paullo ante, Tiberio, Liuiæ, ac Senatui, Communis Asiæ nomine, apud eos dicaretur. Adeo etiam, vt in numis (qualem supra adduximus) sub Iulia Domna & Caracalla signatis, qui exstant in Thesauris Gallorum Regiis, eorundem Smyrnæorum vt ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΘΕΑΣ ΡΩΜΗΣ, vel ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΤΩΝ CΕΒΑCΤΩΝ, *Deæ Romæ*, nempe *vel Augustorum*, non vero *Hadriani* nominatim fiat mentio, ac similiter in Appendice ad Marm. Oxon. pag. 296. quomodo postremum, nempe Νεωκόρων τῶν Σεβαστῶν de *Trallianis* similiter dicitur in alio Caracallæ numo, qui exstat in eadem Gaza Regia. Neque etiam cum eodem cultissimæ eruditionis viro statuas, quasi iure decreti illius a M. Aurelio Smyrnæis primatus ille perpetuo præ aliis Asiæ vrbibus remanserit; aut vero quod in eadem vrbe primo loco edita semper fuerint Communia illa Asiæ Certamina. Id enim abunde redarguunt cum veteres numi, non sub Augusto solum & Vespasiano, sed sub eodem M. Aurelio ac successoribus, Seuero, Caracalla, Alexandro Seuero, Valeriano, Gallieno, aliique, in quibus iidem ΕΦΕCΙΟΙ ΠΡΩΤΟΙ ΑΣΙΑΣ inscribuntur; tum in quibus non *Pergameni* solum, sed *Laodicenses* præterea, aut *Sardiani*, idem quoque ΠΡΩΤΗΣ aut ΠΡΩΤΩΝ elogium sibi in præclaris eorundem temporum numis vindicant. Talis certe, vt hoc de *Laodicensibus* minus obuium tangam, Caracallæ numus, cum aliis e Museo Cardinalis Carpegna a peritissimo Romanæ antiquitatis enarratore P. Bellorio editus ac illustratus, in quo legitur: ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΠΡΩΤΩΝ Γ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ, *Laodicensium Primorum Ter Neocororum*; aut vero inter numos M. Aurelii ab Occone descriptos: ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΔΙC ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΑCΙΑC, *Laodicensium Bis Neocororum* seu *Aedituorum Asiæ*. Ne iam adducam *Tripolitas* in eadem Asia, qui iam ante idem ΠΡΩΤΗΣ seu ΠΡΩΤΩΝ elogium tulerant, fide numi, quem in Antinoo adducit Goltzius (1), ΤΡΙΠΟΛΙΤΩΝ ΚΟΙΝΟΝ ΠΡΩΤΗΣ. Sic edita quoque *Philadelphiæ* eadem Communia Asiæ Certamina: prout illa, numero etiam plurium, sicut in memoratis Smyrnæorum numis, nempe ΚΟΙΝΑ ΑCΙΑC ΕΝ ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ, signantur in veteri lapide apud Cl. Sponium Miscell. pag. 364. Mitto quod illa ΚΟΙΝΑ ΑΣΙΑΣ, seu *Communia Asiæ Certamina*, in eorundem Smyrnæorum, aut aliarum in Proconsulari Asia vrbium numis inscripta, haud alia esse contendit in eadem Diatriba p. 251. vir eruditissimus, quam quæ a communi Asiæ sacrata erant Romanis Cæsaribus. Cui tamen aperte refragantur Ephesiorum numi, in quibus ΚΟΙΝΟΝ ΑΣΙΑΣ ΕΦΕΣΙΩΝ cum Dianæ Ephesiæ a Victoria coronatæ, & Cereris præterea cum calatho iconibus, nullo proinde ad Romanos Imperatores respectu, exhibent insignes Hadriani & Antonini Pii, quos versaui in Thesauris Gallorum Regiis ac illustrissimi Colberti, & quales in tuo etiam Syntagmate prostabunt, numi. Hinc Asiæ templum, de eiusdem Ephesiæ Dianæ æde dictum in veteri lapide apud Sponium Micell. pag. 349. ΑΡΧΙΕΡΕΙΑΝ ΑΣΙΑΣ ΝΑΟΥ ΤΟΥ ΕΝ ΕΦΕΣΩΙ, *Sacerdotem Max. Asiæ Templi, quod est Ephesi.* Ne iam adducam editum a Cl. Sponio Miscell. pag. 140. numum a *Metropolitis* in eadem Asia cusum, cum Iouis ac Dianæ Ephesiæ iconibus & inscriptione: ΚΟΙΝΟΝ ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΤΩΝ ΤΩΝ ΕΝ ΙΩΝΙΑ, *Commune Metropolitarum in Ionia.* Accedit, quod Asiæ ibidem Κοινὰ fuerint, vt id ad Marm. Oxon. pag. 73. iam advertit doctissimus Seldenus, quæ Smyrnæ celebrabantur, Ὀλύμπια, *per Asiam*

(1) Thes. p. 235. numum eum Antonio non Antinoo tribuit Goltzius.

Asiam Olympia a Philostrato pag. 533. ab Aristide autem θυσίαν πάνδημον, *Commune sacrum* seu *festum* dici vidimus; ac præterea quod in Farnesiana inscriptione apud Gruterum ΚΟΙΝΑ ΑΣΙΑΣ, & ΑΔΡΙΑΝΙΑ ΟΛΥΜΠΙΑ, vt diuersos Agones, distingui agnouerat iam ante Rubenius pag. 243. a quibus tamen *Hadrianeis* seu Templo eo nomine Smyrnæ condito, primatum illum, nempe vt Communes Asiæ Agones apud se primum ederentur, obtinuisse Smyrnæos, idem, vt vidimus, statuebat. Illud tamen tenendum est, editos ab illis vrbibus Asiaticis in huius vel illius Imperatoris, aut simul ipsius Romæ honorem, Ludos subinde illo ΚΟΙΝΟΥ ΑΣΙΑΣ nomine designatos. Ad quos etiam referendos putem illos, quos ante iam adtigi, qui, vt in eo *Perinthiorum*, de quo hic agebamus, numo sub Seuero ac in Speciminis tui tabula XIII. signato CΕΥΗΡΕΙΑ ΠΡΩΤΑ ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ, ita sub eodem Seuero, Gordiano præterea & Gallieno, inscripta præferunt, quæ paullo ante memoraui, ΠΡΩΤΑ ΚΟΙΝΑ ΑCΙΑC CΜΥΡΝΑΙΩΝ, aut ΕΝ CΜΥΡΝΗ, idque in corona querna & cum solitis ludorum symbolis. Haud aliter ac illud ΚΟΙΝΟΥ ΑΣΙΑΣ in corona querna itidem inscriptum, cum *Pollionis* Asiæ tum *Proconsulis*, nullo autem vrbis, vti ille signatus, nomine, prostat in numo Drusi & Germanici, huius Speciminis Tab. XV. (1). Qualem ceteroquin similis numi a *Sardianis* cusi typum, inter elegantiora numismata Genouefæ Parisiensis, in prima quoque Speciminis tui Editione, vt ad illum numum tangis, vulgatum, in Wheleri Itinerario prostare similiter videas, numero, qui ibi signatur, 66. Eadem vero corona querna, quod obiter aduertendum, spectatur quoque in *Tyri*, aut *Damasci* numis Gazæ Gallorum Regiæ, quorum facta iam ante, vbi de Ludis in Augusti honorem institutis agerem, mentio; in qua corona vel ΑΚΤΙΑ ΚΑΙCΑΡΙΑ, vel CΕΒΑΣΜΙΑ (vti ΚΟΙΝΟΥ ΑΣΙΑΣ in adductis modo numis) leguntur inscripta: quorum autem fidem abunde faciet Cl. Vaillantius Numism. Colon. pag. 235. & 253. (2) Part. II. Adeo vt similes etiam horum Asianorum numos, sub aliis Imperatoribus, cum illo ΚΟΙΝΟΥ aut ΚΟΙΝΟΝ ΑCΙΑC, & in corona itidem querna, quæ alioquin corona erat ciuica, seu, quod vulgo notum, ob ciues seruatos, ad Ludos Augusto, vel alteri Imperatori, a communi Asiæ dicatos, referre continuo liceat. Immo prout in memoratis modo Sardinorum numis, qui præferunt illud ΚΟΙΝΟΥ ΑΣΙΑΣ in simili corona querna, cum Drusi & Germanici, Liuiæ nepotum, ac adoptione Tiberii fratrum, iconibus, respici facile crederem ad Ludos aliquos, a Communi Asiæ ad celebrandam, pro insigni & nota, vt vidimus, id genus vrbium adulatione, eorundem fratrum iam defunctorum memoriam, institutos. Quod satis etiam aperte comprobare videtur addita in eodem, quem in tuo Specimine protulisti, numo, quoque iidem fratres velut consecrantur, inscriptio, nempe ΝΕΟΙ ΘΕΟΙ ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΙ.

(1) Conf. supra Cap. XII. §. 10.

(2) p. m. 179. & 180.

De aliis numis in SPECIMINE, sub Seuero de duobus filiis, in quibus ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ consignantur.

XII. Quomodo proinde opportune in adducto supra *Nicæensium* numo, qui primo loco huius Speciminis Tabula XIV. comparet, non CΕΥΗΡΕΙΑ solum sed ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ præterea signantur; nempe CΕΥΗΡΕΙΑ ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ ΝΙΚΑΙΕΩΝ, *Seueria Philadelphia Nicæensium.* Percussus nempe sub Antonino Caracalla, quod prima eius area ibidem ostendit, hic numus; in cuius auersa parte, prout iam a te ille descriptus est Speciminis pag. 146. Caracalla & Geta stantes, adde & togati, ac soli iam Augusti, dextras iungunt, intermedia men-

ſa cum impoſito vaſe ſeu lebete, ſolito agonis eo nomine tum editi inſigni. Eadem vero ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ, ſeu ſacrum, ad Concordiam eorundem fratrum conteſtandam, aut vero a Diis impetrandam, Agonem ſuperſtite adhuc eorum patre, a *Perinthiis* inſtitutum, arguit numus ſub Seuero cuſus, qui in Speciminis tui Tabula XIII. exſtat, cum vaſe menſæ itidem impoſito, in quo inſcripta ΠΥΘΙΑ, circum autem ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ, *Philadelphia Perinthiorum Neocororum.* Cui ſimiles duo alii, mole præterea inſignes, Seueri numi: vnus in iisdem Theſauris Regiis, & præterea in Mediceis, in quo duo Templa, deſuper vero duo vaſa cum palmis & inſcr. ΑΚΤΙΑ ΠΥΘΙΑ, infra autem: ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Alter Seueri itidem numus in Gaza Medicea, cum eadem memorata inſcriptione, ſed diuerſo typo, ſtantis nempe mulieris & ſtolatæ ſeu Concordiæ, quæ vtraque manu templum, ac infra ſiniſtram Cornu copiæ geſtat. Geminum eidem numum, & qui Concordiam in eo ſignari recte animaduertit, protulit Triſtanus Tom. II. pag. 103. niſi quod ΑΚΤΙΑ ſolum in eo legerit, non, vt exſtat in Mediceo, ac prout idem deſcriptus eſt ab erudito quondam illius Gazæ cuſtode Fitonio, ΑΚΤΙ. ΠΥΘ. ſeu ΑΚΤΙΑ. ΠΥΘΙΑ. E quibus autem Seueri numis abunde percipitur, a *Perinthiis*, pro eorum ſingulari in illum Imperatorem, eiusque filios, imperii non hæredes ſolum ſed conſortes a patre iam adſumtos, ſtudio & cultu, præter CΕΥΗΡΕΙΑ, de quibus paullo ante, edita inſuper ob adductam eius celebritatis cauſſam ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ. Quod abunde noſſent Perinthii, quantum momenti in eadem illa *Fratrum Concordia* verteretur; iuxta illud Menandri apud Stobæum Serm. LXXXII, qui inſcribitur: ὅτι κάλλιστον ἡ φιλαδελφία, *quod res ſit pulcerrima fraternus amor* (ac plane ad ſimile Regii Vatis dictum Pſalm CXXXIII. 1.)

Ὡς ἡδύ γ' ἐν ΑΔΕΛΦΟΙΣΙΝ ΟΜΟΝΟΙΑΣ ἔρως, *quam iucunda res eſt inter FRATRES amor CONCORDIAE.* Quomodo exſtat etiamnum Themiſtii Oratio φιλάδελφοι inſcripta; qua nempe ob Valentem a fratre Valentiniano ad imperii conſortium adſumtum, vtriusque Principis concordiam laudat, & in qua ſimiliter legitur pag. 76. ἔστι μὲν ὂν καθ' ἑαυτὸ ΑΓΑΠΗΤΟΝ τοῖς ὑπηκόοις, ἡ τῶν βασιλέων ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ, *eſt igitur res ſubditis per ſe* AMABILIS, FRATERNA *principum* AMICITIA, ſeu *Concordia.* Vnde nihil magis anxium habuit Seuerum, quam vt eandem Concordiam inter ambos illos filios, inter ſe alias haud parum diſcordes, videret ſtabilitam; vt id tradit Herodianus Lib. III. Cap. XIII. αὐτὸς δὲ ἐπειρᾶτο συνάγειν ἀεὶ τοὺς παῖδας εἰς ΦΙΛΙΑΝ, καὶ προτρέπειν εἰς ΟΜΟΝΟΙΑΝ καὶ συμφωνίαν, *ipſe* ad AMICITIAM *reuocare ſemper liberos*, *ac ad* CONCORDIAM *& conſenſionem inter ſe hortari conabatur*; quamquam irrito, vt ibidem addit & aliunde conſtat, molimine. Qua ratione etiam factum, vt mortuo Seuero decretum a Senatu tradat Dio Lib. LXXVII. pag. 871. θύειν τε ὑπὲρ ΤΗΣ ΟΜΟΝΟΙΑΣ αὐτῶν τοῖς τε ἄλλοις Θεοῖς, καὶ αὐτῇ ΟΜΟΝΟΙΑ &c. οἱ μὲν ὑπηρέται τὸ τῇ ΟΜΟΝΟΙΑ τεθυσόμενον ἱερεῖον ἡτοίμασαν, καὶ ὁ ὕπατος ὡς καὶ βουθυτήσων ἀφίκετο, *vt pro vtriusque* CONCORDIA *ſacrificaretur cum aliis Diis, tum ipſi* CONCORDIAE &c. *victima a ſacerdotibus ad ſacrificium* CONCORDIAE *parata*, *Conſul ipſe profectus eſt, vt ſacra faceret*; quæ nempe totidem ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ. Quam in rem, ac eodem proinde tempore, numi publica auctoritate

ſunt

ſunt percuſſi, qualis exſtat in Theſauris Regiis, hinc cum Antonini Caracallæ, vt Senioris Auguſti, effigie inſcr. CONCORDIAE AVGG. ſeu *Auguſtorum*, eiusdem nempe Caracallæ & Getæ, prout ſimilis, ſed potiori vtique iure, CONCORDIA AVGVSTORVM, cum eodem, qui in Nicæenſium, de quo paullo ante, & in edito a te Specim. Tab. XIV. numo proſtat, typo, ſignatur in Romanis M. Aurelii & L. Veri numis: immo in Græco etiam *Tarſenſium* numo eiusdem Gazæ Regiæ; qui hinc L. Veri effigiem; illinc itidem duos illos Imperatores ſtantes exhibet, cum inſcriptione: ΑΔΡΙΑΝΗϹ ΤΑΡϹΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩϹ ΟΜΟΝΟΙΑ ϹΕΒΑϹΤΩΝ *Hadriana Tarſi Metropoleos, Concordia Auguſtorum.* Hinc vero eadem ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ poſt Seueri obitum, in Getæ numo ab iisdem *Perinthiis* adhuc conſignata; in quo, ſicut in adducto a te Tab. XIV. & de quo ſupra, Nicæenſium numo, togati itidem & ſtantes conſpiciuntur Caracalla & Geta, cum eadem inſcriptione: ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ, *Philadelpheia Perinthiorum Neocororum.* Ad quæ referri etiam debet alius numus a *Byzantiis*, Perinthiorum æmulatione, cuſus, in quo idem fratrum illorum typus, qui togati & ſtantes dextras iungunt, intermedio vaſe cum palma & inſcr. ΕΠΙ ΤΙΤ. ΑΙΛ. ΚΑΠΙΤΩΛΙΝΟΥ ΒΥΖΑΝΤΙΩΝ, *ſub Tito Aelio Capitolino Byzantiorum*; non vero ad ΑΝΤΩΝΕΙΝΙΑ, quæ in aliis Byzantiorum numis, de quibus paullo poſt, ſeu in vnius Antonini Caracallæ honorem inſtituta Certamina Ludiue. Exſtat vero prior ille numus cum in Gaza Gallorum Regia, tum inter edita nuper illuſtris Abbatis de Camps Numiſmata. Haud aliter nempe ac in numo ΚΟΙΝΟΥ ΑΣΙΑΣ inſcripto, & a te in hoc Specimine Tab. XV. vulgato, de quo ſupra, Druſus Tiberii filius & Germanicus, adoptione fratres, ſedentes iidem ac togati dicuntur ΝΕΟΙ ΘΕΟΙ ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΙ, *noui Dii fratres mutuo ſe amantes*, aut in veteri numo, quem primi olim vulgauimus, ΘΕΩΝ ΑΔΕΛΦΩΝ, *Deorum Fratris Sororisque*, de Ptolemæo Philadelpho & Arſinoë, ſorore & Coniuge, vti etiam in monumento Adulitano, quod ibidem adduximus, dicitur. Notum vero, quam irrita fuerint omnia illa, vel ſuperſtite vel defuncto patre Seuero, celebrata ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ, ſeu pro illorum fratrum concordia ſuſcepta vota, aliaue peracta ſacrorum ſolemnia: neque eadem obfuiſſe, quin altero poſt Seueri obitum anno, ipſe Geta ſit a fratre Caracalla, in matris ſinu, interemtus. Adde, quod, cæſo eodem Geta, ludos etiam Natali eius fieri ſolitos ſuſtulerit idem Caracalla, iuxta Dionem in Excerptis Valeſianis pag. 746. Neque vero, quod hæc adtinet ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ, coniecturæ viri eruditiſſimi licet continuo ſuffragari, qui in opere de Numis vrbium illuſtratis pag. 399. (1) eorum ceu victorum in iisdem ludis, qui φιλαδελφεῖς inde ſint dicti, mentionem fieri putat in Actis Concilii Epheſini, temporibus nempe Theodoſii Iunioris: idque inde, quod in ſubſcriptionibus Quartodecimanorum, hic vel ille φιλαδελφεὺς dicatur in Græcis iisdem actis; in verſione autem Marii Mercatoris a Cl. Baluzio edita, legatur ſubinde *Disphiladelpheus*; vnde legendum putat vir ingenio præſtans, in Græcis δὶς φιλαδελφεὺς, in Latina autem verſione, *Bis Philadelpheus*; neque oppidi hoc nomen, ſed certaminis eſſe, ſiue eius, qui bis hoc agone viciſſet: eum enim φιλαδελφέα a φιλαδελφεὺς, vt a ςαδιεὺς ςαδιέα nuncupari. Plura enim ſunt, quæ hanc coniecturam, vt molliſſime dicam, funditus conuellunt. Mitto, quod, vt

(1) Expanxit locum hunc in noua Edit. p. 136. Opp. Sell.

 agnoſcit

agnoſcit vir egregius, in Græcis Concilii illius Actis & codicibus antiquis, vti ea de re teſtis luculentus Cl. Baluzius, non aliter quam Φιλαδελφεὺς, ſeu *Philadelpheus*, dicatur hic vel ille Quartodecimanus, cuius fit ibi mentio. Quod vtique iuxta conſuetum & perpetuum cum alibi, tum paſſim in Actis Conciliorum, & quidem in hac ipſa de aliis Quartodecimanis commemoratione, morem, haud de alio, quam de gentili loci ſeu vrbis nomine ſolet aut poteſt intelligi. Cui præterea videbitur veriſimile, vt in grauiſſimis id genus Actis, vbi de fidei profeſſione & articulis, quibus quis agnita veritate ſubſcripſerit, agitur; eorum, qui id præſtitiſſe dicuntur, nomenclatio, omiſſo gentili, more conſueto, loci nomine, a relata ſcilicet olim in aliquo ludicro, & vbi ne locus quidem, vbi id contigerit, deſignatur, victoria, continuo deſumatur? Adde, quod, vt ibi ab eodem Cl. Baluzio in Noua Collect. Concil. pag. 621. 622. traditur, & inde etiam tangit vir eruditisſimus, iidem memorati in prioribus illis Græcis & Latinis Actis Epheſini Concilii *Philadelphii*, in verſione autem Marii Mercatoris ſubinde *Disphiladelphii*, iidem, inquam, in antiqua verſione Concilii Chalced. pag. 395. Tom. IV. *ſecundæ Philadelphiæ dicantur*: quo vtique nihil magis ab illa *bis Philadelphii*, de victore ſcilicet in aliquo ludicro litterario ita dicto, explicatione, magis alienum dici potuit. Neque vero id fruſtra de *ſecunda Philadelphia*, in eadem verſione additum: quum reuera duas *Philadelphias* conſtat exſtitiſſe; vnam in Lydia, alteram vero, quam Arabiæ adſcribit Ammianus Lib. XIV. cap. VIII. Cœle-Syriæ autem veteres eius numi, in gaza Gallorum Regia, & qualem etiam e Pyrrhi Ligorii Collectaneis memorat ad Stephanum doctiſſimus Holſtenius, inſcriptum ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΩΝ ΚΟΙΛΗϹ ϹΥΡ. ſeu Συρίας, pag. 345. Quod nempe eadem vrbs in finibus Cœle Syriæ & Arabiæ eſſet ſita; vnde modo Syriæ a Ioſepho adſcribitur, vt Lib. II. Ἁλωσ. cap. XIX. modo Arabiæ, in quam nempe Philadelphiam Aretas Rex Arabum, metu Scauri & Romanorum, e Iudæa rediiſſe, ab eodem dicitur Lib. I. cap. V. Verum quæ de eadem *Philadelphia*, modo Syriæ modo Arabiæ adſcripta, occupaſſe iam video celeberrimum Noriſium Epoch. Syro Maced. pag. 265. Sed his miſſis, & quod propius huc facit, haud alia vtique ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ, ſeu ſolemnes ludos ita dictos, exſtitiſſe ſub Romanis Imperatoribus legimus, niſi hæc, quæ ſub Seuero, ac duobus filiis, Caracalla & Geta, ad impetrandam a Diis, aut velut iam eorum munere conceſſam, illorum fratrum concordiam celebrandam, erant inſtituta. Quis autem, poſtquam mox Caracalla Getam ſuſtulit, & præterea omnem fratris memoriam abolere (quod de eo produnt Dio, Herodianus, Lampridius) adniſus eſt, cenſeat eadem Φιλαδέλφεια non Caracalla ſolum adhuc ſuperſtite, ſed poſt plures adhuc ætates, & quidem adultis Chriſtianorum rebus, ſub Theodoſio iuniore, celebrata? *Philadelphiæ* quidem, quæ nempe in Lydia, peracta ſubinde ΚΟΙΝΑ ΑΣΙΑΣ, ſeu *Communes Aſiæ Ludos*, neque tamen eo Φιλαδελφείων nomine dictos, ſupra vidimus: minus autem, vt qui iis victores euaſerant, Φιλαδελφεῖς inde fuerint dicti. Nomen hoc erat illius vrbis, tam quæ in Lydia, quam quæ in Syria, gentile: quo etiam nomine inſcripti varii, quales alibi adducit in eodem opere vir eruditiſſimus, vtriusque illius ciuitatis numi. Neque qui vel ΑΥΓΟΥΣΤΕΙΑ, ΣΕΒΑΣΤΑ, ΕΥΣΕΒΕΙΑ, aut quæ ille ibidem tangit ΑΣΚΛΗΠΙΕΙΑ vicerant, Ἀυγουστεὺς, Σεβαστεὺς, Εὐσεβεὺς, vel Ἀσκληπιεὺς, ſed vti

vti in priſcis Marmoribus fit eorum mentio, Νικήσας Ἀυγούστεια, Σεβαστὰ, Ἐυσέβεια, Ἀσκληπίεια, vti ſimiliter, *Olympiis*, *Pythiis*, *Iſthmiis*, *Nemeis* victores, Ὀλυμπιονίκαι, Πυθιονίκαι &c. aut in genere Ἱερονίκαι nuncupati. Dictus vero a Græcis, quo exemplo vir præſtantiſſimus nititur, σταδιεὺς non communi agonis Olympiaci, in quo quis vicerat, nomine; ſed ab vnius ludicri in eo genere, ſeu a curſu, qui in ſtadio Olympiaco peragebatur, & a quo, tanquam præcipuo ſeu antiquiſſimo in iisdem Olympiis certamine, eius nomine, qui in eo vicerat, ſignari ſolita, vt adtigimus prima ad te Epiſtola §. IX. Olympias. Quid hoc autem ad Φιλαδέλφεια, de ipſis ludis ſolemnibus, ad Concordiam Caracallæ & Getæ impetrandam aut prædicandam inſtitutis, adpellata? aut vero vt in his victor Φιλαδελφεὺς fuerit continuo dictus? Mitto quod nec Ἀσκληπίεια mera fuerint rhapſodorum ceterarumque humanarum artium certamina, vt e Platonis in Ione verbis male ibi colligit vir eruditiſſimus, idque poſt Cl Meurſium; vti iam ea de re ſupra primæ ad te Epiſtolæ §. X. a nobis actum. Id enim abunde ibi e Pindaro, vt opinor, euicimus, Gymnica quoque edita fuiſſe in illis *Aſclepiis* Epidauricis certamina; neque etſi rhapſodici aut alterius Muſici Agonis facta tantum ſit a Platone mentio, inde priora illa ab iis exulaſſe. Sed hæc præter inſtitutum, non alieno tamen loco, tangimus, quo in illuſtrandis tuo rogatu his numis, quibus Φιλαδέλφεια conſignantur, verſamur; quorum ***numorum auctoritate niti*** hanc ſuam, de qua modo actum, ***coniecturam***, eamque ***haud pœnitendam***, ſtatuit vir præclarus. Neque vllo certe conſilio, aut quæſito ſtudio, alienos labores vellicandi, quod a moribus noſtris abfuit & aberit σὺν Θεῷ longiſſime, hæc modo adtigimus; minus, vt inde eius viri laudibus vellemus quidquam hic vel alibi detractum, cuius ingenio ac eruditione fauemus plurimum; & qui nos a ſe diligi, & aliquo loco haberi, publice nec ſemel vltro ac officioſe declarauit.

De aliis numis, in quibus ΑΝΤΩΝΕΙΝΙΑ, *in honorem Antonini Caracallæ instituta, continentur.*

XIII. Præter illa vero, de quibus modo egimus, quæque tui numi exhibent Speciminis Tab. XIII. & XIV. celebrata nempe a *Perinthiis* ac *Nicæenſibus* ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ, inducta quoque, ac, vt opinari licet, ſublato iam Geta, in honorem vnius tum Auguſti ac rerum Domini Caracallæ, & iuxta dicata patri, ac a nobis iam enarrata ϹΕΥΕΡΕΙΑ, quæ dicta itidem illius nomine ΑΝΤΩΝΕΙΝΙΑ. Proſtant illa in duobus inſignibus & e maximorum genere numis Gazæ Gallorum Regiæ: quorum prior a *Cyzicenis* cuſus, cum ipſa Antonini Caracallæ effigie, in prima numi area: in altera vero cum inſcriptione: ΑΡΧ. ΑΙΛ. ΟΝΗϹΙΦΟΡΟΥ ΑΝΤΩΝΕΙΝΙΑ ΚΥΖΙΚ. ΔΙΣ ΝΕΩΚΟΡΩΝ, ***Sacerdote Max. Aelio Oneſiphoro Antoninia Cyzicenorum Bis Neocororum***, cum additis quadratis duobus velut calathis, quibus inditæ plures palmæ, infra autem bacilli cum ſaltantibus deſuper aliquot figuris, nonnullis autem, quæ eosdem bacillos, aliis ad eos erectis, fulciunt. Alter autem, ſub eodem Caracalla, *Byzantii* ſignatus, in quo menſa bipedalis cernitur, in medio cyathus, ſupra menſam vas ſeu hydria cum palma, vtrinque autem duæ phialæ, cum inſcr. ΑΝΤΩΝΕΙΝΙΑ ΒΥΖΑΝΤΙΩΝ ϹΕΒΑϹΤΑ, ***Antoniniana Byzantiorum Auguſta.*** Diuerſa enim hæc exſtitiſſe Certamina ab iis, quæ in vtriusque fratris, Antonini & Getæ adhuc ſuperſtitis, Concordiam celebrata vidimus ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ, & ad quæ in illo Byzantiorum numo reſpicitur, paullo ante iam adtigi; nec id inficiabitur, vt opinor, vbi rem propius expenderit, qui aliter ea de re ad Numiſmata laudati Abbatis de Camps nuper ſtatuit (1), vir harum antiquitatum valde ceteroquin peritus, ac

(1) p. 72.

ac de iis præclare haud vno nomine meritus. De priori numo egit peculiari Diatriba, quæ Gallico Cl. Sponii libro *Recherches d'Antiquité* inſcripto eſt inſerta, vir elegantia ingenii & harum antiquitatum amore & cultu præclarus; edito etiam nuper ex eius Muſeo Selectiorum Numiſmatum libro, bene de iisdem meritus: in qua autem Diatriba multa opportune ad numi illius ſeu typi valde ſingularis, qui in eo continetur, elucidationem ſunt adlata. Vnum illud, & quod iam vidit Cl. Harduinus, ſecus ab eo eſt animaduerſum, quod non ΑΝΤΩΝΕΙΝΙΑ, prout reuera in eo numo, quem haud ſemel verſauimus, legitur, ſed ΑΝΤΩΝΕΙΝΙΑΝΩΝ in eodem ſupplendum crediderit; ac inde eam vocem non ad *Antoniniana*, ita ab Antonino Caracalla, recepto, vt aliunde vidimus, more, nuncupata quædam Certamina, ſed ad denominatos ab eo *Antoninianos* Cyzicenos retulerit. Etſi enim præter *Tarſum*, quam ibi commemorat vir elegantiſſimus, aliæ adhuc vrbes, quod rurſus e veteri numorum penu conſtat, vt *Ancyra*, *Amaſia*, *Edeſſa*, *Smyrna* (2) quoque in ſingulari huius Caracallæ numo, quem olim vidimus in Muſeo illuſtris P. de Seue, ac, vt aliunde liquet, *Byzantium*, ab eodem Antonino *Antoninianæ* legantur adpellatæ; id tamen a *Cyzicenis* factum haud continuo licet ſtatuere, nec id ille numus, vt modo diximus, arguit. Sed ludos revera eo nomine, in honorem huius *Antonini* eiusque nomine dictos, a Cyzicenis celebratos. Quod clariſſime euincunt inſcripta in altero illo, quem memoraui, Byzantiorum, & cui geminus, vt hoc addam, exſtat in Alexandro Seuero Regiæ eiusdem Gazæ, numo cum ſolitis etiam Agonum inſignibus, ΑΝΤΩΝΕΙΝΙΑ CΕΒΑCΤΑ, & quæ itidem male ad *Antoninianæ* nomen ab vrbe Byzantio adſumtum, ut id iam vidit Harduinus, retulit Triſtanus. Antonino vero Caracallæ, non Elagabalo, (quod Occonis fide, ſed valde in tradendis Græcis numis lubrica, contendit, vbi horum meminit, prior vir ille eruditus libro de Numis vrbium illuſtratis pag. 104. & 269. (3)) qui idem *Antonini*, vt notum, nomen tulit, adſcribi debere cum eosdem numos a Byzantiis & Cyzicenis cuſos, tum dicta eius nomine *Antoniniana* Certamina, illorum numorum, quos vidimus haud ſemel, adſpectus abunde comprobat. Hæc autem ſingula, immo quæcunque huius generis in disceptationem ſubinde veniunt; dum confuſi haud ſemel ob nominum communionem, aut aliquam vultus ſimilitudinem, qui *Antoninorum* aut *Valeriani* etiam nomina præferunt, numi, ac vnde minus in eadem penu exercitatis fraus ſæpe facta; eadem inquam, plene in tua illa locupletiſſima veterum numorum Bibliotheca elucidata & adſerta deinceps proſtabunt. De qua ceteroquin, & opportune ad ea, quæ hac aut ſuperioribus ad te Epiſtolis adtigimus vel enarrauimus, illud demum addam Venuſini Vatis:

I nunc ARGENTVM, *& marmor vetus,*
ARAQVE, *&* ARTES
Suſpice.

Vale, mi MORELLI, &, quod vnum iam auſpicato & pie a te nobisque exorandum ſupereſt, adſit propitia præclaris tuis deſtinationibus, & inde litterarum gloriæ ac incrementis, ſummi Numinis benignitas. Dabam Berolini, IV. Kalend. Mai. Anno Aeræ Chriſtianæ cIↃ IↃcxcv.

INDEX:

(2) De Smyrna v. ſupra. Adde vero COILLV municipium Africæ cum eodem cognomine ex Vaill. Col. T. II. p. 31.

(3) Conf. nou. Edit. p. 37. & 88. Opp. Sell.

INDEX I.

Imperatorum, Regum, Illustrium aliorumque Virorum & Fœminarum, Populorumque, Prouinciarum & Vrbium,

Quorum numi in hoc Opere vel exhibiti vel citati memoriam renouant.

Ti.

D.

Ioannes

L. Sept.



INDEX II.

Rerum.

Bbbb Alexan-

Argiui

B.

Christus

Ephesii

G.

H.

I.

K.

L.

M.

P.

Pto-

Q.

R.

S.

Σταδιεὺς



ERRATA *grauiora vel Amanuensis vel Typothetæ emendanda.*

Pag.	*Vers.*	
9	35	obiuum *leg.* obuium.
18	27	dicere *l.* elicere.
19	11	Iulia *l.* Iunia.
	28	ille *l.* illa.
	42	Domitianus *l.* Domitius.
22	32	creditur *l.* credetur.
25	48	τοιῦτῃ *l.* τοιαύτῃ.
26	37	quidam *adde* putarunt.
30	22	L. VIBIVS *l.* C. VIBIVS.
31	20	iubent *l.* iubeat.
32	25	*Abariæ* l. *Aburiæ.*
33	13	ſextum autem *l.* decimum autem.
36	44	ΕΠΙ ΑΝΤΙΟΧ *l.* ΕΠΙ ΚΑΣΣΙΟΥ ΑΝΤΙΟΧ.
37	32	alter Bruti *l.* illinc Bruti.
38	7	CAIS *l.* CAES.
42	10	*leg.* Claudii Imperatoris & Britannici.
43	18	Morellianos *l.* Morellianas.
44	36	SALVSTIOS *l.* SALVSTIVS.
64	35	*marg.* Empremes *l.* Empereurs.
78	6	*dele* &
	23	tractet, vt *l.* tractet, quam vt.
81	11	ὑπὲρ *l.* ὅπερ.
	12	*Pextinax* l. *Pertinax.*
84	32	*leg.* ἐκοσιετηρίδα.
90	14	προσόπου *l.* προσώπου.
94	2	ſingularium *l.* ſingularum.
99	20	Winckelſeenſis *l.* Winchelſeenſis.
100	2	ἠχρότης *l.* ὑγρότης.
102	28	δύσεις *l.* δόσεις.
104	23	aſignauit *l.* aſſignauit.
106	24	aduerſæ *l.* auerſæ partis.
107	25	parti *l.* patri.
112	16	Aduerſa *l.* Auerſa.
113	15	ἐνώδεις *l.* εὐώδεις.
114	8	adſcripta *l.* adſcriptam.
120	17	Equidem *l.* Equidem.
	18	*leg.* Symbolum Nyſæ.
123	24	idem *l.* item.
124	1	Aduerſæ *l.* Aduerſa.
125	44	cum *l* eum.
127	18	Berenicum *l.* Berenicium.
128	4	ſuppiditauit *l.* ſuppeditauit.
138	16	ſtatuit *adde* Vaillantius.
139	37	noſcebantur *l.* naſcebantur.
141	21	Chriſtianæ *l.* Chriſtinæ.
143	34	quocum *l.* quorum.
145	36	*leg.* de annis.
155	16	ἀνομάσεις *l.* ὀνομάσας.
	20	ὀνεκήρυξεν *l.* ἀνεκήρυξεν.
156	32	δῆδεν *l.* δῆθεν.
157	15	*dele* id.
159	3	ναυτικὸς *l.* ναυτικὸς.
161	17	Α᾿θεναῖοι *l.* Α᾿θηναῖοι.
163	8	alliud *l.* aliud.
	20	nota accentus *l.* nota ſpiritus.
167	9	Beterrenſum *l.* Beterrenſium.
	13	Βαιτίρρα *l.* Βαιτίρραι.
	16	ΒΑΤΑΡΡΟΥΣ & ΒΑΤΤΑΡΟΥΣ *leg.* ΒΑΙΤΑΡΡΟΥΣ & ℣. *ſeq.* Βαιταῤῥηνοί.
168	*vlt.*	ſuppeditabant. *l.* ſuppeditabunt.
174	19	Herculeam *l.* Heracleam.
175	5	nota accentus *l.* nota ſpiritus.
178	23	& l. *vt.*
180	28	Soholiaſtes *l.* Scholiaſtes.
183	2	*Ariſtei* l. *Ariſteæ.*
188	36	*c'eſt trompé* l. *s'eſt trompé.*
195	24	Κυμάνων *l.* Κυμαίων.
201	35	*Trimenothyrittæ* l. *Trimenothuritæ.*
206	6	Bandelotiano *l.* Baudelotiano.
211	*vlt.*	Cinia *l.* Cipia.
213	18	nomen *l.* prænomen.
214	13	PINNVS *l.* PINNIVS.
215	16	*Curatorum* l. *Curatorem.*
221	19	hæc *l.* hac.
223	5	præturæ *l.* prætura.
225	11	foramen eas *l.* foramen vnde eas.
228	26	AV. *l.* AV.
230	22	*Pathienæ* l. *Paſſienæ.*
256	1	*COnSul* l. *COnSuli.*
259	37	quosdam *l.* quondam.
260	19	*leg.* non Kalendis Iuniis.
	28	æreæ *l.* æræ.
263	15	FRANC*ius* l. FRANC*icus.*
	22	ipſam *l.* ipſum.
272	11	faſtdio *l.* faſtidio.
285	12	eam *l.* eum.
	22	Byzyenorum *l.* Bizyenorum.
289	37	titulus *l.* tutulus.
292	10	certe *l.* recte.
	13	*dele* prius.
296	9	*Antonii* l. *Antinoi.*
299	33	Prouincia *l.* Prouinciæ.
305	5	Bandelotianus *l.* Baudelotianus.
	9	dicit *l.* elicit.
306	28	in quo *l.* in qua.
307	12	operi *l.* operis.
308	19	ἀκρωτηριάτων *l.* ἀκρωτηριάζων.
309	13	κυνηχειάν *l.* κυνηγιάν.
311	8	ἐνθεῦτεν *l.* ἐντεῦθεν.
313	6	Rheſaiam *l.* Rheſainam.
314	*vlt.*	ΔΙΟΣΗΟΥΡΙΑ *l.* ΔΙΟΣΚΟΥΡΙΑ.
317	19	Roma *l.* Romam.
321	25	Stobenſes *l.* Stouenſes.
323	26	ΜΑΡΚΙΑΠΟΛΕΙΤΩΝ *l.* ΜΑΡΚΙΑΝΟΠΟΛΕΙΤΩΝ.
337	17	DCCXXXIX *l.* DCCCXXXIX.
344	46	quam *l.* quem.
346	15	item *l.* idem.
351	36	ἀναχρεθῆναι *l.* ἀναχρευθῆναι.
374	19	*leg.* enim vni Siciliæ.
375	23	decimam tertiam *l.* vndecimam.
381	29	Alexandri *l.* In Alexandri.
382	18	συνιστήσαν *l.* συνιστήσαν.
387	21	illam *l.* illum.
	30	intergo *l.* integro.
388	40	ſignatum *l.* ſignatam.
389	15	vncis *l.* unciis.
	24	quo *l.* quibus.
309	24	IIVR *l.* IIVIR.
396	11	NVMITORIVM *l.* NVMITORIVS.
406	2	altera *l.* altero.
407	*vlt.*	Idrico *l.* Hidrieo.
408	13	Hidricum *l.* Hidrieum.
	22	eundem *l.* eandem.
411	24	D. QVINC. *l* P. QVINC.
	31	*leg.* Agrippa mortuo; ille.
412	6	*leg.* PERMISSV P. DOLABELLAE.
	14	*leg.* INDVLGENTIA
420	1	triumplali *l.* triumphali.
425	18	πρίων. *l.* πυρίων.
429	13	ΟΥΑΛέμος *l.* ΟΥΑΛης.
	19	Caracallæ *præpone* a.
430	22	Meſſius *l.* Etruſcus.
431	8	Mario *l* Marcio.
438	8	ipſo *l.* ipſe.
	14	PACATO *l.* PACATOR.
441	10	Mole *l.* male.
442	*ad*	*marg. in fine.* COSS. *l.* COS.
445	11	EVRBIS *l.* ET VRBIS.
452	18	Hemogenes *l.* Hermogenes.
453	32	Ethymo *l.* Euthymo.
454	*not.*	*marg. lin.* 8. notata *l.* notatis.
455	10	Saloniæ *l* Saloninæ.
478	23	*gentitum* l. *genitum.*
479	11	A. C. B. N. *l.* aut A. C. B. N.
485	35	eam *l.* iam.
489	24	Α᾿σκληπεῖον *l.* Α᾿σκληπιεῖον.
524	19	*Deam* l. *Deum.*
Ibid	*in*	*nota marg.* ἣν ἀφίσατο *l.* ἀφίξοιτο.
531	*in*	*nota marg. lin.* 22. qualem *l.* quarum.
533	*vlt.*	confuſam *l.* confuſam.
534	3	ΝΕΟΚΟΡΩΥ *l.* ΝΕΟΚΟΡΟΥ.
538	50	ibidem *l.* itidem.

F I N I S.

